



2
6
444














XXXVII
BEBEL
2. 6. 444


2. 6. 444

ANTIQUITATES
ECCLESIÆ
in tribus prioribus
post natum CHRISTUM Seculis,

EVANGELICÆ
Et
Hodiernæ ὁμοψήφυ,

quibusvis Heterodoxis, modernis præsertim,

Oppositæ:

STUDIO ET OPERA
BALTASARIS BEBELII,
S. Theol. D. ejusdemque Prof. Publ. Ordinarii,
& Ecclesiastis in Universitate & Ecclesia
Argentoratensi.





ARGENTORATI,
Sumptibus GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII,
& JOANNIS EBERHARDI ZETZNERI

ANNO M. DC. LXIX.





En ubi concordi spirat certamine quicquid
Christicolamq; facit, Theologumq; facit:
En ubi cum Vita Doctrina et Suada, nec ullus
Fit nimius, nimius sit licèt ille, labor.
Hunc ita Pax non-pax Victorem sentit ut hostem:
Hôc Papæa sibi Vindice monstra timent.

Sic Dannhaweri redivivi est Gloria Bebel:
Et Templi, et Cathedræ, et Gentis, et Vrbis Honor.
Ita de Tanto Viro, Doctore, Patrono, Hospite
suo longè meritissimo cum Bonis omnibus piè
sentit Joannes Baltasar Ritter. Th. St

Barth: Hopffer pinx:

Philip Kilian sculps





Sereniſsimo PRINCIPI *ac Domino*

DOMINO

LEOPOLDO LUDOVICO

COMITI PALATINO RHENI, BAVARIÆ DUCI, COMITI VELDENTIÆ &c.

Principi ac Domino ſuo Clementiſsimo

Antiquitates Eccleſiæ per tria poſt natum Chriſtum ſecula Evangelicæ

Subjectiſſima animi devotione

ſacras eſſe voluit

BALTHASAR BEBELIVS
S. Theol. D. & P.P.

***

SERENISSIME PRINCEPS!

INterroga generationem pristinam, & diligenter investiga Patrum memoriam (Hesterni quippe sumus, & ignoraramus, quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram) & ipsi docebunt te, loquentur tibi, &

bi, & de corde suo proferent eloquia: Ita monet ille, juxta LXX. ὁ Σαυχαίων τύραννος Bildad apud Jobum, quem solaturus venerat cap. VIII. 8. 9. 10. Controversia ipsi erat cum illo suo vicino & amico, de gubernatione divina, justa illa, an injusta esset? Videbatur Jobus querelis suis isti derogasse: questus enim fuerat de calamitatibus variis, quibus DEUS suos quoque obsequiosos liberos flagellaret: Bildad igitur DEI quasi caussam acturus, increpat querulum, & negat injustum esse DEUM, qui hoc ordine uteretur: Idque ut obtineat, ad veterum provocat monumenta, qui idem de DEO censuissent. Repeti jubet ab atavis usque temporum omnium memoriam ultimam, & ipsos in consilium adhiberi cupit, quippe qui longa rerum experientia plura didicissent, quam ipse, & alii, qui tum breviore vitæ spacio uterentur. Johannes de Pineda Jesuita colligit inde, *apud illos viguisse traditiones aliquas ad fidei & morum doctrinam spectantes, quæ semper apud Fide-*



les ſumma veneratione ſuſceptæ & conſervatæ fuerint, contra quam noſtri temporis hæretici nugentur. Nugator ipſe, qui neſcit diſcrimen inter traditiones Sacris literis congruas, quales Euangelici (quos ipſe per calumniam Jeſuitis ſolitam *hæreticos* criminatur) minimè repudiant, & diſſonas, vel etiam contrarias, quales pleraſque Papatus habet, & exoſculatur. Iſtas Suhites traditiones laudat, erant enim ipſiſſimum DEI verbum, & ſcripturis vel tum vel poſtea conſcriptis conſonum: Laudat enim traditionem, explicante Jacobo Boulducco Franciſcano, *Deum ſimili ſemper modo & ordine, nunquam ſuam agendi ſeriem, formamve pervertendo, proceſsiſſe: quæ talis eſt, ut iis, qui ad eum convertuntur, eumq; deprecantur, auxilium ſuum impertiatur; & ſi aliquando in ruinam corruerint, eos ſublevet & erigat; illiſq; utplurimum, majorem, quam antea, bonorum omnium abundantiam largiatur.* Comment. in Job. l. c. Annon autem hæc omnia ſunt ipſiſſimum DEI verbum,

bum, quod in Sacris hodie literis legimus? Num. XXIII. 19. 1. Sam. XV. 29. Pſ. XL. 15. CII. 28. Malach. III. 6. Putavit igitur Suhites, traditiones, quas ipſi ſcilicet! hæretici urgemus & laudamus adverſus Pontificios diverſas à Scripturis amplectentes. Nihilque adeo lucratur Minorita, etſi non quod pueri in faba in hoc Dialogiſtæ monito ſeſe inveniſſe cenſeat: *Nec Salubrius*, inquiens in tropologia, *tutiusq; remedium contra Neotericos errores & adnaſcentes hæreſes, quam veteris Patrum doctrinæ memoria: ut patet ex his Apoſtoli verbis ad majores & ſeniores Eccleſiæ habitis* Actor XX. 30, 31. ex vobis ipſis exurgent viri loquentes perverſa, ut adducant diſcipulos poſt ſeſe, propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium, nocte ac die non ceſſavi, cum lacrymis monens unumquemque veſtrum: *Ita docent omnes Patres.* Nihil, inquam lucratur Boulduccus, ſed nos in noſtrum uſum verba acceptamus. Si quæ nova dogmata vel cultus in Eccleſiam invehantur, examinanda iſthæc

 erunt



erunt ad veterum Patrum doctrinam & cultus: ſed quorum? dubio procul talium, quales laudavit Suhites, ex cujus verbis Minorita ſententiam ſuam derivavit: Laudavit autem iſte Patres & traditiones cum ſacris literis idem prorſus ſentientes, quod ex ipſo Boulducco oſtendimus; & tales etiam putat Paulus Apoſtolus: Nam vult memoria teneri, quæ ipſe pridem docuiſſet; nihil autem ipſe docuerat præter Moſen & Prophetas, quorum ſcripta ſupererant. Actor. XXVI. 22. imo idipſum, quod docuerant ore, etiam ſcriptis comprehendebant, Apoſtoli 1. Joh. I. 1. ad ſeros uſque poſteros tranſmittendum. Age jam Boulducce, examinemus veſtras, quas jactatis, traditiones de fide, cultu, & moribus, ad Patres ſacrarum literarum conditores, vel eos, quos ipſi rerum credendarum & faciendarum exempla nobis commendarunt, & exploremus, qui ſit inter vos & iſtos conſenſus?

Amplius progredior, comparemus quæcunque hodie ſive nos, ſive vos, ſive alii hetero-



terodoxi, docemus in re divina, credimus, facimus, ad ſcripta etiam eorum patrum, qui poſt conſummatum canonem in Eccleſia primævæ Chriſtianæ ſubſequa viguerunt: Dicant illi ſententiam, utra pars genuina ipſorum ſoboles ſit, quæve adulterina. Interrogentur autem genuini Patres, ſicut in ſuperſtitibus ſcriptis incorruptè loquuntur: quo fine in hoc noſtro libro primum locum tribuere voluimus ſcriptoribus Eccleſiaſticis, & examinare, quæ ipſorum legitimi, quæque ſuppoſititii, vel certè dubii fœtus eſſent. Deprehendes SERENISSIME PRINCEPS! non unum, ſed plures; non minorum, ſed majorum gentium Patres, qui ipſorummet Pontificiorum ſententia non ſunt auctores plerorumque monumentorum, quæ tamen ipſi adverſarii adverſus nos ſolent in acie collocare. Sint autem genuini ſcriptorum Patres; videbis tamen, ubi pro Roma non pronunciant, ſecurè ſperni, & contemptim haberi. Taceo minimam ipſorum partem ſupereſſe, ſi cum deperditis comparaveris:

Et qui ſuperſunt, pauciores (ſi modo ulli) corrumpentium manus evaſiſſe.

Alterum articulum dedimus Miniſterio Eccleſiaſtico, quo DEUS utitur in Eccleſia ſua colligenda & propaganda; Cavimus autem extrema, in quæ adverſarii noſtri declinant. Sunt inter eos contemptores miniſterii, qui nihil diſcriminis inter DEI & hominis ſervum agnoſcunt, omnes inter ſeſe ordines confundentes, vel certe vim ſacri ordinis elevantes, quo tamen DEUS organo utitur in curanda ſua Eccleſia & hominum ſalute promovenda. Sunt deinde ex altera parte admiratores nimii, qui miniſterium altiore, quam decet, loco collocant, eximentes ipſum è poteſtate ſupremi Magiſtratus, quem tamen DEUS ſupra omnes animas eminere voluit. Debetur utique ſuus Eccleſiæ miniſtris honos, propter Dominum cui ſerviunt; habent etiam ſuas functiones, in quibus à ſolo DEO pendent: verbi puto prædicandi, & Sacramentorum, claviumque adminiſtrandarum, ſed iſtud ipſorum arbi-

trium non infinitum eſt, ut vel pro ſuo lubitu rem ſacram faciant, vel mundanam cum iſta commiſceant, gregi dominaturientes. Si quid tale fecerint, quicunque etiam fuerint, habent non DEUM modo ſupra ſe vindicem, ſed etiam Eccleſiam, & in hac eminentiorem Magiſtratum judicem, à quo in ordinem redigantur. Cætera nihil contra officium faciunt, ſi juſtam pro labore recipiant mercedem, & rem domeſticam adornent, curentque, ducendo uxores, generando liberos, educando, ſervitia habendo, opes poſſidendo, & quæ porro res familiaris requirit. Ita hodie de miniſterio Euangelici cenſemus; perinde ut olim de eadem cenſuerunt cum tria priora poſt natum Chriſtum ſecula currerent. Nam & in his utrumque extremum prudenter declinatum eſt, media via electa, id quod litera oculis ſubjecta planiſſimè demonſtrabit.

Poſtquam expendimus vetuſtatis de miniſterio ſenſum, progredimur ad organum divinitus ordinatum, verbum DEI in S. lite-



ris expreſſum, & eodem, quem controverſiæ requirunt, modo pertractamus. Hodie proh dolor! eo ventum eſt, ut de principio fidei potiſſima lis moveatur Catholicis, nec hæc à paganis ſolum, quod non mirandum, ſed, quod merito ſtupendum & deteſtandum ab iis quoque, qui Chriſtianorum nomine ſuperbiunt: Plerisq; in ore vox eſt: unde ſcis Scripturam eſſe verbum DEI? Matthæum verbis à DEO ſubminiſtratis Euangelicam hiſtoriam conſignaſſe? Pauli epiſtolas non eſſe à nebulone quodam conceptas? hoc illi quærunt, vel ut ad Eccleſiam omnis in rebus fidei auctoritas devolvatur, vel ut rationi arbitrium credendorum vel faciendorum deferatur, vel ut ratio ſtatus politici pro tribunali ſedeat, moderando religionem, ut neceſſitas reipublicæ poſcit, id eſt, ut ipſa religio & fides Chriſtiana funditus evertatur; Huc collimant, ſaltem in reipſa, tenebræ, quas ſacris literis offundunt, errores, quos tribuunt, variæ lectiones, quas ſcrupuloſè colligunt, diverſi ſenſus, quos commini-

ſcun-

ſcuntur, diſſenſiones Doctorum, quibus delectantur. Heu quam diſſimili à veteri Eccleſia methodo! Habuit ipſa ſcripturam pro unico rerũ credendarum principio: credidit eadem Deo per verbũ ſuum perfectiſſimum, clariſſimum, efficaciſſimum de ſeſe auctore clariſſimè teſtanti; verſavit nocte dieque libros ſacros, i.e. mediis fidei concipiendæ & fovendæ uſa eſt, unde exoptatum tulit fructum!

Jacto à ſacris literis fundamento progredimur ad dogmata, quæ ex ipſis credenda, vel facienda eliciuntur. Habuit primitiva Eccleſia ſua credendorum compendia, in quibus maximè neceſſaria comprehendebat, iis credenda & recitanda, qui Chriſtianis ſeſe aggregare, & pro veris membris haberi ſatagebant. Neq; tamen ſuperſtitioſè in ſolis ſymbolorum & iiſdem verbis articulisq; adhæſit, ſed exigente ita Eccleſiæ ratione auxit ea, vel certè clarius explicuit, ſi quæ præſertim lites ab hæreticis moverentur. Diſtribui autem ea dogmata poſſunt in ea, quæ Deum, & quæ Chriſtum θεάνθρωπον inter Deum & homi-

nes



nes mediatorem unicum, quæ denique hominem juxta varios ſuos ſtatus concernunt. In tanta rerum credendarum & extricandarum varietate, maxime opus eſt nexum & ſeriem probè obſervare, ne ſine fructu legantur apud veteres, & diſtincta inter ſeſe confundantur. Videbis ex illis dogmatibus in ſuas claſſes digeſtis, quod nullum Auguſtanæ confeſſionis ſocii dogma per univerſum ſuæ Theologiæ ſyſtema doceant vel credant, quod non apud veteres, qui orthodoxi habentur, fuerit perinde & doctum publicè, & creditum. Interrogatus igitur Lutheranus, ubi locorum ſua ipſius ante Lutherum Eccleſia fuerit? Quis unquam ita vel docuerit, vel crediderit, ſicut noſter Lutherus, Brentius, Chemnitius, Hunnius, Menzerus &c. Reſpondebit, ita & docuerunt & crediderunt in Aſia Ignatius, Romæ Clemens, Juſtinus martyr, Tertullianus; in Galliis Irenæus; Alexandriæ Clemens Alexandrinus, Origenes, Dionyſius; Carthagine Cyprianus, alii, vel dictis vel aliis locis; evolve librum, lege teſtimonia,

expen-

expende ſententiam ſingulorum ſine præoccupato animo, Lutheranos extitiſſe ipſos ante Lutherum juraveris. Neq́; turberis, ſi legeris eoſdem patres ſuis quoq́; nævis laboraſſe; Nam hoc ipſum eſt, quod Euangelici dicimus, etſi Eccleſiæ priſcæ doctores in uno vel altero dogmate ab Euangelica diſſentiant, id tamen non tollere ejusdem cum noſtra conſenſum fundamentalem; ut ipſis pontificiis non videtur abhorrere à ſua Romana, etſi ipſimet in priſcis ſcriptoribus notent diverſas ab hodiernis doctrinas.

Sed & de forma, quam dicunt, externa dicendum erat: Nam & de hac hodie controverſiæ moventur. Sunt qui inter haram & aram nullum diſcrimen faciunt, decori & ordinis oſores: ſunt deinde, qui luxum habitus & cæremoniarum in Eccleſiam introducunt, atq; ita omnium in ſeſe oculos, aures, animoſq; convertunt, ut, quod præcipuum eſt, & divinitus mandatum negligant, vel certè perfunctorie tractent. Sunt quoq; Epicuri de grege porci, qui honeſtatem publicam exterminant, & ſacra ſymbola rident,

 tan-

tanquam inter Satanæ ſynagogam, & Chriſti ædem nihil eſſet diſcriminis; Ab omnibus his Euangelica Eccleſia in diverſum abit, ſequuta primævam, quæ decentem ſacri gregis œconomiam coluit, imitata DEUM, qui à condita uſq; Eccleſia viſibilibus quibuſdam ſignis voluntatem ſuam declaravit, & domum adornavit: moderatè tamen, quod & ipſa obſervavit; nam ſponſam Chriſti decet ornatus gravis, qui ſolet eſſe matronarum; non luxurioſus, quo meretrices ſuperbiunt; inceſſus quoque decens, qui eſt virtutum, ut ſtuduit illa adhuc incorruptior virgo honeſte, velut in die, ambulare domi, & foris, in ſacris & profanis locis.

Ut vero nihil eſt ex omni parte beatum, ſic nec illa Chriſto ſuo & Apoſtolis vicina Eccleſia fuit. Diabolus enim impigerrimus hominum hoſtis mature cœpit Zizania diſſeminare per eos ipſos, quos Eccleſia doctores habuit. Irrepſerunt quædam ex Ethniciſmo & Judaiſmo; Quædam addiderunt hæretici de ſuo periculoſa dogmata; Invecti ſunt & cultus à verbo DEI non imperati; perpetrata ſunt, quæ à ſanctimonia

chri-

christiana abhorrebant. Isthæc vero notare voluimus, non ut pudenda Noachi revelaremus, sed partim ut pateret, Ecclesiam errare posse: nec statim pro capite fidei obtrudendum esse, quod antiquiores dixerunt: partim ut Puritanorum hypocrisin retunderemus, qui pro Ecclesia non agnoscunt, nisi cœtum, qui sicut in cœlo angeli, defæcatus est ab omni macula peccatorum; ostendant enim illi ullam unquam Ecclesiam, quæ eo pervenerit perfectionis? unde nec caruit Ecclesia suis quoq; calamitatibus; ne enim sibi angelicam puritatem vel innocentiam imaginaretur, permisit Deus hostibus persecutiones, quibus veluti magistris erudita est Christi sponsa, peccata sua agnoscere, & cavere, Deū metuere, pœnitentiam agere, sanctè vivere, & cœlum perpetuo suspirio desiderare. Dictum est hoc in gratiam eorum quoq;, qui Ecclesiæ notam faciunt perpetuam in temporalibus felicitatem; magno certè errore, quid enim fiet de Ecclesia trisculari, quæ sub Ethnicis persecutionibus per aliquot annorum centurias gemuit & suspiravit?



Cum hæresibus quoq; nobis res est: eaq; ideo, quod adversarios non pudet easdem nobis impingere; à sese vero longe longius amoliri. Ut igitur innocentia nostræ Ecclesiæ in propatulo esset, heterodoxa vero in suis sese majoribus agnosceret, hæresiologiam quoq; nostris antiquitatibus inseruimus. Observavimus autem & in hoc negocio ordinem, distincte propositis singularum hæresium auctoribus, principiis, doctrinis, modibus, asseclis, adversariis, fatis, remediis, ut quæ prolixè ab aliis dispersa sunt, in unum fasciculum collecta uno obtutu facile & legerentur & augerentur.

Ultimus labor est cum variis adversariis, qui ex testimoniis veterum velut acie instructa nostram impugnant Ecclesiam, suam vero synagogam propugnare allaborant. Disposuimus objectiones juxta seriem articulorum fidei, ut statim inveniri, vel aliis additis augeri possint. Allegavimus præcipuas ex ipsorum scriptis nobis quidem cognitas; ante autem formavimus controversiæ statum, quam responderemus; isto enim veluti compen-

pen-

pendio facto pleraq; dissipantur robora nobis opposita, dum plerumque ignorantiam Elenchi committunt, vitium Pontificiis præsertim scriptoribus usitatū. Breviter id studui facere, ne copia fastidiū pareret; simplici stylo, ne Oedipo opus esset; ordine, quo facilius memoriæ hærerent; absq; invectivis, ne adversarius ad primum intuitum resiliret; cordate tamen, sicut veritas amat; & juxta hodiernas controversias, ut aliquis eorum usus esset: Huc enim debet studium antiquitatis tendere: publicè; nam duo priora secula literis expressa è valvis conspicienda, & pro cathedra eruditis studiosis ventilanda proposui: Tandem & tertium addidi, & justo libro omnia omnibus promulgavi.

Constitueram equidem mecum nullū sine reliquis seculis usque ad nostra tempora productis in lucē dare publicam, sed erant etiam apud adversarios viri illustres, qui aliud hujus rei fieri exoptabant. Fuit certè Illustrissimus inter ipsos vir, & natalium splendore, & eruditionis præstantia orbi notus, qui ad quendam amicorum meorū venerandum virum,



hoc de ſcripto meo, cujus priores diſputatio-
nes viderat, tulit judicium literis conceptũ:
*D. Bebelii ratio ſcribendi & ſuccoſior eſt, & ro-
tundior, & genuino idoneorum ſcriptorum mo-
ri congruentior. Oro ut diſpicias, ſicunde Eccleſi-
aſticam ejus hiſtoriam conſequi licet, tum præci-
puè, ſi qua ejus deinceps prodibunt continente fi-
lo, prout belle cœpta ſunt. Nihil hactenus videre
memini hoc in genere pulchrius, diſtributius, &
tot magnarum materiarum compreſſione fœ-
cundius, quodq; merito longum poſt ſe ſyrma
depoſcat, & avidam mereatur exſpectationem.*
Sic ille judicavit, præter quidem meum me-
ritum, Deus tamen etiam per ſpreta ſolet ho-
minum animos pulſare, & teſtimonia verita-
tis extorquere. Pergit amicus noſter in literis
ad nos perſcriptis: *volebat etiam, ut ſuo nomi-
ne hortarer, opus hoc amplius urgeri, ut aliquot
ſeculis abſolutis haberet orbis eruditus, quo tam-
diu frueretur, donec reliqua ſequerentur: Suis*
(Pontificiis) *etiam hoc opus commendaturum
ſe eſſe recepit, quod ab omnibus legi dignum judi-
cet.* Hactenus amicus noſter in literis anno
1667. die 10. Junii ad nos exaratis. Fateor hæc,
& a-

& alia ſtimulum mihi addidiſſe, ut facerem, quod alia dubitabam, imò nolebam facere. Sub manibus erat hiſtoria Eccleſiæ Abrahamicæ, fere ad umbilicum perducta, quam Noachicæ ſubjungere volebam, ut hanc quoq; nobiſcũ conſenſiſſe, ſicut priores, oſtenderẽ: ſed evictus iſtis, & aliorũ, monitis iſtam tantiſper ſepoſui,&, quantum per officium meũ & alias occupationes licuit, telam hiſtoriæ Chriſtianæ cœptæ pertexui, Deo vitam & ſecundam valetudinem largiente, ut in lucem publicam abſoluta prodiret.

Quòd verò, SERENISSIME PRINCEPS, celſiſſimo Tuo nomini dedicare opus ſuſtinuerim, cauſa non una me impulit. Orbis novit, & imprimis Euangelicæ Eccleſiæ id ſolatio eſt, quo flagres zelo erga Lutheranam, quam vocant, Eccleſiam & doctrinam. Literis ipſe tinctus es qua ſacris, qua profanis, & legiſti IPSE, quæ alii alienis vident oculis vel auribus addiſcunt. Et tamen in tanta ſtudiorum occupatione principali quoq; officio ipſe defungeris. Subditis quoq; incorruptũ ex Iſraëliticis fontibus liquorem propinandũ curas,

& ca-



&c caves sedulò etiam aliis, ne quis vel lupus rapax, vel hyæna fallax ovile pretiosè emptum deprædetur: ubi igitur majorem quam apud Serenissimum Vestrum animum inveniret gratiam liber hic, qui pro Ecclesia nostra &religione defendenda scriptus est? Accedit propinquior stimulus, qui me audacem esse jussit dedicatorem, nempe singularis illa Vestra Clementia, quæ Venerandum quondam Doctorem Dannhawerum, & post ipsius ἀνάλυσιν me quoque, humillimum Serenissimæ Domus Vestræ clientem hactenus complectebatur. Recenserem merita, nisi majora forent, quam quæ recenseantur. Omnino tamen tacere nec volui, nec debui, quandoquidem nullas alias pro Serenissima Clementia gratias referre possim, nisi eandem pie agnoscendo, & quoad in viribus est, deprædicando. Hoc fine, SERENISSIME PRINCEPS, suscipe mentis meæ interpretes Antiquitates Evangelicas, Tuaq; eas Clementia potentissima & nutu Serenissimo dignare:

SERENITATIS VESTRÆ

ad preces & servitia humillimus Cliens

BALTHASAR BEBELIVS. D.



Deo favente

Seculi I. articulus. I.

De

ECCLESIASTICIS HUIUS SECULI SCRIPTORIBUS.

Argumentum.

Scriptorum alii sunt coævi, alii recentiores. Illi vel Christiani vel Iudæi vel gentiles. Christianorum alii genuini, alii adulterini. Genuini vel θεόπνευστοι, nempe Scriptores N.T. alii non θεόπνευστοι, e. gr. Barnabas, Clemens, Ignatius. Adulterini sunt, quos recenset Gratianus decernente Gelasio; Adduntur plures, sub quorum nomine Epistolæ, Evangelia, Liturgiæ, Narrationes, alia circumferuntur. Vsus etiam horum ostenditur; Iudæi sunt Philo & Iosephus. Gentiles sunt Tacitus, Suetonius, Acta, Recentiorum alii aliis fide minus indigni.

§. 1.



SPiritus Sanctus suo afflatu impulit & direxit Apostolos & Evangelistas, ut res gestas nascentis Ecclesiæ Christianæ literis mandarent. Gal. I. 11. 12. Luc. I. 2. 3. Joh. XXI. 24. Ignatius in epist. ad Philad. §. 14. laudat Προφήτας ὡς Χριστὸν καταγγείλαντας, ὡς τοῦ αὐτοῦ πνεύματος μετασχόντας, οὗ καὶ οἱ Ἀπόστολοι. i. e. *Prophetas Christum annunciantes, & ipsius spiritus participes, cujus & Apostoli.* Et paulo post §. 17. invehitur in hæreticos, qui Evangelia in dubium revocabant, quod in Archivis non invenirentur τοῖς δὲ τοιούτοις ἐγὼ δὲ λέγω, ὅτι ἐμοὶ ἀρχεῖά ἐστιν *Scriptores θεόπνευστοι.*

Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, οὗ παρακοῦσαι πρόδηλος ὄλεθρος. i. e. *Talibus ego dico, quod Jesus mihi pro Archivis est; quem nolle audire* (in θεοπνεύστοις scriptis) *manifesta pernicies est:* & mox: ὁ ἀπιστῶν τῷ Εὐαγγελίῳ πᾶσιν ὁμοῦ ἀπιστεῖ. οὐ γὰρ προκειται τὰ ἀρχεῖα τοῦ πνεύματος. i. e. *Qui non credit Evangelio, nihil cæterorum credit. Nec enim spiritui debent archiva præferri.* Quæ observanda sunt contra ςρεβλότητα Baronii annal. 109. §. 24. Et *hæreticos* illius temporis, quos castigant Irenæ. lib. 1. c. 26. III. c. 11. Euseb. lib. III. hist Eccles. c. 21. IV. 27. Epiphan. hæres. 30. 41. 42. 51. 76. vide Bell. lib. 1. de V. D. c. 6. *Judæos*, August. lib. 1. de cons. Evangg. c. 7. 8. XXXII. contra Faust. c. 16. 21. XXXIII. 7. solutis Manichæorum objectionibus. XXII. 60. 62. seqq. *Gentiles* Origen. contra Cels. lib. I. p. 5. V. 231. VI. 275. seqq. Sunt autē inter hos alii libri Protocanonici, alii Deuterocanonici; De illis nunquam, de his quoad auctores secundarios aliquandiu est dubitatum. Hi sunt epistola ad Hebræos, Jacobi, 2 Petri. 2 & 3. Johannis, Judæ, & Apocalypsis Johannæa. Illi sunt reliqui. Omnes tamen tam hi quam illi ἀξιόπιστοι.

Ecclesiastici genuini.

§. 2. Tria hujus seculi scripta occurrunt, quæ *genuina* esse videntur, si pauca irreptitia demas. *Barnabæ* epistola, olim laudata ab Origine lib. I. contra Cels. p. 49. an quæ inter Apocryphas relata ab Hieron. d. script. Eccles. tit. Barnabas? & è tenebris nuper eruta notisque illustrata ab Hugone Menardo Paris. 1645. edente Luca Dachero congregationis S. Mauri in Gallia. vide Dn. D. Calov. confess. Martyr. sect. 1. c. 1. p. 10. *Clementis Romani prior ad Corinthios.* Hanc à vetustissimis Patrum celebratam diuque desideratam Patricius Junius Bibliothecarius Regius in Anglia à Cyrillo Patriarcha Const. acceptam tandem edidit anno 1633. probatam Dn. D. Dannhavv. Christ. VIII. p. 277. confer tamen quæ addit p. 1042. *Ignatij* ad Trallenses, Philadelphienses, Polycarpum, Romanos, Magnesios, Smyrnenses, & Ephesios. Has genuinas putant. Non tamen ex asse. Nam quædam ex Constitutionibus, quas Apostolicas vocant, irrepserunt; quædam desiderantur: potissimam partem cæteras adulterinas, quæ sunt ad Mariam Cassoboliten, Tarsenses, Philippenses, Antiochenses, Heronem. Controversia de illis nata est inter Episcopales Anglos, & Presbyterianos acerrima, dum illi pro antiqua Episcoporum dignitate & eminentia præ Presbyteris & Diaconis, allegarent testimonia Ignatii, in fasciculum colle-

cta ab

cta ab Henrico Hammondo dissert. 2. de Episc. c. 26. Hi contra fidem epistolarum istarum convellerent, quod fecerunt Salmasius potissimum, & Blondellus. Confer Montac. t. 1. orig. ad an. 35. §. 31. Dn. D. Dannh. Christos. p. 12. Christeid. phæn. VIII. p. 284. D. Calov. Conf. Matt. sect. 3. §. 5.

§. 3. *Adulterini* fœtus sunt, qui vel ipsi Salvatori nostro, vel Apostolis, vel Apostolicis viris ab Hæreticis, juxta Const. Apost l. 6. c. 16. Epiph. hæres. 40. affinguntur. Potissimam eorum partem notavit doctissimus Pontifex Gelasius in Concilio Romano ex eruditissimis, judice Isidoro, Episcopis congregato. Nominat autem *Actus* Suppositios Andreæ, Philippi, Petri, Thomæ, Apostolorum, Teclæ, & Pauli. *Evangelia* adulterina e. g. Barnabæ, Bartholomæi, Andreæ, Luciani, Hyrcii. *Epistolas* spurias e. g. Jesu ad Abgarum: & *alia*, ut itinerarium Petri, narrationem de Salvatoris infantia, & nativitate, & obstetrice; de S. Maria ejusque transitu, Pastorem, revelationem Pauli, Thomæ & Stephani; Apostolorum sortes & canones. *Addi* possunt *Evangelia* Hebræorum, Ebionitarum, Encratitarum, Nazarenorum, Judæ, & Ægyptiorum. vide Sixt. Senens. lib. 2. Bibl. p. 81. Voss. d. script. Græc. lib. 2. c. 9. *Epistolæ* Pilati ad Tiberium, Lentuli, Pauli ad Senecam & contra, ad Laodicenses; vide Bisciol. epit. an. 60. Clementis ad Jacobum & alios, B. Virginis ad diversos, decretales Pontificum; Polycarpi ad Philippenses, Martialis Lemovicensis ad Burdegalenses & Tolosanos; *Liturgiæ* Jacobi, Petri, Matthæi, Marci, Nicomedis, Barnabæ, aliorum. *Narrationes* Marci de passione Barnabæ, Abdiæ de vitis Apostolorum, Prochori, & Lini, Presbyterorum Achaiæ de passione Andreæ, Polycratis de vita Timothei, Disputationis Petri cum Apione & alia Clementis Romani; Dionysii Areopagitæ opera, Evodii Antiocheni Lumen, cujus meminit Montac. t. 1. Orig. §. 79. exerc. 7. Analect. sect. 3. *Adulterini.*

§. 4. Horum scriptorum vel auctores fictitii sunt, vel materia κίβδηλος. De plerisque fatentur ipsi Pontificii. Quædam tamen defendunt quidam, quod videant ea facere nonnunquam ad suam caussam contra nos agendam, e. g. *Liturgias* Pamelius, Claudius de Sainctes, Leo Allatius, Nihusius. *Canones* Apostolorum Franciscus Turrianus justo libro, idem Decretales tuetur. *Dio-*

nysio Areopagitæ ſuppetias ferunt Del Rio in vindiciis Areopagiticis, Schottus in not. ad Phot. Bibl. tit. Theod. Presb. p. 3. c. 1. Metrophanes Critop. ſed nebulas iſtas diſcuſſerunt ex noſtris B. Dn. D. Dorſch. Myſar. Miſs. c. VII. §. 123. Gerh. conf. Cath. lib. 1. part. 2. gen. c. 6. ſeqq. D. Dannh. Chriſteid. p. 889. Ex Reformatis Caſaub. Exerc. XVI. contr. Baron. §. 59. Joh. Dallæ. lib. III. de Pſeudep. Blondellus in Pſeudo Iſid. Voſſ. hiſt. Pelag. p. I. lib. 7. p. 691. Scult. Med. Patr. lib. XII. c. 8. p. 463.

§. 5. Non tamen abſolutè rejicienda putamus iſta ſcripta. Etſi enim vel ejus ſeculi ſaltem quoad omnia non ſint, quod præ ſe ferunt, vel ἀσφάλειαν nullam faciant in rebus credendis, tamen quædam genuina, ut in adulterinis Ignatii & Polycarpi epiſtolis, quædam ſatis *antiqua* ſunt, ut Dionyſius Areopagita, judice D. Dannhavv. myſter. ſect. 2. art. III. p. 371. & *utilia* in quibuſdam, ut idem in colligendis Dei nominibus, laudatus à Chemnit; Loc. d. Deo p. m. 28. 31. & Canones conſtitutionesque Apoſtolorum; *continent enim aliqua non inutilia de antiqua forma gubernationis in Eccesia*, cenſente eodem in judicio de Patribus Locis præfixo. Etiam in rebus dogmaticis adhiberi poſſunt contra Pontificios, qui ut genuina recipiunt. Quo fine memorata ſcripta in ſequentibus allegabimus.

Iudaici *Philo.* §. 6. Inter *Judaicos* ſcriptores celebriores ſunt *Philo* & Joſephus. Ille Alexandriæ in Ægypto ex Judæis natus eruditione, ſcriptis, & meritis in ſuos clariſſimus evaſit. Circumfertur quidam ipſius liber de vita contemplativa precantium, laudatus ab Euſeb. lib. 2. hiſt. Eccleſ. c. 15. 16. Sozom. lib. 1. hiſt. c. 12. eo potiſſimum nomine, quod crederent ſcriptum eſſe in laudem Chriſtianorum Aſcetarum, qui ſub Marco Epiſcopo religioſiſſimè in Ægypto vivebant. extat liber t. 2. opp. edit. Pariſinæ. Sed loqui Philonem de ſuis Eſſæis, non autem de Chriſtianis multi ex noſtris & Reformatis docuere. vide D. Dannh. Chriſteid. Metamorph. IV. p. 786. ſeqq. *Joſephus*, de quo loquimur, diſtinguendus eſt ab altero, quem Gorionis Filium vocant. Hunc nullius precii eſſe aſſerit poſt multos alios Morinus in epiſt. ad Nihuſ. de lib. hebr. § 3. Nec illi genuino parcunt Pontificii, imprimis Salianus Jeſuita in ſuis Annalibus, raro ſine manifeſta injuria, judice D. Dorſch. vindic.

& *Ioſephus.*

ad Exod.

ad Exod. IV. diss. IV. §. 19. Nobis non improbatur judicium Montacutii Analect. exerc. 2. sect. 2. *Hujus auctoris non est contemnenda historia. Fatentur enim omnes, Baronio excepto, postquam recesserimus ab historia sacra, ἀξιοπιστότατον semper habitum rerum suæ gentis narratorem. Eum certè solùm è naufragio lamentabili illo literarum viæ habemus ducem, ad illorum odorandas antiquitates, ubi nos destituit lucerna Israëlis, post deperditas Hecatæi, Aristobuli, Eupolemi, Justi Tiberiensis & aliorum, qui exstabant olim, historias.* Hæc ille. Si nulla alia caussa esset, cur magni faceremus Josephum, ea sola esset sufficiens, quod *in XVIII. Antiq. libro manifestissimè confitetur, propter magnitudinem signorum, Christum à Pharisæis interfectum, & Johannem Baptistam verè Prophetam fuisse, & propter interfectionem Jacobi Apostoli dirutam Hierosolymam.* verba sunt Hieron. ex Catal. d. script. tit. Josephus.

§. 7. *Gentiles* etiam de rebus Christianorum quædam annotarunt. Ignatius ep. ad Philipp. §. 1. allegat ἀπογραφὴν ἀνθρωπίνην. Sed clarius Tertullianus *omni genere literarum peritus,* judice Lactantio div. instit. lib. 5. c. 1. imprimis autem *veteris moris & scientissimus & tenacissimus,* cēsente Montac. part. I. Orig. §. 16. sæpius allegat Archiva Romanorum. Nempe Apologet. contr. gent. 21. cum agit de Eclipsi patiente Christo, ait enim: *eum mundi casum relatum in Archivis vestris habetis.* & lib. IV. contr. Marc. c. 7. disputans pro vera Christi nativitate provocat ad tabulas censuales Augusti, *censum Augusti testem fidelissimum Dominicæ nativitatis Romana Archiva custodiunt.* & c. 91. *sed & census constat actos sub Augusto tunc in Judæam per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus inquirere potuissent.* confer c. 36. & lib. de carne Christi c. 2. sed quia tabulas illas injuria temporum consumpsit, nihil inde lucramur. Tacitus etiam lib. XV. annal. c. 44. Suetonius in Nerone c. 16. de Christianis quædam annotarunt, sed falsa & fabulosa. vide commentatores. *Gentiles.*

§. 8. *Amissa* esse multa hujus seculi scripta dubium non est. *Herma* scripsit librum, quem pastorem vocavit; librum utilem, celebrem, & publicè in Ecclesia Græca lectum, uti refert Hieronymus de script. Eccles. tit. Herma. *Polycarpus* Johannis Apostoli discipulus exaravit ad Philippenses valde utilem epistolam, quæ usque ad Hieronymi tempora in Asiæ conventu legebatur: Hodie quidem ejus nominis epistola circumfertur, sed spuriam esse D. Dannh. *Amissi.*

Christeid. p.254.909.docet. Suidas sua adhuc ætate dicit extitisse *Hodiè interciderunt.* Polycarpi epistolam ad Dionysium Areopagitam; quam etiã hodie desideramus. *Papiæ* libros V, expositio Sermonum Domini dictos, citat Euseb. lib. III. c. 33. hist. Quadrati & Aristidis celebres pro Christianis Apologiæ interierunt. Nec dubium, quin Martyrum diptycha multa, si non omnia, sint amissa, olim conscripta à Notariis, jussu, ut ferunt, Clementis. Pamel. lib. I. Liturg. p. 91. Bisciol. 97. an. 52. p. *Hegesippus* γείτων τῶν Ἀποστολικῶν χρόνων, uti Hieronymus de script. tit. Jacobus loquitur, à passione Domini ad sua usque tempora Ecclesiasticorum actuum historiam texuit, in eaque multa ad utilitatem legentium pertinentia, sed hodie intercidit, præter pauca fragmenta, quæ Euseb. l. 4. c 8. conservavit. vid. Scalig ad Chron. Euseb. an. 2077. 2112. Drus. in not. ad. Sulp. Sever. lib. 2. p. 262. Neque tamen omnia etiam amissa genuina vel utilia & necessaria erant, vide Voss. de script. Græc lib. 2. c. 9. ut non opus habeat tot lacrymas fundere Montacut. part. 1. orig. t. 1. §. 16. Etiam *Sibyllina* oracula, magnum in Ecclesia primitiva nomen, videntur intercidisse, præter fragmenta apud Patres passim, Justinum præsertim, Clementem Alexandrinum, Eusebium, Lactantium occurrentia. Sequimur in hac controversia judicium nostri Præceptoris Dn. D. Danhavveri in Christeid. phæn. I. p. 21. *Quæ de Christo in Sibyllinis inveniuntur vel nascituro priora fuerunt, vel posteriora nato: illa è canonica scriptura plagio corrupta; Hæc Christianorum nimis diligentium, ubi non oportuit, interpolationes dicas licet.* Confirmatur judicium ex Ignatii epist. ad Philadelph. §. 16. 17. Disputat enim adversus eos, qui negabant Evangelium haberi in Archivis; hinc colligit Vedelius c. 17. exercit. III. p. 155. in Ignat. epp. non extitisse Ignatii tempore Sibyllina oracula in Archivis Romanis, alias ad Evangelium in Archivis contentum (Nam Sibyllina agunt de Evangelio) potuisset Ignatius provocare.

Recentiores. §. 9. *Recentiores* ævo illo scriptores Eusebius cumprimis in historia & Chronico, quique inde rivulos derivarunt, historici & Chronologi adhibendi sunt. Posteriores tamen Eusebio magno judicio & caute legendi. Nam multas fabulas admiscent Gregorius Turonensis, Simeon Metaphrastes, Nicephorus Callistus, Petrus Comestor, Petrus de Natalibus, Jacobus de Vitriaco, Jacobus Philippus Bergomensis, aliique, qui Martyrologia, Menologia, Legenda San-

da Sanctorum, Chronica, & sermones scripserunt. Novissimi Annalium conditores & Epitomatores, Pontificis mancipia, eo magis nobis esse debent suspecti, quo majore ipsi studio contendunt Papalem eminentiam & infallibilitatem stabilire. His oppone nostros Centuriatores, eorundemque Epitomatorem Osiandrum. Sufficiat vel eruditissimis labor incomparabilis nostri Dannhavveri quem vocavit Christeidem. Nam in hac novissimas Papistarum, quoad tria priora secula, fraudes & effugia felicissimè advertit, detexit, confutavit.

Articulus II.

De MINISTERIO ECCLESIASTICO.

Argumentum.

Auspicia ministerii Evangelici à Iohanne & Christo. Nomina ministrorum communia, & propria. Distinctio divina & Ecclesiastica. Constitutio per electionem, missionem, ordinationem. Officium administrandi verbi, Sacramentorum, clavium; Potestas limitata. Subjecta Apostoli, Apostolici, Episcopi Hierosolymitani, Antiocheni, Romani, Alexandrini, Asiatici, Græci, Galli, alii. Conjugia, Salaria, contraria impedimenta, depositio, persecutio.

§. I.

§. 1. Johannes Baptista ministerium N. T. felici omine auspicatus est. Fuit enim Evangelizans & baptizans præcursor Jesu Christi, qui suo baptismo ordinem istum sanctè dedicavit. Celebrat Ignatius epist. ad Philipp. §. 1. φωνὴν Ἰωάννε προφήτε, σημαίνουσαν πάθος διὰ τῆς τοῦ ἀμνοῦ προσηγορίας. i.e. *vocem Johannis Prophetæ, quæ significabat passionem futuram appellatione agni.* Accessit in die Pentecostes solennis inauguratio Apostolorum, cum effuso Spiritu Sancto potestate & facultate docendi & alios doctores constituendi instruerentur. *Auspicii* Ministerii Evangelici.

§. 2. *Nomina* ministrorum Ecclesiæ respiciunt gloriam Dei, & utilitatem Ecclesiæ per ministerium verbi & Sacramentorum dispensationem studiose promovendam. Dicuntur enim Servi. 2. Petr. I. 1. Ministri. 1. Cor. III. 5. dispensatores mysteriorum. c. IV. 1. Patres & Pædagogi. 1. Cor. IV. 15. Præcones. 2. Tim. I. 11. *Dividuntur in communia & propria.* Nam quædam illorum κατ' ἐξοχὴν tribuuntur (1.) *Nomina.* *Divisio, in communia, & propria.*

Testes.

ἔγγραφα & ἄγραφα.

tur alicui ordini vel ſubjecto. e. g. *Teſtes Chriſti* propriiſſimè dicuntur Apoſtoli, quod αὐτόπται teſtari debebant de reſurrectione Chriſti. Actor. I. 8. unde & XII eligebantur, qui numerus Sacer erat, ſicut in noſtris teſtibus ſeptenarius. Brent. ad Actor. I. c. 2. *in* ἔγγραφα & ἄγραφα. ἔγγραφα, quæ in S. literis eo ſenſu habentur, quo uſurpantur. e. g. dicuntur ἡγούμενοι Heb. XIII. 17. qua voce appellantur ab Ignat. epiſt. ad Trall. §. 14. Ἄγραφα, quæ vel κατὰ ῥητὸν quidem in S. literis habentur, ut vox Κλῆρος 1. Petr. V. 23. Sed non eo ſenſu, quem deinde in Eccleſia obtinuit. Nam Clerici ſunt dicti, non à ſorte omnibus Chriſtianis communi, ſed à propria, quâ Apoſtoli cooptabantur, teſte Iſidor. lib. 7. Etymol. c. 12. ut repetitur c. Cleros. diſt. 21. vel non quidem κατὰ ῥητὸν, κατὰ διάνοιαν tamen, ut cum ab Ignatio epiſt. ad Epheſ. §. 1. dicuntur ςόμα χριςοῦ. i. e. *os Chriſti*, res ipſa in S. literis continetur, dum per eos Deus & Spiritus Sanctus loqui dicitur. Matth. X. 20. etiam vox in V. T. Jer. XV. 19. licet non in N. T. Obiter obſerva, quod Epheſii dicantur os Chriſti, neque tamen propterea conſtituantur principes, aut Vicarii Chriſti Oecumenici, quod Bell. lib. 1. de P. R. c. 22. Baron. an. 33. §. 12. ineptè inferunt. Dicitur Petrus à Chryſ. hom. 87. in Joh. & in Acta. 2. v. 14. hom. 4. *os Apoſtolorum*; hinc illi principatum Monarchicum elicere, nempe aquam ex pumice, contendunt. Sed ad propoſitum. Inter Eccleſiaſtica nomina pertinet etiam *Papa*, quod tribuitur Anacleto Epiſcopo R. ab Ignatio, ſi genuina eſt epiſtola ad Mariam Caſſobolitɛn, quod negant, aut ipſe tum Pontifex extitit, quod negat Biſciola epit. ann. 70. p. 45. Cletum ſubſtituens. Sit autem genuina, quod Biſciola an. 94. contendit, fuerit etiam Anacletus Papa, ut infra docebo, non tamen ex iſto nomine communi proprium faciamus P. Romani, quod Bell. l. 2. de P. R. c. 31. facit. *Nomen* enim *Papæ, tametſi hodie apud Latinos uni Romano tribuebatur Pontifici, apud priſcos tamen univerſo Presbyterorum ordini fuiſſe commune, non leves extant conjecturæ,* fatetur Lindanus Pontificius l. 4. Panopl. c. 80. conf. Savar. in Sidon. ep. I. lib. 6. Cham. Panſt. de Oecum. Pont. lib. XIII. c. 19. §. 4. Vedel. in Ignat. ep. ad Mar. exerc. VIII. c. 2. Allegant Pontificii etiam vocem *Sacerdos* Ἱερεὺς, qua videtur uti Ignatius ipſe ep. ad Philadelph. §. 18. ſed locum eſſe ſubjectum ipſe nos doceat Bellarminus lib. 3. de cult. ſanct. c. 4. *Ad teſtimonia,* inquiens, *Patrum dico, primos Chriſtianos pro-*

nos propter recentem memoriam Sacerdotij Aaronici, abstinuisse non solum à vocabulo templi, sed etiam Sacerdotij. Ne viderentur adhuc durare Judaicæ cæremoniæ. Itaque Apostoli in suis epistolis pro Sacerdotibus Episcopos & Presbyteros, pro templis Ecclesias dicunt; & similiter loquuntur Justinus, Ignatius, & cæteri antiquissimi Patres. Hæc ille. Ergo qui in epistola ad Philadelph. loquitur, Ignatius non est, sed Ignatianaster. Ampliora solito sunt elogia, quæ Ministris Ecclesiæ tribuunt Constitutiones sic dictæ Apostolorum lib. 2. c. 30. dum Episcopus dicitur: *Princeps & Dux vester, is Rex vester, & Dynasta, deniq; is terrenus Deus post Deum:* & mox: *Diaconus huic assistat, ut Christus Patri*; & iterum: *Presbyteri in formam Apostolorum à vobis censeantur; Magistri sint scientiæ Dei.* Hæc non omnia sapiunt humilitatem Apostolicam, sed fastum Papalem.

§. 3. *Distinctio* ministrorum Ecclesiæ alia est divina alia humana. illam voco, quæ à Deo ipso in SS literis extat facta esse. Illustris locus est Eph. IV. 11. *Quosdam* Christus in cœlos receptus vi officii Prophetici *constituit* Apostolos, *qui Evangelij legatione ad multas gentes & populos fungerentur*; *quosdam* Prophetas, *qui ex afflatu spiritus per revelationem docti scripturas interpretarentur, & Ecclesiam monerent de iis, quæ in utilitatem ejus essent*; *Quosdam* Evangelistas, *qui annunciandi & prædicandi Evangelij dexteritate pollerent, ut præconium Christi cum fructu detonarent. Quosdam* Pastores, *qui singulas Ecclesias rite gubernarent & instituerent. Quosdam* Doctores, *qui Christi plebes sanctè formantes, fideliter docerent, ab aliis accepta.* Paraphrasis est non inepta Claudii Guilliaud. Bellijoc. in comm. ad Eph. l. c. Distinctius tamen singula excutiamus. *Apostoli*, καθ' ἐξοχὴν sic dicti, differunt à reliquis Ecclesiæ ministris (1.) *vocatione.* Sunt enim immediatè à Deo vocati & declarati. Actor. I. 24. seq. IX. 6. XXVI. 15. seq. Rom. I. 5. Gal. I. 1. (2.) *functione.* Nam missi sunt in orbem *universum* præcones. Matth. XXVIII. 19. habentes potestatem in omnem locum, nulli certo affixi, sicut ordinarii pastores affiguntur. Rom. I. 14. 1. Cor. IV. 17. Quod etiam præstiterunt prædicato Evangelio in universo orbe Col. I. 6. 23. ἀπὸ περάτων ἕως περάτων οἰκείοις ἱδρῶσι καὶ πόνοις i. e. *à finibus usq; ad fines propriis sudoribus & laboribus*, uti de ipsis loquitur Ignatius ep. ad Philadelph. Non igitur hæc est Petri prærogativa, ut Bell. lib. 1. de P. R. c. 22. Baron. ad an. 39. §. 25. 26. contendunt ex Actor.

3. Distinctio Sacra.

in Apostolos quorum vocatio, functio,

IX.32. ubi Petrus per omnes transiisse dicitur. Etiam Paulus longe latèque transiit Rom. XV. 20. Nec ideo sub duabus speciebus S. Cœna distributa est, quod pauci essent fideles, ut Bellarm. 4. de Euch. c. 26. caussatur. Plurimi enim erant fideles. Neque ideo Anti-Christus nondum venisse dici potest, quod Evangelium in universo orbe non sit prædicatum, quod iterum Pontificiorum effugium est: Nam utique prædicatum erat jam tempore Ignatii.

Charismata. (3.) χαρίσμασι, ut sunt præter alia *donum linguarum, miraculorum, Constantiæ.* 1. Cor. XIV. 18. 2. Cor. XII.12. De postremo insignis locus est Ignatii in epist. ad Smyrn. §. 3. *Dominus Jesus Christus rogavit* μὴ ἐκλείπειν τὴν πίστιν τῶν Ἀποστόλων, i. e. *ne deficeret fides Apostolorum*; non dicit *Apostoli*, solum putans Petrum; sed Apostolorum omnibus inclusis. Desinat igitur Bellarm. lib. IV. de P.R. c. 3. hoc facere privilegium Petri & successorum. Dedit autem Christus suum S. Spiritum πνεῦμα ἀγαθὸν καὶ ἡγεμονικὸν, ἀληθές τε καὶ διδασκαλικὸν καὶ εὐθὲς, juxta Ignat. ep. ad Philadelph. §. 14. i. e. *bonum, eximium, verum, doctorem, & rectum.* à quo in omnem veritatem ducerentur. His prærogativis insignes Apostoli

Elogia. (4.) *Elogiis* illustriores cæteris extitere: Nam οἱ στύλοι τοῦ κόσμου. i. e. *columnæ orbis* dicuntur ab Ignat. ep. ad Philadelph. §. 18. Monopolium igitur est, cum Bellarm. lib. 1. c. 11. de P. R. Petrum *peculiari modo fundamentum* dici contendit. Distinctio, quam affert inter Apostolum & Pastorem ordinarium, conficta est. Repugnat enim officio Apostolico, quod in omnes gentes datum, unius tantum loci e. g. vel Antiochiæ, vel Romæ pastorem esse ordinarium non permittit. *Dicis:* Jacobus fuit Apostolus, sicut clarè dicitur Gal. I. 19. constit. Apost. l. VII. c. 64. VIII. cap. 41. & tamen fuit Episcopus Hierosolymorum. juxta Euseb. Chron. an. Chr. XXXIII. hist. Euseb. lib. II. c. 1. ℞. Vox Apostolus sumitur analogicè pro omnibus, qui Christum in carne viderunt, uti docet Hieron. ad Gal. I. hoc sensu dictus Jacobus non fuit ille sive Major sive Minor inter Apostolos κατ' ἐξοχὴν & univocè dictos (vide Dn. D. Dannh. Christeid. phæn. III. p. 113.) sed tertius quidam ab illis distinctus. Univoco sensu vocem accepit Ignatius, cum se Apostolis inferiorem confitetur epist. ad Trallens. §. 6. οὐχ ὡς Ἀπόστολος διατάσσομαι, ἀλλ' ἐμαυτὸν μετρῶ, ἵνα μὴ ἐν καυχήσει ἀπόλωμαι; i. e. *Non ut Apostolus præcipio, sed meipsum metior, ne in jactantia per-*

tia peream. Quod si quis Pontificius genuina putet verba ἐν τῷ πληρώματι ἐν Ἀποστολικῷ χαρακτῆρι, i. e. *in plenitudine, in Apostolico charactere,* quæ extant in inscriptione literarum ad Trallenses; videat quomodo conciliet cum prærogativa Pontificis, quam illi tribuunt ob characterem Apostolicum Bellarm. lib. 2. de P. R. c. 31. aliique Papistarum. *Prophetæ* dicti sunt à spiritu Prophetico & objecto circa quod versabantur, nempe propheticis scriptis, quæ explicabant contra Judæos præsertim. Nam ille ipse Spiritus qui indidit primum prophetias, easdem docet intelligere. 2. Petr. I. 20.21. 1. Cor. II. 10. Tales prophetæ erant Corinthi. 1. Cor. XIV. 29. Antiochiæ, Act. XIII. 1. XV. 32. *Evangelistæ* sunt dicti ab Evangelica historia, quam *prædicabant*, ut Philippus Actor. XXI. 8. Thaddæus. Euseb. lib. 1. hist. c. 22. Marcus. c. 16. & *scribebant*, quæ deinde in publicis cœtibus legebatur. 2. Cor. VIII. 18. uti explicant Centr. Magd. lib. 2. Cent. 1. c. 6. f. 380. & patet ex Constit. Apostol. l. 2. c. 61. *Doctores* alias Tractatores tradebant articulos fidei cum in thesi, tum in antithesi. *Pastores* denique curam animarum habebant: Nam Evangelistæ *curam eorum, qui ad fidem nuper erant adducti, doctrina Christi sedulo excolendorum commiserunt.* Euseb. lib. 3. hist. c. 31.

§. 4. *Ecclesiastica* est distinctio Ministrorum in Episcopos, Presbyteros, & Diaconos. Non dico quod distinctio horũ in S. literis fundata non sit. Nam nimis clarè ea apparet ex Act. VI. 2. seqq. Sed quod distinctio inter Episcopum & Presbyterum illum superiorem, hunc inferiorem, non sit juris divini, sed humani tantum & Ecclesiastici. Item, quod determinatio singulorũ officiorũ specialior ex arbitrio humano sit facta, non immediatè divino. Probatur illud ex Act. XX. 17. 28. Tit. I. 5. 7. Phil. I. 1. *Idem est Presbyter, qui & Episcopus, & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent & diceretur in populis:* Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, *communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur; postquam vero unusquisque eos, quos baptizarat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, & schismatum semina tollerentur.* Sententia est Hieron. Comment. ad Tit. I. Torquent sese Pontificii & Hierarchici in Anglia, Hammondus dissert. II. de Episc. c. 27. seqq. ut hunc virum nobis eripiant. Sed Michaël Medina fatetur tandem Hieronymi, Anselmi, Sedulii eam esse sententiã, sed erro-

Ecclesiastica in *Episcopos.*

neam, condonandam tamen. lib. 1. de sacr. hom. contr. c. 5. Duo igitur sunt ordines, nec plures, ministrorum Ecclesiæ, Presbyterorum & Diaconorum. *Sacros ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia.* ingenua est Gratiani confessio c. Nullus dist. 60. & Cassandri in Consult. art. 14. Procedente tempore in plures ordines discreti sunt: simpliciter alii erant Presbyteri, alii Archipresbyteri, alii Episcopi, alii Archiepiscopi seu Metropolitæ; alii primates, alii Patriarchæ, alii summi Pontifices; *Horum discretio à gentilibus maximè introducta est, qui suos Flamines alios simpliciter Flamines, alios Archiflamines appellabant. Simpliciter vero majorum & minorum Sacerdotum discretio in N. T. ab ipso Christo sumpsit exordium.* iterum verba habes Gratiani ex Procem. dist. XXI. Qui tamen in eo errat, quod mox dicat, *Petrum quasi in summum sacerdotem electum* esse à Christo, traditis clavibus Matth. XVI. 19. & fusis pro constantia ipsius precibus. Luc. XXII. 32. Nam claves omnibus sunt datæ Apostolis Joh. XX. 23. & fusæ preces pro omnibus, ut in fide manerent, teste Ignatio ep. ad Smyrn. §. 3. Idem in ep. ad Philadelph. §. 14. Apostolos comparat cum βρεσβυτερίῳ ἐκκλησίας. i. e. *Collegio Presbyterorum in Ecclesia.* in ep. ad Trallens. ὑποτάσσεσθε τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς Ἀποστόλοις. i. e. *subjecti estote Presbyterio ut Apostolis.* Sententia igitur Ignatii Apostoli sunt Presbyteri, ut se ipse vocat Petrus 1. Petr. V. 1. Johannes ep. 2. ℣. 1. Nec obstat Act. XV. 22. Apostolos à Presbyteris distingui. Nam Presbyteri intelliguntur Ecclesię Hierosolymitanæ, quæ particularis est; Apostoli autē sunt universalis Presbyteri. Sicut igitur inter Presbyteros Ecclesię particularis nullus habet potestatē Monarchicam; ita nec inter Presbyteros Ecclesiæ universalis, i. e. Apostolos ullus habet potestatē in reliquos Monarchicā.

Presbyteros. *Divisi* Presbyteri sunt in Clericos & Laicos; illi verbo & Sacramentis vacabant; hi mores fidelium observabant, sicut ex 1. Tim. V. 17. probat D. Hülsenm. Brev. Theol. c. XIX. 18. & defendit contra D. Calixtum in dialys. Apolog. p. 412. Clerici iterum divisi in majores, qui Episcopi, & minores, qui Presbyteri dicebantur. Εὐταξίας ἕνεκεν illis commissa erat potestas directiva Presbyterii & suarum diœceseων. *Laici Diaconis subjiciantur; Diaconi Presbyteris Pesbyteri Episcopo, Episcopus Christo, ut ipse Patri.* Sic const. Clement. l. 2. c. 26. quæ irrepserunt etiam in epistolam Ignatii ad Smyrnenses. §. 4. 5. Tarsens. p. 27.

Diaconē

Diaconi Ignatio ep. ad Trall. p. 5. dicuntur Χριστοῦ Ἰησοῦ φύλακες τοῦ & Diaconos.
τόπου, i. e. *Christi Jesu locum tenentes*, seu Vicarii. Desinant igitur
Pontificii ex vicariatu Pontificis sui inferre œcumenicam auctori-
tatem, quod facit Bellarm. lib. 2. de P. R. c. ult. Vacabant Diaconi et-
iam docendo verbo: Adeoque non tantum βρωτῶν καὶ ποτῶν εἰσι διά-
κονοι, ἀλλ' ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ ὑπηρέται: i. e. *ciborum & potuum sunt Diaconi,*
sed Ecclesiæ Dei ministri. Ministri nempe in verbo, ἐν λόγῳ ὑπηρετεῖ
μοι, i. e. *in verbo ministrat mihi*, scribit idem de Philone suo diacono ep.
ad Philadelph. p. 104. εἰς λόγον θεοῦ διάκονοι i. e. *verbi Dei sunt Diaconi.*
ep. ad Smyrn. §. 5. Hæc caussa est cur diaconos vocet χριστοφόρους συν-
δούλους, i. e. *Christum ferentes suos conservos.* l. c. confer ep. ad Ant. p. 96.
ad Heronem p. 105. Bisciol. an. 34. epit. p. 17. Nec abnuit Clemens in
constit. Apost. lib. 2. c. 48. cum diaconum vocat Episcopi *auditum,*
oculum, os, cor, animam, & c. 61. ubi recenset officia Diaconorum,
nempe curare in cœtibus publicis εὐταξίαν & εὐσχημοσύνην; legere
Evangelia, orare pro variis, alloqui populum; c. 19. peccatores Ec-
clesia ejicere, & alia facere, ut onere Episcopus levetur. c. 48.
Erant etiam *Presbyteræ & Diaconissæ.* Harum fit mentio Rom. XVI. *Presbyteras.*
1. & apud Ignatium in epistola ad Antioch. §. 3. ἀσπάζομαι τοὺς φρουροὺς
τῶν ἁγίων πυλώνων τὰς ἐν Χριστῷ διακόνους. i. e. *Saluto custodes sacrorum vesti-*
bulorum in Christo diaconissas. Etsi verba hac non immeritò suspecta *Diaconissas.*
sint. Illarum in constit. Apostol. lib. 2. c. 32. Eligebantur ex viduis,
& dedicabantur ministerio Ecclesiæ cum externo, tum interno.
Externo, nempe eleemosynis distribuendis, ostiis templorum custo-
diendis, *Diaconissa ad introitus fœminarum more nauticorum custodum;*
Nam in tabernaculo testimonij eadem servabatur forma cum populo Dei.
Const. Apost. l. 2. c. 61. lib. VIII. c. 34. vide Casaub. exerc. 1. ad app.
Baron. §. 23. p. 105. & Joseph. lib. VI. de Bell. Jud. c. 6. Casal. d. Vet.
Christ. ritib. c. 29. Perferendis literis. Nam Phœbe diaconissa
Rom. XVI. 1. pertulit literas Pauli ad Romanos, quod patet ex sub-
scriptione. Mulieribus curandis, visitandis, juvandis in morbo,
abstergendis. *Elige Diaconissam fidelem & sanctam ad mulierum ministe-*
ria Clem. const. Apost. l. 3. c. 15. quorum quædam mox recenset, ut
cum Diaconum in domos sine suspicione mittere non possis, Dia-
conissam mittas; cum mulieres illuminantur, & oleo unguntur,
Diaconissæ abstergant; Hinc patet in Sacramentis administran-

dis etiam fuisse ipsarum usum. *Internum* hoc erat officium, ad quod etiam spectat prædicatio verbi. Distinguendum tamen inter publicam & privatam; illa non fungebantur; Nam mulierem oportet tacere in Ecclesia, 1. Cor. XIV. 34 Constit. Apost lib. 3. c. 6. Hac autem gaudebant. Catechumenas enim prima fidei rudimenta docebant; difficillimis etiam persecutionum temporibus faciebant sine gravi suspicione officia Episcoporum, qui sine periculo præsentissimo non poterant obire munus. vid. Albaspine. de vet. Eccles. rit. lib. 1. c. 24. Celebris est hoc nomine *Prisca*, quam vocat Paulus Rom. XVI. 3. *συνεργὸν* i. e. cooperatricem suam. Plantabat enim domesticam Ecclesiam. ℣. 4. 5. 1. Cor. XVI. 19. & Apollinem informabat in verbo Dei. Actor. XVIII. 26. Tales etiam Evodia & Syntyche fuisse videntur Phil. IV. 2. 3. sicut & aliæ, quarum Apostoli, Ignatiusque in epistolis meminerunt.

4. Constitutio. vel immediata

§. 5. *Constitutio* ministrorum legitimorum est à Deo vel immediatè vel mediatè. *Immediatè* in N. T. Christus instituit non tantum officium ipsum, sed etiam personas ipsas designavit, ut XII. Apostolos, sorte autem Matthiam. Matth. XXVIII. 19. Gal. I. 1. Act. I. 16. *Mediatè* fit per homines divina tamen auctoritate. Unde Ignat. ep ad Philadelph. salutem dicit adhærentibus *Episcopo, Presbyteris & Diaconis* ἀποδεδειγμένοις ἐν θελήματι θεοῦ πατρὸς διὰ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ i. e. *designatis per voluntatem Dei Patris per Jesum Christum.* Opus hoc est, si jus ipsum spectes, totius Ecclesiæ. *Decet vos*, scribit ad Philadelphienses p. 103. idem, *ut Dei Ecclesiam* χειροτονῆσαι ἐπίσκοπον, εἰς τὸ πρεσβεῦσαι ἐκεῖ θεοῦ πρεσβείαν i. e. *eligere Episcopum, ut obeat legationem Dei, ut concedatur illis in eundem locum congregatis etiam glorificare nomen Dei.* Euseb. lib. III. hist. Eccles. c. 10. scribit Apostolos, discipulos, & cognatos Simeonis ipsum elegisse Episcopum Hierosolymitanum. Frustra est Gretseri lib. IV. def. Bellarm. c. 7. exceptio, loqui Ignatium de Ecclesia repræsentativa, non Synthetica. Nam literas inscripsit toti Ecclesiæ, salutatque eos maxime, qui sunt cum Episcopo, Presbyteris, & Diaconis. Distinctè igitur loquitur de Ecclesia ut differt à Clericis; Hanc vult eligere Episcopum, *ut semper fecerunt proximæ Ecclesiæ, quarum aliæ misere Episcopos, nonnullæ vero Presbyteros & Diaconos:* quod Ignatius mox addit. Epist. ad Smyrn. §. 5. repetit: πρέπει εἰς θεοῦ τιμὴν χειροτονῆσαι τὴν ἐκκλησίαν ἡμῶν θεοπρεσβύτην

vel mediata.

à tota Ecclesia,

πρεσβύτην. i. e. *decet in Dei honorem eligere Ecclesiam vestram sacrum legatum:* consentit epistola ad Philadelph. *Quia nunciatum est mihi pacem habere Ecclesiam quæ & in Antiochia Syriæ, decet vos ad Ecclesiam Dei designare χειροτονεῖν Diaconum aliquem* &c. vide de hisce locis D. Hülsenm. de ministr. Ordinat. §. 1. seq. congruit cum Actor. XV. 22. ubi tota Ecclesia mittit Judam & Silam; & ordinatione illa, cujus meminit Clemens. p. 57. *ordinationem instituerunt, ut defunctis illis succederent alij probati viri* συνευδοκησάσης τῆς ἐκκλησίας πάσης *consentiente tota Ecclesia. Ordinatio* jure divino spectat ad omnes Ecclesiæ ministros, qui ad ministerium verbi & Sacramentorum ordinati sunt. Jure vero Ecclesiastico ad solos Episcopos, præsentibus tamen & comprecantibus Presbyteris & Diaconis. Hülsenm. l. c. ἐπίσκοπος χειροτονείσθω ὑπ' ἐπισκόπων δύο ἢ τριῶν i. e. Episcopus ordinetur à duobus aut tribus Episcopis. Can. I. Apost. constit. Apost. l. 3. c. 20. l. VIII. c. 33. Anaclet. de ord. Episc. t. 1. concil. f. 15. imposita capiti manu assistentibus diaconis, dum orat Episcopus, juxta c. 24. Cum diaconus ordinatur eædem cæremoniæ observabantur, ut Episcopo oranti manumque imponenti assisterent Presbyteri & Diaconi. c. 25. Non aliter cum Diaconissa, nisi quod assisterent reliquæ diaconissæ. c. 26. — *Ordinatio.*

§. 6. *Officium* ministrorum refertur (1.) *ad prædicationem verbi.* Sit enim ἐπίσκοπος διδακτικός. 1. Tim. III. 2. ut aptus sit καὶ ἑτέρους διδάξαι *alios docere.* 2. Tim. II. 2. oratio in Presbytero ordinando eodem tendit: *Domine præsta, ut sermone doctrinæ in mansuetudine instruat populum tuum.* Const. Apost. lib. VIII. c. 24. Quod si neglexerit, deponi jubetur ὁ μὴ παιδεύων τὴν εὐσέβειαν. Can. 58. confer constit. Apostol. l. 2. c. 5. Ignat. ep ad Antioch. p. 94. ad Heron. p. 106. ex professo Clementem ep. 3. de offic. Sacerd. & Cleric. tom. 1. Concil. f. 9. Anacletum de oppress. Episc. f 13. *Media* sunt Spiritus S. influxus, precibus impetrandus; & indefessum studium. Nam qui copiosus vult esse *in docendo*, sit prius copiosus *in meditando, ac studio invigilans in dominicis libris; multus in lectionibus, ut scripturas diligenter exponat,* ut const. Apost. l. 2. c. 5. jubent. *Norma* constituitur eadem scriptura: *Evangelium interpretetur convenienter Prophetis & legi. Interpretationes ex lege & prophetis procedant ad convenientiam & similitudinem Evangelii:* Et mox: *Attende igitur diligenter verbo, ô Episcope, ut, quatenus fieri potest, omnia ad ver-* — (5.) Officium prædicatio verbi.

ad verbum interpreteris. Christi præceptum est Luc. XVI. 29. & Apo-
2. Administratio Sacramentorum baptismi — stolorum praxis. Actor. XXVI. 22. (2.) *Administratio Sacramentorum.* Sunt autem duo *baptismus* à Christo institutus, Matth. XXVIII. 19. ab Apostolis administratus Actor. II. 38. X. 47. ab Episcopis & Presbyteris. Constit. Apost. l. VIII. c. 34. Etiam Diaconis, postquam Ministri cibi & potus desiissent esse, inter Ministros Ecclesiæ relati.

S. Cœnæ. — Ignat. ep. ad Trall. p. 4 *Eucharistia.* Distribuebantur consecrata ab Episcopo vel Presbyteris symbola sacra panis & vinum; etiam à Diaconis: *Diaconi absoluta oratione alii oblationi Eucharistiæ sint intenti, Ministrantes corpori Domini cum timore.* ita Constit. Apost. lib. 2. c.

Clavium. — 61. (3.) *Usus clavium.* Potestas ministerio collata duplex est ordinis & jurisdictionis. Ordinis est administratio verbi & Sacramentorum. Jurisdictionis est clavium ligantis & solventis. *Ligantis*, quæ est *auctoritas excommunicandi obnoxios publicis criminibus.* & solventis, quæ est *rursus absolvendi eos, si conversi petant absolutionem.* ut describit Apol. A. C. art. d. abus. ult. *Recognosce, O Episcope, dignitatem tuam, quod sicut ligandi potestatem accepisti, sic etiam & solvendi.* Const. Apost. l. 2. c. 21. & c. 19. *Cum aliquem peccavisse cognoveris, exacerbatus jube eum foras ejici.* Officium hoc erat Diaconorum, qui deinde apud Episcopum intercedebant, ut reciperet ejectum: Episcopus exoratus dictitabat reo pœnitentiam, qua rite præstita, restituebat reconciliatum, manu imposita, & precibus fusis. Const. Apost. l. 2. c. 19. 21. 45. 47. l. VIII. c. 11. 12. Ignat. ep. ad Philadelph. p. 92. Species hæc erat *auctoritatis judicandi*, quæ tum commissa Episcopo & Presbyterio. Carebant Christiani Magistratu Christiano, indignumque putabant coram infidelibus litigare. Ecclesiæ igitur Episcopis & Presbyteris deferebant arbitrium judicandi inter fideles. τῷ ἐπισκόπῳ ὑποτάσσεσθε ὡς τῷ Κυρίῳ: & mox: ὑποτάσσεσθε καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ: Et iterum: διακόνους ἐπιτρέπεσθε ὡς Χριστὸν Ἰησοῦν: i. e. *Episcopo subjecti estote, tanquam Domino: Presbyterio subjecti estote, Diaconos revereamini, tanquam Jesum Christum.* Verba sunt Ignatii epist. ad Trall. p. 4. 5. in quam sententiam sæpius alibi etiam loquitur. confer Constit. Apost. l. 2. c. 11. 52. 53. 55. *Assessores* Episcopi erant Presbyteri σύμβουλοι καὶ συνεδρευταὶ τοῦ ἐπισκόπου, uti loquitur Ignat. ep. ad Trall. p. 5. Collegium dicebatur πρεσβυτήριον, συνέδριον, σύστημα ἱερόν. vid. ep. ad Magnes. p. 54. ad Philadelph. p. 101. Polyc. p. 297. 209. Ephes. p. 217.

p. 217. Posses vocare conventum seu consessum & Consistorium Ecclesiasticum: *Objectum* circa quod versabatur erant non tantum scelera, sed etiam alia ad Ecclesiam spectantia. Utile institutum. De quo nota, quod canone 37. sancitum extat: *Bis in anno concilia Episcoporum celebrentur, ut inter se invicem dogmata pietatis explorent, & exsurgentes Ecclesiasticas contentiones amoveant.* Sed de his alibi commodius erit dicendum. *Pœnas* nota constitutas. Non erant violentæ. Non decet τύπτειν αὐτοὺς, ἢ διώκειν καθὼς τὰ ἔθνη τὰ μὴ εἰδότα τὸν Κύριον καὶ θεὸν, scribit Ignat. ad Philad. p. 93. *verberare ipsos, aut persequi, sicut gentes nesciæ Dei & Christi.* Enumerantur pœnæ l. 2. const. Apost. c. 52. Ne quidem in hæreticos, ut dictum modo, gravius aliquid statutum legitur, Ignatius hinc inde aversandos & fugiendos docet, nusquam occidendos. *Limitata* erat potestas, sic, ut non cæca obedientia ipsis deferretur. In rebus credendis & faciendis alligata erat verbo Dei μηδὲν ἄνευ γνώμης σου γινέσθω, μηδέ συ ἄνευ θεοῦ γνώμης τὶ πραττέτω, i. e. *nihil sine tuo arbitrio fiat, sed nec tu quicquam sine arbitrio Dei facias.* & ep. ad Ephes. *debetis concurrere cum mente Episcopi* τοῦ κατὰ θεὸν ποιμαίνοντος ὑμᾶς, i. e. *si quidem pascat vos secundum Deum.* Et iterum, ratione addita, *Omnis homo, qui discernendi vim à Deo accepit, supplicio afficiatur,* ἀπείρῳ ποιμένι ἐξακολουθήσας, i. e. *si imperitum pastorem sequatur* Adde cætera satis præclara & observa contra exceptiones Turriani def. epist. Pontif. lib. III. c. 12. In criminibus clave ligandis expressa erant nomina, cur sic plectenda. e. g. injustum divortium can. 6. Apost. pertinax fuga S. Cœnæ c. 9. receptio excommunicatorum. c. 13. 16. ἀλλοτριοεπισκοπία. c. 28. Scandalum luxuriæ. c. 54. injuria proximo illata. c. 56. 57. neglectus officii. c. 58. communio cum Judæis & Gentilibus. c. 71. Sacrilegium. c. 72. abusus potestatis. c. 76. si quis hac abusus deprehenderetur, ejiciebatur, & merito. *Si enim hominem iniquum ab Ecclesia non separemus, faciemus domum Dei speluncam latronum. Non enim oportet in peccantibus connivere, sed coarguere, admonere, urgere, jejuniis affligere, ut aliis timorem incutias.* Const. Apost. l. 2. c. 20. Quod si Episcopus aliquid designasset, caussa devolvebatur ad alios Episcopos. juxta Can. 72. Inferiores censuræ sistebantur Ecclesiasticæ, cujus præses erat Episcopus, qui testes evocabat & audiebat, juxta Can. 75. His limitibus circumscripta erat potestas. Meminit Ignatius ep. ad Polyc. p. 210. *decreti*, cui parere cogebatur, ὡς τὸ θέλημα προσῆπ-

Objectum.

Pœnæ.

Limitatio. ad verbum

ad certa crimina

ad Diœceses — *προστάσσει, prout jubet decretum.* Huc facit *distinctio parochiarum.* Colligitur ex Tit. 1. 5. explicatio Theophylacti ad h. l. notanda est: *Noluit universam insulam ἐπιτετράφθαι ἑνὶ, ἀλλ᾽ ἑκάστην πόλιν ἴδιον ποιμένα ἔχειν uni commissam esse, sed quamlibet urbem proprium habere pastorem.* confer Turr. def. Const. Apost. lib. 1. c. 9. Nam idem constare videtur ex Can. 14. Apost. *Episcopo non licet alienam parochiam, propriâ relicta, invadere.* & c. 33. & 34. *Episcopos uniuscujusq; gentis nosse oportet eum, qui in eis est primus, & existimare ut caput, & nihil facere, quod sit arduum, aut magni momenti, præter illius sententiam: illa autem facere unumquemque, quæ ad suam parochiam pertinent, & pagos, qui ei subsunt; sed nec ille absq; omnium sententia agat aliquid.* Media hæc est sententia inter Pontificiorum Monarchiam, & Puritanorum ἀναρχίαν, quos notat D. Hülsenm. Brev. Theol. c. XIX. §. 10. seqq. Illos premit Wittaker. controvers. IV. de P. R. c. 3. q. 8. Vedel. Exerc. III. ad epp. Ignat. c. 14.

(6.) Subjecta. *Apostoli.* — §. 7. *Subjecta*, quorum hoc officium erat, sunt (1.) *Apostoli gente* Galilæi, sic dicti à Juliano Cyrill. l. 2. contra Julian. i. e. ex gente pugnace & strenua. Joseph l. 3. de bell. Jud. c. 2. Ex tribu Zabulon & Naphthali Cyrill. in c. IX. Esai. lib. 1. f. 161. *Nominibus* distincti, quorum alia erant primitiva, utpote in circumcisione accepta; alia adventitia, quale erat Petri. Frustra sunt Pontificii, cum hoc inter Petri prærogativas referunt. Nam etiam Jacobus & Johannes dicti sunt βοανεργεῖς. Marc. III. 17. *Professione* olim χειροτέχναι *manuarii*, & ingenio παντελῶς ἰδιῶται *omnimodè triviales*; uti eos vocat Justin. Mart. Apol. 1. f. 38. Hilar. de Trinit. l. 2. f. 15. Athanas. ep. prælim. f. m. 454. Posteaq; Dei beneficio rebus gestis λόγῳ καὶ ἔργῳ Rom. XV. 18. præclari. οὗτοι ἰδιῶται λαλεῖν μὴ δυνάμενοι, διὰ δὲ τοῦ θεοῦ δυνάμεως ἐμήνυσαν παντὶ γένει ἀνθρώπων ὡς ἀπεστάλησαν ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ διδάξαι πάντας τὸν τοῦ θεοῦ λόγον; i. e. *Hi quidem indocti & minime eloquentes; Dei autem virtute omnium hominum generi denunciarunt à Christo missos se esse, qui cunctos verbum Dei docerent.* Just. Mart. Apol. II. f. 60. 67. Distingue actum primum à secundo. Potestatem habebant in omnes, singuli tamen certas quasdam gentes sorte? an χρηματισμῷ? elegerunt, quas præ aliis docerent, Petrus nempe Judæos, Paulus gentes. Gal. II. 9. Singulæ gentes enumerantur à scriptoribus, infra citandis. *Martyriis* tandem coronati, excepto Johanne, quod

erat

erat ſolitum ingrati mundi *δίδακτρον* à Chriſto prædictum. Matth. X. 16. ſeqq. Qui ſpecialiora quærit, inveniet apud ſcriptores & compilatores vitarum Apoſtolicarum, quorum quosdam citat. Dn. D. Dannh. Chriſteid. phæn. III. p. 10. 1. Adde Abdiam Babylonium de vit. XII. Apoſtol. Prochorum de vita Johannis, Linum de paſſione Petri & Pauli, Preſbyteros Achaiæ de Andrea, Dorotheum de vita Prophetarum & Apoſtolorum, Iſidorum de Patribus V. T. & N. T. Latinorum Martyrologia, Græcorum Menologia, Surium, Ribadeneiram, aut alios in vitis Sanctorũ, ſed ſcias plus palearum ſubeſſe, quam granorum, adeo fabulis eæ narrationes ſcatent, & inficetis figmentis. Cautius adhuc legendi Baronius & Epitomatores Annalium, Spondanus, Biſciola, Peruſinus, quippe qui veterum *ϖαροέγ-ματα* detorquent ad eminentiã Pontificiã & ſuperſtitiones Papales.

§. 8. (2.) *Apoſtolici* viri. Sic voco eos Eccleſiæ miniſtros, qui Apoſtolis adjuncti donis etiam ſingularibus & Apoſtolicis inſtructi iverunt quorſum à Chriſto, vel ab Apoſtolis & Eccleſia mittebantur, colonias in univerſum orbem deducturi. In his numero LXX *diſcipulos*, quos primum Chriſtus elegit, Luc. X. 1. ſeqq. Et in Judæam ſingulis tribubus ſex doctores deſignavit. Ita Maldon. comm. in h. l. contra fidem Græcorum codicum, & ſententiam veterum plerorumque, ut ipſe fatetur; Nam LXX tantum numerant hi, quos LXXII facit vulgata, quem rivum fontibus præfert Jeſuita. *Nomina* ſingulorum recenſere Dorotheus vult, *Jacobum Juſtum, Timotheum, Titum, Barnabam, Ananiam, Stephanum, Philippum, Prochorum, Nicanorem, Timonem, Nicolaum, Parmenam, Cleopham, Silam, Sylvanum, Creſcentem, Epænetum, Andronicum, Ampliam, Urbanum, Stachyn, Apellem, Ariſtobulum, Narciſſum, Herodionem, Rufum, Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Agabum, Linum, Gaium, Philologum, Olympam, Rodionem, Iaſonem, Soſipatrum, Lucium, Tertium, Eraſtum, Phigellum, Hermogenem, Demam, Quartum, Apollinem, Cepham, Soſthenem, Epaphroditum, Cæſarem, Marcum, Joſephum, Arteman, Clementem, Oneſiphorum, Tychicum, Carpum, Evodum, Philemonem, Zenam, Aquilam, Priſcam, Juniam, Marcum, Ariſtarchum, Pudam, Trophimum.* &c. Hæc ille. Temere & imperite. Temere, *unde enim inter tot antiquiores auctores ſolus ſingulorum diſcipulorum nomina didicit?* quærimus merito cum Mald. l. c. *Imperitè.* Numerat enim *inter* 72. (70.) *diſcipulos Chriſti omnes, qui ab Apoſtolo Paulo numerantur, etiamſi*

Apoſtolici viri.

etiamsi Ethnici fuerint, vel fœminæ. quæ censura est Bell. d. script. §. 285. p. 67. Adverte obiter fidem Papistarum & reverentiam erga patres. Dorotheum rejiciunt, cum testimonium dicit adversus corruptelas vulgatæ; alibi locorum, cum dicit Petrum Romæ usque ad mortem fuisse Episcopum, Sacrosanctus est Bellarmino lib. 2. de P. R. c. 4. Etiam Copo, cum ex eo probare vult cultum Sanctorum & reliquiarum. dial. III. c. 21. Seminarium LXX discipuli fuerunt, ex quo Apostoli electi; Nam ex illis tum præsentibus cooptatus est Matthias. Euseb. lib. 1. c. 13. l. 2. c. 1. Nec negaverim fuisse eos post Christi ascensionem Apostolorum comites, cooperarios Col. IV. 7. Euseb. III. 4. Legatos. 1. Cor. IV. 17. Phil. II. 19. 1. Thess. III. 2. 3. 1 Tim. I. 3. Solebant enim Apostoli, nec Petrus solum, suos mittere discipulos in alias gentes, ut Christianismum docerent. Frustra igitur gloriatur Bisciola in epit. annal. ad ann. 46. de Sicilia, Galliis, Germania, Hispaniis, Britannia, seductus ab Innocentio. I. Papa ep. 1. quod in illis *nullus hominum instituerit Ecclesias, nisi ij, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerint Sacerdotes.* Nam Crescentem Paulus (qui suo Evangelio ab Hierosolymis ad Illyricum usque omnia implevit, non superveniens aliorum laboribus,) misit in Galliam, teste Euseb. lib. III. c. 3. hist. Crescens igitur homo non fuerit? Taceo alios, quorum in epistolis ipse meminit.

Episcopi. §. 9. (3.) *Episcopi* fixi in certis parochiis. Celebriores Ecclesiæ sunt

(1) *Hierosolymitani.* 1. *Hierosolymitana*, cujus primus Episcopus ab Apostolis ordinatur *Jacobus* Justus, sicut ab Euseb. Chron. an. Chr. XXXIII. hist. Eccles. l. 2. c. Const. Apost. l. VII. c. 46. refertur: An frater Domini & Apostolus fuerit? disquiritur. Negat Dn. D. Dannh. Christeid. p. 112. Lapidibus à Judæis obrutus obiit, ut idem Euseb. ad an. LXII. & lib. III. hist. Eccles. c. 10. annotat. ex Josepho lib. XX. c. 8. antiqq. judicium de historia hac Scaligeri lege in annot. ad Chron. Euseb. f. 178. Successit ei *Simeon* filius Cleophæ, Servatoris nostri consobrinus. Const. Apost. lib. VII. c. 46. Euseb. l. c. Qui sub Trajano martyrio coronatus est. an. CVIII. Euseb. Chron. & lib. 3. c. 26. hist.

(2) *Antiocheni.* II. *Antiochena.* Ἐκκλησία ἡ ἠλεημένη ὑπὸ Θεοῦ, ἐκλελεγμένη ὑπὸ Χριστοῦ, παροικοῦσα ἐν Συρίᾳ καὶ πρώτη Χριστοῦ ἐπωνυμίαν λαβοῦσα. i. e. *Ecclesia à Deo misericordiam consecuta, electa à Christo, habitans in Syria, & primum Christi appellationem sortita.* Ign. ep. ad Antioch. Hujus *primus* Episcopus ordi-

ordinatur *Evodius*, teste Euseb. Chron. an. 44. hist. Eccles. lib. VI. c. 16. Constit. Apost. l. VII. c. 46. Non autem à solo Petro; Nam Ignat. ep. ad Antioch. p. 94. scribit: *mementote Evodii beatissimi pastoris vestri, qui primus vobis ordinatus est ab Apostolis Antistes.* Si igitur παρὰ τῶν ἀποςόλων E. non à solo Petro. Si *primus.* E. Petrus non fuit Antiochenus Episcopus, quod tamen contendit Baron. die 22. Febr. Martyr. Excipit ad Ignatii locum Baronius an. 39. §. 18. Sed refellitur à Vedel Exerc. XI. ad epp. Ignat. cap. 1. *Secundus* erat *Ignatius* Euseb. Chron. an. LXIX. lib. III. hist. c. 16. à Paulo ordinatus, si vera est sententia Const. Apol. l. 7. c. 46. Nam Anacletus P. R. epist. d. ord. Epist. reclamat, Petrum Paulo substituens. Pietate inclytus, quod vel nomen θεοφόρος testatur: & scriptis clarus, *continent enim fidem, patientiam, & omnem ædificationem ad Dominum nostrum pertinentem*, laudante Polycarpo ep. ad Philip. sub fin. de quibus supra. Romam tandem perductus bestiis succubuit. an. 108. Chron. Euseb. & lib. III. hist. c. 30. An hoc fieri potuerit? disceptat Scal. annot. ad Chron. Euseb. f. 189. III. *Romana.* Mirificè hæc celebratur ab Ignatio. Nam dicitur: ἀξιόθεος, ἀξιοπρεπὴς, ἀξιομακάριςος, ἀξιέπαινος, ἀξιοπίστευτος, ἀξίαγνος, καὶ προκαθημένη τῆς ἀγάπης, χριςώνυμος, πατρώνυμος, πνευματοφόρος. i. e. *Deo digna, decentissima, beatissima, laudanda, digna, qua quis potiatur, castissima, eximia charitate, Christi & Patris nomine fruens, plena spiritu.* Sed loquamur de Episcopis. Primus extitisse Episcopus fertur Petrus. Ita enim in Chron. Euseb. ad ann. Chr. LXIII. legitur: *Petrus Apostolus, cum primus Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam mittitur, ubi Evangelium prædicans XXV. annis ejusdem urbis Episcopus perseverat.* Sed ultima verba de 25 annis in Episcopatu transactis non sunt Eusebii, sed Hieronymi, uti observat Scaliger. in annot. ad l. c. Petrum Romæ fuisse & docuisse, etiam defunctum esse largiamur in gratiam tot Patrum, qui tradiderunt. Negamus autem unicum fundatorem, & ordinarium, totque per annos fuisse urbis Episcopum. Nam (1) etiam Paulus dicitur ejusdem Ecclesiæ fundator ab Iren. l. 3. c. 3. Euseb. l. 5. hist. Eccles. cap. 6. (2) Apostoli non erant urbis, sed orbis Episcopi. (3) Fuerit ordinarius Episcopus, non tamen sequitur successores ejus pari potestate successisse: Nisi dixeris omnes Apostolorum successores sic successisse, etiam Antiochenos Petri successores. At Petrus

(3) *Romani.*

Romæ mortuus est, non Antiochiæ. E. Romani, non Antiocheni succedunt. ℞. Jacobus, sententia Pontificiorum Apostolus, & Episcopus Hierosolymitanus, obiit Hierosolymis. E. successores ejus Apostolica potestate succedunt? Fuerunt igitur *Episcopi Episcoporum, regentes non tantum Hebræorum Sanctam Ecclesiam, sed & omnes Ecclesias, quæ ubivis Dei providentia fundatæ sunt:* quod Clemens in epistolis scribit. Ubi autem potestas Oecumenico-Apostolica soli Romæ allegata? Sed mittamus, quæ manifesta sunt. *Primus* igitur sit Episcopus *Linus*. Const. Apost. l. VII. c. 46. Euseb. Chron. an. LXIX. hist. lib. III. c. 2. 26. Martyrio tandem coronatus, juxta Sabell. Enn. VII. l. 4. *Secundus* esto *Anacletus*. Euseb. Chron. ann. LXXXI. hist. lib. III. c. 16. Iren. contra hæres. l. 3. c. 3. Sepultus esse in pace dicitur à Damaso de vit. Pontif. in Anacl. *Tertius* fuit *Clemens*. Const. Apost. l. VII. c. 46. Ignat. ep. ad Mar. Euseb. Chron. ann. XCIII. hist. l. 3. c. 16. cujus originem, Parentes, patriam, & alia pete ex libris recognitionum. Inexplicabiles sunt difficultates in serie horum Pontificũ, quas innuit ipse Bisciol. an. 70. Nam non eadem apud omnes pertexitur. Ruffinus in præfat. Recogg. Clem. medicam adhibere manum conatus dicit: *Linus & Cletus fuerunt quidem ante Clementem, Episcopi in urbe Roma, sed superstite Petro; videlicet, ut illi Episcopatus curam gererent; ipse vero Apostolatus impleret officium. Sicut invenitur etiam apud Cæsaream fecisse, ubi cum ipse esset præsens, Zachæum tamen à se ordinatum habebat Episcopum; Et hoc modo utrumque verum videbatur, ut & illi, scil. ante Clementem, numerentur Episcopi; Et Clemens tamen post obitum Petri, docendi susciperet sedem.* Accipiamus, quæ dicit Rufinus; Nam & Bellarm. lib. 2. de P.R. c. 5. probantur; nisi quod cautius *coadjutores* hic vocet, quos Rufinus *Episcopos* appellavit. Si Petrus fuit ordinarius Romæ Episcopus, & Linum Cletumque habuit Coëpiscopos, sequitur per XXV annos duos vel tres simul Romæ fuisse Episcopos ordinarios: quod apud Pontificios absurdum. Deinde Petrum qua Apostolũ clarè Rufinus opponit Episcopis. E. Petrus Romæ existens nõ se gessit Episcopũ, sed Apostolum, quod iterum Pontificiis contradicit, qui ipsum faciunt Episcopum loci ordinarium. IV. *Alexandrina*. Marcus Evangelista Petri Interpres plantavit hanc. Euseb. Chron. an. XLIII. hist. Eccles. lib. II. c. 15. ore & calamo. Nam jussus à Romanis historiam Evangeli-

cam

[Margin notes: Clemens. — *Successio* Põtificum incerta. — (4) *Alexandrini*]

cam scripsit. Euseb. lib. 2. hist. c. 14. Stylo græco. August. de cons. Evang. lib. 1. c. 2. eamque Alexandriæ ad mortem usque prædicavit. Euseb. hist. Eccles. lib. 2. c. 15. & lib. 3. c. 33. *Annianus* primus ab eo Episcopus est ordinatus. Const. Apost. l. VII. 46. Euseb. Chron. an. LXIII. quem hist. Eccles. l. 2. c. 23. plurimum laudat. Defuncto successit *Abilius*, juxta Chron. an. LXXXV. & hist. lib. III. c. 12. à Luca ordinatus, si vera est traditio Const. Apost. l. 7. c. 46. Hunc excepit *Cerdo*. Chron. Euseb. an. XCVIII. hist. lib. III. c. 16.

§. 10. *Asiæ* celebriores Ecclesiæ septem recensentur Apocal. I. 11. (1) *Ephesina.* ἁγνοτάτη, καὶ διαβόητος, καὶ πολυΰμνητος τοῖς αἰῶσιν i. e. *Castissima, & celeberrima, & plurimum laudanda seculis.* quod ipsius elogium extat apud Ignatium epist ad Ephes. p. 221. nec minus est, quod p. 226. addit. *Primus* ejus Episcopus est *Timotheus* oculus ille & fidus Achates Pauli; oriundus ex Lycaonia, patre gentili, sed à Paulo circumcisus conjunctissimè ipsi adhæsit. 1. Cor. IV. 17. 2. Tim. I. 2. Ordinatus esse à Paulo Episcopus Ephesinus dicitur à Const. Apost. lib. VII. c. 46. certè ibidem locorum docuit, ut patet ex ep. Ignat. ad Ephes. p. 220. 226. lapidibus etiam obrutus ibi tandem diem obiit supremum. Secundus fuit *Onesimus*, ὁ ἐπ' ἀγάπῃ ἀδιήγητος. i. e. *vir nunquam satis ob charitatem prædicatus*, laudante Ignat. ep. ad Ephes. p. 215. in ad Antiochenos dicitur ὁ Ἐφεσίων ποιμὴν. i. e. *Ephesiorum Pastor.* Malumus Ignatio credere, quam constitutionibus Apostolicis, quæ l. 7. c. 46. Onesimo assignant Beræam, & Timotheo substituunt Johannem, de quo vide Euseb. lib. III. hist. c. 33. Credunt fuisse hunc Onesimum illum Angelum ad quem extant literæ Johannis Apoc. II. 4. (2) *Smyrnensis.* Ad hanc exstat epistola Ignatii, quâ vocat ἠλεημένην ἐν παντὶ χαρίσματι, πεπληροφορημένην ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ, ἀνυστέρητον οὖσαν παντὸς χαρίσματος, θεοπρεπεστάτην καὶ ἁγιοφόρον. i. e. *misericordiam consecutam in omni dono, plene instructam in fide & charitate, nullius gratiæ expertem, divinissimam & sacrosanctam.* Episcopũ habuit *Polycarpum* quem ἀξιόθεον appellat Ignat. ep. ad Smyrn. p. 172. & μᾶλλον ἐπεσκοπημένον ὑπὸ τοῦ θεοῦ πατρὸς καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ. i. e. *qui inspectus est potius à Deo Patre, & Jesu Christo*, in literis ad ipsum perscriptis. Iren. lib. 3. de hære. c. 3. apud Euseb. lib. IV. c. 13. tradit, quod *non solum ab Apostolis institutus, & cum multis, qui Christum oculis conspicati sunt, familiariter sit versatus, sed etiam ab eisdem in Asiam delegatus, quo Smyrnensis Ecclesiæ*

Asiatici, Ephesini.

Smyrnenses

clesiæ Episcopatum capesseret. Videtur ille ipse notari in epistola ad Episc. Smyrnensem scripta à Johanne Apoc. II. 8. vid. Alcas. h. l. Zelo certè divino heterodoxorum odia in sese concitavit, vide Euseb. l. c. & martyrii tandẽ coronam ab Ethnicis accepit, quod refert ipsa Ecclesia de suo pastore in literis ad Ecclesias Ponti perscriptas. Euseb. l. 1. c. 14. Ante quam autẽ moreretur scripsit insignem ad Philippenses epistolam, quam celebrat Irenæ lib. III. c. 3. Quos successores habuerit non memini me alibi legisse. Nisi quod Const. Apost. lib. 7. c. 46. Smyrnæ constituant *Aristonem* primum, *Stratæam* Loidis secundum, & tertium *Aristonem*, nulla Polycarpi facta mentione

Pergamenses

qui tamen primus exstitisse videtur. (3) *Pergamensis.* Hujus Ecclesiæ Episcopus fuisse *Cajus* dicitur à Constit. Apost. l. c. an *Antipas*, quem laudat epistola ap. Johannem in Apocal. II. ℣. 12. Martyr Jesu Christi, fuerit Episcopus urbis? historiæ non annotarunt. vide

Thyatirenses,

tamen de eo Martyr. Roman. ad diem XI. April. (4) *Thyatirensis.* Hujus Ecclesiæ Episcopus non citatur nomine ab Apocalypsi c. I. 11.

Sardenses

II. 18. Nec ab aliis memoratur vel hic, vel alii. (5) *Sardensis.* Et hic Apoc. I. 11. III. 1. nomine omisso notatur. Nec alii hujus vel

Philadelphienses

aliorum meminerunt. (6) *Philadelphiensis* celebratur hæc ab Ignatio peculiari ad ipsam scripta epistola. Nec hujus Episcopus nominatur Apocal. I. 11. III. 7. Nec Ignatius nomen expressit. Qui-

Laodiceni.

dam tamen *Demetrius* citatur à Const. Apost. l. VII. c. 46. (7) *Laodicena.* Hujus Episcopus fuit *Archippus*; Si vera est traditio Const. Apost. l. c. an hic sit Angelus ille, cujus Apoc. III. 14. meminit? Celebratur alias quidam Archippus Ecclesiæ Colossensium antistes ab Hieron. in epist. ad Philem. Certior esse videtur Bisciolæ sententia tom. 1. epit. an. 60. Epaphram fuisse Laodicenorum Episcopum.

Trallenses.

ex Col. IV. 12. Septem hisce Ecclesiis in Asia adde *Trallensem* ἐκλεκτὴν καὶ ἀξιόθεον, *electam & Deo dignam*, quæ ipsi laus tribuitur ab Ignatio in procemio epistolæ ad ipsam perscriptæ. Episcopum habuit *Polybium*, quem vehementer à charitate commendat Ignatius

Magnesii.

l. c. *Magnesinam* ad Mæandrum sitam. Hanc εὐλογημένην appellat Ignatius in epistola ad ipsam missa. Episcopus ipsi fuit *Dama*; Nam sic vocatur ab Ignatio; ep. ad Magn. & Antiochen. pag. 97. Harum aliarumque in Asia Ecclesiarum communis inspector fuit Johannes, occasionem nactus, ut putant, ex exilio, quod egit in

Insula

Insula Pathmo, vicina Asiæ minori, ad cujus præcipuas Ecclesias epistolas misit. vid. Euseb. lib. III. hist. c. 4. & Vieg. com. ad Apocal. 2. pag. 101.

§. 11. *Græciæ* Ecclesiæ (1) *Athenienſis.* Hujus *primus* fuisse *Episcopus* censetur *Dionysius Areopagita.* Euseb. lib. III. hist. Eccles. c. 4. IV. 22. Sicut contra Pamelium, Baronium, Spondanum, Milletum, & alios, etiam vetustiores, antiquitatis eruditissimus indagator Sirmondus peculiari dissertatione anno 1641. & post ipsum Clarissimi Sammarthani Scævola & Ludovicus in t. 1. Gall. Christ. f. 400. ostenderunt, demonstrantes illum Athenarum Episcopum non fuisse episcopum Parisinum, ut vulgo tradatur. Atheniensis ille conversus esse dicitur concione Pauli, quam coram Areopagitis gravissimam habuit. Actor. XVII. 22. 34. Factus deinde Athenarum Episcopus Const. Apost. lib. 7. c. 46. multa scripsisse dicitur, quæ hodie desideramus; Nam, quæ extant, adulterina sunt, vel certè ita corrupta, ut nescias, quæ genuina sint. Secundus fuit *Publius*, quem ex Dionysio Corinthiaco Martyrium esse passum docet Euseb. lib. IV. c. 22. Publio successit *Quadratus*: l. c. An celebris iste scripto pro Christianis Apologetico? Euseb. lib. III. c. 31. IV. c. 3. (2) *Corinthiaca.* Hanc gubernavit primus Episcopus *Lucius*; Nam Constit. Apost. lib. VII. c. 46. dicitur Paulus Cenchræis constituisse Lucium quendam. Fuerunt autem Cenchreæ portus Corinthiacus Actor. XVIII. 18. celebris Ecclesiâ jam tempore Pauli. Rom. XVI. 1. Petrus de Natalibus nominat etiam Silam, seu Sylvanum inter Episcopos Corinthiacos, celebrem illum Pauli comitem & cooperarium. Actor. XV. 22. 32. (3) *Philippensis.* Hanc Ἐκκλησίαν θεοῦ ἠλεημένην appellat Ignatius in epistola ad ipsam scripta. Salutat in ea *Vitalianum* ἅγιον ἐπίσκοπον. p. 45. Ante ipsum videtur Episcopus eorum extitisse *Epaphroditus* quem ad Paulum miserunt, ut captivum pecunia sublevaret. Phil. II. 25. IV. 18. vide Bisc. epit. Annal. p. 38. t. 1. (4) *Cretensis.* Hujus primus extitisse Episcopus dicitur *Titus*, Euseb. lib. III. hist. c. 4. Constitutus à Paulo. Tit. I. 5. Hieronymus in catalogo scribit diem eum supremum obiisse. *Pinytus* inter hos numeratur Episcopos ab Euseb. lib. IV. c. 20. (5) *Colossensis* Antistes traditur extitisse Archippus, quod putat Hieron. ep. ad Philem. Pauli autem fuit cooperarius Col. IV. 17. ep. ad Phil. ℣. 2.

Græci Athenienses.

Corinthii.

Philippenses.

Cretenses.

Colossenses

Galli.

§. 12. *Galliæ* Episcopi (1) *Arelatensis* fuit *Trophimus* à Paulo ordinatus, quod ex Arelatensium diptychis & Adonis Chronico probat Gallia Christi. t. 1. f. 31. videat igitur Pamelius, unde suum Regulum, quem primum Arelatensium, & Sylvanectensium Episcopum vocat, missæ cujusdam auctorem, probet, aut Guilielmum Brugensem conciliet cum Sammarthanis diligentissimis t. 1. Liturg. p. 129. (2) *Avenionensis* fuit Rufus. f. 74. Baron. Martyr. XII. Novembris. (3) *Bisonticensis*; Sunt qui Episcopum primum tradant Linum, postea R. Episcopum, sed dubitant haud obscure Sammarthani f. 118. (4) *Bituricensis* fertur Ursinus à Discipulis Apostolorum missus. f. 142. (5) *Narbonensis* creditur fuisse Paulus ille Sergius in Cypro conversus. f. 365. (6) *Parisiensis*, quidam Dionysius, non tamen ille Areopagita. (7) *Rotomagensis* Nicasius Martyr. f. 958. (8) *Senonensis* quidam Savinianus Martyr. f. 615. cujus missam laudat Pamel. Liturg. t. 1. p. 94. (9) *Tolosanus* Antistes quidam Saturninus Johannis discipulus, sed à Petro missus. f. 672. (10) *Viennensis* Crescens; an cujus meminit Paulus 2 Tim. IV. 2? dubitare videntur Sammarthani f. 792. (11) *Biterrensis* Afrodisius à Paulo Narbonensi ordinatus. f. 408. t. 2. (12) *Carnotensis* Adventus. f. 480. Dissentit iterum Pamelius tit. 1. Liturg. p. 129. qui Sanctinum vocat ex Hincmaro, missam citans: faciensque eum Episcopum & Meldensium, & Virdunensium. (13) *Ebroicensis* Taurinus, juxta Baronium in Mart. alii tamen ponunt in anno 260. f. 571. (14) *Lemovicensis* Martialis, ille Christi discipulus, juxta Baronium, & Bisciol. epit. p. 47. sed obstat Greg. Turon. lib. 1. hist. c. 28. qui dicit juniorem esse, utpote sub Decio missum. f. 630. addit Pamelius Liturg. t. 1. p. 122. fuisse eundem Episcopum etiam *Burdegalensium, Tolosatum, Arvernensium, Agenensium, Pictaviensium, Cadurcorum, Aniciensium, Ruthenensium, Engolismensium, & Mimiatensium.* (15) *Metensium* Clemens, dubitant tamen de eo Sammarth. f. 708. En tibi collectos ex Sammarthanorum Gallia primos Galliæ doctores, plerosque ex dubiis auctoribus dubiæ ætatis, certiores à Paulo & Apostolorum discipulis eo missi dicuntur. Unde E. jactantiam Pontificii suam firmabunt de Petro Petrique successoribus, quasi illi, nec alii, Occidenti Apostolos & Doctores dederint?

§. 13.

§. 13. *Britanniam* adderemus, cui Paulus poſt priorem ſuam incarcerationem Evangelium primus annunciavit, teſte Theodoretho & Sophronio: Claudiam enim Rufinam nobiliſſimam Britanniæ Civem Romæ convertit, cujus deinde opera Britanni prima Evangelii ſemina acceperunt. Daj. in antiqq. Britann. f. 2. 3. ſed quia de nullis ab ipſo conſtitutis Epiſcopis legimus, cogimur tacere. *Hiſpaniam* Jacobus adiit, & aliquot ejus regionis Epiſcopos ordina- Hiſpani.
vit, uti teſtatur Vaſæus in Hiſpan. Nam refert quendam Abderitanum B. *Jacobi Apoſtoli diſcipulum.* Chron. Hiſpan. f. 620. nomen ipſi eſt Cteſipho. Torquatus alter Accitanus, & ipſe Apoſtoli diſcipulus. l. c. Quod ſi Baronius, Biſciola & alii obtineant contra Hiſpanos, ſaltem Paulus fundaverit Eccleſiam Hiſpanam. quod multis Patrum teſtimoniis firmat Biſciol. edit. annal. t. 1. an. 61.

§. 14. Sed ne limites brevitatis transgrediamur ad *adjuncta* Adjuncta
nos convertamus. In quibus eſt *(1) Conjugium.* Nam non tantum (1)
in Sacris literis ſtatus hic Eccleſiæ Miniſtris eſt licitus, & non con- Conjugium.
tinentibus demandatus. 1. Cor. VII. 9. 1. Tim. III. 2. Sed etiam ex Scriptoribus Eccleſiaſticis patet. Non licuit repudiũ mittere uxori confer
religionis cauſſa: *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, uxorem propriam ne-* Chemn. p.
quaquam ſub obtentu religionis abjiciat. juxta can. 6. Apoſt. confer can. III. exam. p.
40. 51. Illuſtris locus eſt Ignatii ep. ad Philad. p. 95. *Utinam*, inquit, *fruar* 41. 92.
veſtra ſanctimonia qui in caſtitate vitam exegerunt, οὐ ψέγων τοὺς λοιποὺς μακαρίους, ὅτι γάμοις προσωμίλησαν *non quod vituperem reliquos quod rei uxoriæ ſe dederint, e. g. Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, Joſephum, Iſaiam, Petrum, Paulum & alios Apoſtolos, qui nuptiis operam dederunt.* Chemn. p. III. Exam. p. 92. 102. Excipit Bell. lib. 1. de Cler. c. 20. *(1)* loqui ipſum de laicis *(2)* de Apoſtolis ante Apoſtolatum. *(3.)* Suppoſititiam eſſe vocẽ Pauli, quæ eſt Baronii an. 57. exceptio. ℞. ad *(1)* de Apoſtolis loquitur, qui non ſunt Laici. *(2)* Paulus ante Apoſtolatũ non habuit uxorem; Nec ſtatim in Apoſtolatu; habuit igitur poſtquam Apoſtolus jam factus eſſet. 1. Cor. IX. 5. Si Apoſtoli, qua tales, renunciaſſent cõjugio, Ignatius ineptè eos cælibibus oppoſuiſſet, quibus in tertio comparationis fuiſſent pares. Taceo, quod contra canonem Apoſtolorum expreſſum feciſſent. *(3)* Refellitur ex antiquiſſimo Oxonienſis Bibliothecæ codice, ex quo Pontificius neſcio quis eraſit vocem Pauli; fraudem tamen deprehenſam mox fuiſſe, cum

membrana luci opponeretur, Jameſius teſtatur d. corrupt. part. II. corrup. 13. (2) *Salaria.* Non videntur Miniſtris Eccleſiæ certa & fixa fuiſſe conſtituta; ſed ex piorum collationibus data. Debita tamen eſſe clarè patet ex 1. Cor. IX. 14. Solebant Chriſtiani S. Cœnam adituri agapas ſuas conferre, & hæ cedebant in uſum etiam Miniſtorum Eccleſiæ. Oſiander in not. ad can. 4. Apoſtol. ſcribit: *Primitiva Eccleſia in congregationibus attulit panem, vinum, & alia in uſum Miniſtrorum Eccleſiæ & pauperum.* Si quæ eſſet conſtitutionum Apoſtolicarum auctoritas allegari poſſet lib. 2. c. 29. ubi ex primitiis & decimis Miniſtri ſuam quoque portionem, ut alantur, ſumere jubentur. repetitur cap. 39. c. 40. §. 10. l. 7. c. 30. l. 8. c. 36. Biſciol. epit. Annal. t. 1. p. 31. ann. 57.

(2) Salaria.

Contraria.

§. 15. *Contraria* ſunt vel interna, vel externa. Illa voco, quæ ipſi officio opponuntur; Hæc, quæ perſonæ tantum, non ipſi officio adverſantur. Illa ſunt vel negativa vel privativa. Negativa, quæ intercipiunt aditum ad miniſterium; privativa, quæ miniſtrum ſuo privant officio. *Negativa* e. g. nuptiæ inceſtuoſæ Can. Apoſt. 19. concubinatus. c. 17. Scortatio. c. 18. caſtratio ſuipſius, c. 22. adulterium. c. 61. baptiſmus hæreticorum. c. 68. Quorſum aliquo modo referri poſſunt defectus corporis, ut cum quis mutus, Surdus, cæcus can. 78. aut dæmone obſeſſus ſeu afflictus fuerit. c. 29. cum ſervus nondum emancipatus. c. 81. *Privativa.* e. g. abſtinentia à nuptiis, carnibus, & vino διὰ βδελυγίαν *propter abominationem.* c. 51. 53. communio precum cum clerico damnato. c. 12. aut hæreticis, Judæis, Paganis. c. 45. 46. 47. 60. 65. 70. 71. Negligentia officii demandati. c. 58. Negata pœnitenti venia c. 52. Percuſſio fidelium. c. 27. 66. Conſtit. Apoſt. l. 2. c. 23. pertinax cum uxore divortium. c. 6. concubinatus. c. 17. fornicatio. c. 25. nuptiæ cum meretrice aut Scenica. c. 18. aut inceſtuoſæ. c. 19. furtum. c. 25. Simonia. c. 29. Uſura. c. 44. conſt. Apoſt. l. 2. c. 6. avaritia immiſericors, c. 59. perjurium. c. 25. contumelia in ſuperiores. c. 55. 84. cura ſecularium. c. 7. 20. ἀλλοτριοεπισκοπία, c. 15. 31. 83. Præcipua cauſſa allegatur *ſcandalum* hinc ad auditores redundans. c. 9. 53. Omittimus cauſſas aut nullas, aut tanti non æſtimandas, ut miniſterio privent. e. g. ſecundas nuptias. c. 17. Nam 1. Tim. V. 14. 1. Cor. VII. 29. licitæ habentur. Nuptias cum vidua aut repudiata. c. 18. Promotio per Magiſtratum. c. 30. jejunium

die

die dominico & quadragesima neglectum. c. 69. Nam ad has umbras non amplius sumus obligati. Coloss. II. 16. Etiamsi autem, quod excipit Turr. def. can. Apost. lib. 1. c. 5. memoria illis diebus celebretur vel resurrectionis dominicæ, vel jejunii, tamen tempus ipsum est arbitrarium, necusquam à Deo ipso certum definitum, quando memoria illorũ esset celebranda: multo minus præceptum est à Deo jejunium vel interdictum illis diebus. comestio carnis in sanguine. c. 63. nisi sit cum evidenti scandalo, aut opinione cultus conjunctum, quod nota contra exceptiones Turriani in def. can. Apost. lib. 1. c. 5. Excepto hoc casu, sapiunt hæc Judaismum & spiritum non Apostolicum. Præstant, quæ de gradibus correptionis sunt sancita. Peccantes enim semel iterumque ab Episcopo monebãtur, ut à peccando abstinerent, nisi moniti, paruissent, tum demum sequebatur ἀφορισμὸς, aut καθαίρεσις. c. 31. Nota. Has voces, illam quidem significare excommunicationem, hanc depositionem vel certè suspensionem ab officio. Illa interdum præcedebat hanc, ut patet ex can. 6. interdum sequebatur, ut constat ex c. 29. Tertia species erat παντάπασιν ἐκκοπὴ *omnimoda excisio.* ut dicitur c. 28. 29. Erat enim quædam *communio Laica* clericis dejectis seu suspensis concessa, ut extra locum clericis consuetum cum Laicis S. Cœnam sub utraque specie, etiam Antonio Mondulphens. apud Suav. lib. VI. hist. p. 584. Pamelio not. ad Cypr. ep. 52. Lorino ad 2. Actor. Papistis fatentibus, acciperent; sin graviora fuerint crimina, etiam hæc communio denegabatur, ceu paganis & publicanis; Hanc puto dici ἐκκοπὴν. vide Croc. contr. IX. Anti-Becan. S. 8. p. 256. & ante ipsum Chemnit. part. II. exam. p. m. 235. Gerhard. Loc. de Cœna tom. 5. §. 64.

§. 16. *Externa* sunt afflictiones & persecutiones, quibus fideles Ecclesiæ ministri subjiciebantur. Christus suo exemplo quasi martyria dedicavit; Nam & ipse vix editus in lucem exagitabatur ab hostibus. Apostoli omnes martyres, unus Johannes tantum confessor. Stephanus lapidibus obrutus. Præ cæteris illustres in agone pugiles Ignatius & Polycarpus, quod vel ex epistolis ipsorum videas. Nam meras spirant catenas, leones, rogos, passiones, vulnera, necem, constantiam, fiduciam, & invictam fortitudinem animi. Lege, quæ annotavit Eusebius locis supra allegatis. lib. III. c. 30. IV. 14. & infra dicemus. Afflictiones.

Articulus III.

De DOCTRINA.

Argumentum.

Scriptura est fidei principium: constat ex auctore & materia & effectu. Est perfecta, regula credendi, interpretanda ex sese. Continet Θεολογίαν *de Dei unitate, personarum Trinitate, attributis, operibus.* Χριστολογίαν *de Christi nominibus, Persona, naturis earumque unione in incarnatione, communione, idiomatum communicatione, triplici officio. Statu exinanitionis.* Ἀνθρωπολογίαν *de homine in statu institutionis; destitutionis per & propter peccatum, Restitutionis cujus efficiens est Deus, meritoria caussa Christus, utriusq; gratia universalis, Ministerialis pastores Ecclesiæ, Instrumentalis verbum & Sacramenta. Formalis est conversio per fidem in Deum & meritum Christi, qua conversus justificatur, Salvatur, renovatur ad unionem cum Christo, & studium pietatis juxta utramq; decalogi tabulam, Salvatio seu glorificatio, quæ est prædestinatorum. Ecclesia est à Deo propter meritum Christi per ministerium verbi & Sacramentorum vocata, & collecta ex Sanctis, contra furores diaboli, est una, sancta, & catholica: Concilia sunt totius repræsentativa. opposita sunt schismata, hæreses, Syncretismus.*

Scriptura fidei principium. §. 1. *Sacra Scriptura* libris V.T. & N.T. cōprehensa principium est unicum fidei & adæquatum ex quo doctrina sana est petenda. Patet de libris V.T. ex Ignatii ep. ad Magnes. p. 56. ubi allegat verba Christi pro libris V.T. Mosaicis fidei principio: *si crederetis Mosi, crederetis & mihi.* Per Mosen intelligit scripta Mosis παλαιὰ γράμματα *antiquas literas,* ut verba Christi ipse explicat, edoctus à Christo: *Nam Moses de me scripsit,* inquit, Joh. V. 46. De libris N.T. scribit ad Philad. §. 16. 17. Nam disputat adversus eos, qui dicebant ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχείοις εὕρω τοῦ εὐαγγελίου, οὐ πιστεύω i. e. *nisi in Archivis invenero Evangelium, non credo.* Credidit igitur Ignatius Evangelio, etiamsi in Archivis non inveniretur. Credidit autem cur? Propter auctorem, & contenta.

Auctor. *Auctor* est Jesus Christus; ἐμοὶ ἀρχεῖά ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, οὗ παρακοῦσαι, πρόδηλος ὄλεθρος. i. e. *Jesus mihi pro archivis est; quem nolle audire, manifesta pernicies est.*

Contenta. *Contenta* sunt: ὁ σταυρὸς αὐτοῦ, καὶ ὁ θάνατος, καὶ ἡ ἀνάστασις αὐτοῦ, i. e. *crux ejus, & mors, & resurrectio:* ἡ πίστις ἡ περὶ τούτων, ἐν οἷς θέλω ἐν τῇ προσευχῇ ὑμῶν δικαιωθῆναι. i. e. *fides de*

quæ sunt objecta fidei justificæ.

his,

his, in quibus volo precibus vestris justificari. Prophetæ ep. ad Magnes. p. 58. dicuntur: *gratia inspirati* εἰς τὸ πληροφορηθῆναι τοὺς ἀπειθοῦντας *ut fiduciam conciperent increduli.* Alibi Apostolos quoque complexus laudat πᾶν σωμάτειον τὸ δι' αὐτῶν πιστεῦσαν *totum cœtum per ipsos credentium.* ep. ad Philad. p. 103. Pergit: *qui non credit Evangelico nihil cæterorum credit. Nec enim spiritui debent archiva præferri.* Spiritus igitur Sanctus est auctor Evangeli in literas relati, & propter Spiritum, non propter antiquitatem Chemnit. p. III. exam. p. 85. evangelio est credendum; Nam ille est verax; ita ut ipsi Spiritui S. non credat, qui Evangelio non credit; Et quia spiritus ille Christi est spiritus, à quo promissus & missus deduxit Apostolos in omnem veritatem; ideoq; ipsi Christo non credit, qui spiritui non credit ipsius, & ministris: *Durum est Christo nolle credere, durum est prædicationem Apostolorum rejicere*, idem mox subjungit. Paulo ante scripserat, sese *Prophetas diligere, qui Christum annunciarint, & ejusdem spiritus participes fuerint, cujus & Apostoli*; & mox: *Prophetæ & Apostoli unum & eundem Spiritum Sanctum, bonum, eximium,* ἀληθὲς τε καὶ διδασκαλικὸν ἔλαβον παρὰ θεοῦ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, εὐθὲς πνεῦμα *verum & Doctorem rectum acceperunt à Deo per Jesum Christum.* Spiritus igitur Sanctus Prophetas & Apostolos, cum scriberent, direxit, ne errarent. Et hoc ipso, ut scriberent, mandavit. Nam de semet Ignatius ep. ad Romanos scribit: οὐ κατὰ σάρκα ὑμῖν ἔγραψα, ἀλλὰ κατὰ γνώμην θεοῦ i. e. *non secundum carnem vobis scripsi, sed secundum arbitrium Dei:* Quanto magis ex arbitrio Dei scripserunt Spiritus Sancti amanuenses? Hinc sequitur: *si quis aspernatur legem, aut Prophetas, quos Christus præsens implevit, sit tibi ut Antichristus*, uti idem scribit ad Heronem. §. 3. & paulo ante §. 1. 2. *Quicunque dixerit quippiam* παρὰ τὰ τεταγμένα, *præter ea, quæ ordinata sunt, tametsi fide dignus sit, quamvis jejunet, quamvis in virginate degat,* κἂν σημεῖα ποιεῖ *quamvis signa edat, quamvis prophetet, pro lupo illum habeas, qui sub ovina pelle exitum pestemque adfert ovibus.* Loquitur de Sacra Scriptura, cujus ἀνάγνωσιν commendat Heroni, & ἐξήγησιν, quam mox *distribuit* in Evangelium, quod est concio crucis, & legem & prophetas, qui de cruce Christi prædixerunt, eique ita adstringit fidem, ut præter eam nihil vult recipi à quoquam, etiamsi sit θαυματουργός. Sacra igitur scriptura est perfecta, & regula credendi; contra miracula non sunt fidei principium, sed exigenda ad scripturam unicum & primum princi-

Perfectio.

miracula nō sunt principium

principium. Alibi voce διατάσσειν eodem ſenſu utitur ; Nempe ad Epheſios, ubi *hic natus eſt nobis*, ſcribit, *& baptizatus à Johanne ἵνα πιστοποιήσηται τὴν διάταξιν τὴν ἐγχειρισθεῖσαν τῷ προφήτῃ. ut fidem faceret mandato, quod propheta acceperat.* Non igitur ſtatim de traditionibus non ſcriptis, ut Pontificii faciant, ea vox explicanda, cum ſtylo Ignatii ſacris literis tribuatur. confirmatur ex Euſeb. lib. 3. c. 32. ubi pollicetur, ſe cautionis gratia Apoſtolicas traditiones ſcripturum. At, quæ ſcripſit, non ſunt alia, quam quæ in ipſis S. literis habentur. Addam unicum ex conſtitutionibus Clementinis; Nam in precio ſunt apud Papiſtas : *Evangelium Epiſcopus interpretetur convenienter Prophetis & legi, Interpretationes ex lege & Prophetis procedant ad convenientiam, & ſimilitudinem Evangelij.* Diſtribuunt S. literas in Legem, Prophetas, & Evangelium; Hujus interpretationem inſtituendam volunt juxta mentem illorum, ut congruant; Nullas laudant traditiones hermeneuticas, ex quibus Evangelii obſcuriora lucem fœnerentur, ſed Scripturam ex Scriptura explicari contendunt.

Contenta: Articuli fidei

§. 2. Contenta in S. literis & in Eccleſia docenda ad tria capita revocari poſſunt (1) Θεολογίαν (2) Χριστολογίαν (3) Ἀνθρωπολογίαν.

1. Θεολογία. Dei unitas

§. 3. Θεολογία concernit (1) *Unitatem* Dei. Ignat. epiſt. ad Philadelph. § 14. εἷς ὁ θεὸς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης. i. e. *unus eſt Deus veteris & N. T.* confer epiſt. ad Philipp. p. 34. 35. ad Antioch. p. 91.

Perſonarum Trinitas.

(2) *Perſonarum Trinitatem.* ep. eadem §. 7. εἷς ἀγέννητος ὁ θεὸς καὶ πατήρ; καὶ εἷς μονογενὴς υἱὸς, θεὸς λόγος καὶ ἄνθρωπος, καὶ εἷς ὁ παράκλητος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, i. e. *Unus eſt ingenitus Deus & Pater, & unus unigenitus Filius, Deus verbum & homo ; & unus Paracletus, ſpiritus veritatis.* Eſſe has tres perſonas inter ſeſe diſtinctas apparet ex ep. ad Trall. p. 8. ubi caſtigat hæreticos, qui dicebant ταυτὸν εἶναι πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον: *eundem eſſe Patrem, Filium, & Spiritum S.* Eſſe autem eaſdem etiam perſonas unum verum Deum ex eadem patet epiſtola: *Sanctus vero Paracletus, & ſanctum verbum Patris Filius, per quem Pater omnia fecit atque omnium providentiam gerit* πάντα ταῦτα εἰς ἑνότητα τοῦ ἑνὸς, καὶ μόνου ἀληθινοῦ θεοῦ. i. e. *illa omnia in unitate unius & unici veri Dei.* Adverte characteres perſonales. Pater dicitur ἀγέννητος; Filius vero μονογενὴς *unigenitus*, genitus igitur; υἱὸς θεοῦ κατὰ θεότητα, *Filius Dei*

Dei secundum Deitatem, ut Theodoretus Dial. 1. verba ipsius citat ex epistola ad Romanos. *Qui ante secula genitus fuit apud Patrem Deus verbum.* epist. ad Magnes. p. 55. Paracletus dicitur πνεῦμα Spiritus, nomen habens à spiratione, qua procedit. *Spiritum Sanctum* procedere à Patre & Filio videtur innuere Ignat. epist. ad Ephes. p. 222. *Sanctus autem Spiritus non sua, sed Christi loquitur; nec à seipso, sed à Domino; quemadmodum & Dominus, ea, quæ à Patre accepit, annunciavit nobis.* vide Luther. ad Joh. XVI. t. 7. Jen. p. 205. D. Dannh. styl. vind. p. 122. seqq.

(3) *Attributa*, ut sunt *æternitas*. Est enim Deus ἄχρονος. Ignat. ep. ad Polyc. p. 207. *Spiritualitas.* Est enim ἀσώματος ep. ad Ephes. p. 221. *Invisibilitas.* Est enim ἀόρατος τῇ φύσει: invisibilis natura. ep. ad Polyc. p. 207. *impalbabilitas*; est enim ἀψηλάφητος: impalpabilis. l. c. *immortalitas.* Est enim ἀθάνατος ep. ad Ephes. 221. *Impassibilitas*, est enim ἀπαθὴς, sine passione. l. c. *Sanctitas.* Impii enim, qua tales, sunt numisma οὐχ' ὑπὸ θεοῦ ἀλλ' ὑπὸ διαβόλου ἐνεργηθὲν, *non à Deo, sed à diabolo effectum.* epist. ad Magnes. p. 54. Ἅγιος *Sanctus est Paracletus*, καὶ ἅγιος ὁ λόγος *& Sanctum est verbum.* ep. ad Philadelph. p. 102. *veritas.* Nam πιστός ἐστιν ὁ θεός. epist. ad Magnes. p. 50. *Potentia.* Nam *unus est* θεὸς ὁ παντοκράτωρ *Deus omnipotens.* ep. cit. p. 56. *Scientia.* Nam οὐδὲν λανθάνει τὸν κύριον, ἀλλὰ καὶ τὰ κρυπτὰ ἡμῶν ἐγγὺς αὐτοῦ ἐστιν. i. e. *nihil latet Dominum, sed etiam occulta nostra in illius sunt conspectu.* epist. ad Ephes. p. 229. *Clementia.* φιλάνθρωπος γάρ ἐστιν ὁ θεὸς ἡμῶν: *Nam clemens est Deus noster.* epist. ad Philad. p. 93. *Timeamus Dei longanimitatem, ne divitias bonitatis & patientiæ ejus contemnamus*, epist. ad Ephes. p. 226.

attributorũ varietas.

(4) *Opera*, in quibus illustre est *creatio*. Caussa efficiens hujus universi est Deus Trinunus. Ignatius igitur epist. ad Tars. p. 8. refellit hæreticos, qui dicebant *omnia creata esse à Deo non per Christum, sed per alienam quandam potestatem.* & p. 98. epist. ad Philad. damnat, qui dicebant *Patrem Christi non esse opificem cœli & terræ.* Contrariam igitur sententiam probabat. *Materia* creata sunt inter alios etiam *Angeli*, λειτουργικὰ τάγματα *Spirituales ordinationes.* Ignat. epist. ad Heron. p. 110. distincti *in angelicos ordines, Archangelorum, militiarumq; cœlestium discrimina, virtutum dominationumq; differentias, thronorum potestatumq; distantias, principatuum magnificentias, Cherubim Seraphimq; Excellentias,* ut videtur Ignatius loqui epist. ad Trall. p. 6. Putant tamen alienum à Martyris modestia fuisse, quod ille dicat: δύναμαι νοεῖν τὰ ἐπουράνια

Opera Creatio.

Angelorum bonorum.

& malorum. *etiam cælestia intelligere possum.* Vedel. exerc. ad l.c. cap. 8. *Malus* Angelus est diabolus. Fuit hic initio Sanctus & gloriosus à Deo creatus. Sed *elapsus est ex illa gloria, ceu fulgur.* epist. ad Philipp. p. 42. Sæpius ejus mentionem Ignatius facit in duabus ad Ephesios & Philippenses epistolis & prolixius eum describit, forsan quod istæ duæ urbes magia periculosius laborabant, & de dæmonibus secretiora quædam scire sibi viderentur: Conjecturam sumpsimus ex Actor. XVI. 16. XIX. 19. seq. & ex epistola ad Ephesios, in qua Paulus dæmonum sæpius & accuratius meminit, quam alibi. Ex illis discas, quod *per ingluviem victus sit, per vanam gloriam dedecore affectus, per avaritiam & ambitionem pertrahat ad impietatem. Tu Belial, Draco, desertor, serpens tortuose, qui à Deo defecisti, qui à Christo separatus es, qui à Spiritu S. alienatus es, qui è choro Angelorum pulsus es, legum divinarum violator, æqui boniq; hostis.* Non igitur sibi tantum, sed etiam aliis auctor mali est. Nam insurrexit contra primos parentes & decepit eosdem. Haudquaquam igitur Deus est mali auctor; sed dæmon, *erraticus ille & falsus spiritus, seipsum prædicat, sua loquitur, sibi namq; placet, seipsum glorificat, plenus enim fastu est, mendax, fraudulentus, assentatione & adulatione gaudens &c.* epist. ad Ephes. p. 223. Habet sub se *aërios & terrenos spiritus* alios p. 227. *distinctos* in suos quoque ordines. p. 228. ex Ephes. VI. Dux eorum dicitur *Princeps mundi.* p. 231. insignis quidem scientia, quem tamen *latuit Mariæ virginitas, & partus ipsius, & mors Domini.* l.c. Est enim *ignorantia oppletus propter voluntariam dementiam,* epist. ad Philip. p. 37.

2 Χριστολογία. §. 4. Χριστολογία concernit (1) *Nomina* Filii Dei. Dicitur ep. ad
(1) *Nomina* Magnes. p. 56. Θεοῦ λόγος οὐ ῥητὸς ἀλλ' οὐσιώδης; οὐ γάρ ἐστι λαλιᾶς ἐνάρθρου φώνημα, ἀλλ' ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσία γεννητή i. e. *Dei verbum non pronunciatum, sed substantiale. Nec enim est articulati sermonis vox, sed divinæ efficaciæ*
(2) Persona. *genita essentia.* (2) *Personæ unitatem.* Est enim εἷς μονογενὴς υἱός, θεὸς λόγος καὶ ἄνθρωπος *unus unigenitus Filius, Deus verbum & homo.* ep. ad Philad. & ep. ad Philip. p. 34. εἷς ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς, ὁ τῶν ὅλων Κύριος. i. e. *unus est Dominus noster Jesus, qui est omnium Dominus, per quem omnia.*
(3) Naturæ duæ. conf. ep. ad Heron. p. 110. (3) *Naturarum dualitatem.* Nam Ignat. ep. ad Polyc. p. 206. 207. ita scribit: *Exspecta Christum Filium Dei in tempore, qui omni tempore caret, invisibilem natura, visibilem in carne, impalpabilem, omnemque contactum refugientem, utpote incorporeum, propter nos vero in cor-*

in corpore tangibilem, & palpabilem, omnibus paſsionibus carentem, ut Deum, propter nos vero paſsionibus obnoxium factum, ut hominem. Ecce diſtinguit *naturam* divinam à *carne*, Chriſtum qua Deum ab eodem qua homine, & dicit alia ipſi competere prædicata ſecundum divinam, alia ſecundum humanam naturam. Nervoſe duabus vocibus omnia complexus vocat Chriſtum θεὸν σαρκοφόρον *Deum carne veſtitum.* ep. ad Smyrn. p. 166. Sententia igitur Ignatii Filius eſt *verus Deus.* Nec enim expreſſo tantum *nomine* ſic vocat, ſed etiam *attributa* & *opera* ſoli Deo propria aſſignat. *Quomodo non Deus hic, qui mortuos ſuſcitavit? claudis perfectum reddidit greſſum?* &c. epiſt. ad Philip. p. 38. Eſt etiam *verus homo*, quod ſtudioſè contendit adverſus hæreticos ejus temporis, qui negabant. confer de *Divina* natura. ep. ad Magneſ. p. 54. 55. 56. 59. ad Philadelph. 98. 102. ad Smyrn. p. 162. ad Tarſ. p. 22. 24. Antioch. p. 93. Hieron. p. 107. De *humana* epiſt. ad Trall. p. 7. ſeq. Magneſ. p. 59. Epheſ. p. 231. Tarſens. p. 22. Philipp. p. 35. Adde teſtimonia Barnabæ, Clementis Romani, Polycarpi, Ariſtidis, Quadrati, collecta à Dn. D. Calov. d. confeſſ. Martyr. ſeculi I.

(4) *Naturarum unionem.* Oſtendimus juxta Ignatium unam eſſe Chriſti perſonam, ex duabus tamen naturis ſubſiſtentem. Sequitur igitur, duas illas naturas inter ſeſe unitas eſſe ad unam perſonam per communem aliquam hypoſtaſin. Hæc cauſa eſt, cur dicatur ab eodem θεὸς λόγος καὶ ἄνθρωπος. *Deus verbum & homo.* Facta eſt illa naturarum unio in incarnatione, quam οἰκονομίαν epiſt. ad Epheſ. p. 233. vocat. utpote in qua λόγος carnem & animam rationalem, i.e. humanam naturam in ſuam hypoſtaſin recepit. *vere genuit igitur Maria corpus, habens in ſe Deum habitantem,* καὶ ἀληθῶς ἐγεννήθη ὁ θεὸς λόγος ἐκ τῆς παρθένου, σῶμα ὁμοιοπαθὲς ἡμῖν ἠμφιεσμένος. ἀληθῶς γέγονεν ἐν μήτρᾳ ὁ πάντας ἀνθρώπους ἐν μήτρᾳ διαπλάττων, καὶ ἐποίησεν ἑαυτῷ σῶμα ἐκ τῆς παρθένου αἵματος &c. *& revera natus eſt Deus verbum ex virgine veſtitus corpore obnoxio iiſdem paſsionibus nobiſcum: verè conceptus eſt in vulva, qui omnes homines in vulva fingit, & corpus ſibi fecit ex ſanguine virginis.* &c. & epiſt. ad Epheſ. p. 231. *Filius Dei ante ſecula genitus, ubi juxta Patris voluntatem & arbitrium, omnia condidiſſet,* οὗτος ἐκυοφορήθη ἐκ Μαρίας κατ' οἰκονομίαν, ἐκ σπέρματος μὲν Δαβίδ, πνεύματος δὲ ἁγίου. i.e. *in utero geſtatus eſt, ex Maria juxta diſpenſationem natus ex ſemine David, conceptus de Spiritu Sancto.* Ecce Tibi incarnationis

(4) Earum unio.

caussam efficientem, quæ est ipse λόγος, & Spiritus Sanctus; Materialem, quæ est hinc secunda solum persona Trinitatis: *unus enim est homo factus, neque Pater, neque Paracletus, sed solus Filius.* epist. ad Philipp. Inde humana natura, constans corpore, & anima rationali, cujus meminit ep. ad Philadelph. p. 99. Formalem, quod conceptus, carne vestitus, & in utero gestatus est; λόγος igitur humanam naturam recepit in suam hypostasin ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, ἀδιαστάτως καὶ ἀδιασπάστως. Epist. ad Smyrn. p. 163. dicit: λόγος ἀνείληφε τὸ ἐκ τῆς παρθένου σῶμα: *verbum assumpsit ex virgine corpus.* Non quod corpus in divinitatem conversum sit, οὐδὲ γὰρ ταυτὸν θεὸς καὶ ἄνθρωπος. *nec enim idem est Deus & homo.* ep. ad Trall. p. 11. Sed quod ἀνυπόστατον ipsum sit à verbo receptum in suam ipsius hypostasin, cujus gratia potuit Johannes dicere: ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο: *verbum caro factum est, verbum in carne habitavit.* epist. ad Smyrn. p. 163. Finalem, nempe propter nos, ut mortuus & sepultus ex morte nos liberaret. *Vita* apparuit *in corruptione*, ὅπως θανάτου καὶ φθορᾶς ἐλευθερώσει καὶ ἰατρεύσει τὰς ψυχὰς ἡμῶν καὶ ἰάσηται αὐτὰς νοσηλευθείσας ἐν ἀσεβείᾳ καὶ πονηραῖς ἐπιθυμίαις. i. e. *ut à morte & corruptione nos liberaret, & sanaret animas nostras, impietate & malis concupiscentiis ægrotas,* epist. ad Ephes. p. 221. Consequens & effectum, nempe (5) *mutuam communionem naturarum, & communicationem idiomatum.* Naturarum communionem discas ex *prædicationibus*, quas Ignatius facit epist. ad Trall. p. 11. *Filius Dei*, inquit, *natus est ex David; ex virgine Maria, ita ut* ἀληθῶς ἐγεννήθη καὶ ἐκ θεοῦ καὶ ἐκ παρθένου, *vere genitus ex Deo & ex virgine.* & in epist. ad Ephes. 231. ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς ὁ πρὸ αἰώνων γεννηθεὶς &c. οὗτος ἐκυοφορήθη ἐκ Μαρίας κατ' οἰκονομίαν. i. e. *Filius Dei ab æterno genitus, hic in utero gestatus est à virgine Maria per dispensationem.* confer Marbach. d. Majest. Christ. arg. XIII. p. m. 195. οὗτος ὁ γεννηθεὶς ἐκ γυναικὸς, υἱός ἐστι τοῦ θεοῦ. i. e. *Hic genitus ex muliere Filius est Dei.* ep. ad Tars. p. 23. 24. Tria sunt Communicationis Idiomatum genera,

(5) **Communio.**

Communicationis genus.

I. *primum*, cum utriusque naturæ propria prædicantur de persona. e. g. proprium humanæ naturæ de Deo; Deus verbum genitus est ex virgine, conceptus, passus, mortuus &c. additis tamen particulis distinctivis, secundum quam naturam prædicatum competat subjecto: e. g. *Christus Filius Dei omnibus passionibus caret* ὡς θεὸς, *qua Deus: propter nos vero passionibus obnoxius factus,* ὡς ἄνθρωπος, *qua homo.*

homo. ep. ad Polyc. p. 207. ep. ad Smyrn. p. 162. Dominus noster Jesus 2.
Christus est κατὰ σάρκα ἐκ γένους Δαβὶδ ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου. *Secundum*, cum vi communicationis factæ axiomata divina prædicantur de humana Christi natura. Ep. ad Ephes. p. 232. *Tyrannicus principatus est destructus* θεοῦ ὡς ἀνθρώπου φαινομένου, καὶ ἀνθρώπου ὡς θεοῦ ἐνεργοῦντος. i. e. *cum Deus ut homo apparuit, & homo ut Deus operatus est.* Operari ut Deum est omnipotenter, omniscienter, omnisapienter, omnipræsenter, &c. agere; si igitur Christus, qua homo, ita operatus est, sequitur omnipotentiæ, omniscientiæ, omnisapientiæ, omnipræsentiæ majestatem humanæ ipsius naturæ esse communicatam. Hanc communicationem innuit vox Iudex, dum Ignat epist. ad Trall. p. 14. dicit, Judicem à Pilato esse judicatum. Clarius idem patet ex Epist. ad Ephes. pag. 32. *Principatum accepit* (homo, qui ut Deus operatus est) *id quod à Deo omnibus suis partibus erat absolutum, unde omnia commovebantur, quod meditaretur mortis abolitionem.* *Tertium* 3.
genus est prædicatorum, in quibus unaquæque natura agit quod suum est cum communicatione alterius. e. g. Cum Christus dicitur *unus Mediator Dei & hominum.* in epist. ad Philadelph. ex 1. Tim. II. 5. cum verbum Filius Patris in epist. ead. 103. dicitur pro Ecclesia sua Sponsa *dotis loco effudisse* οἰκεῖον αἷμα, ἵνα αὐτὴν ἐξαγοράσῃ *proprium sanguinem, ut redimeret eam.* epist. ad Ephes p. 222. *Christus Jesus est Salvator omnium hominum.*

§. 5. Ad hoc genus spectant *officia* Christi (1) *Regium*: Nam (6) Officia.
ex Dan. II. 44. allegat Ignatius ep. ad Magnes. p. 55. regnum Christi 1.
cujus non erit finis (2) *Sacerdotale.* epist. ad Magnes. 55. 56. *Omnes*, 2.
scribit, *velut ad unum altare ad unum Jesum Christum* τὸν ἀρχιερέα τοῦ ἀγεννήτου θεοῦ *accedamus.* Ex quo loco judicium fieri potest de altero, qui extat ad Philadelphienses, detorto à Bellarm. lib. 1. de Cleric. c. 14. ad Pontificem Romanum. Nec enim de alio Pontifice, quam de ipso Christo loquitur. confer ep. ad Ephes. p. 227. Euseb. lib. IV. hist. c. 14. (3) *Propheticum.* Nam Ignatius ep. ad Antioch. p.
91. citat testimonium de hoc Christi officio ex Deut. XVIII. 15. 3.

§. 6. *Status* Christi geminus est exinanitionis & exaltationis. *Status*
Ad *exinanitionis* statum spectat Christi passio, mors, & sepultura. Exinanitionis.
Diabolus equidem ex invidia Judæos in Christum concitavit πρὶν μὲν γένηται ὁ σταυρὸς, ἐσπούδαζε γενέσθαι τοῦτον &c. *Antequam fabricaretur crux,*

ſtudebat, ut fabricaretur, & operabatur in Juda, in Phariſæis, in Sadducæis, in ſenibus, in juvenibus, in ſacerdotibus. Ignat. epiſt. ad Philipp. p. 36. Sed Deus, qui ſapientiſſimus eſt, hoc grande malum in exitium diaboli convertit: *Crux* enim *trophæum eſt contra ipſius potentiam, quod, ubi viderit, horret, & audiens timet.* l. c. Notetur (1) *Paſſionis & mortis veritas.* epiſt. ad Trall. p. 14. *Verè condemnatus & crucifixus eſt, non opinione, non phantaſia, non impoſtura, verè mortuus & ſepultus*: quam Ignatius probat cum ex vaticiniis, tum expreſſis N. T. dictis, etiam ab abſurdo, quod ſtultus eſſet ipſe & alii confeſſores, qui propter Chriſtum calamitates extremas perferrent, ſi quidem ipſe nec paſſus, nec mortuus, nec reſuſcitatus eſſet. (2) *Qualitas:* In ſynopſi depingitur. ep. ad Trall. p. 14. à *falſis Judæis & Præſide Pilato Judex judicatus eſt, flagellatus eſt, & alapis cæſus & conſputus eſt, ſpineam coronam & purpureum veſtimentum portavit, verè condemnatus & crucifixus eſt, verè mortuus & ſepultus.* confer epiſt. ad Magneſ. p. 59. 60. (3) *Utilitas.* Nam cruci affixus eſt ὑπὲρ ἡμῶν *pro nobis,* — ἀφ' οὗ καὶ ἡμεῖς ἐσμεν ἀπὸ τοῦ θεομακαρίστου αὐτοῦ πάθους, *à quo & nos ſumus redempti per divinam beatamque paſ-*

Exaltationis. *ſionem ejus.* Sed de hoc poſtea. *Exaltationis* ſtatus incœpit cum *deſcenſu ejus ad inferos.* De hæc loquitur Ignat. epiſt. ad Trall. p. 11. κατῆλθεν εἰς ᾅδην μόνος *deſcendit ad infernum ſolus.* Vedelius Calvini-

Deſcenſus ad inferos. ſta exerc. 1. ad epiſt. Ignat. c. 12. explicat locum de ſepultura Chriſti; ratione addita, quod Ignatius ſepulturæ non meminerit, hinc ille colligit per deſcenſum ad inferos intellexiſſe ſepulturam. At Symbolum Apoſtolicum docet Chriſtum ſepultum, eundemq; ad inferos deſcendiſſe. Adde quod N. C. Ignatius ſepulturæ non meminit, ſed deſcenſus ad inferos. E. ſepultura & deſcenſus ad inferos ſunt ſynonyma. Sicut N. C. Ignatius p. 14. ita loquitur: *Chriſtus verè mortuus, & ſepultus, & reſurrexit ex mortuis.* E. vivificatio, quod medium eſt inter ſepulturam & reſurrectionem, eſt ipſa reſurrectio. Cum Ignatius de ſepultura loquitur utitur verbo θάπτεσθαι, ut exemplo al-

Reſurrectio. lato conſtat. *Reſurrectio* verè contigit. ἀνέστη διὰ τριῶν ἡμερῶν, ἐγείραντος αὐτὸν τοῦ πατρός. i. e. *reſurrexit tertio die, excitante ipſum patre.* ep. ad Trall. p. 11. probat ex S. literis Pſal. XLI. 11. LXXXII. 8. Nota Patrem excitaſſe Jeſum; ſed & Jeſus ipſe ſeſe excitavit. *Verbum enim ſuum ipſius templum, quod ſolutum erat à Judæis Chriſtum oppugnantibus,* ἀνέστησε

Aſcenſio. τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ *excitavit tertia die.* epiſt. ad Smyrn. p. 163. *Aſcenſus* in

cœlum

cœlum celebratur epist. ad Magnes. p. 60. laudat enim ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς πρὸς τὸν ἀποστείλαντα: *reversum ad cœlos ad eum, qui eum misit.* Subjungit *sessionem ad dextram*; Nam quem laudaverat ἀνελθόντα, eundem laudat καὶ καθεσθέντα ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ: *etiam sedentem ad dextram ejus.* Factum hoc est secundum humanam naturam, quod clarè asserit epist. ad Smyrn. p. 163. *verbum omnes ad se traxit ad obtinendam salutem æternam* ὑψωθείσης αὐτοῦ τῆς σαρκὸς *postquam caro ipsius exaltata est.* Declaratio hujus exaltationis erit in die extremo, cum Filius hominis, quà talis est, judicium exercebit in omnes homines. Nam *venturus est in fine seculorum cum paterna gloria* μετὰ δόξης πατρικῆς κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, *ut judicet vivos & mortuos, reddetque unicuique secundum opera sua.* epist. ad Magnes. p. 60. Id fiet secundum eam naturam, secundum quam à Pilato *judex judicatus, flagellatus, colaphizatus, consputus, coronatus, condemnatus, crucifixus, & mortuus est*; at factum hoc juxta naturam humanam. Colligitur ex oppositione ὁ κριτὴς ἐκρίθη, ἐμαστιγώθη &c. Is igitur, qui judicatus & cæsus est, erit etiam judex; Hic autem erat Christus secundum humanam naturam. E. & hic erit judex secundum humanam naturam.

Sessio ad dextram

§. 7. Ἀνθρωπολογία considerat hominem in statu (1) *Institutionis.* Hunc indigitant constit. Apost. lib. VII. c. 2. *Naturalis quidem est vitæ via, inducta vero via mortis.* & Ignat. ep. ad Magnes. p. 54. Homo impius diaboli est οὐκ ἀπὸ τῆς φύσεως, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ γνώμης γενόμενος. *factus non per naturam, sed animi arbitrium.* & epist. ad Philipp. p. 43. scribit, quod serpens τῆς ἐντολῆς ἐξώσας Protoplastos à præcepto Dei averterit. 2. *destitutionis.* Hujus *auctor* est diabolus serpens ille ἀρχέκακος *omnis mali primus auctor, qui per mulierem decepit primum generis nostri parentem Adam.* Epist. ad Trall. p. 14. τῆς κακίας στρατηγὸς καὶ κλέπτης *dux ille omnis mali & falsis rationibus mentes fallens humanas,* epist. ad Phillipp. p. 37. Σοφὸς γάρ ἐστι τοῦ κακοποιῆσαι: *sapiens enim est ad faciendum malum.* Vivum exemplum præbent Protoplasti, quos seduxit. *Inducta* enim *est via mortis non voluntate Dei, sed insidiis adversarii.* constit. Apost. l. 7. c. 2. & Ignat. ep. ad Magnes. p. 54. *Pius homo numisma est à Deo cusum; Impius ementitum, adulterinum, & illegitimum,* οὐχ ὑπὸ θεοῦ ἀλλ' ὑπὸ διαβόλου ἐνεργηθέν, *non à Deo, sed à Diabolo effectum.* Epist. ad Philipp. p. 43. Compellat diabolum: *Contra primos parentes insurrexisti, & à Dei præcepto avertisti eos, qui nihil te læserant.*

3 Ἀνθρωπολογία

Homo in statu institutionis.

destitutionis

rant. Effectus hujus ſeductionis eſt deſperata miſeria humani generis. Nam peccato corruptæ ſunt animæ hominum, quas proinde Ignat. epiſt. ad Epheſ. p. 22. vocat νοσηλευθείσας ἐν ἀσεβείᾳ καὶ πονηραῖς ἐπιθυμίαις, *ægrotas impietate, & pravis concupiſcentiis.* Paucis multa complexus. Impietas enim concernit tabulam primam, quæ requirit rectum de Deo ſenſum & cultum: utroque nos exuit diabolus per peccatum; Concupiſcentiæ ſecundam potiſſimum tabulam reſpiciunt, & ipſi animæ noſtræ tenaciſſimè inhærent, ut omnis cogitatio & figmentum cordis ſit pravum ex prima infantia. Carnales enim, quales omnes ſumus per naturam Joh. III. 6. τὰ πνευματικὰ πράττειν οὐ δύνανται, *ſpiritualia facere non poſſunt* Ignat. ep. ad Epheſ. p. 222. Fructus peccati eſt *mors:* θάνατος καὶ φθορά, mors & corruptio. A quibus malis nos ipſimet non potuimus nos liberare. epiſt. ad Trall. p. 10. ſatis clarè, *Chriſtus,* inquit, *dedit ſeipſum pro nobis redemptionis precium, ut ſanguine ſuo nos repurgaret à veteri impietate, & vitam daret nobis* μέλλουσιν, ὅσον οὐδέπω, ἀπόλλυσθαι ὑπὸ τῆς ἐν ἡμῖν κακίας, *qui mox, ſi unquam, malitia, quæ eſt in nobis, perituri eramus.*

Reſtitutionis. (3) *Reſtitutionis.* Hujus *principium, quod* reſtituit, eſt Deus. φιλάνθρωπος γάρ ἐστιν ὁ θεὸς ἡμῶν, καὶ πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. i. e. *Clemens enim eſt Deus noſter, & vult omnes homines ſalvari, & ad agnitionem veritatis venire.* ep. ad Philadelph. p. 93. Nec ſolum vult, ſed & facit. Nam ὁ θεοσεβὴς ἄνθρωπος νόμισμά ἐστιν ὑπὸ θεοῦ χαραχθέν, *pius homo eſt numiſma à Deo cuſum.* Ignat. epiſt. ad Magneſ. p. 54. & epiſt. ad Epheſ. p. 221. Ἰατρὸς δὲ ἡμῶν ἐστιν ὁ μόνος ἀληθινὸς θεός, *Medicus noſter eſt ſolus verus Deus.* Opus eſt totius Trinitatis; *Habemus* enim *Medicum etiam Jeſum Chriſtum.* l. c. Nec Spiritus S. eſt excluſus, ut patet ex epiſt ad Philipp. p. 35. Peculiari tamen ratione Chriſto attribuitur. *Hæc* eſt enim, *quæ ad Patrem ducit via, hæc petra, hoc ſeptum, hæc clavis, hic paſtor, hæc hoſtia,* ἡ θύρα τῆς γνώσεως, *oſtium cognitionis.* ep. ad Philad. p. 102.

restituens. principalis

meritoria. *Meritoria* cauſſa eſt idem Chriſtus incarnatus, paſſus & mortuus. Nam δι' ἡμᾶς *propter nos mortuus eſt, ut credentes in mortem ejus per baptiſmum conſortes ſimus reſurrectionis ejus.* epiſt. ad Trall. p. 4. & p. 10. *Deus proprio Filio ſuo non pepercit propter ſanctam Eccleſiam,* & mox: *Dilexit nos* (Chriſtus) *& dedit ſemetipſum pro nobis redemptionis precium,* ἵνα τῷ αἵματι αὐτοῦ καθαρίσῃ ἡμᾶς παλαιᾶς δυσσεβείας, καὶ ζωὴν ἡμῖν παράσχηται, μέλλουσιν, ὅσον οὐδέπω, ἀπόλλυσθαι ὑπὸ τῆς ἐν

ἡμῖν

ἡμῖν κακίας, *ut sanguine suo nos repurgaret à veteri impietate, & vitam daret nobis, qui mox, si unquam malitia nostra perituri eramus.* Ecce quid benignissimum erga nos Salvatorem impulerit, amor; non nostrum aliquot meritum, qui propter desperatam malitiam eramus jam-jam damnandi; gratia igitur ipsum impulit, ut sanguinem suum pretium pro peccatis nostris persolveret. epist. ad Philadelph. p. 104. Utrumque principium est universale: Dei gratia, τοῦ μὴ βουλομένου εἰς τὸν θάνατον τοῦ ἁμαρτωλοῦ, ἀλλὰ τὴν μετάνοιαν. i. e. *cujus voluntas non est mors, sed pœnitentia peccatoris.* l. c. confer epist. ad Philadelph. p. 93. Christi meritum ὅς ἐστι σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, μάλιστα καὶ πιστῶν. i. e. *qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* epist. ad Magnes. p. 50. Sanguinem effudit ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου σωτηρίας. *pro mundi Salute.* epist. ad Smyrn. p. 166. Ephes. p. 222. Efficacissimum est Christi meritum, nam gratiam Patris nobis recuperavit. epist. ad Magnes. p. 56. πάντα γὰρ κατ' εὐαρέστησε τῷ πέμψαντι αὐτόν. i. e. *omnia enim grata & placita reddidit ei, qui misit ipsum. Ministerii* Ecclesiastici utitur opera Deus in restituendis hominibus. Nā per hoc administrantur verbum & Sacramenta, quæ sunt organa ex parte Dei, quibus vocamur, convertimur, justificamur, regeneramur, renovamur & tandem salvamur. Distingue tamen inter ministerium publicum & privatum; Privatim omnis homo obligatus est, ut proximum convertat. *Convertite ipsos, ut vestræ disciplinæ se tradant. Estote ministri Dei, & os Christi,* scribit Ignat. ad Ecclesiā totam Ephesinam p. 224. *Dominus misit Apostolos ad omnes gentes,* μαθητεῦσαι πάντα τὰ ἔθνη, ut omnes facerent discipulos. Ignat. epist. ad Philipp. Vocatio igitur universalis est. Et alibi confirmat epist. ad Philad. p. 103. laudans Apostolorum industriam, quod Evangelium prædicaverint ἀπὸ περάτων ἕως περάτων οἰκείοις ἱδρῶσι καὶ πόνοις, *à finibus usq; ad fines propriis sudoribus & laboribus.* Congruè Coloss. I. 6. 23. quæ loca ipse Vedelius exerc. III. ad Ignat. c. 9. addit. Et fit per verbum; Nam misit, ut docerent; & baptismum; nam etiam ut baptizarent, misit. repetit ep. ad Philad. p. 103. Verbum duplex est legis & Evangelii. Lex est vel ceremonialis, vel forensis, vel moralis. Illæ abrogatæ sunt per Christum. *Si namq; adhuc juxta legem Judaicam & circumcisionem carnis vixerimus, negamus nos gratiam accepisse.* epist. ad Magnes. p. 56. Moralis abrogata non est, quod prolixè disputant Const. Apost. l. VI. c. 19. Et tribuunt ei *vim*

Ministerialis

Instrumentalis.

convertendi animas. *Evangelium* præclara habet *nomina:* dicitur enim *caro Christi* epist. ad Philadelph. p. 97. εὐαγγέλιον τῆς κοινῆς ἐλπίδος, *Evangelium communis spei.* l. c. *Contenta* mox enumerat. Nam scribit: ἐξαίρετον δέ τι ἔχει τὸ εὐαγγέλιον, τὴν παρουσίαν τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὸ πάθος, αὐτὴν τὴν ἀνάστασιν, i.e. *Eximium quiddam habet Evangelium, nimirum adventum Salvatoris nostri Jesu Christi, passionem, ipsamque resurrectionem.* Hæc ille. Alterum medium est *baptismus.* Nam διὰ τοῦ βαπτίσματος, *per baptismum consortes sumus resurrectionis Christi.* ep. ad Trall. p. 4.

Forma restituendi conversio

§. 8. *Effectus* horum mediorum est *conversio* hominis in peccato mortui, ἀνίατα νοσοῦσι, *laborant incurabili morbo*, uti alias loquitur Ignat. epist. ad Ephes. p. 221. Convertitur autem homo, cum

per fidem

fides in ipso accenditur. Atque hoc beneficium est verbi. Nam *per* legem, Prophetas, & Apostolos Ecclesia est cœtus credens δι' αὐτῶν πιστεύσαν. p. 224. *Objectum* ejus generale est Deus, πίστις εἰς Θεόν. epist. ad Smyrn. p. 166. Speciale est Christi meritum. ἔχω τὰς ἐλπίδας ἐπὶ τῷ ὑπὲρ ἐμοῦ ἀποθανόντι *habeo spes in eo, qui pro me mortuus est.* ep. ad Trall. p. 13. quod sit illud meritū accuratè explicat. ep. ad Magnes. p. 60. nempè Christi passio, & mors, quibus in fide addit resurrectionem, ascensionem, sessionem ad dextram; adventum ad judicium. ταῦτα ὁ γνοὺς ἐν πληροφορίᾳ καὶ πιστεύσας, μακάριος: *hæc qui crediderit firmiter, salvabitur*, sive beatus est. *Symbolū* hoc est fidei, quod aliquo etiam modo explicat. ep. ad Trall. p. 11. Philad. p. 94.

cujus objectum est Deus

Actus, notitia

Actus fidei tres sunt, *Notitia*, quæ patet ex modo allegato testimonio: ὁ γνοὺς, qui *noverit:* Quod si nolis per certam notitiam interpretari, sed per fiduciam, æq; molestus eris Papistis, qui fiduciam in fide ferre non possunt. Bell. l. 1. de justif. c. 7. Becan. Man. lib. 1. c. 16. q. 5. p. 427. Dicta scripturæ idem testantur. Unicum allegabimus, quod adducit ipse Ignat. ep. ad Smyrn. p. 166. ex Joh. XVII. 3. *Hæc est vita æterna* τὸ γινώσκειν τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν, *ut cognoscant verū Deum solum.* &c.

assensus.

Alter actus est *assensus*; Cum quis exultat in passione Domini nostri Jesu Christi ἀδιακρίτως *sine omni hæsitatione.* Desistant igitur Pontificii dubiam nobis reddere gratiam Dei & remissionem peccatorum. Becan. Man. l. 1. c. 16. q. 7. p. 435.

fiducia.

Tertius actus est *fiducia.* Nititur Dei promissione & potentia, quippe qui fidelis est. epist. ad Magnes. p. 50. Hanc aliquoties commendat Ignatius, & laudat in Ecclesia Philadelphiensi

delphiensi τῇ ἀναστάσει (χριστοῦ) πεπληροφορημένῃ, quod *fiduciam haberet in resurrectione Christi:* in Polycarpo, p. 206. περὶ (ζωῆς αἰωνίου) καὶ σὺ πέπεισαι κατὰ πάντα: *de (vita æterna) & tu persuasus es per omnia.* in Magnesiis p. 60. Nam tribuit ipsis πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος *plenitudinem spei.* Nota, certum posse esse hominem in hac vita de gratia Dei & futura salvatione, quod strenuè negant Pontificii. Ignatius Epist. ad Smyrn. p. 166. laudat τὴν τῶν προσδοκωμένων ἀγαθῶν ἀπόλαυσιν, *bonorum, quæ exspectamus, fruitionem.* Producit se ipse exemplum. epist. ad Philadelph. p. 100. dicit: *Spiritus meus* οἶδε *scit, unde venit, & quo vadit, &* κρυπτὰ ἐλέγχει *occulta coarguit.* Nam colligit ex testimonio Spiritus Sancti, quod sit in gratia Dei. *Meus amor crucifixus est. Non est in me ignis quispiam amans; sed aqua viva saliens in me,* ἔσωθεν μοι λέγει: δεῦρο πρὸς τὸν πατέρα: *intus mihi dicit: veni ad Patrem.* epist. ad Rom. p. 249. Nota *fidem specialem*, quam negant Pontificii. alibi dicit: *Jesum amo* τὸν ὑπὲρ ἐμοῦ παραδοθέντα *pro me traditum.* epist. ad Rom. p. 249. *Effectus* fidei est justificatio & Salvatio. *Justificatio.* Nam clara *Effectus* est
sunt Ignat. epist. ad Philad. p. 112. verba: *Illibatum mihi est archivum* justificatio
crux ejus, & mors, & resurrectio ejus καὶ ἡ πίστις ἡ περὶ τούτων, ἐν οἷς θέλω ἐν τῇ προσευχῇ ὑμῶν δικαιωθῆναι. l.c. *& fides de his, in quibus volo precationibus vestris justificari. Corde creditur, ore fit confeßio; illo quidem ad justitiam; hoc vero ad salutem.* epist. ad Ephes. p. 228. Fit autem justificatio per imputationem meriti Christi ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τελειοῦσθε *in Christo Jesu perficimini, qui est Salvator omnium hominum.* epist. ad Ephes. p. 222. Non in operibus: *injuriis* hostium *magis erudior;* ἀλλ' οὐ παρὰ τοῦτο δεδικαίωμαι: *sed non jam in hoc justificatus.* epist. ad Rom. p. 247.
ex 1. Cor. IV. 4. Non minus clara sunt, quæ de *Salvatione* loquun- & Salvatio
tur epist. ad Magnes. p. 61. *Hæc* (de Christo) *qui plenè cognoverit* καὶ πιστεύσας, μακάριος, *& crediderit, salvus erit.* Paulo ante constituerat Christum salutis authorem, de quo ante dixissent Prophetæ: ipse veniet καὶ σώσει ἡμᾶς *& salvabit nos.* p. 57. confirmat ep. ad Philadp. 98. *Omnes sancti in Christo* ἐν Χριστῷ ἐσώθησαν, ἐλπίσαντες εἰς αὐτὸν, καὶ αὐτὸν ἀναμείναντες; καὶ δι' αὐτοῦ σωτηρίας ἔτυχον: *Salvati sunt, sperantes in eum, & illum exspectantes, & per ipsum salutem consecuti sunt.* Probe nota, quæ dicit; Christum salutis auctorem facit etiam in V. T. & dicit in eo vera fide apprehenso salvatos esse fideles. Nō ergo alia est hodie salutis ratio, quam in V. T. Per fidem in Christum Jesum non tan-

tum nos, qui Christò nato vivimus, sed etiam qui ante nos, omnes salvantur, quotquot salvantur. Actor. XV. 11. Addam unicum adhuc ex ep. ad Philadelph. p. 102: Jesus Christus est *ostium per quod ingressus est* (ad Patrem) *Abraham, Isaac, Iacob, Moses & universus Prophetarum chorus.* Redeo ad fidem. Hanc salutis caussam dixi, nec muto. Nam iterum mihi suffragatur Ignatius epist. ad Ephes. p. 231. *Crux Christi* πιστοῖς *credentibus* σωτηρία καὶ ζωὴ αἰώνιος: *Salus & vita æterna.* Notent testimonium hoc solis radio scriptum, qui quidem fatentur unam & solam fidem operari justitiam, sed non solam operari salutem, utpote operibus cooperantibus. Ignatius non agnovit opera in negocio salutis; Fides illi sufficit, & unicè necessaria habetur. *Necessaria* dico: Nam præmittit: *Crux Christi incredulis scandalum est.* E. qui non credit in Christum crucifixum damnatur; sicut qui credit, salvatur. Clarius alibi loquitur: *Nemo erret: nisi crediderit Jesum Christum in carne conversatum, & crucem illius confessus fuerit, & passionem, & sanguinem, quem effudit pro mundi salute*, οὐ τῆς ζωῆς αἰωνίου τεύξεται *vitam æternam non consequetur.* epist. ad Smyrn. p. 166.

Renovatio. ejus efficiens

§. 9. Justificationem consequitur *Renovatio*, quæ consistit in studio pietatis. Hujus beneficii fons est *Christus*, organum vero *fides*, quâ renascimur. *Carnales spiritualia facere non possunt*, οὐδὲ οἱ πνευματικοὶ σαρκικά. ὥστε οὐδὲ ἡ πίστις τὰ τῆς ἀπιστίας. *neq; spirituales carnalia, sicut nec fides, quæ incredulitatis, & incredulitas, quæ fidei sunt.* Agit de operibus fidelium, & dicit diversa esse ab operibus infidelium, caussam diversitatis assignat hinc fidem, inde incredulitatem, & distinguit utriusque subjecta. *Vos pleni Sancto Spiritu, nihil carnale, sed spiritualia omnia exercetis, in Christo Jesu perficimini.* Innuit, quod perfectioni deest, id perfici in Christo, qui factus est nobis justitia. Non igitur calumnieris verba Sancti Martyris, quasi sibi vel aliis perfectionem arrogaret, fatetur se ipse ἀναπάρτιστον *nondum perfectum.* epist. ad Philad. p. 97. repetit. in epist. ad Ephes. p. 216. fatetur in sese & Polycarpo pientissimo esse adhuc νόσους *morbos*, quos Christus ferret. epist. ad Polyc. p. 205. Ecce igitur ἄμεμπτοι, ut Polycarpus, esse possunt, nempe in Christo, qui tamen sunt in se adhuc morbidi propter residuum peccatum. Imperfecta est igitur renovatio passiva, etsi activa sit perfectissima. Dixi fontem esse Christum;

unio mystica

Nam inter ipsum & fideles est unio & communio mystica. Hinc

fideles

fideles dicuntur *μέλη τοῦ Χριστοῦ membra Christi.* epist. ad Ephes. p. 218. in quibus ipse patitur. Cujus rei exemplum esset illud Christi ad Petrum: *venio iterum crucifigi:* Bisciol. an. 69. nisi suspecta esset narratio. Termini unionis sunt substantia cum Christi tum fidelium. Nam Ignat. epist. ad Magnes. p. 50. optat *ἕνωσιν σαρκὸς καὶ πνεύματος Ἰησοῦ Χριστοῦ unionem carnis & Spiritus Jesu Christi:* Imo reliqua etiam personæ Trinitatis; ut de Ephesiis celebrat p. 224. quod sint *θεοφόροι καὶ πνευματοφόροι. Deo & spiritu pleni.* Singulas personas distinctius expressit p. 229. Non otiosa est hæc inhabitatio. Nam inhabitantes vivunt in fidelibus: *ἐπειδήπερ ζῇ ἐν ἐμοὶ ὁ Χριστὸς Nam vivit in me Christus.* ep. ad Rom. p. 250. ex Gal. II. 20. & perficiunt inhabitatum in studio pietatis. *Novi, quod in vobis nihil fastus sit,* unde? *Ἰησοῦν γὰρ ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς. Jesum enim habetis in vobis:* scribit ad Magnes. p. 61. Christus *ἐν ὑμῖν λαλείτω ὡς καὶ ἐν Παύλῳ in vobis loquatur, sicut in Paulo.* & Spiritus Sanctus *διδασκέτω ὑμᾶς τὰ Χριστοῦ φθέγγεσθαι vos ea, quæ Christi sunt, loqui doceat.* epist. ad Ephes. p. 229. Deus igitur inhabitans mentem rerum divinarum cognitione illustrat, & cor perficit in studio pietatis. Organum externum hujus unionis præter alia est etiam *S. Cœna.* In S. Cœna accipimus carnem & sanguinem Christi cum benedicto pane & vino: *μία γάρ ἐστιν ἡ σάρξ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, καὶ ἓν αὐτοῦ τὸ αἷμα τὸ ὑπὲρ ἡμῶν ἐκχυθέν; εἷς καὶ ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη, καὶ ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθη:* i. e. *una enim est caro Domini Jesu, & unus ipsius sanguis pro nobis effusus; unus etiam panis omnibus fractus, & unum poculum omnibus distributum.* Observa locum (1) *Contra Pontificios,* quos non uno vulnere perimit. Nam transsubstantiationem evertit. Ignatius enim panem jam fractum, i. e. consecratum adhuc vocat panem, & distinguit à carne; iterum poculum i. e. vinum in poculo distinguit à sanguine etiam distributum. Docet insuper usum calicis omnibus communem: *ποτηριοκλεψία* igitur tum in usu non fuit. Accedit distributio omnibus facta. Sacerdos igitur tum non solus communicabat, ut hodiè fit in Papatu. Bellarminus miserè se torquet, ut nobis pugionem ex manu extorqueat, se ipse se vulnerat. l. 2. de Euch. c. 2. & l. 4. c. 26. dicit locum in græco esse corruptum; sic enim solent illi *πατρόφιλοι,* cum urgentur, ad corruptelas confugere: & nobis succensent, cum justè ea exceptione utimur. Addit: unum

Organum Eucharistia.

dici calicem, nec tamen ab omnibus ſumi. Manifeſta verborum calumnia; quid enim ſignificat: τοῖς ὅλοις διενεμήθη? in Lutheranorum grammatica: *omnibus diſtributum eſt*, nempè etiam laicis, quos æquè ad unitatem hortatur, quam Clericos. Tandem manifeſtè ſe dat: Fatetur utramque ſpeciem hinc probari, ſed ea ætate, qua pauciores erant fideles. Atqui Evangelium prædicatum erat in univerſo orbe, teſte ipſo Ignatio. Meliora non ſunt, quæ l. 2. c. 2. excipit contra panem, protrita à Chemnitio part. II. exam. ante quam à Bellarmino exciperentur. (2) Contra *Calvinianos*. Si enim caro Chriſti & Sanguis in S. Cœna diſtribuuntur & accipiuntur, quid negant præſentiam realem & Sacramentalem? *Effectus* Sacramenti præclarus eſt, quem malo Ignatii, quam meis verbis referre ex epiſt. ad Epheſ. p. 233. ἐστι φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, καθαρτήριον ἀλεξίκακον, i. e. *Eſt pharmacum immortalitatis, mortis antidotum vitamq; in Deo concilians per Ieſum Chriſtum, & medicamentum omnia expellens mala.* Eſt ergo in & à S. Cœna vita, eaque non interitura; non eſt autem immediatè in vel à pane & vino terrenis elementis; E. in & à corpore & ſanguine Chriſti, quibus fideles ad vitam in Deo per Chriſtum conſervantur. Col. III. 3. Guſtavit dulcedinem epularum Ignatius, cum jamjam à beſtiis diſcerpendus optaret: *Panem Dei volo, panem cœleſtem, qui eſt caro Chriſti filii Dei, qui factus eſt poſterioribus temporibus ex ſemine David & Abrahæ, & potum volo illius Sanguinem, qui eſt charitas incorruptibilis, & vita æterna.* ep. ad Rom. p. 249.

Exemplares. §. 10. Hactenus de renovationis cauſſis dictum. Pergerem ad virtutes, quæ hunc ſtatum concernunt, niſi de cauſſis aliquid dicendum reſtaret. *Cauſſa exemplaris* eſt Dei voluntas & Chriſti meritum, vel quidquid noſtri cauſſa fecit & paſſus eſt; unde Ignat. epiſt. ad Epheſ. p. 217. admonet eos, ut *concurrant cum voluntate Dei, ſicut Chriſtus. Sic enim oportet & eos vivere juxta voluntatem Dei in Chriſto & eum ſectari.* & alibi. *vos itaq; manſuetudinem aſſumentes*, γίνεσθε μιμηταὶ παθημάτων Χριστοῦ καὶ ἀγάπης αὐτοῦ, ἣν ἠγάπησεν ἡμᾶς, *ſitis imitatores paſſionum Chriſti & amoris erga nos*, &c. Ignat. epiſt. ad Trall. p. 10. ad Magneſ. p. 54. *Niſi libenter velimus pro veritate mori ad exemplum paſſionis ejus, nec vita ipſius in nobis erit.* confer Dionyſ. Areopag. de Eccleſ. hierarch. part. 3. c. 3. p. 59. Oportet igitur articulos fidei prius

noſſe &

nosse & accuratius intelligere, quam in studio pietatis feliciter progrediaris. Nisi enim illos prius noveris, & hinc debitum, modumque honestè vivendi deduxeris, Pharisaica erit & ethnica tua pietas, quam æquè discas ex aliquo Cicerone, Seneca, aut Epicteto, quam viro θεοπνεύστῳ. Præclarum est epistolæ ad Ephes. 228. dictum: ἀρχὴ ζωῆς πίστις, τέλος δὲ ἀγάπη; τὰ δὲ δύο ἐν ἑνότητι γενόμενα, θεοῦ ἄνθρωπον ἀποτελεῖ: *initium vitæ est fides; finis vero charitas; Hæc duo vero quoties in unum coëunt, Dei hominem perficiunt.* Noster igitur Christianismus nascitur ex fide, qua justificamur & regeneramur; Consistitque etiam in charitate, quæ duo habet objecta Deum & proximum. *Qui enim dixit diliges Dominum Deum tuum, etiam dixit: Et proximum tuum sicut teipsum.* l.c. Ex his unius fontis duobus rivis derivantur omnes virtutes, quotquot ad alterutram decalogi tabulam spectant & referuntur: & consistunt vel in omissione mali, vel in commissione boni. epist. ad Magnes. p. 58. 59. *Abjicite malum illud vetus & putri dum fermentum; & transmutemini in novum fermentum gratiæ.* Tabulæ primæ fons est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo:* epist. ad Smyrn. p. 166. *Jesum amo pro me traditum* ep. ad Rom. p. 250. *Si quis non amat Dominum Jesum, anathema sit.* ep. ad Antioch. p. 94. Hinc manant virtutes: cultus uni Deo debitus, rejectis Idolis. *Prohibitū est Idola colere, vel timere veluti Deos; non enim Dii sunt, sed improbi dæmones, & ridicula opera.* const. Apost. l. 5. c. 11. *Decet vos & convenit omnibus modis glorificare Dominum Jesum Christum, qui glorificavit vos.* Ignat. epist. ad Ephes. p. 216. *Humiliatio* coram Deo, quæ nascitur ex conscientia peccatorum, Deique majestatis & gratiæ, ut videndum proponit Ignat. epist. ad Magnes. p. 62. exemplo peccatoris, qui perculso pectore dixit: *Deus esto propitius mihi peccatori.* Species humiliationis sunt *preces* ad Deum; Ad quas hortatur Ignat. ep. ad Magnes. p. 55. *Omnes ad orandum in idem loci convenite.* & ep. ad Ephes. p. 224. *Opponite intensas continuasq; preces.* caussam exponit epist. ad Ephes. p. 219. quia *oratio ascendens ad Deum* πείσει παρασχεθῆναι αὐτοῖς πάντα τὰ ἐν Χριστῷ αἰτήματα: *exorabit, ut omnia, quæ petiverint in Christo, dentur ipsis,* (petentibus.) Materia precum est etiam proximus. Nam Ignat. ep. ad Rom. p. 250. vult secum orare Romanos, ut ipse Spiritum Sanctum assequatur. *Constantia* in veritate semel agnita, Nam ep. Ignat. ad Ephes. p. 232. *Firmi state, fratres, in fide Jesu Christi,* & in

Formalis.

Tabulæ primæ.

Summa dilectio Dei.

Actus (1) Cultus Dei.

(2) Humiliatio.

Preces.

(3) Constantia.

& in ejus charitate, in paßione ejus, & in resurrectione & ep. ad Polyc. p. 206. *Stâ firmus velut incus, quæ verberatur.* præludiũ ferè ejus vocis, quæ de cœlo Polycarpum jamjam immolandum acclamavit: *Fortis esto Polycarpe, & excelso animo rem gere.* Euseb. lib. IV. hist. Eccles. c. 14.

(4) Festa.

Etsi autem Leviticæ leges nos non amplius cogant ad observantiam festorum, tamen Christiani ultro tempus observant, quo beneficia Dei erga se meditantur. Ignatius epist. ad Magnes. p. 57. *Non sabbatizemus Judaico more &c. At post Sabbatum* ἑορταζέτω πᾶς φιλόχριστος τὴν κυριακὴν, τὴν ἀναστάσιμον, τὴν βασιλίδα, τὴν ὕπατον πασῶν τῶν ἡμερῶν. i. e. *Omnis Christi amator Dominicum celebret diem, resurrectioni consecratum Dominicæ, reginam & principem omnium dierum.* Bisciola ann. 58. p. 35. annotat ad h. l. *Hos quidem ritus festorum anniversaria die celebrandorum Apostolos docuisse Ecclesiam testatur Hilarius in prologo expositionis Psalmorum: Eadem re legendi, Orig. contra Cels. lib. VIII. & Hieron. in c. 4. ad Gal. De Dominico certè die testimonium extat Apostolicum Apoc. I. & pascha quidem in diem primum i. e. Dominicũ transferre placuit Petro, & Romæ eo die eum pascha celebrasse, ex antiquioribus Beda afferit de rat. temp. c. 42.* Nota, quod Jesuita fateatur diem Dominicum in S. literis testimonium habere. Fallunt igitur & falluntur Bellarmini, Baronii, Gretseri, cum ex h. l. Ignatii Apostolicas traditiones non scriptas, qualis est dies dominica, probare contendunt. Sed de festis vide const. Apost. l. V. c. 13. VII. 31. præcipiunt enim diem Natalem, Epiphanias, Pascha, & modum hujus celebrandi præscribunt. c. 18. Solebant nocte præcedente pernoctare in ecclesiis, *vigilantes, orantes, ac rogantes Deum, legentes legem, Prophetas, Psalmos, usque ad galli cantum; baptizantes catechumenos &c.*

Tabulæ secundæ
(1) Summa.

§. II. *Tabulæ* Secundæ (1) *Fons* est dilectio proximi. Hanc virtutum reginam commendat solicitè Ignatius ep. 17. *Alter alterum dilige corde indivulso.* ep. ad Magnes. p. 55. *Omnes concordibus animis nos mutuo diligamus, & nemo secundum carnem spectet proximum, sed in Christo Jesu.* ad Philad. p. 100. *Charitatis affectum in vobis languescere ne permittatis.* ad Smyrn. p. 166. *Totum & præcipuum est charitas in Deum & proximum.* Hinc disce *quis* sit diligendus? Omnis homo. *cur?* ob Christum. *quomodo?* sincere & constanter.

(2) *Actus* præcepti (1)

(2) *Rivi* seu virtutes inde deductæ. Distribuamus juxta præcepta singula. 1. Est officium erga superiores, qui sunt *Magistratus.* epist. ad Philad. p. 96..

Princi-

Principes obediant cæſari, milites principibus. Et epiſt. ad Antioch. p. 96. *Cæſari ſubjecti eſtote in iis, in quibus ſubdi nullum animæ periculum eſt. Principes nolite irritare, ne anſam detis eis, qui illam contra nos quærunt.* Eccleſiæ *miniſtri*, qui ſunt patres ſpirituales; Nam vult Auditores Epiſcopo ἐν ἁπλῷ ἀπονέμειν, *reverentiam impertiri.* Rationem allegat p. 52. quia Deum contemnit, qui Dei miniſtrum ſpernit. repetit ep. ad Epheſ. p. 219. *Maritis*, epiſt. ad Philadelph. p. 94. *Uxores maritis ſubditæ ſint in timore Dei:* mox: *Filij obedite parentibus veſtris, & amate eos, ut Dei cooperatores ad generationem veſtram.* Iterum: *Servi parete Dominis in Deo, ut liberti ſitis Chriſti.* Contra; officium quoque ſuum obſervent mariti erga uxores: *viri diligite uxores veſtras, ut conſervas Dei, ut proprium corpus, ut ſocias vitæ, ut cooperatrices procreationis liberorum.* p. 95. Patres erga filios: *Patres educate filios veſtros in diſciplina, & admonitione Domini, & docete eos ſacras literas & artes, ut non dedant ſe otio & inertiæ.* p. 96. Hoc fine *ſcholæ* adornabantur, in quibus vel Epiſcopi vel alii juventutem docerent. Veſtigia quædam oſtendit hiſtoria Johannis, qui Epiſcopo juvenem erudiendum commiſit. Euſeb. III. hiſt. c. 17. confer Cent. Magd. 1. lib. 1. c. 7. f. 203. & lib. II. c. 7. f. 398. Domini erga ſervos. *Domini placido animo ſitis erga ſervos, ut S. Job docet, una enim eſt omnium natura humana & unum genus.* l. c. *conſtit. Apoſt. l. IV. c. 11. 12.* 2. Eſt officium *manſuetudinis*. epiſt. ad Polyc. p. 209. *Longanimes eſtote inter vos cum manſuetudine, & Deus ita vobiſcum agat.* ad Heron. p. 109. conſt. Apoſt. l. 3. c. 15. Et quia vinum accendit animos in mutua bella ad perpetrandam cædem, ideoque *ſobrietas* colenda. *Sobrii eſtote & temperantes in Chriſto Jeſu.* epiſt. ad Epheſ. p. 225. 226. Etiam *ſuperbia* concitat ad injuriam proximi. *Superbiam* igitur *fuge, Deus enim ſuperbis reſiſtit.* epiſt. ad Heron. p. 108. epiſt. ad Trall. p. 8. *Patientia* optimum remedium ad eludendam iram. *Dicite* igitur τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς, *odio habentibus vos, fratres noſtri eſtis, ut nomen Domini glorificetur, & imitemur Dominum, qui conviciis læſus non regeſſit convicia* &c. ad Epheſ. 225. Mater hæc eſt *concordiæ*, vel certè nutrix. *Omnes* igitur *in unum ſitis corde indivulſo & animo voluntario, unanimes, ſemper eadem de iiſdem ſentientes* &c. epiſt. ad Philad. p. 100. Idem eſt *modeſtiæ* officium. conſt. Apoſt. lib. 3. c. 14. Contra *invidiam fuge: auctor enim illius diabolus eſt, & ſucceſſor Cain, qui fratri invidit, & invidia ſtimulatus ei necem machinatus eſt.* epiſt. ad Heron. p. 108. 109. Plures huc vel virtutes,

(2)

vel caussæ,& media sive conciliantia, sive conservantia, sive avertentia conferri possent, nisi brevitati studeremus. Sit ergo.
(3) 3. officium *Castitas.* Castitas alia est virginalis, alia conjugalis. *Virgines* (subditæ sint) *Christo in puritate, non abominantes nuptias, sed id quod præstantius est amplectentes, non in calumniam matrimonii, sed ut liberius divinam legem meditentur.* ep. ad Philadelph. p. 94. confer p. 99. epist. ad Polyc. p.208. ad Antioch. p.95. *Viri ament conjuges suas, memores quod una uni viro, non plures uni datæ sint in creaturæ exordio. Mulieres honorent viros suos, ut propriam carnem, nec ex nomine eos appellare audeant,* Σωφρονιζέτωσαν δὲ *sint autem castæ, solos conjuges suos viros esse existimantes, quibus juxta Dei arbitrium junctæ sunt.* Egregius locus est. vides, quis sit matrimonii *auctor*, nempe Deus, qui in paradiso instituit, & hodie adhuc suo arbitrio conjuges jungit. Indicium & instrumentum hujus divinæ approbationis & confirmationis est *benedictio sacerdotalis*, quam præcipit Ignat. ep. ad Polyc. p. 209. *Decet*, inquiens, *ut & ducentes uxores, & nubentes* μετὰ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου τὴν ἕνωσιν ποιεῖσθαι, ἵνα ὁ γάμος ᾖ κατὰ Κύριον, καὶ μὴ κατ' ἐπιθυμίαν, i. e. *cum Episcopi arbitrio conjungantur, ut nuptiæ juxta Domini præceptum sint, non autem ad concupiscentiam.* confer Turr. def. const. Apost. l. 5. c.3. Sed redimus ad priorem locum. Indicat ille matrimonii, quæ sit *materia*, nempe unus mas & una fœmina; quod *officium*, mutua dilectio conjugalis; quæ ipsa *castitas* dicitur. Copula igitur carnalis non est pollutio carnalis, ut immundus Papatus calumniatur, sed castitas; Nec virgines solum castæ, sed & conjuges. *Fœminas non abominaberis, ipsæ enim te genuerunt, & educarunt. Amare itaque eas oportet, ut causas nativitatis nostræ, verum duntaxat in Domino.* epist. ad Heron. p.108.
(4) 4. Officium est *fuga injustitiæ*, & amor justitiæ & beneficentiæ. Objectum hujus virtutis sunt potissimum miserabiles. Viduarum sæpe fit mentio. *Viduæ non negligantur. Post Dominum tu earum curator esto.* Ignat. ep. ad Polyc. p. 207. Et pupillorum. *Pupillis patrocinare: Deus enim Pater orphanorum, & judex viduarum.* ep. ad Heron. p.107. & pauperum: *Pauperes noli negligere, sicubi copia tibi adsit.* p. 109. Omnes denique qui tua opei ndigent. *Quid enim? si quædam viduæ non sint, & quidam uxoribus non careant, cum tamen subsidio egeant ob inopiam, vel ob morbum, vel ob liberos alendos, omnes debes respicere, omnium curam suscipere. Nam, qui dona dant, non præcisè illa destinant viduis, sed in universum conferunt,*

runt,

runt, voluntaria ea appellantes; quo tu sciens eos, qui premuntur, uti bonus œconomus diligenter impertias eis de munere, constit. Apost. l. 3. c. 4. Episcoporum hoc erat officium, ut patet ex epistola Ignatii ad Polycarpum, & constit. Apost. l. c. 3. l. 4. c. 1. V. 2. Modus benefaciendi præscribitur c. 2. nempe Episcopi *orphanis præstent munera parentum viduis virorũ, adultis nuptias, artifici opus, infirmo misericordiam, esurienti cibum, sitienti potum, nudis vestitum, ægrotis medicinam, in carcere inclusis opem*. c. 1. præcedente jubentur adoptare, aut connubiis jungere; Materia unde benefiebat erant oblationes piorum. lib. IV. c. 7. 8. 9. Habebant tamen & viduæ sua officia, preces cumprimis c. 5. 5. Officium est *veritas* & fuga mendacii cujusvis. ψευδολογίαν βδελύτlε; *Mendacium detestare; perdes enim*, inquit, *Deus omnes qui loquuntur mendacium*. epist. ad Heron. p108. 6. Officium est puritas desideriorum. *In Christo vinctus disco nihil rerum mundanarum atq; vanarum penitus concupiscere*. epist. ad Rom. p. 247. (5) (6)

§. 12. Perseverantes in hoc pietatis cursu usque ad mortem sunt *prædestinati* ad vitam æternam & æternum salvantur. *Fundamentum* prædestinationis est Christus. Nam ἐν σπέρματι *in semine Abrahami benedicentur omnes*, τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον ἐν Χριστῷ, *destinati ad vitam æternam in Christo*. epist. ad Magnes. p. 59. Hic liber est, in quo scripta leguntur nomina primogenitorum. epist. ad Ephes. p. 218. Non est hoc factum in tempore; Nam p. 214. Ecclesiam Ephesinam vocat προωρισμένην πρὸ αἰώνων, *prædestinatam ante secula*. Plena hac felicitate fruentur, postquam sublato hoc universo æternum cum Deo triumphabunt. Præcedet autem glorificationem *Resurrectio mortuorum*. Hujus nota caussam efficientem Principalem Deum. *Pater enim, qui illum suscitavit, & nos per ipsum suscitabit, sine quo nemo consequetur vitam veram*. epist. ad Trall. p. 14. *Meritoriam* simul innuit Christum, *qui propter nos mortuus est, ut credentes in mortem ejus per baptismum consortes sitis resurrectionis ejus*, p. 4. *organum* subindicat, quo virtus illa meriti Christi vivificatrix nobis communicatur, baptismum. Nam hoc organo induimus Christum, qui in resurrectione velut ζωὴ ἡμῶν ἀνέτειλε, καὶ τοῦ θανάτου γέγονε νίκη ἐν Χριστῷ: *vita nostra exorta est, & per Christum mors devicta*. epist. ad Magnes. p. 57. *Vos Christus invitat ad incorruptionem, per passionem & resurrectionem suam, cum sitis membra ipsius*. epist. ad Trall. p. 16. observa

Perseverantia. (1) Prædestinatorum. (2) Resuscitandorum. Virtute meriti Christi.

subjectum hujus beneficii, quod innuit, membra nempe Christi, quæ per fidem ipsi cohæremus. Etsi enim & impii resurrecturi sint, tamen non fiet illud virtute meriti Christi, quod spreverunt increduli, sed potestate judicis, qui ad pœnas meritas reos evocabit. Piis igitur virtute Christi erit gloriosa faustaque resurrectio. *Jesus est vita fidelium.* epist. ad Rom. p. 248. *Hic enim mea spes, hic mea gloriatio, hic meæ indeficientes divitiæ, in quo à Syria Romam usq; hæc vincula circumfero, spiritales margaritas, in quibus contingat mihi consummari precibus vestris & participem fieri passionum Christi, & mortis ipsius, & ex mortuis resurrectionis, & vitæ æternæ consortem* epist. ad Ephes. p. 226. Ecce, qui resurrectionis Christi per fidem participes fiunt, erunt vitæ æternæ *consortes.* Impii igitur non resurgent virtute meriti Christi; nec enim ibunt in vitam æternam.

(3) Salvandorum.

Qualis sit quantaque hujus vitæ felicitas, prolixè describit Dionys. Areopag. de divin. nomin. p. m. 93. 94. Ignatius uno verbo, sed emphatico, innuit in celebri apophthegmate: *ὡς ἐνταῦθα εἶ νίκησον; ὧδε γάρ ἐστι τὸ στάδιον, ἐκεῖ δὲ οἱ στέφανοι*: i. e. *sicut hic es, vince; Hic enim stadium, ibi verò coronæ.* epist. ad Polyc. p. 206. in devotissimis ad Romanos literis igneo planè stylo descripsit. Optat præ calidissimo ejus amore *ignes, crucem, ferarum concursum, sectiones, lanienam, ossium discerptiones, totius corporis solutionem, & quid* non? tantummodo ut Jesum suum nanciscatur: *Dominum desidero Filium veri Dei & Patris Iesum Christum, illum quæro, qui pro nobis mortuus est & resurrexit.* paulo post: *finite me purum lumen haurire, cum illic fuero, homo Dei ero.* p. 248. Lege quæ præcedunt & sequuntur, & perpende, quam singula verba Jesum quærant, sitiant, optent, desiderent. Utinam *Jesum nanciscar! Jesum vitam fidelium! Jesum qui est meus amor crucifixus! si passus fuero, libertus fiam Jesu Christi, & resurgam in illo liber.* Sed compescendus est affectus in suo Jesu exultans! Nam mox de his erit dicendi locus commodior. Resurgent autem in suo quisque corpore. Non aliud erit corpus, quod resurget, ab eo, quod olim cecidit.

§. 13. Homines conversi, justificati, renovati, & olim salvandi constituunt cœtum, qui vocatur *Ecclesia.* Caussa *meritoria* colligendæ ex hominibus Ecclesiæ est meritum Christi: *A Christo sumus redempti, per divinam beatamq; passionem ejus, ut tolleret signum in secula per resurrectionem ejus sanctis & fidelibus, sive Judæis sive gentibus in unum corpus Ecclesiæ suæ. Omnia enim hæc passus est propter nos.* epist. ad

Ecclesiæ (1) *Caussa* meritoria.

Smyrn.

Smyrn. p. 162. *Ministerialis* sunt Ecclesiæ pastores. *Ecclesiam suis su-* Ministerialis
doribus & laboribus fundarunt Sancti Apostoli à finibus terræ usq; ad fines, in
sanguine Christi. epist. ad Philadelph. p. 94. *Instrumenta,* quibus Aposto- Instrumentalis.
li usi sunt, sunt verbum & Sacramenta; de quibus supra. *Materia*
ex qua evocantur ecclesiæ membra, sunt in N.T. Judæi & gentiles, Materialis.
ut ex epist. ad Smyrn. p. 162. legisti. Ea autem ex qua constant pro-
priè sic dicta, quam *invisibilem* vocamus, sunt soli fideles & sancti.
Est enim ἐκκλησία ἐκλεκτὴ, συνάθροισμα ἅγιον, συναγωγὴ ὁσίων, i. e.
Ecclesia electa, cœtus Sanctus, congregatio Sanctorum. Ignat. epist. ad Trall.
Non igitur sancta est secundum quosdam tantum, ut excipit Bell.
lib. 3. de Eccles. c. 9. Sed omnes, qui ad eandem ut genuina mem-
bra spectant. epist. ad Philadelph. p. 94. vocat λαὸν περιούσιον, & ἔθνος
ἅγιον. *populum peculiarem & gentem sanctam.* Uberius deducit laudem
epist. ad Ephes. p. 224. *Beati,* inquit, *estis vos, qui Deo spirituq; pleni, qui*
templum, qui Sancta fertis, per omnia ornati præceptis Jesu Christi, Regale sa-
cerdotium, gens Sancta, populus in acquisitionem. repetita sunt ex 1. Pet. II.
9. Tit. II. 14. *Visibilis* Ecclesiæ membra erant baptizati, & nullis
scandalis datis obnoxii, de quibus paulo post. *Forma* est unio mu- Formalis.
tua & communio cum Deo & inter se. De illa superius dictum.
De eadem ep. ad Magnes. p. 59. loquitur. *Unus est Christus Jesus, in quem*
gens omnis credens, & omnis lingua confitens, εἰς Θεὸν συνήχθη, *in Deo*
coadunatæ sunt, & ii, qui lapideo erant corde, filij Dei facti sunt, &c. epist. ad
Ephes. p. 227. laudatur ipsorum ὁμόνοια καὶ σύμφωνος πίστις: *concor-*
dia, & consensus fidei. De unione & communione externa inferius
dicemus. *Finis* & *usus* mox explicatur: *Vestra enim,* inquit, *concor-* Finalis.
dia & consensus fidei exitium diaboli & satellitum ejus supplicium est. Inter
attributa est *unitas.* Est enim μία ἡ ἐκκλησία *una Ecclesia.* epist. ad Phi- (2) *Attributa* unitas.
ladelph. p. 94. *Obsecro vos, non ego, sed charitas Jesu Christi, ut idem dica-*
tis omnes, nec sint in vobis schismata, sitis autem perfecti eadem mente. epist. ad
Trall. p. 7. consistit igitur unitas non tantum in *verbis*, sed etiam in
perfecta congruentia animorum, ut idem sub verbis intelligamus.
Unum est, quod est indivisum in se & divisum à quovis alio. *Indi-*
visum in se est, quod unam habet essentiam, & mutua partium unio-
ne & communione gaudet. Ea igitur est una Ecclesia, quæ habet
unam prædicationem, & fidem unam, & unum baptisma. epist. ad Philad.
p. 94. ad Ephes. p. 220. *& unam Eucharistiam, unum altare.* p. 93. Con-
trarium huic unitati est falsa doctrina, ex qua nascitur hæresis. *Fu-*

gite itaque, ut filij lucis & veritatis, sectionem unitatis, & pravam doctrinam hæreticorum, à quibus pollutio egressa est in omnem terram. p. 91. & epist. ad Trallens. p. 14. *Fugite impias hæreses; sunt enim diaboli inventa & excogitatæ artes serpentis.* epist. ad Philadelph. p. 91. aliam rationem addit: *qui cum maledictis* (hæreticis) *communionem amplectuntur, hi cum illis excidentur. Nec enim Christi agricultura sunt, sed diaboli sementis.* epist. ad Smyrn. p. 165. *Præmunio vos contra feras humanam formam præ se ferentes, quas non modo aversari oportet, sed etiam fugere, solumq; pro iis orare, si quando pœnitentia ducantur.* Exemplum si vis, unicum dabo Polycarpum ex Euseb. lib. IV. c. 13. Qui Marcionem non nisi *primogenitum* Satanæ agnoscere volebat: Additque Irenæus lib. 3. c. 3. *Talem tum Apostoli, tum Apostolorũ discipuli adhibuerunt cautionem, ut ne sermonem quidem cum aliquo illorum, qui veritatem fallaciter suis commentis adulterare nitebantur, aliquando conferre vellent.* Hæc in gratiam hodierni Syncretismi prolixius, si plura desideras adi ep. ad Smyrn. p. 168. Ephes. p. 220. 230. ad Mariam. p. 5. Philippens. p. 34. 46. Antioch. p. 91. Heron. p. 107. 109. Constit. Apost. l. 2. c. 65. 66. V. 3. VI. 12. 13. 18. 26. 27. VII. 1. 20. 29. *Sanctitas.* De hac jam verba fecimus, cum de doctrina loqueremur cum fidei tum morum; & faciemus infra, cum de forma Ecclesiæ externa, dicemus. Est enim Sanctitas alia externa, alia interna; Eo igitur benevolum Lectorem remittamus. *Catholica* dicitur in Symbolo. Bisciol. epit. an.

Sanctitas Catholicismus.

42. p. 21. *Ad distinguendos* (Christianos) *à falsis veros, Catholici cognomen est inventum, & id quidem temporibus Apostolorum; Nam eorum auctoritate vera Dei Ecclesia, in eorum Symbolo catholica est cognominata, ut ea discriminatione nominis ab hæreticorum conventiculis cognosceretur esse distincta.* Nomen ipsum in Ignatio non invenimus, nec eandem ejus formam, quam hodie habet. vid. epist. ad Magnes. p. 59. 60. epist. ad Heron. p. 110 unde suspicamur Symbolum ab Apostolis non esse hac forma recepta compositum; adeoque nec certi sumus Catholicam esse Ecclesiam ab iisdem dictam. Nihilominus Ignatius ita describit Ecclesiam, ut definitionem Catholicæ facilè inde conciliare queamus. Dicit enim ratione *loci* dilatatam ab Apostolis esse ἀπὸ περάτων ἕως περάτων, *à finibus terræ, usq; ad fines:* ratione *materiæ*, quod Judæos & gentes receperit. Ephes. p. 227. ratione *temporis* & *fidei*, quæ eadem fuit in V. T. & N. T. epist. ad Magnes. p. 56. 57. ad Philad. p. 98. 102. 103.

§. 14.

§. 14. Ecclesia repræsentativa sunt *Concilia*. Constabant ex Episcopis & Presbyteris. Ex illis. Nam *bis in anno concilia Episcoporum celebrentur*. Can. Apost. 35. Ex his. Nam Presbyteri sunt ὡς συνέδριον τοῦ θεοῦ. epist. ad Trall. p. 5. σύμβουλοι καὶ συνεδρευταὶ τοῦ ἐπισκόπου, *consiliarii & assessores Episcopi*, προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν Ἀποστόλων. i. e. *Præsidente Episcopo loco Dei, & Presbyteris tanquam consessu Apostolorum*. epist. ad Magnes. p. 54. Si igitur Presbyteri συνεδρευταὶ. E. simul considebant Presbyteri, non autem à tergo; multo minus post Episcopum stabant; si προκαθημένου ἐπισκόπου: præsidente Episcopo. E. ordo quidam erat, ut Presbyteri Episcopo subordinarentur, saltem quoad Synedrii directionem; *Materia* tractandi erant res spectantes ad fidem vel ad mores. *Celebrentur, ut inter se invicem dogmata pietatis explorent, & exsurgentes Ecclesiasticas contentiones amoveant*. can. 37. Apost. aut alia negocia Ecclesiastica. *Decet concilium cogere sacrosanctum, & eligere, si quem vehementer dilectum habetis & impigrum* &c. scribit Ignat. ad Polyc. p. 209. **Concilia.**

§. 15. *Contraria* dictis sunt (1) *Schismata*. Nam Ignat. epist. ad Trall. p. 7. dehortatur: μὴ ᾖ ἐν ὑμῖν σχίσματα, *ne sint in vobis schismata*. Quid autem sit schisma declarat ad Philadelph. p. 91. μερισμὸς τῆς ἑνότητος *divisio unitatis*. & p. 92. dicuntur schismatici σχίζοντες ἀπὸ τῆς ἀληθείας *abscindentes se à veritate*. (2) *Hæreses*. Nomina hæreticis data notemus. Dicuntur ματαιολόγοι, καὶ φρεναπάται, οὐ χριστιανοὶ, ἀλλὰ Χριστέμποροι. i e. *vaniloqui seductores, non Christiani, sed Christi institores*. epist. ad Trall. p. 7. ψευδολόγοι κήρυκες; ἀλώπεκες, φθορεῖς ἀμπελῶνος Χριστοῦ. *falsi concionatores, vulpes, & corruptores vineæ Christi*. ep. ad Philad. p. 92. *Auctor* non est Deus, sed diabolus. *Non enim sunt plantationes Dei, sed semen maligni*. p. 91. *Forma* consistit in externa professione nominis & sanctitatis Christianæ; cui tamen contraria est doctrina, & hujus fructus. sic describit epist. ad Trall. p. 7. *Fraude circumferentes illius nomen, & adulterantes verbum Evangelii, & erroris venenum allinentes dulcibus alloquiis, velut mulso aconitum miscentes, ut suavissimo sapore deceptus qui gustat incautè mortem hauriat*. Et epist. ad Ephes. p. 220. *Nonnulli improbissimi solent, malo dolo, nomen quidem circumferre; sed patrant quædam indigna Deo, & sentiunt ea, quæ pugnant cum Dei doctrina, in exitium* &c. Ex his colligas non tantum quid hæreticum

Contraria (1) Schismata. (2) Hæreses. Auctor. Forma.

Finis. cum constituat, sed etiam *finem*. Nam dicit ἐπ' ὀλέθρῳ ἑαυτῶν καὶ τῶν πειθομένων αὐτοῖς. *in exitium suummet, & eorum, qui ipsis crediderunt.* Huic extitio cum viventes adhuc jam sint obnoxii, aptè quadrant in illorum corpora cenotaphia Pythagoreorum, ut bene scribit Ignat. ep. ad Philad. p. 99. *Omnes ejuscemodi* (hæretici) *columnæ sepulchrales, & mortuorum sunt monumenta, quibus mortuorum hominum nomina duntaxat inscripta sunt.* vide Gotofr. diatribam de Cenotaph. & ex Ignatio confer epist. ad Philadelp. p. 93. ad Ephes. p. 229.

Remedia. *Remedia* sunt *odium*. Nam *osores Dei & vos odisse oportet, & super inimicos ejus tabescere*. ep. ad Philad. p. 93. *Fuga*: Nam *cum ejusmodi non commisceamini, ne cum illo pereatis, quamvis pater sit, quamvis filius, quamvis frater, quamvis domesticus*. p. 92. Amplius addit epist. ad Ephes. p. 230. etiamsi pastor sit; *Omnis homo, qui discernendi vim à Deo accepit, supplicio subiicietur, si imperitum sequatur pastorem, & falsam opinionem amplectatur pro vera.* Confirmat: *Cur enim, cum ratione utamur, non sumus prudentes, cur accepta à Christo insita nobis dijudicandi facultate, in ignorantiam prolabimur, & per socordiam non agnoscentes donum, quod accepimus, imprudenter perimus?* Concilient cum his Pontificii suorum Laicorum cœcam obedientiam, & merita, quæ fingunt, si quis laicus falso etiam pastori fidem habeat: Nec indignentur nobis, qui lupescentibus pastoribus alios quæsivimus, veros nempe, qui purè nos Evangelium docerent. *Violenta* remedia clarè prohibet Ignat. epist. ad Philad. p. 93. *Osores Dei & vos odisse oportet, & super inimicos illius tabescere*, οὐ μὴν καὶ τύπτειν αὐτοὺς, ἢ διώκειν, καθὼς τὰ ἔθνη τὰ μὴ εἰδότα τὸν κύριον καὶ θεόν. *non autem verberare & persequi illos, sicut gentiles, qui nesciunt Dominum & Deum, sed pro hostibus habere tales, & ab iis segregari. eos tamen commonefacere, & ad pœnitentiam cohortari, si forte manus dent, monitisque cedant.* Removet vim, & commendat alia remedia, nempe fugam, & admonitionem, addita ratione, quod Deus neminem velit perire, sed ad pœnitentiam converti. Consonat, quod Sulpit. Sever. lib. 2. hist. scribit, Martinum *increpasse Ithacium, ut ab accusatione* (Priscillani & asseclarum) *desisteret: Maximum orare, ut sanguine infelicium abstineret: Satis superque sufficere, ut Episcopali sententia hæretici judicati Ecclesiis pellerentur: Novum esse & inauditum nefas, ut caussam Ecclesiæ judex seculi judicaret.* Viderint igitur Pontificii quomodo pœnas hæreticorum violentas excusent aut defendant. Deo pœnam hæreticorum

haud

haud obscurè indicat relinquendam esse, cum docet, eos, *qui moliuntur Christi doctrinam adulterare, pro quâ crucem & mortem sustinuit Dominus* αἰώνιον δίκην *æternas pœnas* esse daturos. epist. ad Ephes. 229. (3.) *Syncretismus.* Equidem jam ex unitate Ecclesiæ, de qua supra, ostensum est, quod confusio ista sit ab Ecclesia vera alienissima: addenda tamen sunt quædam, quæ nobis suppeditat Ignatius epist. ad Trall. p. 7. *Nemo bonum illum dixerit*, seu: *Bonus non dicatur* κακῷ τὸ ἀγαθὸν κεραννύς *qui bonum malo admiscet.* Rationem sumit ab incongruentia veri cum falso. *Quæ communio luci cum tenebris? Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? aut templo Dei cum idolis? Ego vero etiam dico, quæ communio veritatis cum mendacio? aut justitiæ cum injustitia; aut veræ opinioni cum falsa?* epistol. ad Ephes. p. 230. Supponit doctrinam suæ contrariam esse malam, esse tenebras, esse mendacium, esse injustitiam, esse opinionem, profectam ex Beliale, insigne infidelium, & idolum. Quid consilii? num conciliationem tentat? num utrumque doctrinæ genus tolerandum existimat? nihil minus. Sed irreconciliabile ait esse mendacium cum veritate, & lucem cum tenebris. Prodierat jam tum Simon Magus *Syncretistarum* facile princeps. Is enim ut Christianos cum Judæis, & hos cum illis & gentilibus reconciliaret, finxit sese Christum & Jovem: *Asserebat se esse Christum, itemq; Jovem se credi volebat.* August. de hæres. c. I. Unde merito cent. 1. Magd. lib. 2. c. 5. f. 368.. *Apparet*, inquit, *priusquam à Philippo Samaritani conversi essent, Simonem tantum confusam doctrinam ex Judaismo & Ethnicismo tradidisse; quam Magicis quibusdam illusionibus credulo vulgo commendarit ac persvaserit. Postea vero, ubi vidit doctrina Christi, quæ per Apostolos propagabatur, mirabili successu Ecclesiam præclaram colligi, diaboli instinctu, tanquam ejus mancipium, ad quævis teterrima facinora perpetranda promptum & agile habens ingenium, quædam insuper ex Christianismo mutuatus est, ac pervertit, taliq; ratione horrenda quædam portenta genuit, æmulans Judaismum. Ethnicismum & Christianismum simul.* Hæc illi. Surculus ex hac radice fuerunt Ebionæi; Nam & hi aliena inter sese commiscuerunt Judaismum cum Christianismo; Recipiebant cum Prophetis etiam Matthæum, cæteris repudiatis; Christum virum quidem egregium censebant, neque tamen Deum; circumcisionem, Sabbatum, cæterosque ritus Judaicos usurpabant; dominicum tamen etiam diem venerabantur, in memoriam resurre-

(3.) Syncretismus.

rectionis Dominicæ. *Ebionæi Christum etiam tantummodo hominem dicunt. Mandata carnalia Legis observant; circumcisionem scil. carnis, & cætera, à quorum oneribus per N. T. liberati sumus.* Ita August. d. hæres. c. 10. Affines erant Cerinthianis; Nam & hi *carne circumcidi oportere atq; alia hujusmodi legis præcepta servari* tradebant. *Jesum hominem tantummodo fuisse nec surrexisse, sed resurrecturum affirmantes. Mille quoq; annos post resurrectionem in terreno regno Christi secundum carnales ventris & libidinis voluptates futuros fabulantur.* Aug. c. 8. hæres. vides apertum Judaismum, cum quibusdam Christianorum placitis commixtum; Epistolæ Paulinæ nobis propinant in hoc luto hærentes Pseudo-Apostolos; ad superiores illos spectare haud negaverim. Nam & hi Mosen cum Christo commiscebant, dicentes circumcisionem esse recipiendam & servandam legem, si quis velit fide in Christum salvari. Contra hos & similes alios invehitur Ignatius locis supra citatis. Nam *nominat* ipsos epist. ad Trall. p. 15. Philad. p. 98. 99. Nec contentus est illis quibusdam veris, quos fatebantur, articulis, sed *damnat* eos, quod gigneret καρπὸν θανατηφόρον, οὗ ἐάν τις γεύσηται, παραυτίκα ἀποθνήσκει, οὐ τὸν πρόσκαιρον θάνατον, ἀλλὰ τὸν αἰώνιον, i. e. *mortiferum fructũ, quem qui gustarit, continuo moritur, non temporanea hac, verum æterna morte* ep. ad Trall. p. 15. & reprobat religionẽ propter reliquos à ipsis vel negatos vel corruptos. Vocat Pseudo judæos, filios diaboli, deceptores; adeoq; *consequentiis* premit: *Qui Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum confitetur, & creaturam laudat: sed opinionem solamq; phantasiam esse dicit incarnationem, passionemq; pudendam dicit, talis fidem negavit, non minus quam Judæi, qui Christum necarunt.* Ignat. epist. ad Philad. p. 98. 99. Nec alia mens est constitutionum, quas vocant, Apostolicarum: Jubent enim *fugere eos, qui sub nomine Christi & Mosis, adversantur Christo & Mosi, & in pelle ovina includunt lupum.* lib. VI. c. 13. & c. 18. *Vitate illorum societatem, atq; ab eorum pace abalienamini.* & lib. II. c. 66. *oportet fidelem fugere impiorum cœtus, Græcorum ac Judæorum, reliquorumq; hæreticorum, ne, ubi unà cum eis degimus, animis nostris laqueos paremus.* lib. VI. c. 27. invehuntur in mores eorum, qui ritus Judaicos, & Græcos observabant. Ex quibus omnibus colligimus, quam fuerit Syncretismus primitivæ Ecclesiæ abominationi. Fuit ea, si quæ alia, cupidissima salutis omnium, & flagrantissima erga omnes; in hoc tamen, & merito, à se impetrare non potuit, ut cum iis pacem iniret, qui veritati bellum indixerant.

Artic.

Articulus IV.

de

FORMA EXTERNA ECCLESIÆ.

Argumentum.

Formæ externæ definitio Prædicatio *verbi instituta ab Apostolis vel ipsis præsentibus: vel absentibus per literas & ministros, Lectores, interpretes, tabellarios, Doctores: Ad auditores vel convertendos, vel conversos in publicis conventibus.* Baptismi *nomina, causæ, ceremoniæ, circumstantiæ.* Eucharistiæ *nomina, antecedentia, ingredientia, concomitantia, consequentia, circumstantiæ* Mores *conformes tabulæ primæ sunt pietas, Fides, charitas, desideria, glorificatio Dei verbis, signis & operibus, festa. Secundæ sunt charitas in proximum vivum & mortuum, fidelem & infidelem cordis, oris, operis: Reverentia erga præpositos. Castitas, sobrietas*: Disciplina Ecclesiastica. Ecclesia.

§. I. *Forma externa Ecclesiæ consistit in publica societate professionis ejusdem fidei, ejusq; publici exercitij, in prædicando & exponendo verbum Dei authenticum, & administrando sola illa sacramenta, quæ à Christo instituta sunt: in (cœtu) cœtibus ab heterodoxorum cœtu separatis, per doctores legitimè vocatos; inter auditores societatem cum illis suis doctoribus servantes; in morum pietate & honestate, tam quoad exercitium externum, quam quoad tolerantiam crucis.* Definitio est B. Hülsem. brev. Theol. c. XVII. §. 17. Formæ externæ (1.) Definitio.

§. 2. Est igitur formæ externæ actus (1.) *publica prædicatio.* Cujus duo sunt termini relatum & correlatũ. Illud sunt Ministri Ecclesiæ; hoc Auditores. Erant enim certi quidam viri à Deo vel Ecclesia vocati, ordinati, & destinati ad prædicandum verbum, quod & prædicabant. Si dubitas, adi acta Apostolorum, deprehendes hos horumque discipulos & coadjutores initio in Judæa, deinde extra eandem etiam inter gentiles annunciasse pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine Christi olim propter hominum peccata à Judæis occisi, postea vero Dei suaque virtute ex mortuis suscitati, exaltati, & locati ad dextram Patris. In his alii erant primi Ecclesiarum fundatores, ut Paulus, qui fundamento non ab alio jacto imponebant structuram Christianismi: Rom. XV. 20. alii, quod hi cœperant, prosequebantur, ut Titus, quem Paulus reliquit in Creta, quam insulam ipse pridem in fide prior instituerat, (2.) Actus I. Prædicatio Verbi. Doctores.

Tit.I.5. *Forma* doctrinæ erat duplex, vel enim docebant ore præsentes, vel scripto absentes. *Præsentes* in publicis cœtibus, quiad ipsos conveniebant; Hi erant vel ordinarii vel extraordinarii. Illi, qui in demandata sibi provincia; hi, qui in aliena docebant. Moris jam tum erat conciones habere hospitales gastpredigten / si factum est, quod jubent Const. Apo. l. 2. c. 62. si quis ex peregrinis advenerit Episcopus *rogabis eum, o Episcope, ut sermones habeat ad populum ad docendum accommodatos: Peregrinorum enim adhortatio & admonitio valde accepta, atq; vehementer utilis esse consvevit.* Hæc illæ. Christiani, ubicunque locorum erant, solebant coire in unum cœtum & res sacras tractare, & hi cœtus vocabantur Ecclesia. In his Ecclesiis erant qui docerent prædicando, alii qui discerent auscultando. Docebant autem vel sine scripto, memoriter recitando Dei verbum, vel ex scripturis, quas legebant & interpretabantur. Ex his confirmabant articulos fidei, & refutabant dissentientes. Acceperant morem à Judæis, qui singulis Sabbathis legebant Mosen & Prophetas & interpretabantur. Actor. XIII. 15. XV. 21. Hoc imitabatur Paulus. Nam & ipse Thessalonicæ disserebat è scripturis de Jesu crucifixo. Actor. XVII. 2. 3. XIII. 15. Imitati id sunt successores; Nam Apostoli, teste Orig. hom. XV. in Jes. ordinarunt, ut libri V. T. legerentur in Ecclesiis; Postquam autem Evangelistæ sua edidissent scripta, & Apostoli epistolas hinc inde mitterent, etiam hæc scripta publicè legebantur. 2. Cor. VIII. 18. Nec legebantur modo, sed etiam explicabantur. Qui explicabant dicebantur Prophetæ 1. Cor. XIV. 3. seqq. Qui legebant, dicebantur *Lectores*, græcè ἀναγνῶσται, & erat hoc officium diaconorum, ut supra declaratum. Constitutiones Apostolicæ l. 2. c. 61. pluribus verbis ritum describunt. Postquam enim convenissent in Ecclesia & consedissent; Medius lector in cathedra eminebat legens Vetus Test. alius hymnos Davidicos canebat, concinente populo; deinde legebantur scripta N. T. Acta nimirum & epistolæ Paulinæ; illis lectis Diaconus vel Presbyter legebat Evangelia, quæ cum legebantur, omnes assurgebant. Nota obiter non fieri mentionem librorum Apocryphorum inter canonicos citatos à Constit. l. c. Si quibus præsentes esse non poterant, & do-

Scriptores. cere coram, his *scribebant* literas, in quibus capita fidei, olim coram prædicata, repetebant, additis piis monitis, de instituendis, aut

corri-

corrigendis moribus, corripiendis ſcandaloſis, erigendis lapſis & miſeris, juvandis pauperibus. In his quoque mentionem faciebant, quo eſſent animo, ſtatu, & conditione. Lege epiſtolas Paulinas, quæ dicta modo docebunt. Hoc fine ſecum habebant Apoſtoli ſuos *Amanuenſes*, ut Paulus Tychicum, qui literas ex ore dictitantium exciperent, & perſcriberent, & *interpretes*, ut Petrus Marcum; Nam interpres ipſius dicitur à Papia apud Euſeb. libr. 2. c. 3. 14. Irenæum, Hieronymum, citante ex Baronio Biſciola ann. 45. p. 24. Pauli interpres fuit Titus; alii aliorum. Quod horum officium fuerit liquido non conſtat. Videntur tamen adhibiti fuiſſe, cum quid in varias lingvas eſſet transferendum, (non igitur S. literas in vernaculas verti vetuerunt. vid. Baron. ann. 99. §. 6. Neque à lectione ſcripturarum Laicos arcebant, adeo, ut & catechumeni, Energumeni, & pœnitentes intereſſe permitterentur lectioni librorum ſacrorum publicæ. Conſt. Apoſt. l. 2. c. 61. Dionyſ. Areop. d. hier. Eccleſ. part. 3. c. 3.) aut, quod obſcurius dictum, explicandum. Interpretibus jungebant qui literas perferrent *Tabellarios*. In deligendis magnam adhibebant curam & circumſpectionem. Nam quia literas magni momenti ferebant, opus erat fidis hominibus, qui id negocii ſincerè curarent. *Decet, beatiſſime Polycarpe, concilium cogere ſacroſanctum, & eligere, ſi quem vehementer dilectum habetis & impigrum* ὃς δυνήσεται θεόδρομος καλεῖσθαι, *ut poſſit divinus appellari curſor, & hujusmodi creare, ut in Syriam profectus laudibus celebret impigram veſtram charitatem ad gloriam Dei.* Scribit Ignat. ad Polyc. p. 209. Huc ſpectant *Doctores*, κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dicti, qui adverſus adverſarios diſputabant. Tales extiterunt Quadratus & Ariſtides ſcriptis Apologeticis inclyti. Correlatum Doctorum horum & illorum ſunt *Auditores*; iique vel convertendi, vel converſi. Convertendi vel Judæi vel Ethnici. Adverſus illos diſputabant Apoſtoli ex libris V. T. Cum his ex lumine naturæ, & domeſticis teſtimoniis. Nusquam leguntur παιδείαν auſpicati eſſe ab Eccleſia ejusque auctoritate: quod contra Pontificiorum methodum obſerva ex B. Hülſem. Brev. Theol. c. 17. §. 1. Converſi ſolebant convenire certis locis. *Omnes ad orandum in idem loci convenite, ſit una communis precatio, una mens, una ſpes in charitate & fide inculpata in Chriſtum Jeſum.* Ignat. Epiſt. ad Magneſ. p. 55. ad Epheſ. p. 227. Conſtit. Apoſt. l. 1. c. 62. & 63. deſcribunt celebrationem ſacrorum.

Auditores.

Forma publicorum ſacrorum.

Conveniebant enim mane & vesperi die præsertim dominico in æde sacra, & lectione utriusque Testamenti cantuque ex hymnis Davidicis, præsertim Psalmis 62, & 140. peractis, iterum considebant suo quisque sexus loco decore, observantibus diaconis & diaconissis. Deinde habebatur concio, qua peracta dimittebantur catechumeni, energumeni & pœnitentes, his dimissis S. Cœna celebrabatur adjunctis precibus, quæ conventum solvebant.

II. *Sacramenta* baptismus & minister.

§. 2. (1.) *Administratio Sacramentorum.* Duo sunt Sacramenta Baptismus & Eucharistia, quod non obscurè innuit Dionys. Areop. de Eccles. hierarch. part. 3. c. 3. cum dividit in ea, *quæ illustrant*, i. e. baptismum; & ea *quæ perficiunt*, id est, Eucharistiam. *Baptismus* (1.) dicitur *illuminatio* à Constit. Apost. lib. 3. c. 15. ab illuminatis per eum oculis cordis, l. 7. c. 39. Dionys. Areop. p. 2. c. 2. seqq. de hierarch. Eccles. & c. 3. *divinæ generationis sacramentum, quoniam homines primi luminis participes facit, principiumq; est omnium divinarum illustrationum: ex eo, quod efficitur, vero illustrationis nomine celebramus.* Hujus sacramenti *Administrator* quis sit? disquirendum. Baron. ann. 31. §. 40. ex Nicephoro & Prato spirituali contendit *Christum* baptizasse Petrum eumque solum. At potior nobis est Johannis. c. IV. 2. auctoritas, qui negat Christum baptizasse. Nam quod c. III. 23. dicit ipsum baptizasse intelligendum est mediatè, per alios, uti conciliat Ammonius, Cyrillus, Augustinus, apud Maldonat. Comm. ad Joh. III. Apostoli baptizarunt prius ipsi baptizati, vide Tertull. d. baptismo. baptizati à Johanne, qui primus ex Dei mandato ritum ipsum sacramentalem administravit. Joh. III. 24. Post ipsos id muneris cessit Episcopis, Presbyteris, & diaconis, quod superius probatum. *Orthodoxi* re-

Orthodoxus

quirebantur. Nec enim ab hæreticis recipere licebat baptismum. Constit. Apost. l. 6. c. 15. in eo tamen errant, quod negant ab hæreticis baptizatos initiari. Si juxta institutionem Christi baptismus administratur, validus est, à quocunque denique conferatur. Est enim unum baptisma. Ephes. IV. 5. Alia autem est ratio, cur hæreticorum baptismus vitandus, nempe quia fugienda est ipsorum communio Tit. III. 10. 2. Joh. vers. 10. imprimis eorum, qui substantialia Sacramentorum tollentes Sacramenta ipsa conferre non possunt. Non ergo necesse est, ut traditiones merè non scriptas urgeamus & jactemus, quod facit Baron. an. 53. §. 21. (2.) *Objectum.* Sunt

Objectum.

vel

vel parvuli vel adulti. De *parvulis* potissima quæstio unde baptizandos esse, constet? Pontificii dicunt ex traditione. Rectè, si eam intelligunt, quæ habet fundamentum in S. literis. Ex his enim deducitur pædobaptismus. Matth. XXVIII. 19. 1. Tim. II. 4. malè, si eam intelligunt, quæ est præter vel contra scripturam, quam tamen intelligere coguntur, si velint statum controversiæ observare. *Adulti* non statim aut crudi ad baptismum admittebantur. Prius enim jejunabant, & suam in capitibus fidei peritiam, & in moribus probitatem comprobare cogebantur. Constit. Apost. lib. III. c. 18. Clemens Epist. III. de offic. sacerd. t. 1. concil. Hoc fine constituti erant ministri Ecclesiæ, qui ipsos summa fidei capita docerent; more ab Apostolis accepto. Actor. II. 38. 41. VIII. 12. 35. Viros viri; fœminas fœminæ docebant; illi erant Presbyteri & Diaconi; hæ Presbyterissæ & Diaconissæ, ut supra art. 2. §. 4. demonstratum. Quid docuerint catechumenos, & hi recitarint, discimus ex Constit. Apost. libr. III. c. 18. ubi in *communi fidelium conventu* recitasse dicuntur orationem Dominicam. Nec hanc solum, sed & symbolum, ut patet ex libr. VII. c. 39. seqq. ubi prolixe catechetica capita recensentur de Trinitate, & beneficiis divinis, corruptione hominis, fine baptismi, Christi deniq; incarnatione, passione, resurrectione, & ascensione. Dionysius Areopag. l. de Eccles. hierarch. c. 2. part. 2. addit vitam honeste agendam, cujus rationem exponebat minister Ecclesiæ, apud quem suum nomen baptizandus profitebatur. Apud Ignatium diversæ symboli Apostolici formulæ occurrunt, imprimis in epistola ad Magnesios, quod ante baptismum acceptum edocti esse videntur. (3.) *Ceremoniæ* in baptismo observatæ aliæ sunt substantiales, aliæ accidentales. *Illæ* sunt immersio & pronunciatio verborum institutionis. *Vel tu Episcopus, vel tibi subjectus Presbyter sacram super ipsos dicens ac nominans invocationem Patris, & Filij, & Spiritus sancti, baptizabis eos in aqua.* *Constitutio est* sic dicta Apostolorum lib. III. c. 16. & Dionys. Eccles. hierarch. part. 2. c. 2. *Ter illum* (baptizandum) *demergit, atq; in tribus ejus, qui initiatur, demersionibus emersionibusq; trium divinæ beatitudinis personarum nomina appellat, & invocat.* *Accidentales* sunt quæ non pertinent ad baptismi substantiam vel integritatem, sed vel præmittuntur vel concomitantur vel consequuntur. *Præmittebantur* (1.) *gratiarum actio*, facta à pastore, apud quem soli-

Ritus: vel substātiales.

vel accidentales.

ſolicitante aliquo fidelium candidatus baptiſmi nomen ſuum profitebatur. Nam convocato Eccleſiæ cœtu ſolennes agebat gratias. (2.) *Interrogatio* baptizati quid vellet? & informatio, quid Chriſtianus agere deberet. (3.) *inſcriptio* nominis cum baptizandi tum ſponſoris. (4.) *Abrenunciatio* poſt preces fuſas & detractas veſtes. (5.) *Unctio* & conſecratio, aquæ hæc, illa baptizandi. (6.) *Citatio* ex tabella cum baptizandi tum Sponſoris, & adductio ad baptiſterium. His præmiſſis demergebatur adductus ter in aquam. Emergens & baptizatus reddebatur ſponſori & duci, à quibus veſte indutus reducebatur ad hierarcham, qui iterum ungebat, &, ſi adductus, Euchariſtiæ participem pronunciabat & reddebat. Miniſtrabant viris Diaconi; fœminis vero diaconiſſæ; quas ſuſcipiebant, & unctas abſtergebant. Vide Dionyſ. Areopag. d Eccleſ. hierarch. c. 2. part. 2. Conſtitut. Apoſt. l. 3. c. 16. Hos eſſe accidentales ritus non tantum inſtitutio baptiſmi, à Chriſto facta, docet, nullam eorum faciens mentionem, ſed etiam ipſæ Conſtitutiones declarant lib. VIII. c. 23. *Si deſint oleum vel ungventum, ſufficit aqua, & ad unctionem, & ad ſigillum, & ad promiſſionem morientis, vel potius commorientis.* & Tertull. de corona milit. c. 3. (quem locum prolixè urget Baron. an. 53. §. 12.) Deſcribens enim ritus baptiſmales ſuo tempore uſitatos nullam olei & ungventi facit mentionem: *Aquam adituri ibidem, ſed & aliquanto prius in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renunciare diabolo, & pompæ & Angelis ejus: dehinc ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde ſuſcepti lactis & mellis concordiam prægustamus, ex eaq; die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abſtinemus.* Fatetur Chriſtum adventitios iſtos ritus non determinaſſe; Nec urget vel neceſſitatem vel operationem aut efficaciam illorum; omittit quædam, quæ conſtitutiones Apoſtolicæ ponunt; ponit contra ille, quæ ab Apoſtolis conſtituta non leguntur, retinet abrenunciationem Satanæ & dæmonum & fraudum ipſorum, (formulam recitant Conſtit. Apoſt. l. 7. c. 41.) prius in Eccleſia, deinde etiam in baptiſmo ſuſcipiendo faciendam. Cujus moris meminerunt Conſtit. Apoſt. l. 3. c. 18. lib. 7. c. 41. Dionyſ. Areop. Cœleſt. hierarch. c. 2. part. 2. Unde apparet liberè iſtos ritus uſurpatos fuiſſe. Vide Chemnit. part. II. exam. p. 94. ſeqq. Dicis, in conſtit. Apoſtol. lib. VII. c. 23. ſpiritualis quædam efficacia tribuitur unctioni. Nam dicunt:

dicunt: *postremo consignabis ungvento, ut unctio sit participatio Sancti Spiritus.* Resp. ex lib. III. c. 16. patet responsio: Dicuntur enim ungendi *oleo sancto in figuram spiritualis baptismi.* Et Dionys. Areop. d. Eccles. hierarch. p. 3. c 2. *Sunt ea quidem sacra, quæ sensu percipiuntur, eorum, quæ animo cernuntur, imagines, & ad ea via & introductio:* Signum igitur merum est illa unctio, non organon conferendi Spiritum Sanctum. Signabat autem certamen futurum, quod exspectat athletas. Chrysostom. hom. VI. Coloss. *Unctus es, quasi athleta Christi, quasi luctamen hujus seculi luctaturus,* ait Ambros. lib. 1. de Sacr. c. 2. & Dionys. Areop. de Eccles. hierarch. part. 3. c. 2. ungentes eum, *qui initiatur, ad sacra certamina in figura evocant.* Aliam adhuc caussam indicant Constit. Apost. lib. III. c. 15. nempe, ut regia Christianorum dignitas denotaretur. Reges enim olim ungebantur; sic & Christiani regale sacerdotium. Finito actu baptismi orationem baptizati recitabant, quæ extat lib. 7. Constit. Apost. cap. 45. (4.) *Circumstantiæ* Loci & temporis. Apostoli & horum discipuli nullis sese certis locis alligabant, sed ubicunque occasio tulerat baptizabant. Dionysius tamen l. c. haud obscurè innuit baptizandos hoc tempore fuisse in sacram Ecclesiam ductos, & coram universa Ecclesia initiatos. *Tempus* etiam promiscuum, nisi quod dies festus constituatur à Clemente in epist. 3. de offic. Cleric. quod nos non movet, qui novimus quousque Pontificum, præsertim Clementis, epistolis fides sit deferenda.

§. 4. *Eucharistia* alias τελετῶν τελετὴ *Sacramentum omnium præstantissimum,* communio, Synaxis, dicta est. Dionys. Areop. de hierarch. Eccles. c. 3. part. 2. Extant hortationes ad suscipiendum hoc sacramentum plures: *Scribo ad vos moneoq; ut una Eucharistia utamini.* Ignat. epist. ad Philad. p. 93. *Date operam, ut crebrius congregemini ad Eucharistiam & gloriam Dei.* Epist. ad Ephes. p. 227. breviter Ignatius multa complectitur. Vocat Eucharistiam à gratiarum actione, quæ fiebat Deo pro passione & morte Christi, *Gratias agimus tibi, Pater noster pro pretioso sangvine Jesu, qui effusus est pro nobis, & pro pretioso corpore, cujus hæc antitypa perficimus, ipso nobis ordinante, ut annunciaremus ejus mortem, per quem tibi gloria in secula amen!* ita Const. Apost. l. VII. c. 26. Et quia gratiarum actio est spirituale sacrificium, ideoque Eucharistia dicta est oblatio. Hebr. XIII. 15. vid. Osiand. not. ad can. 3. Apost. & constit. Apost. l. VIII. c. 15. seqq. Prolixius de ritibus usitatis verba faciunt.

III. *Eucharistia* (1) Nomina.

ciunt Dionyſ. Areop. de Eccl. hierar. c. 3. p. 2. conſtitutiones Apoſto-
(2.) Antecedentia. licæ l. II. 61. VIII. 15. Et docent (1) *Antecedentia.* Prius quam ſacra ſymbola diſtribuebantur, canebantur hymni & ſacri legebantur libri; deinde dimittebantur catechumeni, energumeni, & pœnitentes; nec enim illis celebrationi cœnæ intereſſe licebat. Inde ponebatur in menſa panis & calix, operta; & preces fundebantur ad orientem, quibus abſolutis Diaconi populum decorè componebant, quique Pontifici aſſiſtebat, exclamabat: *Ne quis contra aliquem! ne quis in hypocriſi!* Inde ſeſe mutuis ſalutabant oſculis; iterumque diaconus preces fundebat pro omnibus hominibus & ordinibus, Dionyſ. c. 3. part. 3. hierar. addit memoriam defunctorum, &, quo fine, nempe (1.) ut hortarentur vivos ad illorum imitationem. (2.) Conteſtarentur ſpem alterius poſt hanc vitæ. (3.) Profiterentur communionem cum Eccleſia triumphante. Digitos deinde extremos miniſtraturi lavabant; preces illas excipiebant aliæ & benedictio populi ab Epiſcopo pronunciata. Ultimus actus erat conſecratio, certis precibus peracta, & oratio à communicantibus dicta. Conſtit. Apoſtol. l. 7. c. 26. Simplicius de conſecrationis ritu loquitur Pamelius Liturg. l. I. p. 73. ex liturgia Jacobi. Nam ſolius inſtitutionis verborum facit mentionem, & orationis dominicæ. Hanc autem Apoſtoli addiderunt, ſi vera ſunt, quæ ſcribit Honor. in gem. anim. l. I. c. 86. Cæteras cæremonias *imagines* vocat Dionyſius part. 3. & *ſi-*
(3.) Ingredientia. *gna* inſtitutionis gratia excogitata. (2.) *Ingredientia.* Duos actus continent diſtributionem & ſumptionem. Illa indigitatur voce frangendi; ſcribit enim Ignat. Epiſt. ad Epheſ. p. 235. ἕνα ἄρτον κλῶντας *unum panem frangentes.* Hæc à Conſtitut. Apoſt. l. 2. c. 61. mandatur communicantibus his verbis: *Accipiant ſinguli per ſe ordine, Dominicum corpus, & precioſum ſangvinem gratatim cum pudore, ac timore, tanquam ad regis corpus accedentes: Mulieres quoq; velato capite, quemadmodum eas decet, accedant.* & Dionyſ. Areopag. l. c. *Donis divinorum operum* (pane & calice) *monſtratis, ad ſacram eorum communionem & venit ipſe* (Epiſcopus) *& invitat cæteros. Accepta, dataq; divina communione in ſacram gratiarum actionem deſinit.* & cap. 3. p. 3. *Laudat ſanctiſſimam unius ejusdemq; & panis & calicis communis pacisq; ac tranquillitatis plenam communionem,* & paulo poſt, *Pane, qui opertus erat, & integer, aperto, atq; in multas partes fracto, & unico calice diviſo inter omnes, quod unum eſt, ſignis multiplicat & diſtri-*

distribuit, atq; in his sanctissimum sacrificium perficit: Ne cavilleris *signa.* Nam μεταδοδικὰ intelligit, *per quæ Christus & significatur & percipitur,* ut ante sese explicuit. confer Liturgiam Jacobi apud Pamer. in Liturg. t. 1. f. 73. Et Baron. ad an 57. Ex quibus nota, quod & Calvinianorum & Pontificiorum abusibus obvertas & erroribus. (3.) *Concomitantia.* Cum S. Cœnam adirent fideles solebant varia offerre in usum ministerii, Sacramenti, & pauperum. Colligimus ex Can. 3. & 4. Apostolorum ubi mentio fit mellis, lactis, vini, siceræ, animalium, leguminum, olei, thymiamatis, offerri solitorum, tempore, quo sacra celebratur oblatio ἁγία προσφορά. Et notat Osiand. ad l. c. *Primitiva Ecclesia in congregationibus attulit panem, vinum, & alia in usum ministeriorum Ecclesiæ & pauperum. Et de pane & vino sumebatur, quantum ad distributionem cœnæ Dominicæ sufficiebat, reliqua pauperibus distribuebantur.* & ad can. 4. *Apparet etiam hoc tempore adhuc usitatum fuisse, quod Ecclesia quædam in usum ministerij conferebat, quando cœna Domini celebrabatur.* Hæc ille. Dicebantur illa collatitia agapæ. (4) *Consequentia.* Sumpta S. cœna solebant communes instruere mensas, & epulis sese exhilarare. Ita enim Chrysost. ad 1. Cor. XI. ubi hujus moris mentio fit, annotat: *Communes faciebant mensas institutis diebus, ut decebat, & collectione perfecta, post mysteriorum communicationem, ad commune omnes epulum conveniebant, & cibi ferebantur per sumptuosos: pauperes, & qui nihil habebant ab illis vocabantur, & communiter omnes discumbebant.* vide notas t. 1. Liturg. p. 46. (5.) *Circumstantiæ* sunt Locus & Tempus. *Locus* vel communis vel proprius. Ille est templum, seu, ut rectius loquamur cum Pamel. Liturg. t. 1. p. 55. *locus orationi deputatus.* Paulus 1. Corint. XI. 18. vocat *Ecclesiam,* ita enim hanc vocem interpretatur Basil. quæst. comp. expl. q. 310. Chrysost. hom. 27. ad 1. Cor. XI. Templis proprie sic dictis, delubris, & basilicis nondum utebantur Christiani; Nam ne quidem Origenis adhuc ætate usurpabant, ut patet ex libr. VIII. contra Cels. vide Isidor. Pelus. libr. 2. ep. 246. Dn. D. Danhau. Christeid. p. 188. Vedel. exercit. in epp. Ignat. ad Ephes. pag. 236. Proprius est mensa sic dicta 1. Corinth. X. v. 21. Duplex autem erat mensa sacra & communis; vide Baron. ad ann. 34. §. 284. seqq. illi inserviebant Apostoli, his diaconi Actor. VI. 2. illa successit altaribus veteris Test. Nec enim altaria proprie sic dicta Christiani habemus. Orig. l. c. cont. cels. *Tempus* erat vagum. Nam Actor. XX. 7. seq. Apostoli celebrarunt vesperi aut noctu, juxta

(4.) Concomitantia.

(5.) Consequentia.

(6.) Circumstantiæ. Loci

& temporis.

I 2 Cent.

Cent. 1. Magd. l. 2. c. 6 forsan ad imitationem Christi. 1. Cor. XI. 23. Neque tamen hoc solum erat tempus. Nam & interdiu celebrabant. Vide Cent. l. c. *Crebrius* solebant congregari ad sumendam sacram cœnam, si obsecuti sunt monito Ignatii epist. ad Ephes. p. 227. vide Baron. ad an. 57. §. 154. seq. *Ritus* exponendi essent, si quidem alios, quam Apostolicos tradidisset Ignatius, quod tamen videtur Alano Copo dial. 6. p. 797. *O utinam hodie extaret liber, quem de traditionibus Ecclesiæ Ignatius scripsit. Nihil enim dubito, quin ritus, quos hodie observant in cœna & aliis in rebus catholici, quos Evangelici nuper aboleverunt, planè Apostolici reperirentur.* Imperitè & audacter. *Imperitè.* Nam N. c. scripsit Ignatius de traditionibus E. Eucharisticis & Pontificiis. *Audacter.* Nam supponit Ignatium scripsisse, quod in S. literis non habetur, aut hodie non extat in epistolis. Traditiones scriptis mandavit, quæ, juxta Papistas, hodie adhuc extant. At in his non continentur quæ sunt præter & contra scripturam.

IV. *Mores* juxta *Decalogi* tabulam *primam*

§. 4. *Mores* Christianorum veniunt excutiendi. Nam *qui profitentur se Christi esse* οὐκ ἐξ ὧν λέγουσι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐξ ὧν πράττουσι γνωρίζονται *non modo ex iis, quæ dicunt, verum etiam ex iis, quæ faciunt, cognoscuntur.* Ignat. epistol. ad Ephes. p. 228. testatur ex Matth. VII. 16. seqq. Rom. X. 10. Distribui possunt juxta tabulas Decalogi Mosaici. *Primæ* virtutes sunt. (1.) *Pietas*, quæ verum Deum, quem agnoscit, legitimo quoque cultu prosequitur. *Ad hanc virtutem igitur requiritur* (2.) *Fides. Totum namque & præcipuum est* πίστις ἡ εἰς θεὸν *fides in Deum &c.* Ignat epist. ad Smyrn. p. 166. Præclarè fulsit hæc virtus im Ignatio: *Fidelis est pater Jesu Christi*, scribit ad Trallenses, *ut impleat petitionem meam & vestram.* p. 17. *A Christo & nos sumus redempti per divinam beatamque passionem ejus.* epist. ad Smyrn. p. 162. *Hic mea spes, hic mea gloriatio, hic meæ indesinentes divitiæ.* epist. ad Ephes. p. 226. Et quia fides nascitur ex verbo sive audito sive lecto, ideoque publicos frequentabant cœtus, & scripturas studiose legebant. Cœtus dicebantur *Ecclesiæ* 1. Cor. XIV. 34. & *Synagogæ.* Jacob. II. 2. Conveniebant autem ad audiendum sermonem Dei. Actor. XIII. 44. frangendum panem. XX. 7. Et legebant scripturas non tantum publicè 1. Cor. XIV. 26. sed etiam privatim Actor. XVII. 11. In iisdem cætibus hymnos etiam Davidicos canebant. Coloss. III. 16. lingvis loquebantur. 1. Cor. XIV. 26. Et revelationes exponebant. l. c. Omnia hæc sacra exercitia

(1) pietas.

(2.) Fdes.

citia referebantur ad gloriam Dei, & proximi ædificationem. (3.)
Charitas erga Deum. Insigne est Ignatii dictum: ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσαύρω- (3) Charitas.
ται: id est, *Meus amor* (Christus) *est crucifixus.* epist. ad Rom. p. 249.
& paulo post: πιστεύσατέ μοι ὅτι τὸν Ἰησοῦν φιλῶ τὸν ὑπὲρ ἐμοῦ παραδοθέντα.
id est, *Credite mihi, quod Jesum amo pro me traditum.* Nascitur ex amo-
re (4) *desiderium* amati. Hoc planè ebrius Ignatius epist. cit. τὸν κύριον (4) Desideriũ
ποθῶ *Dominum dicit desidero Filium veri Dei & Patris Jesum Christum* ἐκεῖ-
νον ζητῶ *illum quæro qui pro nobis mortuus est & resurrexit.* Multis hoc ver-
bis hinc inde agit religiosissimè & devotissimè, unde & Hierony-
mus in catal. tit. Ignatius eadem annotavit. (5.) *Glorificatio Dei.* Ite- (5.) Glorificatio quæ fiebat.
rum exemplum & exemplar esto Ignatins in fronte epist. ad Smyrn.
δοξάζω τὸν θεὸν καὶ πατέρα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, i.e. *Glorifico Deum &*
Patrem Domini nostri Jesu Christi. Solebant Christiani recitare oratio-
nem Dominicam, eamq; non adeo mutilam, sed integram adjuncta
clausula: *quoniam tuum est regnum in secula Amen!* constit. Apost. l. 7.
c. 25. *quoniam tuum est regnum, virtus, & gloria in secula. Amen!* l. III. c. 18.
Modi varii sunt, quibus Deum glorificabant. *Verbis*; Nam *legebant* verbis.
in publicis congressibus sacras literas canonicas cum V. T. tum N.
T. quem ritum modo supra ex lib. 2. const. Apost. c. 61. prolixè de-
scripsimus. Alii *audiebant.* Nam Diaconus attendere cogebatur in
populo, *ne quis murmuraret, aut conniveret, aut nutaret. Oportebat enim in Ecclesia accuratè, sobriè, vigilanter manere, attentas aures habentem ad Domini sermonem.* const. Apost. l. 2. c. 61. Alii orabant, & *benedicebant* Deo
pro *beneficiis* cum corporalibus tum spiritualibus. *Corporalibus* E.g.
creatione & conservatione ut mundi totius, ita præcipuè hominis.
Const. Apost. lib. VII. c. 34. expresserunt formulam: *Benedictus es Domine seculorum Rex, qui per Christum cuncta fecisti & pro hominum usu &c.* & paulo ante: *Aeterne Salvator Deus. &c.* c. 35. *Magnus es Domine* &c. Hoc fine sonabant preces mane; *Gloria in altissimus Deo. &c.* c. 47.
vesperi: *Laudate pueri Dominum* &c. in prandio: *Benedictus es Domine, qui pascis me à juventute mea. &c.* c. 48. noctu: *Salva & excita nos Deus,* &c. lib. VIII. c. 41. *Spiritualibus* e. g. in baptismo pro aquæ benedictione l. 7. c. 43. & illuminandis: *Domine Deus. &c. Qui per sanctos Prophetas prædixisti iis, qui lavamini, mundi estote &c.* l. VIII. c. 10. in Eucharistia cum ante, tum post consecrationem & sumptionem. Ante, *Gratia omnipotentis Dei & charitas Domini nostri Jesu Christi* &c. His di-

ctis, pastor dicebat ad populum: *sursum mentem!* respondebat hic: *Habemus ad Dominum.* iterum pastor: *Gratias agamus Domino* &c. c. 16. Sequitur mystica oratio: *Rogamus Te Domine &c.* & sermones post communionem: *Domine Deus omnipotens: &c.* & gratiarum actio. l. 7. c. 27. *gratias agimus tibi Deus* &c. In ordinatione Presbyterorum, & Diaconorum, Presbyterarum, Diaconissarum. c. 24. 26. Episcoporum. c. 3. Pro incarnatione Christi. libr. VII. cap. 36. & aliis ejus beneficiis. c. 37. redemptione cumprimis. c. 38. Etiam *signis* suas edebant confessiones. Erant tum Simon Magus, Cerinthus, Basilides & hæretici, qui negabant veram Christi in cruce passionem & mortem; fideles igitur ut suam fidem errori illi contrariam declararent, cruces solebant gestibus & ex ligno formare, si fides habenda; Baron. ad an. LX. §. 6. qui addit: *Moris fuisse, cum locus quispiam divino cultui manciparetur, illic figere crucem in titulum.* Hæc omnia largiamur, etsi Baronius nullo argumento idoneo probet. Producit quidem ex Ignat. epist. ad Philipp. verba, ubi scribitur: Diabolum horrere crucem, quando videt. Hinc ille: *quid est, quod ait: ubi viderit, horret; nisi quod tunc crucis vexilla erigi solita esse significat?* sed probandum fuisset Baronio crucem intelligi materialem; hanc enim non intelligi, sed passionem Christi, videtur annuere vox *audire*; Ita enim loquitur Ignatius: *ὃ γὰρ ὁρῶν φρίττει καὶ ἀκούων φοβεῖται, quod videns horret, & audiens timet.* Crucem materialem audire non possumus, sed concionem de cruce. vid. Vedel exerc. X. ad epp. Ignat. c. 1. Demus autem & hoc crucem fuisse erectam, unde autem probat, quod *fideles eandem venerati fuerint?* Cruces formari non improbamus, sed colendas esse pernegamus. Præstantius confessionis genus est *martyrium*, quod sangvine fidem suam contestatur. Urget hoc argumentum Ignatius frequenter contra hostes crucis Christi, in epist. ad Smyrn. p. 165. *si opinione sola in corpore fuit Dominus, & phantasia crucifixus est, & ego opinione solum vinctus sum; τί δὲ ἐμαυτὸν ἔκδοτον δέδωκα τῷ θανάτῳ πρὸς πῦρ, πρὸς μάχαιραν, πρὸς θηρία, cur vero meipsum morti prorsus tradidi ad ignes, ad gladios, ad bestias?* Innuit suas passiones esse testes fidei de Christo verè crucifixo & mortuo. Adde Simeonem Hierosolymorum Episcopum, de quo Euseb. lib. III. c. 26. ex Hegesippo refert, quod *cum multis diebus acerbas plagas pateretur, testimonium fidei Christo fortiter perhibuerit.* Sed de his infra pluribus. (6.) *celebratio* dierum

signis.

factis.

(6.) festa,

dierum sacrorum. Audivimus §. 10. art. III. laudes diei dominicæ, & constitutiones, quæ dicuntur, Apostolorum; Non igitur dubium est, quin Christiani diem præsertim Dominicum religiosè observarint. Pascha celebratum esse dubium non est; etsi in libertate Christiana reliquerint Apostoli, quo tempore seu die celebrandum. *Qui 14. die mensis pascha celebrant, eum morem observandi à Johanne Apostolo ipsis traditum dicunt.* (i. g. Polycarpus ad Anicetum Euseb. libr. V. hist. c. 24.) *Qui autem Romam & alias partes occidentis incolunt, Petrum & Paulum Apostolos consvetudinem, quam illi tenent, reliquisse affirmant. Verum nemo istorum omnium testimonium de his rebus scriptis proditum proferre potest.* Socratis verba sunt, ex hist. lib. V. c. 21. quibus suum mox judicium non improbandum subjungit: *Quod ex consvetudine potius in singulis locis, quam ex ulla alia caussa cœpta sit festi paschatis celebratio, hinc facio conjecturam.* Idem subjungit de tempore jejuniorum: *Quoniam nemo de ea præceptum literarum monumentis proditum potest ostendere, perspicuum est Apostolorum liberam potestatem in eadem cujusq; menti & arbitrio permisisse, ut quisq; nec metu, nec necessitate inductus quod bonum sit ageret.* Hæc ille. Congruit cum his, quod orthodoxi apud Tert. lib. de jej. c. 2. dicunt: *Fides libera in Christo ne Judaicæ quidem legi abstinentiam quorundam ciborum debet. semel in totum macellum ab Apostolo admissa, detestatore eorum, qui, sicut nubere prohibeant, ita jubeant cibis abstinere à Deo conditis.* Ecce Catholici Montanistas damnant, quod urgerent, aridis vesci, id est, à carnibus abstinere, esse officii Christiani; Contrarium ipsis probabatur; licere quidem Xerophagiis uti, sed non sub opinione cultus aut necessitatis. Ex his apparet, quod hi nihil sciverint de præcepto aliquo Apostolico jejunandi abstinentiâ à carne; confer Euseb. libr. V. hist. Eccles. c. 3. Dallæ. de jej. & Quadr. lib. II. c. 6. 7. seqq. Insignis locus est Ignatii ep. ad Philad. p. 99. ubi inter hæreticos connumerat dicentes τινὰ τῶν βρωμάτων βδελυκτὰ *quosdam cibos esse abominabiles.* Exceptio Pontificiorum Bell. l. 2. de Bon. op. c. 14. ex unius positione infert alterius homogenei negationem. Excipiunt enim Paulum damnare Marcionitas, Encratitas &c. non Papistas: illos enim damnare cibos ut per se immundos; se contra id facere cultus gratia. At hæc erat ipsa exceptio etiam Montanistarum, ut videre est ex Tertull. de jun. c. 2. & 15. prædamnata à Paulo Col. II. 23. qui eos quoque reprehendit, qui ex devotio-

jejunia.

votione singulari à certis cibis abhorrere videbantur. Utramque E. partem damnat Paulus & eorum, qui per se immundos putant cibos, & per accidens in N. T. tanquam impedirent cultum & pietatem. Confer Ignatii epist. ad Heron. p. 106. Intelligis lector, quid velim, nempe libertatem Christianam in tempore jejuniorum cibisque: Nec enim jejunia prorsus damnamus. Habent fundamentum in S. literis, & auctoritatem in antiquitate. Baptizandi à cibis abstinebant, *primum jejunare debent, deinde baptizari* constit. Apost. lib. 7. c. 23. Etiam pœnitentes quà publicè, qua privatim jejuniis affligebantur. Comparantes sese ad festum paschatos jejunabant. Neque tamen legimus eos hinc fecisse meritum, cultum, aut necessitatem sive dies respicias, sive durationem, sive certos cibos. Prolixè hæc deduxit D. Chemnit. part. 4. Exam. p. 147. Dallæus l.c. vedel. exerc. X. c. 3. ad Ignat. epp. ad Philip. cent. 1. Magd. l. 2. c. 6. f. 386. 387.

Mores juxta tabulam *secundam* (1) Charitas.

§. 5. *Virtutes* tabulæ secundæ sunt. *(1.) Charitas* in proximum. Fervebat hic affectus inter primitivos Christianos, cumprimis erga eos, qui miseri videbantur, erga Martyres, Pauperes, viduas, orphanosque. Ignatius exemplar esto, vel potius Ephesiii erga Ignatium. Hi enim *excitarunt in se ignem charitatis per sangvinem Christi,* postquam audiverunt Ignatium *à Syria abduci vinctum,* precantes pro ipso: sicut eorum hunc affectum laudat epist. ad Ephes. p. 215. Nominatim quendam Crocum, quem velut exemplar ipsorum charitatis accepisset, missum scilicet ab Ephesiis. l. d. Moris enim erat, si quem insignem Ecclesiæ Doctorem ad martyrium duci didicissent, ut vel ipsi obviam irent, vel mitterent. qui ipsum nomine totius Ecclesiæ salutarent, confirmarent, & salutem reciperent. Nec ipse suo defuit officio Ignatius: *Utinam,* scribit ad Ephesios, *meam pro vestra liceat commutare animam.* & ad Heronem : *Pro anima tua, libens meam commutaverim ego vinctus* p. 106. Secutus Magistrum suum Johannem. Nam & ille, si vera narrat Euseb. l. III. c. 17. ex Clemente juveni latroni dixit: *Si sit opus, pro te lubens mortem oppetam, sicut Dominus pro omnibus nobis, pro tua anima meam dabo. Signum* mutui amoris erat mutuum *osculum.* Figebant hoc sibi Christiani in publicis conventibus. *Salutent inter se viri & inter se mulieres osculo in Domino.* Constitut. Apostol. l. 2. c. 61. videntur consvetudinem derivasse ex præcepto Apo-

Apostoli Rom. XVI. 16. 1. Cor. XVI. 20. &c. Cum vero in impuritatem & perfidiam mos degeneraret, mutatus, & tabella circumlata est quam loco hominum oscularentur. Vide Baron. ad an. 45. §. 26. Præstantius adhuc signum erat mutua (2.) *beneficentia.* De agapis nolumus repetere. Nam supra de iis diximus. Unum addimus. Occasionem sumpserunt ex temporibus Apostolicis. Nam his nascentibus, pauperibus, viduis cumprimis, dabantur ex communi fisco eleemosynæ, Actor. VI. 1. Hierosolymis hoc factum. Mansit consvetudo, etiam postea. Nam collectæ ex gentilibus conversis missæ sunt Hierosolymam ad alendos pauperes. In quibus sollicitandis sæpe multumque occupatus erat Paulus 1. Corint. XVI. 1. seqq. eoque fine mittebat suos diaconos, qui colligerent & afferrent. Hinc manavit laudabilis in Ecclesia consvetudo, ut die potissimum dominico fideles aliquid de suo conferrent, quod in ministerium, pauperes, aliosque pios usus distribueretur. Vide Bisciol. epit. ann. 44. p. 22. Distribuebant autem diaconi, unde dicuntur μεταδιδόντες. Rom. XII. 8. Alii destinati erant visitandis ægrotis, captivis, & consolandis afflictis, qui dicuntur ἐλεοῦντες. l. c. vide Musc. commentar. ad l. c. f. 215. Inter fœminas id officii peragebant viduæ, quæ ipsæ tamen ex eleemosynis sustentabantur, ut patet non tantum ex Constitutionibus Apostolorum, sed etiam ex precibus, quas loco gratiarum actionis fundebant pro beneficiis acceptis. Constit. Apost. libr. 3. c. 13. Cresoll. Mystag. l. 3. c. 4. p. 49. De his beneficiis dicendi copiam nobis Deorum hominumque irrisor Lucianus in suo Proteo subministrat. Cum enim Peregrinus Impostor in carcerem conjectus erat *Mane*, inquit ille, *illico videre erat juxta carcerem præstolantes anus, viduas quaspiam, & orbos puerulos: illorum enim pars etiam una intus cum illo somnum capiebant, corruptis pecunia custodibus. Exin omnis generis cœnæ inferebantur variæ, & sacri inter se sermones dicebantur. Quin etiam in Asia plerasq; urbes fuisse constat, ex quibus venerant quidam laturi auxilium, Christianis mittentibus ex publico, neq; non collocuturi & virum consolaturi. Incredibile vero est quantum studium & celebritatem ad hoc ostendant, si quid tale vulgo innotuerit: illico enim nulli rei parcunt. Proinde Peregrino multæ tunc opes ab illis mittebantur sub vinculorum prætextu: nec vulgarem rerum proventum lucrifaciebat.* Ex his disce studium Christianorum in juvandis suis ὁμοψήφοις, ut non raro decipe-

(2.) beneficentia.

 ren-

rentur. Melius collata fuerunt beneficia in Paulum, quem Onesiphorus & familia Romæ in vinculis visitarunt, & refocillarunt 2. Tim. I.16. seq. & in Ignatium à Smyrnensibus. Nam gratias ipsis agit amplissimas, & optat, ut sicut ipsum recreassent, ita recrearentur à Jesu Christo, qui retribuat quod ipsi in se contulissent. p. 170. Idem in epistola ad Romanos celebrat studium erga se Ecclesiarum. *Acceperunt me in nomine Jesu Christi, non quasi obiter prætereuntem, & quæ me nihil contingebant, itineris mihi duces & comites de urbe in urbem miserunt.* p. 250. 251. Non fuit hoc erga solos Christianos officium, sed etiam erga Ethnicos gentiles. Qui non poterant affectum suum operibus declarare, faciebant id *precibus.* Ignatius Ephesios commendat, quod *pro aliis hominibus indesinenter orarent.* p. 224. Peculiare vero hoc erat officium ministrorum Ecclesiæ, & in his etiam Diaconorum, qui preces fundebant pro energumenis, catechumenis, & pœnitentibus. Nec cessavit affectus etiam post mortem. Si qui fidelium morerentur, superstites ipsorum lavabant corpora, & in cœnaculo reponebant. Actor. IX. 37. deinde in cœmiteriis efferebant. 1. Cor. XV. 29. Si qui alii propter fidem suam trucidarentur, superstites eorum ossa curabant, quod videre est exemplo Stephani. Act. VIII. 2. vide Hieron. epistol. XIV. ad Paulam, & LIII. ad Riparium. *Ex quo Apostolorum exemplo laudabilis in Eclesia Dei in curandis defunctorum corporibus consuetudo permansit, ut eadem inprimis aromatibus condirentur.* Accensis etiam cereis, & ducta funeris pompa; imò natalem quotannis celebrabant. Vide Bisciol. ad an. 35. p. 18. Largiri hæc ipsi possumus; nec enim orthodoxiæ quicquam decedit; etsi neminem auctorem citet in primo seculo. Id vero ferre non possumus, quod pro mortuis suffragia comminiscatur. Nam *Martyres, ut discipulos & imitatores Domini propter incredibilem illorum benevolentiam, quam in proprium regem & Magistrum declaraverunt, merito amplexamur: quorum nos cum in pietate discipulos, tum consortes in gloria fore optamus.* Hoc, non aliud, in Martyres officium Ecclesia Smyrnensis ad Ponticas docet in literis de martyrio Polycarpi, ut sese purgaret à cultu Martyrum, quem Judæi & gentiles ex ipsis verebantur. Euseb. libr. IV. c. 14. Chrysost. quem Bisciola citat, nihil juvat suffragia pro mortuis, aut honores: *Quid, inquiens, ardentes quæso lampades sibi volunt; nonne tanquam athletas eos comitamur, quid autem hymni? nonne glorificamus Deum, & illi gratias*

tuis agamus quia jam defunctum coronavit, & ab incertitudine sublatum penes se retinet. Si jam coronavit, & apud se retinet, quid opus est pro eo suffragiis? Dionysius Areop. d. Eccl. hier. part. 3. c. 3. p. 57. refert quidem, quod celebrata S. cœna memoriam pie defunctorum de prædicaverint & laudaverint; fines tamen etiam recenset, quorum gratia id factum, sed suffragiorum ne verbulo quidem meminit. Vide supra §. 3. art. 4. Sed revertimur ad beneficentiam, & notamus (3.) *Hospitalitatem*. Erat tempus illud, quo frequentes erant hospites, cum propter prædicationem verbi in universo orbe faciendam & conservandam, tum propter persecutiones, quæ confessores ex suis sedibus exigebant. Horum in sese curam suscipiebant alii, recipientes eos in ædes suas, alimentis sustentabant, & honorificè habebant. Neque tamen cœco impetu ferebantur, nam prius advenas explorabant, an literas secum ferrent commendatitias; id enim moris erat Actor. XVIII. 27. & qua de caussa honesta, an inhonesta? locum mutassent, requirebant. Si nullam subesse fraudem cognoverant, tum demum, si vel Episcopus, vel Presbyter, vel diaconus esset, recipiebant in communionem, etiam concionis habendæ facultatem offerebant; sin laicus senex, vidua, aut alius generis, hos beneficiis & honore afficiebant viri viros, fœminæ fœminas. Vide Constit. Apost. lib. 2. c. 62. Can. Apost. 13. 33. (4) *Reverentia* erga ministerium. Ministri Ecclesiæ sunt Spirituales Ecclesiarum, quas verbo & baptismo genuerunt, Patres. Cresoll. Mystag. lib. 1. c. 9. sect. 1. & 2. honorandi igitur sunt. Id verò fecerunt Christiani, ut suo docet exemplo Ignatius. Ducebatur Romam captivus; Ecclesiæ ergo, per quas transeundum ipsi erat, honorificè transeuntem excipiebant: Remotiores verò mittebant legatos, qui abeuntem prosequerentur & salutarent. Commendat Polybium Trallensem Episcopum Ignatius in ep. ad Trall. p. 4. quod sibi *vincto congratulatus esset.* Et ei addit Ecclesias integras in epistola quam Smyrnâ scripsit Romam. p. 250. 25. Simile quid legas Rom. XV. 24. ubi Paulus mentionem facit comitatus per Romanos futuri. Propter eadem officia Paulus prædicare poterat discipulos, qui in periculo constitutum per murum dimittebant. Act. IX. 25. & Apollo eos, qui commendatitiis suis hospitium ipsi apud alios pepererunt. Actor. XVIII. 25. Posset huc referri pudor, quo affectus est juvenis

(3.) Hospitalitas.

4. Reverentia Ministerii.

latro, postquam Johannem ad se venientem vidisset, referente ex Clemente Eus. lib. III. c. 17. Nisi historia nonnihil suspecta videretur. Si quidem Johannes præsentissimo se illi periculo objecisset, factum foret ex singulari instinctu heroico, cujus gratia *Juvenis defixis humi oculis constiterit, deinde arma abjecerit, tum horrore perfusus graviter & acerbe fuerit lamentatus.* Hæc ille! (5.) Castitas.

(5.) *Castitas.* Nam tum quædam erant virgines, à conjugio abstinentes. Quod apparet ex epistolis Ignatianis. Nam in illis sæpius meminit virginum, earumque sanctimoniæ, ita tamen, ut propterea matrimonio convicium non faciat. ep. ad Philadelph. p. 95. ad Smyrn. p. 173. ubi salutat ἀειπαρθένους: *semper Virgines* ep. ad Polyc. p. 208. haud obscurè innuit, quod heroica ista virtus non sit, nisi eorum, qui possunt. Εἴ τις δύναται ἐν ἁγνείᾳ μένειν *si quis possit in castitate manere ad honorem carnis dominicæ, sine jactantia permaneat; si gloriatus fuerit, periit.* Non dicit ad impetrandam aut promerendam remissionem peccatorum, gratiam Dei, & æternam salutem, sed quia Christus fuit virgo; Et hoc in libero ipsorum arbitrio *relinquit.* Etiam innuit, etiamsi quis secum decrevisset cœlibatum, & jam in eo statu versaretur, servare tamen non posset, ei liberum esse rescindere propositum. Paraphrasin hanc suppeditat Cyprianus epist. 62. *Quod si ex fide se Christo dedicaverunt, pudicè & castè sine ulla fabula perseverent; ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perseverare nolunt, aut non possunt, melius est nubant, quam in ignem delictis suis cadant.* Hæc ille. Loquitur de iis, quæ jam sese dedicaverunt; quibus sola perseverantia opus est, quam Ignatius vocat μονὴν, E. non de iis loquitur, quæ nondum votum ediderunt. Vide Goulartium ad l. c. Cypriani. Castitatis servandæ magnum adjumentum est

(6.) Sobrietas

(6.) *Sobrietas & temperantia.* Species erat *jejunium* in primitiva Ecclesia frequens. Finis erat, ut promptiores essent ad preces & sacra alia. Unde persæpe preces conjunguntur. Actor. X. 30. XIII. 3. Luc. II. 37. Matth. XVII. 21. 1. Cor. VII. 5. Habebant enim veteres sua sacra & preces cum privatas tum publicas; Ad has ut essent promptiores, mentemque afferrent subactiorem cibis sese aliquandiu abstinebant, sicut & ab aliis, quæ sacrum hoc exercitium impediebant; Non igitur fiebat ex opinione alicujus vel cultus, vel meriti, vel necessitatis, sed ad τὸ εὖ εἶναι & expeditiorem usum orationis.

§. 6.

§. *6.* Sicut autem non facile est ager, qui non sua quoque habeat Zizania, ita nec Ecclesia suis caret zizaniis hæreticis & sceleratis: illis occultis, his persæpe manifestis. Quare rectè factum, ut de remediis contra utrumque genus vitiorum cogitaretur. De remediis contra illos superius aliquid est dictum. Restant igitur, quæ contra corruptos mores adhibebantur. De omnibus autem non dicamus, sed de nobilissimo, nempe *Disciplina Ecclesiastica.* Superius quidem, ubi de ministerio actum est, aliqua jam mentio facta, sed non ita, ut non aliqua dicenda restarent. *Objectum* circa quod disciplina occupabatur, erant scandalosi. Quamprimum enim ex cœtu Christianorum quisquam sceleribus suis scandalum proximo dedisse videretur, vel certè diceretur, delictum in judicium adducebatur. Erat presbyterium ex Laicis etiam constitutum, cujus directio ad Seniorem vel Episcopum spectabat; hujus erat mores fidelium observare, informare, & si impegissent, corrigere, & castigare. Si quæ caussa dubia esset, testes evocabantur, examinabantur, & caussæ, prout circumstantiæ ferebant, dijudicabantur. Vide 1. Tim. 5. 19. 20. Constit. Apost. l. 2. c. 54. seqq. si qui convictus deprehenderetur aliquod eorum delictorum, de quibus supra, designasse, is non tantum publicè arguebatur, sed etiam, jubente Episcopo, Ecclesia per diaconum, si vir; aut diaconissam, si fœmina, ejiciebatur. Ejectus rogabat diaconos, ut templum ingressi Episcopum pro se rogarent, ut reciperetur. Episcopus ita rogatus pœnitentem ad se evocabat, explorabat, pœnitentiam, quam vocant, imponebat, tempusque definiebat, & modum, prout delicti gravitas merebatur. Communis pœna erat carentia saltem communionis externæ in audiendo verbo, & spectandis vel percipiendis Sacramentis. Nec enim usu tantum sacræ cœnæ ipsis interdicebatur, sed etiam spectatione. Finita enim concione pœnitentes haud secus ac Catechumeni & Energumeni egredi jubebantur à diacono, ne celebrationi Eucharistiæ, quæ sequebatur, interessent. Alii durius habiti, ne quidem intra ædem sacram admittebantur, sed foris stantes, vel procumbentes flebant, gemebant, & fideles, ingredientes vel egredientes, rogabant, ut sibi venia daretur. Postquam tempus implevissent ab Ecclesia pœnitentibus impositum; imponebat autem hebdomadas vel duas, vel tres, vel quinque, vel septem,

Disciplina Ecclesiastica.

vel plures; tum demum recipiebatur in Ecclesiam, vel communionem Sacramentalem: Si qui clericus peccasset, is vel ab officio suspendebatur, inter Laicos computatus, vel omnino ex comunicabatur, ut ne Laica quidem communione frueretur: Oportet enim clericum peccantem gravius puniri, quam alium. Vid. Cresoll. Myst. lib. I. c. 23. Alii enormes peccatores durius adhuc habebantur. Sunt enim exempla, quæ docent mortem esse ipsis illatam, quod patet ex Anania & Sapphira à Petro vel unico verbo prostratis: Alia ostendunt satanæ traditos fuisse excruciandos, ut incestuosus Corinthiacus à Paulo; an Energumeni, qui dicuntur, ab immundorum spirituum vexatione, Const. Apost. l. 8. c. 7. huc spectent? quæritur. Certe sacræ cœnæ interesse non permittebantur, quod videtur etiam ideo factum esse, quod ea pœna ipsorum delicta afficerentur. Quia primitiva Ecclesia carebat Magistratu politico, qui sontes pœnis gravioribus coërceret, ideoque Deus quibusdam χάρισμα dedit peculiare puniendi vel verbo tantum delinquentes, ut reliqui sibi timentes à peccatis abstinerent. Vide Lyram. His & similibus aliis disciplinis ubi probe subacti, & fracti essent peccatores recipiebantur in sinum Ecclesiæ. Pro recipiendo intercedebat ipse & Ecclesia tota orando, Diacono præeunte; preces recitantur libr. VIII. const. Apost. c. 11. procumbebat autem pœnitens ante Episcopum; qui recipiendo manum imponebat, orans & ipse; sic restitutus admittebatur gradatim ad pristinum inter fideles locum, concionis auditum, & sacramentorum aspectum usumque. Existimabant, & merito, Deum velle omnium salutem, etiam peccatorum, indignũ igitur esse, ut cuiquam aditus ad media salutis denegeratur. *Obsecro vos, quotquot pœnitentia ducti redierint ad unitatem Ecclesiæ, suscipite illos cum omni mansuetudine, ut per bonitatem & patientiam vestram resipiscentes ex diaboli laqueis digni jam Christo facti, salutem consequantur æternam in regno Christi.* Ignat. epist. ad Philad. p. 93. subjungit deinde dicta scripturæ I. Tim. II. 4. &c. quibus universalis Dei gratia deprædicatur. repetit. p. 101. Constit. Apost. libr. 2. c. 10. 19. 21. 42. 45. Euseb. libr. III. Eccles. c. 17. D. Dannh. Christeid. p. 593. seq.

Ecclesia. §. 7. Diximus de forma cum in interna tum externa Ecclesiæ; *Subjectum* igitur respiciendum, cui Deus per suum ministerium, verbum, & sacramenta hanc formam impressit. Id est Ecclesia. Hujus jam

jam supra fecimus mentionem, cum de Episcopis ageremus. Quatuor sunt mundi partes, in quas dividitur: Asia, Africa, Europa, & America. *Asiam* primo seculo fuisse Evangelica luce perlustratam, & primam quidem omnium reliquarum partium, in confesso est. Nominantur enim illustres Ecclesiæ in continente Asia cum majore tum minore, & in mari, quas insulas appellamus. Eas collegerunt ex actis Apostolicis, & historiis veterum Centuriatores. l. cent. lib. 2. c. 2. Sicut & in *Africa* sitas. f. 14. in insulis; f. 14. in *Europa*. f. 15. Quæstio superest non ignobilis: An Evangelium etiam Americanis populis & Antipodibus nostris tum fuerit annunciatum? Affirmamus (1.) *Ex S. literis*. Nam non tantum Christus jussit discipulos suos ire in universum orbem, Evangelium prædicaturos; Matt. XXIIX. 19. sed ipsi etiam fecerunt feliciter, quod jussi erant. Nam tempore scriptæ epistolæ ad Colossenses jam prædicatum erat ἐν πάσῃ τῇ κτίσει τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν *in omni creatura, quæ sub cœlo est*. Si prædicatum, E. & receptum, saltem à quibusdam; Esa. LV. 10. (2.) Ex *Patribus*: Ignatii locus supra est citatus, sed repetendus: Apostoli suis sudoribus & laboribus fundarunt Ecclesiam ἀπὸ περάτων ἕως περάτων *à finibus terræ usq; ad terram*. ep. ad Philad. p. 94. unde dicuntur στῦλοι τοῦ κόσμου *columnæ mundi*. p. 103. Subjungam Vedelii Calvinistæ Genevensis paraphrasin ad l. c. Ignatii. *Dicit Apostolos prædicasse Evangelium per totum orbem, ab una extremitate ad aliam; idq; sudore ac labore proprio. Sic sanctus Paulus epist. ad Coloss. c. I. 6. & 23. Idem & alii præter Ignatium Patres docent*. & mox: *jam tempore Pauli & Ignatij Evangelium erat prædicatum per totum orbem, & susceptum à plurimis*: & strenue invehitur in Bellarminum, Sanderum, Lessium, quod *nec Pauli, nec Ignatij auctoritate, quorum uterq; jam suo tempore id factum testatur, moti sint*. Hæc ille. Sed redimus ad Patres. Clemens Romanus in celebri ad Corinthios epistola clarissime testatur de re controversa, Ὠκεανὸς inquit, ἀνθρώποις ἀπέρατος, καὶ οἱ μετ' αὐτὸν κόσμοι ταῖς αὐταῖς ἐπιταγαῖς τοῦ Δεσπότου διευθύνονται, id est, *Oceanus, qui intransibilis est hominibus, & hi, qui trans ipsum sunt mundi ejusdem Dominatoris Dei dispositionibus gubernantur*. Non de Britannis loquitur, utpote jam tum visitatis, Sveton. c. 25. in Cæs. sed de Antipodibus, explicante locum Origene lib. II. περ. ἀρχ. verba recitat D. Dannh. Christeid. p. 160. Et Euseb. libr. II. hist. c. 3. testatur, quod *cœlesti divinaq; virtute & præsidio repente, nulla fere mora*

in Asia

Africa.

Europa.

America.

mora interposita, tanquam quoddam solis jubar, salutare Dei verbum universum terrarum orbem suo splendore collustrarit. Etiam in Germaniam nostram penetravit tuba Evangelica, Materno & aliis inflantibus Iren. lib. 1. c. 3. Guiliman. d. Episcop. Argent. p. 41. Serar. lib. 2. rer. Moguntin. c. 2. Admireris autem sapientissimam, quam Deus facit, omnium dispositionem. Permisit persecutiones easque semel iterumque, quibus factum est, ut Christiani suo quasi nido Hierosolymis & Judæa excuterentur. Actor. VIII. 4. *Quæso te,* scribit Brent. ad l. c. *quis admirabilior & ingeniosior artifex inveniri potest Domino Deo nostro? Nam quid Ecclesiæ Christi magis adversum videtur, quam persecutio? At Dominus Deus noster tam industrius artifex est, ut efficiat, quo Ecclesia persecutione crescat, & fines suos proferat, non quo exterminetur, & eradicetur. Etenim ex persecutione in Hierusalem orta, hæc utilitas provenit, quæ, quo longius pii fugantur, eo latius, spargitur Evangelium. Et Ecclesia Christi non jam in Hierusalem tantum in paucis credentibus constat, sed incipit brachia sua porrigere ad exteras etiam nationes.* confer Baron. an. 35. §. 1. seq. Roma tum erat caput orbis, & in compendio nationes remotissimas cõplectebatur; facile igitur in universo orbe innotuit, quidquid ei innotuit. Innotuit autem fama Christianismi jam sub Augusto, qui audivit de infanticidio Herodis; sub Tiberio, qui dicitur ex Pilato didicisse gesta Christi, & probasse: Tertull. Apol. c. 5. *cujus tempore nomen Christianum in seculum introivit.* Euseb. libr. II. histor. c. 2. sub Claudio, qui Chresti cujusdam (Christum putant) asseclas urbe ejecit; sub Nerone, ad quem Paulus deductus, citra dubium pluribus innotuit. De reliquis non opus est dicere. Hostes calumniabantur donum linguarum in Apostolis, at ecce, quam id Ecclesiæ commodo! Petrus cogitur Apologiam adornare, qua 3000. animarum Christo adduxit. Congregati erant ex remotissimis angulis homines in festo Pentecostes, cum Apostoli magnalia Dei eloquerentur. Judæi enim dispersi erant per universam Asiam, Africam, & Europam. vide Philonem contra Flac. & legat. ad Caj. Quot advenæ, tot ad suos reduces Apostoli; quare ne mireris sonitum buccinæ Evangelicæ tam cito pervasisse omnem orbem. Esto *enim non habuerit* omnis gens *prædicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potuit ignorare:* ut verba mutuer Hilarii in Matth.

Arti-

Articulus V.

De

ECCLESIÆ ACCIDENTIBUS

Argumentum.

Puritas *Ecclesiæ primitivæ.* Charismata, *ut prophetiæ, fides miraculosa, quæ specie differt à salvifica; visiones, oracula, castitas heroica;* Fata; *ut sunt fames, terræmotus, pestes, incendia, libertas capta;* Persecutiones, *excitatæ à Iudæis & Ethnicis, ut Cajo Caligula, Claudio, præsertim autem à Nerone & Domitiano: Prætextus apud Iudæos, & gentiles. Objectum varii generis homines, juxta ordinem alphabeticum dispositi Martyres. Instrumenta persecutionum; forma suppliciorum & vexationum; finis ex parte Martyrum faustus, infaustus persecutoribus.* Scandala, *vel data, ut schismata & discordia, vel accepta, ut cruces, Martyria, virginitas, potestas Ecclesiastica.*

§. 1. *Adjuncta* Ecclesiæ videamus. In quibus est (1.) *Puritas.* Ecclesiæ (1.) *Puritas.* Hanc in ipsa laudat Egesippus in fragmento, quod extat apud Euseb. lib. IV. hist. Eccles. c. 20. *Quoniam*, inquiens, *Ecclesia nondum erat falsa perversæ hæreticorum doctrinæ inanitate corrupta, idcirco virgo appellata fuit.* (2.) *Charismata.* Sic à Paulo 1. Cor. XII. 4. seq. dicuntur Extraordinaria illa dona, quæ necessaria erant ad plantandam Ecclesiam Christianam: *Administrantia* igitur dixeris. (2.) *Charismata.* ut sunt Erant autem specie inter sese diversa, & à fide salvifica donisque sanctificantibus, qua talibus, distincta. *Diversa* erant: Nam non omnia singulis dabantur; sed erant *διαιρέσεις χαρισμάτων.* 1. c. Erant *Prophetiæ.* Nam Justino Martyr. Dial. cum Tryph. teste *apud nos Christianos ad hæc usq; tempora Prophetica invicem, ex quo vos Judæi debetis intelligere, ea, quæ olim in genere vestro majoribusq; vestris essent, ad nos esse translata.* Prophetiæ. Sunt autem duo earum genera, alterum vaticinia edebat, alterum edita explicabat & applicabat. *Edebant* cum viri tum fœminæ. *Viri*, e. g. Petrus, qui vaticinatus est de futuro Antichristo. 2. ep. II. 1. seqq. & extremo die III. 3. seqq. Paulus Act. XX. 29. 30. 2. Thess. II. 3. seq. Johannes, qui in Pathmo insula vidit Apocalypsin. Euseb. Chron. an. 95. Agabus. Actor. XI. 27. 28. *Prophetissæ* quales fuerunt Philippi Evangelistæ 4. filiæ, Actor. XXI. De quibus ex Gajo antiquissimo scriptore refert Euseb. libr. III. hist. c. 25. *Post Hierapoli in Asia IV. filiæ Philippi Prophe-*

 tissæ

tiſſæ fuerunt : ibidemq; tum illarum, tum Patris ſepulchrum locatum eſt. & Conſt. Apoſt. lib. VIII. c. 1. *Mater etiam Domini prophetavit, & Eliſabeth ejus cognata, & Anna. Noſtro quoq; tempore Philippi filiæ eodem ſunt functæ munere.* Huc referri poſſunt tacitæ ſuggeſtiones viris ſanctis factæ præter ipſorum exſpectationem. Ignatius ep. ad Philadel. p. 101. innuit, ſibi à ſpiritu ſuggeſtum eſſe de diſſidiis inter Epiſcopum & Auditores.

Fides miraculoſa. Erat *fides miraculoſa.* Miracula edebantur in primitiva Eccleſia plurima; *Non ad eorum, qui illa exercent, utilitatem, ſed ad infidelium perſvaſionem, ut quos oratio flectere non potuit, commoveat prodigiorum potentia*; Conſtit. Apoſt. l. VIII. c. 1. Obſerva locum contra Pontificios. Diſputatur inter nos & ipſos. An fides miraculoſa differat ſpecie à fide juſtificante? Negant ipſi. Vide Becan. lib. 1. man. c. 16. q. 6. aſſerentes unam eandemque eſſe; Contrarium ſequitur ex verbis allegatis. Non quidem negatur fidem juſtificam & ſalvificam poſſe concurrere in eodem ſubjecto; ſed negatur inter ſe propterea realiter concurrere. Si enim fides miraculoſa non eſt accommodata *ad utilitatem eorum, qui illam exercent,* utique juſtificans non eſt, utpote quod ea ratione prodeſſet credentibus: & porro dicunt: *Si cui ſemel conceſſum eſt, ut non amplius numeretur inter infideles ſuperflua eſt ei reliqua omnis miraculorum facultas. Nam, ut quis pius ſit, ab amore proficiſcitur; ut miracula efficiat, ab auctoris poteſtate.* In ſequentibus negant, *qui dæmonem expellunt, ſanctitatem acquirere.* Congrua ſunt quæ Matth. VII. 23. habentur; ubi judex negat ſe illos θαυματέργυς unquam agnoviſſe. Actus hujus fidei eſt ejectio dæmonum. Act. V. 16. XVI. 18. XIX. 12.

Oracula. Erant *viſiones & oracula.* Extat inſigne oraculum apud Euſeb. l. III. hiſt. c. 5. quod Hieroſolymitani Chriſtiani *per oraculum viris illic virtute & pietate ſpectatis in viſione editum juſſi fuerint, ut, antequam bellum exardeſceret, è civitate egrederentur.* Quod & factum. Joſeph. de bell. Jud. l. 2. cap. 25. Epiphan. hæreſ. 29. 30. juſſi id erant olim à Chriſto. Matt. XXIV. 16.

Viſiones. explicante Baronio an. 68. §. 48. *Viſionem* dicitur habuiſſe Ignatius. Malo autem Socratis, quam meis verbis referre. libr. VI. c. 8. ita ſcribit: *Ignatius Antiochiæ, quæ eſt in Syria, tertius à Petro Apoſtolo Epiſcopus, qui cum Apoſtolis ipſis multum verſatus eſt, viſionem vidit Angelorum Sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis collaudantium; & formam canendi in ea viſione expreſſam, Eccleſiæ Antiochenæ tradidit.* Ex hoc loco Pontificii malè concludunt Ignatium fuiſſe primum cœleſtis Hierarchiæ ſcri-

ptorem

ptorem. Vid. Vedel. exerc. I. ad ep. Ignat. c. 8. si quid martyrologiis tribuendum, huc spectaret visio, quam Marcus Evangelista habuisse dicitur per Christum & per angelum, qui ipsum in Martyrio confortavit. Baron. Martyr. ad d. 25. April. tit Marc. Certior est visio Cornelii. Actor. X. 30. Petri. 11. *Castitas* heroica eodem spectat. Non dubium est in tanta *χαρισμάτων* copia donum etiam castitatis heroicum fuisse frequentius. Frequenter virginum mentionem in epistolis facit Ignatius epist. ad Philadelph. p. 94. ad Smyrn. p. 173. utriusque sexus: Nam & virorum meminit ad Polyc. p. 208. Et optat ipsorum ipsarumque frui sanctimonia epist. ad Philad. p. 95. Innuens non hoc esse donum nostri arbitrii, sed divini, & extraordinarium. Unde à Const. Apost. lib. VIII. c. 1. annumeratur donum hoc aliis *χαρίσμασι* extraordinariis. Tota erant collegia, nisi supposititia sint verba epist. ad Philipp. p. 46. ubi dictus Ignatius salutat *συστημάτων παρθένων* *Collegium virginum.* Plantanda adhuc erat Ecclesia, quod expeditius fit, si cœlibes sint, qui plantant. Etiam persecutiones minus feriunt eos, qui neque uxori, neque liberis aut rei familiari timere coguntur, Castitas heroica.

§. 2. (3.) *Fata.* Militans est in terris Ecclesia; subjecta igitur, dum sub dio est, variis calamitatum tempestatibus. Occurrunt (1) *Casus* varii. Fames tempore Claudii exorta Christianos quoque afflixisset, nisi ante collectis eleemosynis fuissent præservati. Euseb. ad an. XLV. Chron. *Terræmotus* frequentiores ea etiam loca concutiebant, in quibus jam Evangelium plantatum. Nam terra tremuit Romæ an. 59. Chron. Euseb. *In Asia tres urbes terræmotu conciderunt, Laodicea, Hierapolis, Colossæ. an.* 65. quo tempore jam scripta erat ad Colossenses epistola Pauli, quæ & Laodiceæ lecta est, si verus est Baronii computus an. LX. §. 9. *Pestis* corripuit Romam ingenti lue, ut per multos dies in Ephemeridem 10000. fermê mortuorum hominum referrentur: Chron. an. 78. *Incendia* eandem, & circumjectas regiones Vesuvius exundans terruerunt, an. 80. 81. *Libertas* etiam amissa. Nam *Achaja, Lycia, Rhodus, Bizantium, Samus, Trachea Cilicia, Comagene, quæ liberæ antea, & sub Regibus amicis erant, in provinciam redactæ.* an. 74. Illustres in his locis Ecclesiæ jam tum extitere. Achaiæ metropolis Corinthus, & Patara Lyciæ civitates Evangelium jam doctæ erant à Paulo. Actor. XXI. 1. Rhodus eadem luce il-

(3.) Fata ut *Casus* fames

terræmotus.

Pestes

incendia

libertas amissa.

lustrata. l. c. ut & Samus. l. c. Cilicia audivit ex cive suo Paulo Evangelium. Actor. IX. 30. Comagene ex vicina Antiochene sine dubio nectar Evangelicum hauserat jam. Neque tamen calamitate ista exemptæ fuerunt Ecclesiæ. (2.) *Persecutiones.*

& *Persecutiones* à *Iudæis.*

§. 3. Observa (1.) *Causas.* Diabolus homicida & pater mendacii impulit partim *Judæos*, partim *gentiles*, ut Christianos persequerentur. De *Judæis* loquitur historia sacra & Ecclesiastica, quod à capite Christo orsi odium derivarint in membra & ministros Apostolos, Apostolicos viros, & cæteros Christianos. Urebat Clerum censura Christi, qua ipsorum vitia cum in doctrina tum in moribus notaverat, substituta meliore & credendi & vivendi regula. Non igitur quieverunt prius, quam Messiam in cruce mactatum viderent: imò ne tum quidem quieverunr. Nam cum viderent Apostolos, Evangelistas, diaconos, aliosq; Ecclesiæ ministros strenue pergere cum in propagando Evangelio, tum in edendis miraculis, cœperūt & in ipsos concitari ipsi & concitare alios Ethnarchas & Romanorū Præsides. Gratificatus est ipsis Herodes, occiso Jacobo, & capto Petro. Etiam Felix in gratiam Judæorum Paulum in vinculis detinuit. Cum verò provocatio ad Cæsarem periculo ipsum exemisset, involarunt rabiosi canes Jacobum Episcopum Hierosolymitanum, idque impune; Nam Festo per id temporis mortuo Judæi pro arbitrio dominabantur, Pontifice Anano. Hinc igitur factum, ut confessorem Jesu Christi saxis & tandem vecte trucidarent, sicut ex lib. 5. Egesippi refert Euseb. libr. II. c. 22. hist. *Gentiles* Judæos imitati suum quoque furorem in miseros Christianos effuderunt. Judæis tum annumerabantur Christiani, quod nollent, perinde ut Judæi, Idola gentilium colere, quare conjicimus eisdem periculis, quibus Judæi, fuisse obnoxios. Volebat *Cajus Caligula* suas imagines etiam à Judæis adorari, sicut alibi locorum, ita etiam Alexandriæ: Quod cùm facere recusarent Judæi, vehementer vexati sunt, & cum iis forsan & Christiani, qui eo confugerant ex Judæa. Eadem fere ipsorum fata, communia nimirum, fuerunt sub *Claudio.* Nam tumultuati dicuntur Judæi, incentore aliquo Chresto, uti in vita Claudii hallucinatur Svetonius. Dicere debuisset Judæos contra Christianos insurrexisse, ex odio erga Christum; quod cum Claudius inaudiret & motus majores sentiret, utramque partem Roma expulisse

& *Gentilibus*

ut Caligula.

Claudio.

isse; Imo quosdam Christianorum neci tradidisse, quod infra patebit. Hæc quædam quasi *præludia*: sic ut inter persecutiones non numerentur. Nam atrociores duæ aliæ in Christianos sævierunt, Nerone & Domitiano auctoribus. Incendio triduano Romam suam nebulo vexaverat, cum Christianis culpam tanquam mali auctoribus imputaret. Inflammaverat ipsum, ut ferunt, sanctitas doctrinæ Evangelicæ, utpote quæ pellices ab impuris bestiæ amplexibus abstraheret; hinc odium concepit in universam gentem Christianam. *Consulite commentarios vestros*, alloquitur gentiles Tertull. Apolog. c. 5. *illic reperietis primum Neronem in hanc sectam* (Christianam) *tum maximè Romæ orientem Cæsariano gladio ferocisse*; *sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur*. Verba citat Euseb. l. 2. hist. c. 24. Sulpit. Sever. l. 2. hist. Neronem æmulari cœpit *Domitianus*; *Tentaverat Domitianus, portio Neronis de crudelitate*; *sed qua & homo facile cœptum repressit, restitutis etiam quos relegaverat*. Ejusdem Tertulliani l. c. verba sunt, quibus subjungit ἐπίχειρον de his persecutoribus: *Tales semper nobis insecutores, injusti, impij, turpes*; *quos & ipsi damnare consuestis, & à quibus damnatos restituere soliti estis*. Vide Euseb. lib. III. hist. Eccles. c. 19. seq. Niceph. lib. III. c. 11. Aliquanto magis exaggerant Domitiani crudelitatem Oros. libr. VII. hist. c. 10. Galesin. not. ad Martyrol. Rom. p. 17. *Judæi* Christianis imputabant apostasiam, cum suis legibus adversus ipsos agebant; seditionem verò, & inobedientiam, cum ipsos apud gentiles, Romanos præsertim, deferrent. Nam quia lege publica cautum erat, ne quis sine venia Cæsaris & Reipublic. Romanæ novos Deos introduceret, Judæi id criminis Christianis impingebant, quod ipsi novum Deum, Jesum Nazarenum, creassent. *Gentiles* contra caussabantur Christianorum vel flagitia, ut Nero; vel impietatem & contumaciam, quod nollent publicis sese accommodare sacris in Imperio Roman. receptis, quod tamen edicta publica imperarent, ut Domitianus, qui ἀθεότητος crimen in publicis edictis Christianis impingebat; hoc deterior Nerone, quod directè impugnaret Christianismum: Galesin. not. ad Martyr. p. 17. Unde apparet impletum esse vaticinium Johannis Apocalyps. VI. 8. 9. seqq. cum inquit, occisos esse martyres *propter verbum Dei, & propter testimonium quod tuebantur*. Non equidem negamus fuisse inter Christianos, qui sub specioso nomine

Præsertim à Nerone.

& Domitiano.

Prætextus Iudæorum.

& gentiliũ.

scelera sua occultarent, & infidelibus scandala præberent, ut veros quoque Christianos ejus farinæ putarent, & propterea suppliciis dignos. Debuissent tamen Gentiles habita inquisitione, reos, non insontes punire.

Contra *Christianos* varios.

§. 4. (2.) *Objectum.* Martyriis affecti aut coronati sunt plures utriusque sexus virilis & fœminini; omnis ætatis pueri & puellæ, viri & matronæ, etiam senes, omnis conditionis, Ecclesiasticæ personæ, politicæ, privatæ, nobiles & ignobiles; Recenseamus nomina, si non omnium, plerorumque tamen, ex Martyrologiis, & Menologiis collecta. Habebimus integrum forte alphabetum sanctorum istorum confessorum; eo igitur ordine referamus. *Achilleus* sub Domitiano. Galesin. not. ad Martyr. p. 17. *Anastasia* dicitur fuisse nobilis fœmina & Apostolorum discipula; cum autem in fide constanter perseveraret, sub Nerone lingva, pedibus, tandemq; etiam capite truncata est. Baron. martyr. 15. Apr. *Andreæas* Apost. 30. Nov. *Antipas* fidelis fuit Jesu Christi testis, laudante Johanne in Apoc. II. 13. *Is sub Domitiano Imperatore in bovem candentem conjectus martyrium consummavit*, ut refert Baron. in Martyr. ad diem XI. April. *Apollinarius* Episcopus Ravennatensis sub Vespasiano (absente tum) coronatus Romæ. Baron. 23. Jul. *Aristarchus*, qui Pauli discipulus fuit & comes, *post longos agones sub Nerone coronatus à Christo, quievit*. ad 4. Aug. *Audifax & Abadius* filii Marii & Marthæ sub Claudio decollati. Bar. 19. Jan. *Barnabas* vir Apostolicus & Pauli comilito natione Cyprius in patria professionem suam martyrio obsignavit. ad 10. Jun. *Bartholomeus*. 25. Aug. *Basilissæ* illustris inter Romanas fœminæ eadem, quæ Anastasiæ, fata fuerunt. 15. April. *Cajus* Mediolanensium Episcopus sub Nerone multa passus tandem quievit. 27. Septemb. *Caraunus* sub Domitiano. Baron. an. 98. §. 11. *Celsus* adhuc puer, cum Nero sæviret, diu maceratus, tandem gladio percussus est. 28. Julii. *Clateus* Brixiæ Episcopus sub Nerone occubuit. 4. Juni. *Cletus* P. R. Gales. not. ad Martyrol. p. 17. *Constantia* sub eodem. 19. Septembris. *Cyrilla* virgo filia Triphoniæ sub Claudio. 28. Octobris. *Dionysius* Areopagita huc referendus esset, nisi erraret Baronius 19. Septembris, referens eum inter Episcopos Athenienses, quod supra refutatum. Alius igitur ille, quisquis denique, Parisinus fuerit Episcopus. *Dorothea* sub Nerone gladio cæsa. 3. Septembris. *Ducentos sexaginta*

qui recensentur.

ginta Martyres Claudius *Romæ jusserat primo pro Christi nomine damnatos extra portam salariam arenam fodere, deinde in amphitheatro militum sagittis interfici*; ad 1. Marti. *Epaphras* quem Paulus Col. I. & IV. concaptivum vocat, Colossensium Episcopus pro Christo obiit. 19. Julii. *Erasma* sub Nerone gladio percussa est. 3. Septembris. *Evellius* sub eodem, cujus erat de familia, decollatus est. 11. Maj. *Euphemia* virgo sub eodem decollata. 3. Septembris. sub eodem *Eutropius*: Episcopus Santonensis sub Domitiano Baron. an. 98. §. 11. Martyrol. 30. April. *Felix* quidam passus. 19. Septembris. *Flavia Domitilla* virgo, Flavii Clementis consulis (quem ipsum sustulit Domitianus,) sororis filia, in persecutione Domitiani pro Christo relegata est, & incendio consumpta. Euseb. lib. III. hist. c. 14. Baron Martyr. 7. Maj. *Fortunatus* Diaconus. Galesin. not. ad Martyr. p. 17. *Glabrio* huc spectat, si Christianus fuit, quod putat Bisciola epit. ann. 94. *Inchoata*, inquiens, *persecutio à Christianæ religionis Antistitibus, in consulares viros progressa, Acilium Glabrionem proximè Consulem, ἀθεότητ© crimine, ut ait Dio in Domitiano, quod ad Judæos transisset (quo nomine ab Ethnicis censebantur Christiani) sustulit, Christianum eum fuisse, quæ scribit Dio, satis indicant.* Confer. Baron. an. 94. § 1. Galesin. not. ad Martyr. p. 18. *Gallus & Galla, Græcus & Græca* dicuntur sub Tito vivi esse defossi; *Quos suspicari possumus delectos Christianos, ut quos omnium malorum auctores habeant, ut impios & Deorum contemptores.* Tertull. c. 2. Apol. suspicio est Bisciolæ ad an. Chr. 86. *Hermas.* Baron. 9. Maj. *Hermagoras* Episc. Aquilej. sub Domitiano. Gales. not. ad Mart. p. 17. *Herodion.* 8. April. *Jacobus.* 1. Maj. de quo supra. *Linus* Papa. 23. Septembris. *Lucas* Evangelista multa pro Christo passus dicitur obiisse in Bithynia. 18. Octobris. Niceph. lib. 2. c. 43. Glyc. lib. 3. Annal. *Lucianus* Episcopus Bellovacensis sub Domitiano. Baron. an. 98. § 11. Martyr. Rom. 8. Jan. *Marcus* Evangelista dicitur à Gelasio dist. XV. *gloriose Martyrium consummasse*; Baron. Martyr. 25. April. scribit: *pro fide Christi tentus, funibus vinctus, & per saxa raptatus, graviter affectus est &c.* sub Nerone. Alius *Marcus* Atinensis Episcopus Martyrii coronam sub Domitiano accepit. 28. April. *Martha* & *Marius* Persæ sub Claudio: *post toleratas fustes, equuleum, ignes, ungves ferreos manuumq; præcisionem in Nympha* Martha *necata est*; Marcus autem *decollatus* 19. Jan. *Martinianus* quidam à Petro baptizatus sub Nerone *oris contusionem, equuleum, nervos, flammas, scor-*

scorpionesq́ perpessus novissimè gladio capite privatus est. 2. Jul. *Matthæus* Apostolus in Æthiopia coronatus est. 21. Septembris. *Matthias* Apostolus 24. Febr. *Maximianus* Presbyter sub Domitiano. Baron. ann. 98. §. 11. *Nazarius* puer diu in carcere maceratus tandem gladio cervicem præbuit. Sub Nerone. 28. Jul. *Nereus* sub Domitiano. Galesſ. not. ad Martyr. p. 17. *Nicasius* Episc. Rotomagensis, sub Domit. Baron. an. 98. §. 11. *Patientia* virgo. l. c. *Patrobas* Pauli discipulus. 4. Novembris. *Paulus* Apostolus sub Nerone palmam accepit gladio cæsus. 19. Jun. *Petrus* socius fuit martyrii: capite ad terram verso cruci affixus l. c. Euſ. lib. II. hiſt. c. 24. *Philip.* Apoſt. 1. Maj. *Philonilla* 11. Octob. Philologus. 4. Novembris. *Phlegon.* 8. April. *Polyxena.* 23. Septembr. *Priscus* sub Nerone trucidatus. 1. Septembris. *Processus* sub Nerone miserrimè excruciatus obiit. 2. Jul. *Quadraginta* sex milites jubente Claudio decollati sunt. 25. Octobris. *Quartus* 3. Novembris. *Romulus* Episcopus sub Domitiano. 6. Jul. *Scubiculus* diaconus sub Domit. Baron. an. 98. §. 11. *Sebastiana* sub eodem decollata. 16. Septembris. *Simon* Chananæus in Perside cæsus. 28. Octobr. *Stephanus* Diaconus lapidibus obrutus. Actor. VII. Baron. 27. Decembris. *Thaddæus.* 28. Octobris. *Thecla* Iconii ignes ac bestias devicit pro Christo. 23. Septembris. *Theodora* virgo sub Domitiano combusta. 7. Maj. *Timotheus* Ephesiorum Episcopus lapidibus Ephesi obrutus obdormivit. 24. Jan. *Thomas* Apostolus regis Indorum jussu lanceis confossus obiit. 21. Decembris. *Torpes* sub Nerone passus etiam Evellium convertit. 11. Maj. *Tres* milites per Martyrium Pauli conversi cum eodem coronati sunt. 2. Julii. *Valentinus* Presbyter sub Claudio fustibus cæsus & decollatus est. 14. Febr. *Xystus,* qui à Petro primus civitatis Rhemensis Episcopus dicitur ordinatus, sub Nerone martyrii coronam accepit 1. Septembris. *Xantippa* in Hispaniis. 23. Septembris. Hi sunt illi in *fronte* signati, quos Apoc. VII. 3. Johannes vidit confessores; quos non puduit suæ confessionis.

Instrumenta §. 5. Habes cum insignioribus martyribus, etiam furoris *instrumenta, & formam*, qua in vexandis Christi servis in Italia cumprimis & Galliis sub Nerone & Domitiano, cæteris tamen non omnino exclusis, imperatoribus usi sunt: Boves candentes, bestias, carceres, cruces, eqvuleos, funes, fustes, gladios, ignem, lanceas, lapides, nervos, pelles, picem, sagittas, scorpiones, tormenta, vestes, ungves,

ungves, & similia quibus Christianorum vel manus præcisæ, vel ora contusa, vel corpora distenta, defossa; truncata, pellibus involuta, feris objecta, pice obducta & ustulata, ne quid de mitioribus suppliciis, ut sunt exilia, labores helciarii, convitia, dicam. *Finem* tamen suum diabolus homicida & Ecclesia malignantium non ex voto assecuti sunt. Nam Christiani durissima quæque supplicia maluerunt experiri, quam fidem abnegare. Sustentabat spem eorum futura in cœlo felicitas, quàm legitimè certantibus & vincentibus Deus promiserat, & interdum visionibus etiam aut per angelos confirmabat. Contra videbant non rarò suos persecutores crudelitatis dare pœnas insignes, ut Herodem Joseph. libr. XVII. antiq. c. 8. XVIII. 9. Euseb. II. hist. c. 4. Pilatum; Eutrop. lib. VII. Euseb. l. II. 7. Niceph. II. 10. Agripp. Actor. XII. 23. Neronem trucidari & Domitianum; Aut converti, visa Christianorum constantia, ut Evellius Torpe coronato; & tres milites Paulo decollato; Quo spectant mitiora pro Christianis decreta, quale in gratiam ipsorum promulgasse dicitur Tiberius. Centur. I. Magd. l. 2. c. 3. f. 18. 19. & Nerva. Euseb. libr. III. c. 21. Accedebant officia humanitatis Christianorum inter sese. Nam simulatque carceri inclusus esset confessor e vestigio curam ejus agebant indefessam, ut supra ex Luciano demonstravimus. Unicum addimus de quadam Lucina Apostolorum discipula; Refert enim Baronius in Martyr. Rom. 30. Junii. quod *facultatibus suis sanctorum necessitatibus communicans Christianos in carcere detentos visitarit, ac martyrum sepulturæ inservierit, juxta quos & in crypta, à se constructa, sepulta est.* Sepeliebantur autem martyres plerumque sub altaribus, quod ex Apocalyps. VI. 9. colligit Scalig. not. ad Euseb. Chron. p. 237. Nec negaverim inter caussas subeundi certaminis non postremam fuisse nominis immortalitatem, cui per dyptícha consecrabantur. Dicitur Clemens Romanus constituisse Notarios publicos, qui in scripta referrent ipsorum gesta, ut consignata quotannis in die ipsorum natali publicè legerentur. Vide Baron. Martyrol. c. 1. An omnes, qui martyres videbantur, & in literas referebantur, genuini fuerint martyres, qui pro Christo, quem vera fide amplecti & sincerè confiteri debebant, mortui sunt? quæstionem moveremus, nisi charitas optima quæque de illis speraret.

Forma, Finis, & *effectus.*

(5.) *Scandala*

§. 6. *Scandalis* Ecclesia etiam primitiva aliquoties jactata est.

1. Schismata

Occurrunt enim (1.) *Schismata.* In quibus numeramus illud *Corinthiacum*, cujus ex Irenæo meminit Euseb. lib. V. hist. c. 6. Sic autem loquitur: *Clemente Pontificatum gerente, seditio non exigua illa quidem inter fratres Corinthi excitata fuit, unde Ecclesia Romana epistolam scriptam accuratissimè eò misit, qua illos cum ad pacem adhortata est, tum pristinæ eorum fidei memoriam renovavit, tum deniq; traditionem nuper ab Apostolis acceptam ante oculos proposuit.* Memorat non tantum schisma ipsum, sed etiam *remedium*, quo vulnus iterum coaluit.

2. Discordiæ

(2.) *Discordiæ* aliæ inter Pastores & Auditores. Ignatius frequenter in epistolis hortatur hos, ut illis sese submittant, & cum ipsis colant pacem: quod non fecisset, nisi vel metuisset dissidia, vel facta scivisset. Haud obscurè id indicat epistol. ad Philadelph. pag. 101. *Episcopo*, scribit, *Attendite & Presbyteris & Diaconis. Si autem suspicamini me hæc dicere, quod intellexerim quosdam dissidere, testis mihi is est propter quem vinctus sum, quod non cognoverim istud ab ore humano, sed spiritus annunciavit mihi.* In sequentibus innuit, quæ litis materia fuerit, nempe de authenticis Evangelicorum codicibus, an in archivis haberentur?

3. Ritus.

(3.) *Ritus*, qui deinde in superstitiones degenerarunt. E. g. *Cruces* erigebantur, ut symbolum fidei in Christum crucifixum, quem hæretici negabant; hinc tandem nata est σαυρολατρεία. *Martyrum* ossa honorificè condebantur, & memoria celebrabatur quotannis; hinc suffragia pro mortuis, & missæ, & cultus reliquiarum, derivata. *Virginitas* donum frequentius erat, sed erant, qui dono isto non instructi infeliciter id æmulabantur, voto constricti. *Potestas* Ecclesiæ ministrorum erat tum latior, Nam ad civilia etiam sese extendebat. Scandalosum erat coram infidelibus litigare; Deferebantur igitur lites Presbyteris dijudicandæ; Hinc exclusa est Monarchia Papalis; & exemptio Clericorum. Nam non facile admittebatur, qui Presbyterum accusaret, aut Episcopo sese opponeret; utpote quod authoritati illius vice-Magistratus derogaret. Baptismus non conferebatur nisi prius informatis; differebatur igitur; hinc factum, ut, nisi morti vicini, non baptizarentur. Quare Const. Apost. l. VI. c. 15. sanciunt: *Qui dicit, baptizabor, cum ad finem vitæ pervenero, ne peccem & baptismum inquinem, is Deum ignorat.* De cæteris jejuniorum, vigiliarum, luminarium similiumque abusibus inferius artic. VIII. erit dicendi locus.

Arti-

Articulus. VI.

de

HÆRESIBUS.

Argumentum.

Primus hæresiarcha fuit non Theobutes, sed Simon Magus : *Hujus recensentur personalia, errores de scriptura Sacra, Deo, Christo & homine; asseclæ : qui sunt non Lutherani, sed Pontificii.* Menandri *personalia, Errores, asseclæ;* Saturnini, Basilidis, Pseudoapostolorum, Cerinthi, Ebionis, Nicolaitarum, Gnosticorum & Sacramentariorum *enarrantur personalia, errores, mores, asseclæ,* adversarii; *Vindicantur Lutherani à Pontificiorum calumniis: Retorquetur in ipsos affinitas hæreticorum. Ostenditur hujus tractationis usus didascalicus de hæreticis in genere; Elenchticus pro Lutheranis contra Pontificios, Calvinianos, Syncretistas, & Pædeuticus contra scandala.*

§. 1.

SUperius dictum est de hæresibus in genere. Specialem tractationem huic loco reservavimus, ubi de oppositis Ecclesiæ veræ agendum erat. Sunt autem hæretici vel univocè vel analogicè tales. De utroque genere hæreticorum sequentibus agemus. Connexio.

§. 2. *Simoniani*: Nam hæc *prima est hæresis, quæ à Christo initium accepit.* Epiphan. t. 2. hæres. 9. *Ex hæreticis est primus omnium Simon Magus. Tertull. d. hæres. c.* 46. Sic dicti à Simone quodam; Hujus nota (1.) *Personalia,* & in illis *cognomen,* Magus, quod accepit à magia, quam inter Samaritas suos conterraneos exercebat, ut Messiæ opinionem sibi inter eos conciliaret. Actor. VIII. 9. 10. *Patriam*; quam habuit Gitthas oppidum in Samaria situm; *Scripta* ejus citat Dion. Areop. de div. nom. c. 6. *Mores* appellat *contradictorios*; Nam Fuit hypocrita, qui pietatem simulabat; interea Bachanalia vivebat, cum sua Helena. Nam *natura erat lascivus*. Epiphan. l. c. Hieron in c. 16. Ezech. *Obitum*: Dicitur ex alto precibus Petri dejectus interiisse. Const. Apost. lib. VI c. 9. Aug. de hæres. 1. Epiph. l. c. f. 26. Philastr. d. hæres. tit. Sim. Egesip. l. 3. c. 2. Nicet. thes. l. IV. c. 1. p. m. 247. vide infra. *Elogia*: Dicitur πρωτότοκος τῦ ἀρχεκάκυ ὄφεως *primogenitus antiqui serpentis.* ab Ignat. epist. ad Trall. p. 15. nefandorum scelerum pro creator & architectus. Euseb. l. 2. hist. c. 13. Aliud hoc est ab illo elegio Romanorum, qui (1.) *Simonianorum auctor.*

ſtatua erecta Simoni Deo Sancto, ut ſcribit Juſtin. Apol. II. fol. 54. Tertull. Apol. §. 13. Euſeb. l. 2. hiſt. c. 13. Iren. libr. 1. c. 20. Theodoret. fab. hæret. lib. 1. (an genuina inſcriptio: Simoni Deo Sancto? negat Voſſius, putans eſſe Semonem Sancum. libr. 1. de Idol. c. 12.) imitabantur errorem Samaritanorum, quibus erat ἡ δύναμις θεοῦ ἡ μεγάλη *magna Dei virtus*. Actor. VIII. 9. 10. occaſionem acceperunt ex *miraculis*, quæ magica virtute ille edebat, Juſtin. l. c. & p. 71. Orig. l. 1. p. 44. l. V. p. 272. ubi & finem miraculorum indigitat; nempe quod exiſtimaret ὅτι ἐὰν τὰ παραπλήσια περιποιήσηται οἷς ἔδοξε περσωποιεῖσθαι τὸν Ἰησοῦν, δυνήσεται καὶ αὐτὸς παρ' ἀνθρώποις τοσοῦτον, ὅσον Ἰησοῦς τοῖς πολλοῖς. i. e. *miraculorum æmulatione non minorem exiſtimationem, quam Jeſus, paratum eſſe apud homines.* Hæc ille. Occaſio erroris dicitur fuiſſe objurgatio, quod emere volens *Epiſcopalem auctoritatem* à Petro rejectus ſit. Bell. P. R. l. IV. c. 13. At unde probat Bellarminus conferre dona Spiritus S. per impoſitionem manuum eſſe Epiſcopalis auctoritatis? chariſma hoc fuit extraordinarium. Epiphanius l. c. *tradit in nomen Chriſti miracula operatum eſſe.* Nicet. theſaur. libr. IV. capit. 1. *multos miraculorum editione ſuam in ſententiam pertraxit.* Non ergo tribuendum eſt miraculis quicquam, ſi fiant in præjudicium veritatis.

Errores de ſcriptura. (2.) *Realia*: in quibus occurrit primo omnium erronea ſententia de *ſcripturis* Theologiæ principio. Nam Vet. Teſtam. rejiciebat, docens *Legem non eſſe Dei, ſed ſiniſtræ virtutis: Neq; Prophetas ex bono Deo eſſe, ſed alterius virtutis. Et prout vult unicuiq; decernit: Legem quidem cujusdam, David autem alterius, Eſaiam alterius, Ezechielem rurſus alterius: & ſingulos Prophetas unicuiq; principatui defert. Eſſe autem hos omnes ex ſiniſtra virtute, & extra complementum.* Conſtitut. Apoſtol. lib. VI. c. 16. incuſant Simonem quod *peſtilentes ſub nomine Chriſti & Apoſtolorum compoſitos libros circumtulerit.* Epiphan. hæreſ. 21. t. 2.

de Deo. Nec meliora ſunt, quæ docuit de *Deo*: Nam Deum ſtatuebat auctorem peccati, referente Lirinenſi in commonitorio. Idem *Trinitatem*, quam orthodoxi docent, ipſe negabat, in ſe ſuamque Helenam eam referens. *Hic à multis quaſi Deus glorificatus eſt, & docuit ſeipſum eſſe, qui inter Judæos quidem quaſi Filius apparuerit, in Samaria autem quaſi Pater deſcenderit; & in reliquis gentibus quaſi Spiritus S. adventaverit* Irenæ. lib. 1. contr. hæreſ. c. 20. Nicet. theſ. lib. IV. c. 1. *Inter opera* Dei negabat *Deum feciſſe mundum.* teſte Auguſt. d. hæreſ. c. 1. per Helenam contra Ennoiam feciſſe Angelos

gelos & Archangelos. Iren. l. c. confer Ignat. epist. ad Philad. p. 98. Tertull. d. prædicat. c. 46. Euthym. panopl. part. 1. De *Christo* prorsus delira docuit. de Christo. Nam *asserebat se esse Christum.* August. l. c. sive *magnam virtutem Dei & ex supernis descendisse.* Epiphan. l. c. Orig. V. contr. cels. p. 27. 2 Consequenter *Christum nec venisse nec à Judæis quicquam pertulisse.* August. l. c. 9. p. m. 178. Nicet. l. IV. thes. c. 1. Se contra esse Salvatorem, qui venisset perditam ovem servaturus. Iren. l. c. unde non mirum, quod reversi ad Ecclesiam baptizabantur de novo, referente Niceta thes. orth. l. IV. c. 1. De *homine* non minus delirabat. de homine Nam statuebat μετεμψύχωσιν, asserens suam Helenam esse illam Trojanam, *quæ corpori inclusa per secula veluti de vase in vas transmigraret in alia muliebria corpora:* Iren. l. c. Hominem per peccatum esse in magnam miseriam adductum non negabat, perversè tamen docebat per fidem in suam Helenam perditum salvari. Iren. l. c. Salvari autem, non item ex mortuis resuscitari. Epiphan. l. c. August. l. c. Arbor sic pessimè mala non poterat bonos fructus ferre. Nam malos docebat. πρῶτον ψεῦδος erat discrimen honestorum & turpium non esse à natura, sed ex accidenti. Iren. l. c. unde non mirum est Eusebium lib. II. hist. c. 13. dicere, errores ipsius *non modo non honestè posse scriptis tradi, sed ne ore quidem propter insignem turpitudinem & obscœnitatem à viris modestis aliquando sine scelere efferri.* Idololatria grande malum est, nihilominus Simon eam in periculis constituto permittebat: & moribus *Simon, quò plures sibi pararet, discipulos, sustulit è sua doctrina mortis periculum quod Christiani docebantur contemnere, dicens ἀδιαφορεῖν πρὸς τὴν εἰδωλολατρείαν: indifferentem esse idololatriam.* Origen. VI. cont. Cels. pag. 282. Pudendum vitium est scortatio, sed & hanc suis permisit. *Docebat enim detestandam turpitudinem indifferenter utendi fœminis.* August. l. c. Eo videtur respicere Ignat. epist. ad Philad. p. 99. *Asseclas* initio habuit *Asseclæ.* complures specie miraculorum deceptos, cumprimis autem Samaritanos Actor. VIII 9. Philastr. d. hæres. & quandam ex Tyro Phœniciæ assumptā Helenam professione meretricem. Iren. l. c. & alias. Euseb. l. c. Etsi nomen à Simone derivatum magis magisque evanuerit. Nam Origin. lib. 1. contr. Cels. pag. 44. scribit, se opinari in toto orbe vix inveniri 30. qui Simonis sectam profiterentur. Colebant imagines Simonis, ut Jovis, & Helenæ, ut Minervæ. Irenæ. l. c. etsi ab hoc vitio *immunes & liberi videri vellent.* Euseb. l. c.

Exercebant libidines, sacerdotes cumprimis. Iren. l. c. quamvis *integram puramq; vivendi rationem* præ se ferrent. Euseb. l. c. Nimirum imitabantur nequitiã sui auctoris, simulantes & ὁμοψηφίαν cum vera Ecclesia, donec insinuati incautos seduxissent, uti conqueritur Eusebius l. 2. c. 1. confer. Iren. l. 3. cap. 19. Eucharistiam celebrabant ex mulierum menstruo & virorum semine. Epiph. l. c. Nicet. IV. thes. cap. 1. & magiam. l. c. Ex hoc seminario propagatæ sunt hæreses in universum orbem. Euseb. lib. II. hist. Eccles. c. 13. *Simonem igitur primum cujusq; erroris auctorem & quasi caput extitisse accepimus:* Nominat quosdam Theodoretus Dositheanos, Cleobanos, Gorthanos, Masbothæos, Hadrianistas, Eutychitas, Canistas; d. hær. fab. tit. Simon. Euseb. IV. 21. Nempe alia assumebant nomina licet Simonis doctrinam sequerentur. An & Evangelici ad hanc classem spectant? Affirmant Pontificii Duræus pro Campiano libr. 1. Bellarminus, libr. IV. de not. Eccles. cap. 9. Baronius an. 63. §. 12. Gretserus, alii. Ratio, quod Simon magus docuerit homines salvari gratia, non autem operibus, quod ipsum esset Evangelicorum dogma. Confirmant ex epistola Jacobi, quæ in Simonem Magum scripta est, ut operibus contra fidem patrocinaretur. Baron. ann. 63. §. 11. 12. Resp. (1.) Audiamus Irenæum de Simone; *Secundum ipsius gratiam salvari homines, sed non secundum operas justas,* dicebat Simon: paulo ante idem retulerat: hic suos permisit *liberos agere, quæ vellent: nec enim,* quam rationem allegabat, *esse naturaliter operationes justas, sed ex accidenti, quemadmodum posuerunt, qui mundum fecerunt Angeli, per hujusmodi præcepta in servitutem deducentes homines.* Ex his apparet, quæ sententia fuerit Simonis, nempe (1.) bona opera esse in arbitrio hominis posita, ut non peccet, quidquid agat. (2.) per fidem in se suamque Helenam eum salutem adipisci. At quis Evangelicorum hæc docet? Jacobus nobis non obest. Nam *redarguit, qui sufficere dicebant homini solam fidem, nec & charitatis opera conjungebant:* Censente August. lit. d. bapt. cont. Peti l. c. 10. At nos bona opera dicimus esse necessaria, & strenue urgemus discrimen honestorum & turpium; viderint autem Pontificii, quomodo suos ipsi scholasticos defendant, quibus hæc quæstio est quodlibetica & problematica. Gratiam dicimus salvare, cum Apostolis Actor. XV. sed Dei, quam habemus in Jesu Christo; Detestamur contra Simonem Magum, qui se eum Christum men-

non Evangelici

tie-

tiebatur, in quo oporteat salvari. Qui ergo Simonem illum sectemur? Si, qui dicit ex gratia nos salvari, ideo Simonianus est; etiam Simonianus erit Clemens Romanus, qui in epist. ad Corinth. p. 41. sic scribit (citante D. Danh. Christeid. p. 281.) πάντες ἐδοξάσθησαν καὶ ἐμεγαλύνθησαν οὐ δι᾽ αὐτῶν, ἢ τῶν ἔργων αὐτῶν, ἢ τῆς δικαιοπραγίας, ἧς κατηργάσαντο, ἀλλὰ διὰ τοῦ θελήματος αὐτοῦ &c. *omnes glorificati & magnificati sunt non per seipsos, aut opera sua, aut justas actiones, quas patrarunt, sed per voluntatem ejus. Sic & nos ex voluntate ejus in Christo Jesu vocati* οὐ δι᾽ ἑαυτῶν δικαιούμεθα, οὐδὲ διὰ τῆς ἡμετέρας σοφίας, ἢ συνέσεως, ἢ εὐσεβείας, *non per nos justificati sumus, neq; per nostram sapientiam, aut prudentiam, aut pietatem vel opera, quæ in sanctitate cordis operati sumus,* ἀλλὰ διὰ τῆς πίστεως *sed per fidem, per quam omnipotens Deus ab initio justificavit* &c. subdit: *Quid igitur faciemus, fratres, cessabimus à bonis operibus? & charitatem derelinquemus? neutiquam hoc à nobis fieri patietur Dominus.* Hic Clemens dicit fide nos, nec operibus, justificari, etiam post justificationem factis, & tamen non negat opera? neque Simonianis accensetur. Cur ergo nos? si Simonianus est quis ideo, quod dicat gratia nos salvari, ut Simon, etsi sensu alio, dixit: etiam Simonianus erit, qui statuit Trinitatem; Nam eandem statuit & Simon, etsi in hypothesi enormiter erraret; Nam idem Magus asserebat se esse Patrem, Filium, & Spiritum S. (2.) Trahite, Papistæ, prius ex oculis vestris trabem, quam festucam in nostris fingatis. Simoniani Angelos colebant mediatores; Tertull. advers. hæret. c. 33. idem facitis vos; Illi venerabantur imaginem Simonis sui & Helenæ conditorum sectæ; idem facitis & vos colentes ordinum auctores; Ille vitio nomen dedit Simoniæ vid. Alph. à Castr. l. XIII. advers. hæres. f. 957. hanc exercetis in Papatu vendentes & ementes sacra. Vide Vedel. exerc. in epist. ad Trall. p. 43. Hunn. de Apost. Eccles. Rom. §. 754. Simoniani colebant imagines; colunt & Papistæ. §. 780. Simoniani mendaciis utebantur in dissimulanda religione; At quid sunt æquivocationes Papistarum aliud? §. 791.

Sed potius Pontificii.

§. 3. *Menandriani.* Sic dicti à *Menandro*, cujus observa (1.) *Patriam.* Fuit & Samarita, ortus ex vico cui nomen Caparetaja. Justin. Apol. II. f. 54. (2.) *Præceptorem.* Is fuit Simon Magus, cui in impietate successit discipulus. Justin l. c. Ignat. epist. ad Trall. pag. 15. Iren.

II. Menandrianorum (1.) Patria. (2.) Præceptor.

contra

(3.) Errores. contra hæres. libr. 1. cap. 21. Epiphan. d. hæres. t. 2. c. 21. *(3.) Errores:* Eadem, quæ præceptor, delirabat. Tertull. de præscript. c. 46. Nicet. IV. thes. c. 1. *Nihil* enim *de doctrina variabat, quam id solum, quod seipsum majorem præceptore jactabat.* Epiph. l. c. vel, ut Philastrius de hæres. loquitur: *Impietatem est ejus secutus in omnibus.* Exprimunt inter alios etiam errorem de mundo, quem creatum dicebat non à Deo sed ab angelis. Iren. l. c. Auguſt. l. d. hæres. c. 2. & de Christo, quem se ipse dicebat, nempe Salvatorem. Euseb. libr. III. hist. Eccles. c. 20. qui hominibus salutarem afferret scientiam per suam magiam, & immortalitatem per suum baptismum præstaret. Iren. l. c. Euseb. l. c. Justin. l. c. Maturè igitur Christus præmonuit de Pseudochristis futuris. Matth. XXIV. 4. 23. Justin. Dialog. cum Tryph. f. 196. & Paulus invectus est in eos, qui resurrectionem negarent, dicentes jam factam esse, nempe per baptismum, 2. Tim. II. 18. quæ & Menandri sententia fuit suum baptismum extollentis. *(4.) Asseclas*: Dicitur Antiochiæ præsertim multos suis præstigiis & magicis miraculis seduxisse à Justin. l. c. Numerus tamen tandem imminutus, tradente Epiphanio. Inter præcipuos fuit Saturninus & Basilides. Euseb. IV. 7. Theod. l. 1. d. fab. §. 2. *(5.) Finem*: Illudere Christianæ doctrinæ de Christo, resurrectione, & salute æterna. Euseb. III. 20. IV. 7. *(6.) Adversarij* nominantur Justinus, Irenæus, Origenes à Theodoret. libr. de fab. hæret. §. 2.

(4.) Asseclæ.

(5.) Finis.

(6.) Adversarii.

III. Saturninianorum.

§. 4. *Saturniniani.* Audivimus ex Eusebii lib. IV. hist. c. 7. Saturninum & Basilidem ex Menandro ortos esse, subjungamus igitur eos Menandro, non quod non alii tempore ipsis priores fuerint hæretici, sed quod origine ab illo dependeant. *Saturnini (1.) nomen est*, alias etiam Saturnilus est dictus apud Epiphanium & Theodoretum. *(2.) Patria* est Antiochia Syriæ Iren. l. 1. c. 22. Euseb. l. IV. c. 7. Epiphan. hæres. 23. Aug. c. 3. de hæres. *(3.) Errores.* Eadem ferè, quæ Menander erravit. Iren. l. c. Euseb. l. c. In illis fuerunt errores *de principio fidei*, nempe somniabat *prophetias quasdam ab iis angelis, qui mundum fabricaverunt, dictas, quasdam autem à satana.* Iren. l. c. Epiphan. l. c. Ignatius hunc ipsum errorem notat, cum dicit: *Prophetas diligo, qui Christum annunciarunt, & ejusdem spiritus participes fuerunt, cujus & Apostoli.* epist. ad Philadelph. p. 97. Theodor. lib. 1. §. 3. de fab. hæret. de *Deo.* Nam alium fingebant Deum Judæorum. Iren. l. c. Epiphan. l. c.

(1.) Nomen

(2.) Patria.

(3.) Errores.

Crea-

Creationem angelis adscribebat. Juxta Irenæum, Epiphanium, Augustinum, Philastrium; De *Christo* ollas lippiebat. Nam negabat ipsius personam, quod homo extitisset, Iren. Epiph. Philastr. l. c. & d. fab. hæret. lib. 1. §. 3. officium, quod patiendo homines salvasset: Se enim illum mundi Salvatorem mentiebatur *ad destructionem Dei Judæorum, & ad salutem credentium.* Epiph. l. c. De *homine, quem quoad* corpus ab angelis, quoad animam autem à Deo creatum esse delirabat. Referente Epiphanio ex Irenæo. *Resurrectionem carnis nullo modo futuram esse docebat.* Tert. d. præscript. c. 46. Nuptias improbabat. *Nubere* enim & *generare à Satana dicunt esse.* Iren. l. c. quæ totidem verbis repetit Epiphanius l. c. Theodoret. lib. 1. d. fab. hæret. §. 3. Videtur eundem in ipso errorem notare, etsi suppresso auctoris nomine, Ignatius in epist. ad Philadelph. p. 99. *Si quis* φθορὰν δὲ καὶ μολυσμὸν καλεῖ τὴν νόμιμον μίξιν, καὶ τὴν τῶν παίδων γένεσιν, ἤ τινα τῶν βρωμάτων βδελυκτὰ, ὁ τοιοῦτος ἔνοικον ἔχει τὸν δράκοντα τὸν ἀποστάτην. id est, *legitimam commixtionem & liberorum procreationem, corruptelam & pollutionem appellet, aut cibos aliquos detestandos putet, talis apostatam illum dæmonem in se habitantem fovet.* Arripit locum hunc & alios Baronius ann. 57. §. 188. seqq. ut se suosque à contagio hujus hæreseos liberet. Strenue debachatur in Novatores, quos vocat, quod hunc errorem Catholicis imputent, quasi & ipsi conjugium & cibos damnarent. Neutrum, inquit, damnant, sic & Bellarm. lib. 2. de Bon. oper. c. 14. De conjugio superius disputatum. confer Hunn. de Apost. Eccles. Rom. §. 84. 303. 744. 745. 746. De cibis vanum est effugium. Etsi enim Pontificii non ex principio aliquo Pythagorico abstineant à cibis certis, quod causatur Baronius § 191. tamen ex studio perfectionis id faciunt, ita ut pollui sese credant Benedictini & Carthusienses, cum carne vescuntur: cujus gratia Encratitæ sunt damnati. Unius vitii plures esse causæ possunt; vide Chemnit. part. IV. Exam. p. 217. Vedel. exerc. III. ad Ignat. c. 15. Contra Saturninum vide disputantem Epiphanium hæres. 23. Nam dicit quæ contra Pontificios etiam hodie valent. Asseclæ Pontificii.

§. 5. *Basilidiani.* Sic dicti à Basilide. Cujus (1.) *Præceptor* fuit Simon Magus. Euseb. lib. IV. 7. *Schola* fuit Alexandria potissimum, quorsum secessit. Iren. d. hæres. lib. 1. c. 23. Epiph. t. 2. hæres. c. 24. *ingenium insigne*; subtile, & versutum; laudante Eusebio. l. c. colligas *IV. Basilidianorum.* (1.) Actor.

ex myſteriis abſconditis; nolebat enim impoſtor ea vulgo patere; Nam putabat eſſe margaritas, quibus illi canes & porci indigni eſſent. Epiphan. l. c. *Scripta* multa extiterunt. Nam dicunt ipſum 24. in Evangelia ſcripſiſſe libros. Euſebio l. c. referente. Hinc apparet, quid velit Philaſtrius, cum dicit ipſum *de lege & Prophetis, & Apoſtolis loquutum eſſe.* (II.) *Errores* varii fuerunt, ut fuit ambitioſus, qui Saturnino palmam præripere geſtiit. Erravit (1.) *circa fidei Principium.* Nam *Prophetias & ipſas à mundi fabricatoribus* (Angelis) *fuiſſe, ait, principibus: propriè autem legem à principe, qui eduxerit populum ex Aegypto.* referente l. c. Irenæo. Contra *novos ipſe prophetas excogitavit ad errorem ſuum nobilitandum, eosq; Barcabam & Barcoph appellavit* Euſebio l. c. Theodor. lib. 1. d. fab. hæret. §. 4. teſtibus. (2.) *Circa Deum:* Nam *nomen* ipſi fecit Abraxas, qui literis contineret numerum 365. quot eſſent dies anni, & membra hominis. Iren. l. c. Tertull. d. præſcript. c. 46. Epiphan. l. c. *Alium* dicebat Judæorum extitiſſe Deum, nempe Deum legis & Prophetarum, explicante Tertulliano l. c. fuiſſe Angelum, qui Iſraelitas ex Ægypto duxiſſet: ut ex Irenæo enarrat Epiphanius l. c. Nicet. theſ. l. 1. c 1. *Cultum* etiam corrumpebant. Utebantur enim *Imaginibus* (amuleti inſtar geſtatis) *& incantationibus & invocationibus.* Irenæo l. c. improbante. *Creatio* opus eſt, juxta ipſos, non Dei, ſed *Angelorum*; hos enim feciſſe hominem, & cœlos numero 365. *Angelis* barbara affingebant nomina, quæ Irenæus recitat. (3.) Circa *Chriſtum* enormiter errabant. Nam negabant eum *Deum* Nicet. Chron. th. l. 4. c. 1. & *hominem* ſed Angelum creatũ; extitiſſe, & paſſum eſſe, ſubſtituẽtes illi Simonem Cyrenæũ. Unde, *ſi quis,* inferebat, *confitetur crucifixum, adhuc hic ſervus eſt, & ſub poteſtate eorũ, qui corpora fecerunt: Qui autem negaverit, liberatus eſt.* &c. Iren. l. c. Evertebant igitur totam ſalutis noſtræ œconomiam, quam etiam rationem puto, quod redeuntes ad Eccleſiam Catholicam fuerint baptizati, referente Nicet. l. c. (4.) Circa *hominem.* Prorſus abſona docebant. Nam quod *reſtitutionem* attinet, putabant *fidem* eſſe ipſi naturalem, & electionem ex merito contingere. Clem. Alexand. Strom. l. 2. p. 271. Danæ. d. hæreſ. ad c. 4. Auguſt. Remitti peccata non omnia, ſed ea tantum, quæ *involuntaria*; eodem referente. Pietatem ſusque deque habendam. Nam neque martyrium eſſe pro crucifixo, utpote Simone, ſubeundum, neque valedicendum libidinibus, ut-

pote

(2.) Errores de fidei principio.

Deo.

Christo.

homine.

pote ἀδιαφόροις: hinc etiam factum, ut reliquias martyrum debito quoque suo honore privarent. Iren. lib. III. c. 20. *Resurrectionem* nullam fore, utpote corpore corruptibili. Hæc & similia alia errorum monstra persvadebat ille per incantationes suas (Nam & hic Magus fuit) simplicioribus. (III.) *Adversarij.* Cum venenum serpere viderent orthodoxi, obviam ibant etiam scriptis. Meminit ex illis Eusebius cujusdam Castoris Agrippæ scriptoris suo tempore præstantissimi, qui Basilidem calamo adortus gloriam non exiguam reportarit. Liber adhuc ætate Eusebii extabat lib. IV. c. 7. Nicetas thes. orth. libr. 4. c. 1. id cumprimis refutat, quod dixerit datorem legis fuisse Angelum creatum: In Deum ipsum manifeste refractarius est, cum Mosaicam legem ab Angelis datam esse asserit. Nec enim Angeli dederunt, sed is demum, qui Mosi locutus est, & seipsum Eum qui est nominavit. p. 248. (4.) *Assecla* Patris fuit filius Isidorus, Theodoret. libr. 1. §. 4. de hæret. (3.) Adversarii.

§. 6. *Pseudoapostoli.* Enarravimus quosdam ex discipulis infelicis Magi Simonis. Forsan in ipsis fuerunt nonnulli, quos veris Apostolis molestos fuisse ex Actis & epistolis Apostolicis docemur. Operæ igitur precium fuerit de his quædam annotare (I.) *Errores* fuerunt fundamentales. Nam impegerunt (1.) in *principium fidei* scriptutam, cui superaddebant traditiones humanas, conquerente Paulo Coloss. II. 22. (2.) In articulum de *Christo.* Nam negabant Deum nostrumque Salvatorem Jesum, arguente Juda in epist. ℣. 4. *Officio* quoque derogabant, quod & Angelos Mediatores constituisse videantur Col. II. 18. seq Cent. 1. Magd. l. 2. c. 5. f. 374. & contra negasse salutem ex Christo pendere 1. Tim. I. 19. 20. (3.) De *homine.* Nam *justificationem* tribuebant etiam operibus. Actor. XV. 5. & *Salvationem* iisdem, contra sententiam Petri. vers. 11. fidem statuebant merè historicam, qualis est etiam dæmonum; Jacob. II. 9. vid. Hutter. in art. III. F. C. p. 335. unde non mirum Apocal. VI. 16. eos desperare in sua operum fiducia. In quotidiana *renovatione* non minus urgebant leges ceremoniales, quam morales. Gal. IV. 9. 10. Philip. III. 2. Col. II. 20. alii *auctores erant, ut qui essent in matrimonio deprehensi, quando ad fidem convertebantur, à re uxoria velut jam illicita in perpetuum abstinerent, atq; virgines, viduæ, aut cœlibes non nuberent omnino.* Quod deducit ex 1. Corint. VII. Sanderus d. visib. Monach. libr. VII. p. 231.

(4.) Asseclæ. V. *Pseudoapostolorum.* (1.) *Errores* de principio fidei Christo. homine.

Alii in alterum extremum proni licentiam carnis fovebant. Jud. epist. vers. 8. 12. *Resurrectionem* spiritualem esse dicebant; adeoque jam contigisse. 1. Cor. XV. 12. 2. Tim. 18. *Diem extremum* instare tradebant. 2. Thessal. II. 2. ut eo facilius Thessalonicensibus persvaderent largam in se liberalitatem. Conjectura est Baronii ad an. 53. §. 21

(2.) *Finis.* (II.) *Finis* fuit Syncretismus. *Hæc doctrina orta est ex confusione Judaicæ doctrinæ & Christi. Ac procul dubio hæc tam concinna conciliatio plausibilis fuit. Nam Apostolorum doctrina, quæ tollebat prorsus, tam ritus, quam opera legis, in articulo justificationis coram Deo, videbatur asperior.* Cent. 1. Magd. l. 2. c. 5. f. 375. Hodie ovum ovo non est similius, quam Syncretismus inter partes Christianorum, quem Irenici infausto omine moliuntur.

(3.) *Asseclæ.* (3.) *Asseclæ.* Fuerunt multi & splendidi coram populo. Nam in Ecclesiis fere omnibus Apostolicis turbas movebant. Ex Hierosolymis, ubi exclusi, egressi Antiochiam vehementer turbabant. Act. XV. 1. seqq. Nec reliquis Ecclesiis pepercerunt Galaticis cumprimis. Gal. IV. 9. seqq. Asiaticis. 1. Tim. I. 6. 7. 2. Tim. IX. 15. Philippos etiam macularunt. Philip. II. 2. Colossos. II. 10. Corinthum. 1. Cor. XV. Cretam. Tit. I. 9. Thessalonicam. 2. Thessal. II. 2. ipsam etiam Romam. Phil. I. 16. Hodie Papatus quid aliud est, quam fermentum Pseudoapostolicum, utpote in quo bona, sic dicta, opera fidei non tantum in justificatione adjunguntur, sed & præferuntur.

(4.) *Mores.* (4.) *Mores.* Infensi erant genuinis Apostolis, Paulo cumprimis, quem videbant gentilibus favere, & strenue in functione sua progredi. Hujus igitur ministerio derogabant, tanquam Apostoli adulterini. Dona & labores extenuabant; famam arrodebant: Erga auditores erant superciliosi, insolentes, avari, tyranni: Suam cumprimis nobilitatem, dona, merita, prærogativas jactantes.

(5.) *Hostes.* (5.) *Hostes.* Totum collegium Apostolicum opposuit sese turbonum horum conatibus, collecta, ad preces Pauli & Barnabæ, Synodo, quâ meritis & necessitate operum explosis, uni gratiæ omnia in negotio salutis transscribuntur. Actor. XV.

Asseclæ non Lutherani. Sed nos sectarii hæreticorum istorum dicimur cum à Pontificiis; tum à Calvinianis: ab illis, referente Vedelio Exercit. l. de epp. Ignat. c. 14. quod reliquias martyrum non veneremur, sicut nec Basilides olim, ab orthodoxis propterea reprehensus. At immerito hac premimur calumnia. Martyrum, si veræ verorum sunt, reliquias debito honore afficimus,

non.

non tamen veneramur cultu divino, imitati pios veteres apud Euseb. lib. IV. hist. c. 14. Spernebat has Basilides ex falso principio, à quo nos alienissimi sumus. Negabat ille Christum verè esse crucifixum; quare & martyria pro crucifixo dissvadebat. *Non oportet martyrium subire. Qui enim martyrium subit mercedis exors reperietur, quum martyrium sustineat pro eo, qui hominem fecit. Sustinet enim martyrium pro crucifixo Simone. &c.* Epiph. t. 2. hæres. 24. Viderunt autem Pontificii, quomodo sese ab hujus hæresis contagio liberos præstent. Basilides nolebat sua mysteria in vulgus efferri, quod canibus & porcis comparabat. Similiter Pontificii scripturam vulgo invident, ne κακοδοξία deprehendatur Papismi. Vide Hunn. de Apostas. Eccles. Rom. §. 696. Fidem esse naturalem ille dicebat, & electionem ex merito contingere; An nulli sunt inter Pontificios, vetustiores cumprimis, & Scholasticos, qui eos errores suos faciant? vide Hunn. d. Apost. Eccles. Rom. §. 699. seqq. 714. Silentium ille Pythagoricum inducebat: idem à suis Monachis requirunt Papistæ. §. 179. 777. Involuntaria peccata venialia dicebant; idem faciunt Papistæ. Calviniani urgent locum Irenæi. l. c. 23. reprehendit ille Basilidem, quod *imaginibus, incantationibus, & invocationibus uteretur.* Vedelius l. c. explicat locum, *Basilidem non ideo damnari ab Irenæo, quod tali vel tali imagine utebatur, sed quod simpliciter imaginibus utebatur.* Hæc ille. Sed falso. Nam qui *simpliciter* imaginibus interdixisset, si adhuc licet uti in picturis, in nummis, & aliis? sed Pontificii.

§. 7. In Pseudoapostolis numerandi sunt *Cerinthiani.* Nam Epiphanio t. 2. hæres. 28. auctore Cerinthus is fuit, qui Apostolis controversiam movit de vocatione gentium, & justificatione per fidem in meritum Christi ex mera Dei gratia profecta. Vide Nicet. thes. orth. lib. IV. hæres. 37. Sectatores ejus *hi sunt, qui à Paulo dicti sunt Pseudoapostoli, operatores dolosi, qui se transformant in Apostolos Christi.* Sic Epiphanius loquitur. Fuit autem (1.) *Cerinthus*, alias & Merinthus dictus, ut quibusdam, licet dubitanter, videtur; *natione* Judæus; ab *Aegyptiis* philosophiam didicit, vitiis pudendis obnoxius; Euseb. lib. III. c. 22. Postquam Christianismo nomen dedisset Syncretismum inter ipsum & Judaismum moliebatur. Epiphan. l. c. In Asia cumprimis & Ephesi Ecclesiæ molestus erat; ita ut Johannes in Asia tum temporis degens coactus fuerit Evangelium suum pro

VI. Cerinthianorum.

(1.) Auctor.

divinitate Christi ipsi opponere. Iren. d. hæres. lib. 1. c. 25. Dignum erroribus & vitiis nefandis exitum sortitus est; Si quidem collapsum est balneum, quod ipso intrante timuit Johannes: referente ex Polycarpo Irenæo lib. III. c. 3. & ex hoc Euseb. lib. III. c. 22. (II.)

II. Errores de fidei principio. *Errores.* Crassi satis & pestilentes fuerunt. (1.) *Circa fidei principium.* Nam verum rejiciebat, & falsum subintroducebat: *Verum*; nam *Paulum reprobabat, quod non obediverit circumcisioni*: referente Epiphanio. l. c. Evangelio Matthæi utebatur non ex toto, sed ex parte; docente eodem. *Reliqua tria Evangelia spernebat*; *actus Apostolorum abjiciebat*: ut explicat Philastrius. *Falsa* contra supponebat, Nempe *traditiones* à nescio quo magno Apostolo revelatas & conscriptas. Euseb. libr. III. c. 22. Nicet. thes. orth. l. IV. hæres. 37. Niceph. libr. III. c. 14. Baron. an. 97. §. 13. Gregor. de Valent. Analys. lib. V. c. 2. Tanner. dioptr. l. 2. q. 4. c. 20.

de Deo. (2.) *De Deo.* Nam alium Judæorum Deum fingebat, nempe Angelum, qui legem dedisset. *Judæorum Deum non Dominum, sed Angelum promens,* ita Tert. d. præscript. c. 48. ante dixerat: *ipsam legem ab Angelis datam perhibens.* Epiph. l. c. *Creationem* iisdem Angelis adjudicabat. Irenæo, Epiphanio, August. d. hæres. c. 8. testibus. Hinc cultus Angelorum manavit, quem repudiat Paulus Coloss. II. 18. explicante Clemente Alex. lib. VI. Strom. & Hieron. epistol. ad Algas. 251. q. 10. Theodoret. Comment. ad l. c.

de Christo. (3.) *De Christi persona* non unum errorem fovit; Nam non tantum veram ipsius *divinitatem* negavit, sed etiam *geminum* eum personâ finxit; Jesum nempe hominem, in quem Christus descendisset cum baptizaretur, sub specie columbæ; postea iterum recessisset, cum Jesus cruci affixus occideretur: vide Irenæum l. III. c. 11. Tertullianum, Epiphanium, Augustinum, Philastrium, locis citatis. *Resurrectionem* ejus negavit, adhuc futuram asserens, qua facta *regnum* ipsius fore mundanum, voluptuosum, per 1000. annos duraturum; hinc sectatores ejus dicti sunt *Chiliastæ.* Euseb. lib. III. c. 22. VII. 20. August. l. c. Theodoret. d. fab. hæret. lib. I. §. 3. Nicet. l. c. Irenæus quidem & Tertullianus errorem hunc non notarunt; rationem allegat Pamelius in notis ad Tertull. d. præscript. c. 48. nempe quod ipsi *alieni non fuerint ab isto errore.*

de homine. (4.) *De homine.* Negabat per solam fidem in Christum crucifixum, exclusis operibus, salutem acquiri; Nam circumcisionem urgebat & observantiam legis Mosaicæ: Epi-

Epiphan. & Auguft. l. c. ſi quis ſine baptiſmo moreretur, pro eo vivus aliquis ipſum recipiebat, ut *ne, ubi reſurrexerunt illi in reſurrectione pœnas dent, eo quod non acceperunt baptiſmum, & ſubditi fiant poteſtati, quæ mundum fecit.* Addit Epiphanius, qui hæc ſcripſit, *hac de cauſa traditio, quæ ad nos devenit, eundem ſanctum Apoſtolum dixiſſe ait: ſi omnino mortui non reſurgunt, cur & baptizantur pro ipſis?* hæc ille. Paulo poſt addit: *aliqui* (eorum ſtatuunt) *quod omnino mortui non reſurgunt.* Philaſtrius & hoc refert, *quod beatos martyres blaſphemaverit.* Contra Judam proditorem in precio habuerit. forte quod ſalutis noſtræ occaſionem dediſſet, prodito Chriſto. Vid. Philaſtr. poſt hæreſ. Nicolait. Nam ἀνωνύμως facit eos hæreticos. (III.) *Adverſarij.* Multos habuit. III. Adverſarii.
Præcipuos Apoſtolos. Nam contra eundem dicitur congregata fuiſſe Synodus Hieroſolymitana Actor. XV. Petrus dicitur eidem, cum litem propter gentiles receptos moveret, reſtitiſſe. Actor. XI. 2. ſeqq. Paulus eidem ſe objicere coactus eſt: nam Galatas turbavit; in epiſtola ad Galatas & ad Titum. c. I. Johannes cumprimis non tantum eo fine Evangelium ſcripſit, ſed & epiſtolas, ut non obſcurè patet ex 1. Joh. II. 19. 22. IV. 3. & Apocalypſin. Baron. an. 97. §. 14. Poſt hos quidam Gajus in diſputatione; referente Euſeb. lib. III. c. 21. & Dionyſius Alexandrinus. l. VII. c. 20. Etiam Ignatius ep. ad Philadelph. p. 98. Epiphanius & Nicet. l. c. adverſus eum diſputabant. IV. *Aſſeclæ.* Multos & magnos viros fuiſſe, etiam integras Eccleſias, IV. Aſſeclæ.
quas corruperunt, ex hiſtoria Nov. T. patet. Hodie *Papatus* iisdem pollicem premit, dum ſpreta ſcriptura ſuas jactat traditiones non ſcriptas. Vide Hunn. de Apoſt. Eccleſ. Rom. §. 49. & 680. & revelationes immediatas. §. 700. ſeq. Cerinthus angelorum cultum introduxit; imitantur ipſum Papæi; Baronius equidem ann. LX. §. 17. conatur ἔγκλημα amoliri, & verba Theodoreti ad Coloſſ. II. obſcurare; Theodoretus, referente ipſo Baronio, teſtatur, *his temporibus exortam fuiſſe hæreſin, quæ diceret Deum univerſorum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum poſſe perveniri, & oportere per Angelos divinam ſibi benevolentiam conciliare &c.* Negat Baronius ſententiam hanc Theodoreti aptari poſſe hiſtoriæ temporum: Nec enim vel Simonem Magum, vel diſcipulos foviſſe ſententiam, quam Theodoretus explicaret: Eo quod hæretici Angelos malos, adeoque non compellandos, ſed fugiendos docuiſſent. Reſp. Hæretici plures Angelorum

ordi-

ordines statuebant, alios superiores, alios inferiores, *& hos constituisse ea, quæ sunt in mundo omnia. &c.* à Christo primogenito non esse debellatos: à nobis esse fugiendos (Iren. l. c.) docebant. Superiores igitur compellandos esse potuerant statuisse: Ad Cerinthum Baronius applicat, quod negasset Christi divinitatem, adeoque Angelos ipsi prætulisset. Sed hæc non pugnant Angelos esse Christo superiores, & per Angelos Deum esse adeundum.

VII. Ebionæorum (1.) Auctor.

§. 8. *Ebionæi.* Nomen acceperunt ab *Ebione.* Cujus (1.) *Nomen* alias etiam Hebion à Tertull. d. præscript. c. 48. Philastr. tit. Hebion. scribitur. Derivatur à paupertate cujus ipse & sectarii erant studiosi: Alludit Ignat. epist. ad Philadelph. p. 99, ad inopiam mentis καὶ ἔστιν ὁ τοιοῦτος πένης τὴν διάνοιαν, ὡς ἐπίκλην Ἐβίων: *Et est ejusmodi inops sensu cognomento Ebion.* Confer Tert. c. 48. d. præscr. Orig. lib. 2. p. 56. (qui & hoc notat, quod Christiani à Judæis dicti sint Ebionæi, quod Jesum pro Christo recepissent) & in Philocalia p. 17. c. 1. Euseb. lib. III. hist. c. 21. Epiphan. t. 2. hæres. 30.

(2.) *Errores* de fidei principio:

(II.) *Errores.* (1.) *De principio fidei.* S. Scripturam misere discerpebat. *Neq; enim totum librorum V. Mosis opus admittunt, sed verba quædam rejiciunt.* Epiph. l. c. *Etiam reprobant ac subsannant Davidem ac Salomonem. Similiter Isaiam ac Hieremiam, & Danielem ac Ezechielem, Eliam, ac Helisæum reprobant.* Sed neque à N. T. sceleratas manus abstinebant; Nam excepto Evangelio Hebraico Matthæi, quod recipiebant, reliqua omnia, imprimis Pauli, scripta repudiabant. Iren. l. c. & lib. III. c. 11. Orig. lib. V. cont. Cels. p. 294. Contra Actus nescio quos Apostolorum & circuitionem Petri exosculabantur. Epiph. l. c. Danæus in notis ad August. d. hæres. c. 10. scribit Eusebium libr. VI. c. 17. notasse *Symmachum Hebræorum bibliorum interpretem videri fuisse Ebionitam, quia omnes V. T. locos in sua translatione corrupit, qui divinam Christi naturam, & illius ex virgine nativitatem demonstrant,* Inquisivi locum, nec inveni. Ebionitam quidem dicit fuisse, & errores ex Evangelio Matthæi voluisse colorare; de corruptis Vet. T. locis nihil loco citato dicit.

De Deo.

(2.) *De Deo.* Trinitatem negabat. Nam Spiritum S. in figura fœminæ fingebat: Christum Deum esse negabat. Adorationem non soli Deo deferebat, sed & Hierosolymis; *& nominibus Elxai relatis, ut sunt cœlum ac terra, sal & aqua, venti & Angeli, panis ac oleum, opem ferte mihi, & removete à me dolorem.* Sic baptizati clamabant. Epiphan l. c.

(3.) De

(3.) *De Chriſto.* Hujus derogabat *naturæ divinæ*, aſſerens merum fuiſſe ipſum hominem, non Deum natura talem. Ignat. epiſt. ad Philad. p. 98. Euſeb. l. c. Epiph. l. c. qui addit varia abſurda ejus de Chriſto: quaſi in Adamum veniſſet, & ipſius corpore indutus, comparuiſſet, in eo paſſus, mortuus, reſuſcitatus. Derogabat & *officio*, dum pro Judæis tantum veniſſe diceret, referente Orig. Philocal. c. 1. p. 17. De *menſura* monſtroſè ſentiebat Elxai ὁμόψηφος, quaſi fuiſſet milliariorum 96. longitudine, latitudine 24. Epiph. l. c. (4.) *De homine* ſalvando. Nam ſtatuebat circumciſionem & legem eſſe ad ſalutem neceſſaria. Euſeb. lib. III. c. 21. ita refert: Δεῖν δὲ πάντως αὐτοῖς τῆς νομικῆς θρησκείας, ὡς μὴ ἂν διὰ μόνης τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως, καὶ τοῦ κατ' αὐτὴν βίου σωθησομένοις. Id eſt, vertente Chriſtophorſono: *Porro legis Moſaicæ obſervatione omnino ipſis opus eſſe (ſtatuebat:) perinde ac ſi ſola fide in Chriſtum, & vitæ ratione, quæ cum illa cohæret, neutiquam ſalvi eſſe poſſent.* Videtur E. referendus inter montes illos ignitos, qui præ pietate ardere videbantur Apoc. VIII. 8. Revera tamen in ſtudio pietatis & bonorum operum ferè nihil ſani ſtatuit. Licentiam ſcelerum fecit ſuis, imprimis in matrimoniis diſſolvendis, aliisque ineundis. (Virginitatis oſor & nuptiarum ſolicitator: adeo ut cogeret adoleſcentes. Epiph. l. c.) & in diſſimulanda fide *Fidem permiſit in perſecutione negandam, & in corde ſervandam.* Auguſt. c. 10. hæreſ. Nihilominus magnam præ ſe ferebant ipſe & ſui ſanctitatem. Congreſſi cum uxoribus mox ſeſe aquis abluebant; carne & vino animalibusque veſcendis abſtinebant. Epiphan. l. c. Cumprimis paupertati ſtudebant. Jactabant enim ſeſe poſteros eorum, qui Apoſtolorum tempore divenditis omnibus ſpontaneam paupertatem ſubiiſſent. Epiphan. l. c. Habent igitur Monachi ſuæ votivæ paupertatis auctores majores Ebionæos hæreticos. Ex dictis patet, quod *Syncretiſmus* fuerit Ebionæiſmus ex variis centonibus conſutus. Unde Epiphan. l. c. non immerito hunc vocat: πολύμορφον θερέσιον. *Hydram multiplicem; Nam Samaritanorum habuit abominationem, Judæorum nomen, Eſſæorum & Nazoræorum ac Naſaræorum opinionem, Cerinthianorum formam, Carpocratianorum improbitatem, & Chriſtianorum habere voluit appellationem, non fidem;* Addit ὀπίκειον: *Medius inter omnes exiſtens nihil eſt.* & Hieron. in ep. ad Auguſt. *Dum volunt & Judæi eſſe & Chriſtiani, nec Judæi ſunt, nec Chriſtiani.* Ex his conflata erat ipſius *Synagoga*; Nec enim Eccleſiam dici

de Chriſto.

de homine.

III. *Assecla.* volebat suum cætum. Epiph. l. c. referente. (III) *Assecla.* Cœpit virus suum disseminare in urbe Pella, quod mox sese diffudit in circumjectas regiones, & multos corripuit. *Divisi* sunt deinde sectatores in partes. *Ebionitæ sunt duorum generum, vel nobiscum fatenter Jesum natum è virgine; vel non ita, sed reliquorum more hominum.* Origen. l. 5. contr. Cels. p. 272. Illi sunt Nazaræi, vide Hieron. epist. ad August. Grot. annot. in Matth. & Voss. c. 2. diss. de gener. Christi. Petav. animadvers. in Epiph. hæres. 30. Spencer. in not. ad Orig. p. 33. Hinc conciliari potest Irenæus cum reliquis scriptoribus. Irenæus ita scribit: *Qui autem dicuntur Ebionæi consentiunt quidem mundum à Deo factum; Ea autem, quæ sunt erga Dominum, non similiter ut Cerinthus & Carpocrates opinantur.* Sermo est Irenæo de Ebionæis Nazaræis; non Cerinthianis, qui utique cum Cerintho sentiebant, ut observat Dn. D. Dannh. Christeid. phæn. II. p. 22. Alius divisionis meminit Epiphanius & ex ipso August. d. hæres. c. 10. *Huic hæresi Epiphanius Sampseos & Elceseos ita copulat, ut sub eodem numero, tanquam una sit hæresis, ponat, aliquid tamen interesse significans.* Elcesei dicti sunt à quodam Elxai Pseudopropheta, qui apud *Sampsenos, Ossenos, Helcessæos* in precio erat. Vide Epiphanium. *Pontificij*, dum persistunt in contemptu scripturæ, viderint, quomodo sese à communione Ebionitarum subtrahant. Vide Hunn. d. Apost. Eccles. Rom. §. 49. coll. cum 679. 680. Elxai *imaginaria quædam velut ex revelatione introduxit*, referente Baronio an. 97. §. 13. Eodem morbo Papatum laborare Hunnius ostendit §. 56. 700. Ebionæi bona opera fidei adjungebant; causs. 33. q. 3. dist. 2. c. 40. §. *Si enim inquit*; idem facere Pontificios ostendit Hunn. §. 779. Ebionæi observabant abstinentiam à carne; idem faciunt Pontificii. §. 732. 762. Illi abluebant sese aquis, tanquam peccata purgarent; idem faciunt Papistæ aqua lustrali. §. 741. Illi paupertate gloriabantur; Etiam hi: §. 761. Elxai sacra peragebat lingva barbara; idem mos est Pontificiorum. §. 774. Angelis illi cultum deferebant invocationis; deferunt & Papistæ §. 775.

divisi.

Pontificii.

VIII. *Nicolaitarum.* (I.) *Auctor.* §. 9. *Nicolaitæ.* (I.) *Nomen* extat in Apocalyps. II. v. 15. acceperunt ex Nicolao, qui fuit unus ex VII diaconis primitivis. Actor. VI. 5. An & doctrinam? Non æquè convenit inter omnes. Irenæus libr. I. de hæres. c. 22. Tertullian. d. præscript. c. 46. Hilar. in c. 25. Matth. Epiph. hæres. t. 2. §. 25. Hieron. ep. 1. & 48. August. d. hæ-

ref. c. 5. Philastr d. hæref. aliique affirmant: Et geminam tradunt erroris nefandi occasionem. Primam intempestivum Zelum, quo flagrabat in uxorem formosissimam; cum enim propterea reprehenderetur, dicitur sui purgandi gratia eam omnibus communem fecisse. Alteram intempestivum cœlibatus amorem. Cum enim alii dono heroico continentiæ proditi istis temporibus à conjugio sibi abstinerent, ipse eosdem imitaturus à sua conjuge abstinuit aliquandiu, victus tamen carnis impotentia iterum eidem sese commiscuit: Et, ut inconstantiæ velum obduceret, dicitur promiscuum omnibus fœminarum usum permisisse, adeo, ut æterna salute privari diceret eum, qui non quotidie venerem exerceret. Contra referunt alii Const. Apost. l. VI. c. 8. Ignat. epist. ad Trall. p. 15. ad Philad. p. 99. Nam vocat ψευδωνύμως *falsò sic dictos*. Clem. Alexand. Strom. l. III. Euseb. l. III. hist. c. 23. Theodor. d. fab. hæret. l. 3. §. 1. Phot. Bibl. cod. 232. §. 5. f. 902. Quod ipse neque tale quid fecerit, neque docuerit alios, sed castissimus potius & ἄζηλος fuerit. Quod autem ipse hypothetice dixisset, misceretur, qui vellet, suæ uxori, utpote cujus desiderio non teneretur; id sinistram in partem abreptum esse. Quid in tanto auctorum divortio dicam, vix habeo. Dicam tamen aliquid. Videtur omnino Nicolaus intempestive continentiæ donum affectasse; Nec enim licet suæ sese uxori subtrahere invitæ; quod qui facit periculo adulterii eam objicit, æquè ac ille, qui scortari, vel adulterium committere jubet. Sed nec ipse videtur sese continere potuisse, carne stimulante, adeoq; meritò rediisse ad pristinum usum: quodq; semel male cœperat, id aliis etiam extra hunc casum laudasse, sicut, uno dato, infinita absurda sequi consveverunt. Viri magni, ne errasse videantur, solent interdū ex erroribus suis dogmata facere, & acrius eos defendere. II. *Errores.* Varii fuerunt. Præcipui sunt (1) *de principio fidei.* Nam referente Philastrio d. hæref. *Evangelium consummationis, & visiones inanes, & plenas fallaciæ, & somnia videre diversa asserebant delirantes.* Unde dicuntur ἐνυπνιαζόμενοι à Juda epist. vers. 8. & Epiph. l. c. *libros quosdam in nomine Ialdabaoth efformantes confingunt.* (2.) *De Deo.* Nam eodem narrante, *cum ab initio unum Patrem dixerint, postea multos Deos pronunciaverunt.* Ex illis nominat quosdam Barbelo, Prunicum, Ialdabaoth, Caulaucauch voce ex Isaia corrupta. Barbaris autem ejusmodi vocibus terrorem

(2.) Errores de fidei principio.

de Deo.

& reverentiam hominibus incutere allaborabant. Irenæus l. III. c. 11. eosdem Cerinthianis annumerat, quod statuissent alium quidem fabricatorem, alium autem Patrem Domini. *Creationem* non Deo, sed Angelis adscribebant. August. l. c. Monstra absurditatum sunt, quæ de generatione mundi & Angelorum tradunt, piget nugas recensere, adeo putidæ sunt. Vid. Tert. l. c. Epiph. l. c. (3.) *De Christo. Naturam* ejus divinam *negabant*, quod colligo ex Iren. lib. III. cap. 11. f. m. 153. Nam ante Cerinthum divinitatis inficiatorem dicuntur Nicolaitæ eundem errasse errorem. *Personam* geminabant. Nam, eodem teste, *alium dicebant fabricatoris filium, alium vero de superioribus Christum: quem & impassibilem perseverasse descendentem in Jesum Filium fabricatoris, & iterum revolasse in suum pleroma, & initium quidem esse Monogeni &c.* Hæc & plura alia Irenæus. Baronius ad an. 68. §. 11.

de Christo.

de homine. huc trahit verba Judæ epist. vers. 4. (4.) *De homine*: Quam doctrinam & vitam Nicolao quidam ex patribus tribuerint paulo ante diximus. Consentiunt in eo, qui alias in illo dissentiunt, quod Nicolaitæ *licentiosè* & flagitiosè crediderint & vixerint. Ignatius epist. ad Trall. p. 15. φιληδόνυς: *voluptuosos* vocat. Idem ep. ad Philad. p. 99. refert docuisse τὰς παρανόμυς μίξις ἀγαθόν τι εἶναι; *illegitimos concubitus bonum quoddam esse, voluptatemq; esse finem beatitudinis summum*; unde vocat φθορεῖς τῆς οἰκείας σαρκός: *corruptores propriæ carnis*. imitatus Judam, qui vers. 8. scribit: σάρκα μιαίνυσι *carnem polluunt*. Confer Irenæum, Tertullianum, Eusebium, Augustinum, alios. Judas epistol. vers. 4. docet unde ansam sumpserint, nempe ex doctrina Evangelii de gratia. Hinc putarunt licere sibi quidvis facere, etiam *carnem polluere*. vers. 8. Eosdem συκοφάντας appellat Ignat. p. 15. Baronius ad an. 68. 11. Judam putat loqui de Nicolaitis, qui κυριότητα ἀθετῦσι, δόξας δὲ βλασφημῦσι. vers. 8. Idolothytis impune vesci docebant. Aug.

III. *Asseclæ.* 5. d. hæres. III. *Asseclæ.* Multi fuerunt & in varias sectas divisi. *Cleobulum* quendam & *Theodotum* appellat Ignatius. De Cleobulo conqueruntur Constitutiones Apost. lib. VI. c. 16. *quod pestilentes sub nomine Christi & Apostolorum compositos libros circumtulerit in fraudem* Christianorum. His alios addit *Epiphanius. Nam hinc*, inquit, *qui falso appellatam scientiam jactant, in mundo exoriri cœperunt, Gnostici, & Phibionitæ, & Epiphanis sectatores appellati: Stratioticiq; ac Levitici, atq; alij plures.* hæres. 25. *Gnosticos* in sectatoribus appellat. *Nomen* speciosum est *à scien-*

in quibus Gnostici.

tia.

ta deductum quod sibi viderentur altius in mysteria Dei penetrasse, quam alii; & assecuti notitiam Dei, quam laudat Paulus II. Cor. XII. 8. Col. II. 31. Origen. libr. V. contr. Cels. August. hæres. 6. Faciunt ex his peculiarem sectam Hæresiologi. Et notant (I.) *Errores* circa (1.) *principium fidei, scripturam.* Nam, referente Epiph. *hæres.* 26. *aversati sunt eum, qui locutus est in V. T. In utroq; (V. T. & N. T.) ubi verbum aliquod repererunt, quo impietas ista damnaretur, à spiritu mundano profectam dixerunt: à spiritu autem veritatis, quod ad concupiscentias suas potuerunt detorquere. Affirmare etiam ausi sunt ipsum Salvatorem hanc turpitudinem ipsis revelasse; præsertim Joh. VI. &c.* & inferius: *blasphemant non solum Abraam, Mosen, & Eliam, & omnem chorum Prophetarum; Sed & alia innumera apud ipsos conficta in literas referre ausi sunt.* Irenæus lib. 1. c. 34. prolixè refert eas nugas, Gregorius de Valent. analys. lib. 5. c. 2. verba Irenæi l. III. de hæret. c. 2. explicat de Gnosticis scripturæ accusatoribus. *Atq; hi* (ita loquitur) *contendebant, immerito ac perperam ipsis scripturas illas objici, non enim eas habere alioqui certam auctoritatem, & variè esse dictas, neq; posse ex illis elici veritatem sine adminiculo suarum illarum commentitiarum traditionum.* Hæc Valentianus. Amplectuntur Evangelium quoddam perfectionis, Evæ, Noriæ, somnia cujusdam Prophetæ Barcabbæ: *Nam libri ipsorum multi sunt. Interrogationes quasdam Mariæ edunt. Alij in prædictum Jaldabaoth, & in nomen Seth multos libros proponunt, & alias revelationes ipsius Adam proponunt. Alia item Evangelia in nomine discipulorum scribere ausi sunt.* Epiph. *Stirpem* Mariæ librum venerantur. l. c. (2.) Circa *Deum.* Synopticè August. c. 6. hæres. *De Deo,* inquit, *rerumq; natura fabulosa, & à sanitate veritatis aliena multa contexunt.* Nempe bonum alium, alium malum fingunt, eodem teste. Creatorem cœli & terræ vocant Sabaoth, sed asini vel porci naturam habere somniant. Epiph. l. c. de creatione ipsa Angelorum & hominum prorsus delirant. Vide Iren. libr. I. c. 34. ut & de nominibus, utpote barbaris. (3.) Circa *Christum.* Nam qui nobis creditur esse natus Dei filius ex B. virgine, hunc ipsi negant natum esse, asserentes esse tantum à Maria ostensum. Contra qui graviter scortatus fuisset, hunc laudabant, inaudita blasphemia, Christum. Porro veram quoq; humanitatem eidem denegant: teste eodem Epiphanio; geminam statuunt personam Christum & Jesum Iren. l. c. hunc, non illum esse crucifixum & resuscitatum. l. c. (4.)

[Margin: quorum narrantur | *Errores.* de principio fidei | de Deo. | de Christo.]

de homine. *De homine*, & mediis ad salutem ducentibus horrendum errant. Somniant stulta de lapsu hominis referente Irenæ. libr. 1. c. 34. Nam *Baptizant* in nomine *Ignoti Patris, in Veritate Matris omnium, & in nomine descendentis, Jesu.* Iren. libr. I. c. 18. *Eucharistiam* conficiunt ex semine virili (immane dictu) & menstruo fœminarum sangvine, illud panem; hoc sangvinem appellantes. His usus & pastus ab ipsis cœlo adscribebatur. *Scelesta* igitur *vita & doctrina erat.* Pudet referre, adeatur Epiphanius, cui ista legere volupe fuerit. Negabant concupiscentiam habitualem esse peccatum. Nam *quidam, qui se dicebat esse Gnosticum, exponens illud: Ego autem dico, qui aspexit mulierem &c. non censebat nudam judicare cupiditatem, sed si per cupiditatem, quod ex ea fit, opus procedens, ultra cupiditatem in ipsa peragatur.* Clem. Alex. lib. IV. Strom. p. 379. *Resurrectionem* carnis abnegabant. *Asserunt* enim *carnem perire & non resurgere.* Epiph. l. Justo igitur nomine dicti sunt Borboritæ.

II. *Assecla.* q. d. Stercorei, sues, qui in volutabro voluptatum & scelerum detinebantur. (II.) *Assecla*: Multos fuisse testatur vel sola historia sequentium temporum, ubi Gnosticorum frequens fit mentio. Hodie *Pontificij* Gnosticis subscribunt in controversia de scripturis, cujus negant auctoritatem ex se manifestam, certitudinem, claritatem, perfectionem. Vide Hunn. d. Apostas. Eccles. Rom. §. 689.

(4.) Adversarii. seqq. item in materia de concupiscentia. §. 721. IV. *Adversarij.* Fuerunt Apostoli & Apostolici viri. *Apostoli*, Nam Petrus videtur nefandas has hæreses notasse. 2 Petr. II. & seqq. Judas epistol. vers. 4. seqq. Johannes in Apocalypsi. c. II. 15. seqq. *Apostolici* viri: Ignatius in epistolis hinc inde: loca jam allegata sunt. Confer quæ de virtutibus Christiano dignis supra scripsimus. Theodoretus de fab. hæret. 3. addit Irenæum, Hippolytum Martyrem, Clementem Alexandrinum, Origenem & Hippolytum Episcopum & Martyrem. Adde Epiphanium, Nicetam, Euthymium; Danæi notas ad August. d. hæres. c. 6.

Sacramentariorum. §. 10. Agmen claudant *Sacramentarij.* Nam Ignatius, ut est apud Theodoret. dialog. 3. refert de quibusdam hæreticis, qui negabant Sacramentalem præsentiam corporis & sangvinis Christi in S. Cœna. Consequebatur hic error ex prioribus. Nam quia negabant veritatem humanæ carnis in Christo, etiam præsentiam sacramentalem negabant, ut deducit ipse Scult. med. Patr. p. 361. Quib-

suam

ſuam ipſe (Ignatius) confeſſionem orthodoxā opponit, quam ſupra contra Pontificios, & Calvinianos adduximus. Si majoris fidei eſſent epiſtolæ Marcialis Lemovicenſis allegaremus verba ipſius, quæ huc facerent, ex ea, quæ eſt ad Burdegalenſes. Sic autem inquit: *Chriſtus immaculatum corpus habens in ara crucis ipſum permiſit immolari. Quod autem Judæi per invidiam immolaverunt, putantes ſe nomen ejus à terra abolere, nos cauſſa ſalutis noſtræ in ara ſanctificata proponimus, ſcientes hoc ſolo remedio nobis vitam præſtandam, & mortem effugiendam. Hoc enim ipſe Dominus noſter juſſit agere in ſui commemorationem.* Utitur hoc teſtimonio Nic. Sanderus de Viſ. Monarch. lib. VII. f. 235. Non uſurus, ſi vel unius Bellarmini de ſcript. Eccl. p. 44. judicium ſequeretur. Theodoretus dial. III. f. 154. t. 4. opp. ſic ex Ignatio loquitur: *Euchariſtias & oblationes non admittunt, quod non confiteantur* εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν *Euchariſtiam carnem eſſe Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater benignitate ſua ſuſcitavit.*

§. 10. *Uſum* ex hæreſibus modo deſcriptis non unum colli- *Vſus* (1.) *di-*
gere licet. (1.) *Didaſcalicos.* Deprehendimus *Auctores* hæreſeως fuiſſe *daſcalici*
viros plerumq; in magna auctoritate conſtitutos, pietate, eruditio- de hæreſeon
ne, officiis, miraculis præclaros; Pſeudoapoſtoli enim Zelum pieta- auctoribus
tis præ ſeſe ferebant, ut bona opera & leges divinæ obſervarentur; Gnoſtici ſcientia divina gloriabantur; Baſilides Evangelia commentariis illuſtrarat. Nicolao honorificum erat officium demandatum & Spir. S. collatus; Simon Magus, Menander, Saturninus miracula edebant. *Cauſſa*, quam pleriq; prætexebant, erat ſpecioſa, nempe conci- Cauſſis.
liatio inter ſeſe Gentilium, Judæorum, & Chriſtianorum; ut perſecutiones vel odia tandem ceſſarent. Nec omittendum, quod primus hæreſiarcha Simon & diſcipuli ejus ſucceſſores Menander, Saturninus, Baſilides fuerint Syncretiſtæ Samaritani. *Materia* ab hæretici ſcorru- Materia.
pta erat *Scriptura Sacra*, quam vel rejiciebant, vel corrumpebant, vel additis traditionibus non ſcriptis, & revelationibus enthuſiaſticis imperfectionis arguebant, vidit hoc Johannes Apocal. VII. 1. ſeq. Nam videt angelos malos i. e. hæreticos retinere ventos, id eſt, doctrinam Spir. S. ſcripturis inſertam. Iterum cap. VIII. 7. vidit grandinem & ignem, miſta Sangvine, ſubinnuens philoſophiam, verbum Dei, additis pravis affectibus inter ſeſe fuiſſe commiſta. Articuli fundamentales de *Chriſto & Salute* hominis. Negabant enim

Jeſum

Jesum Nazarenũ θεάνθρωπον extitisse, qui agendo & patiendo salutem hominib9 restituisset. Deprehendis igitur majores Arii, Macedonii, Nestorii, Eutychis, Antichristi, (Absinthium Apoc. VIII. 11. vocat, quod acerbi fuerint errores) aliorumque, qui ex his fontibus suos rivos corruperunt. Corrupta doctrina de credendis, etiam mores laborabant corruptelis, sive θεωρίαν sive πρᾶξιν velis; Ut videas ex

forma.

fructibus quæ sit arbor: *Forma* tamen, non pro rei gravitate, erat horrenda. *Amplissimè* sese hæreses istæ diffuderunt. Vidit id Johannes, quare Apoc. VIII. docet arbores, gramina, mare, flumina, naves, aquas, id est, regiones & continentes & maritimas esse infectas. Mysteria præ se ferebant imperscrutabilia omni rationi, vitam quoque honestati vel charitati & libertati Christianæ con-

fine

gruam ducere visi. In *fine* tamen videbatur cujus toni. Nam dogmata detrahebant gloriæ Christi Salvatoris & honestati: Eleganter depinxit hoc Apoc. VI. 12. ubi *Sol* id est, Christus dicitur esse obscuratus; & *luna*, id est, Ecclesia in sangvinem conversa. Vita autem extremè horrendam reddebat religionem Christianam. Ea enim erat diaboli intentio, ut hinc fidem in Christum dubiam redderet per suos Magos θαυματέργυς, & sanctulos, ut credentes olim desperarent, dicentes montibus & Petris: cadite in nos &c. Ap. VI. 15. inde in odiũ Christianos adduceret gentilium propter scelera, quæ Pseudo-Christiani perpetrabant sangvinem Apocalyps. VIII. 8. id est, fœda & perniciosa. Utinam desisterent tandem Pontificii Evangelicos eadem injuria premere. Quidquid delirant Anabaptistæ, Enthusiastæ, Calviniani &c. id Lutheranis promiscuè imputant. Vid. Hunn. De Apost. Eccles. Rom. §. 792. *Remedium* aliud nullum erat, quam realis fuga & excommunicatio horum carcinomatum, contraria doctrina, & vita; Protestationes & refutationes absurditatum. Refutationes erant vel verbales, vel reales. Ille vel ore vel calamo; hæ variis signis, in quibus etiam erant imagines E. g. crucis, quas fideles hinc inde erigebant, ut fidem suam de Jesu crucifixo contestarentur, eamque contra hæreticos, qui eam negabant. Baron. an. LX. 6. *Applica* historiam hæreticorum ad scripta

(2.) *Elenchtici*

Apostolorum & Apostolicorum, deprehendes, nec vana fuisse ipsorum vaticinia, nec falsos elenchos, & de hortationes, quibus ute-

(1.) *Pontificiorum.*

bantur. (II.) *Elenchticum.* (1.) *Pontificiorum.* Multa disputantur inter

nos

nos & ipsos de hæreticis, qui sint cum in thesi tum in hypothesi; & quibus remediis coercendi. Bellarminus d. not. Eccles lib. IV. c. 5. *in omni insigni mutatione religionis semper ista 6. demonstrari posse*, ait (1.) *auctorem ejus* (2) *dogma aliquod novum* (3) *tempus, quo cœpit.* (4) *Locum, ubi cœpit.* (5.) *Quis eam oppugnaverit.* (6.) *Exiguum aliquem cœtum, unde paulatim aliis accedentibus cœperit.* Sumamus Gnosticos. Quis ipsorum *auctor* extiterit nec nomen indicat, imo quidam apud Philastrium (*ἀκέφαλοι*) nomen non habuerunt: Nec inter auctores convenit. *Dogma novum* non erat; Nam Epicuri de grege porci eodem pridem delectabantur. Nec *tempus* certum, nam varium traditur. Idem de *loco* dicendum; Nam variant auctores. Sunt quidem, qui ipsos oppugnabant, sed serius id factum: Seculo demum secundo, & tertio. Cœtum denique quis notavit? Inter notas, quod Ecclesia nostra falsa sit Bellarmin. libr. IV. de not. cap. 10. etiam ponit discordias inter Lutheranos, Anabaptistas, Sacramentarios, alios. Atqui *idem accidit Ecclesiæ Apostolorum*; *ex ea enim prodierunt Simoniani, Nicolaitæ &c.* Respondet Bellarmin. l. c. factum esse hoc *ex malitia diaboli*, non *ex doctrina Ecclesiæ.* Bene dicit, sed male applicat ad *solam* Apostolicam Ecclesiam. Nam idem nostræ quoque competit; Exiverunt, ex nobis; Nec enim erant ex nobis, Anabaptistæ, Calvinistæ, & alii. Qui ex nostris integri supersunt, habent regulam finiendarum controversiarum, scripturam, ex quibus sibi unanimi consensu concinnarunt Symbola, quibus inter nos indivisi ab aliis omnibus dividimur. In *hypothesi* annumeramur vetustioribus hæreticis; *Simoni Mago*, quod doceamus hominem salvari sola fide, non operibus, Bellarm. l. IV. de not. Eccles. c. 9. & quasi Deum faciamus caussam peccati. l. c. & sectis divisi simus; c. 10. *Gnosticis*, quasi sola fide nostra impietatem foveamus c. 11. *Ebioneis*, quod nuptias commendemus &c. Contra hæcce ἐγκλήματα remedium melius non est, quam nosse sententiam veterum hæreticorum, quibus Papistæ nos annumerant; Nam inde, nostrâ sententiâ collatâ; sole clarius apparebit, quam iniquè iis accenseamur; Contra quam optimè illi iisdem adscribi possint urgentes præter scripturam traditiones, & sua nobis somnia obtrudentes: fidei in Christum opera, cum illa justificat, jungentes: conjugiū subsannantes; &

quæ alia in præcedentibus hæreticis notavimus. *Remedia* contra hæreticos Pontificii duo potissimum faciunt concilia & vim. *Concilia generalia* non esse absolutè necessaria fatetur Bellarmin. libr. I. de Concil. c. 10. *Nam*, inquit, *primis trecenis annis caruit Ecclesia conciliis generalibus, nec tamen periit.* Sed particularia esse *simpliciter* necessaria contendit c. 11. Non putamus simpliciter esse necessaria ad hæreses tollendas. Nec enim legimus collecta fuisse, etiamsi *tomos conciliorum & historias Ecclesiasticas evolvere velimus*, ad quas tamen ipse provocat. Non negamus fuisse in Ecclesia Presbyteria & sua quoque concilia; at simplicem horum *necessitatem in extirpandis hæresibus* negamus. *Vim* nullam legimus factam esse hæreticis. Etiamsi enim nullum tum Magistratum politicum habuerit Ecclesia, tamen donum habuit vicarium animadvertendi in malos; ut Petrus in Ananiam & Sapphiram: Neque tamen legimus usurpatum fuisse in hæreticos, qua tales. Iterum disputatur inter nos & ipsos *de principio fidei.* Hoc nos solam sacram scripturam dicimus; ipsi traditiones etiam urgent, miracula, & alia: Etiam miracula referunt inter notas Ecclesiæ. Bellarmin. d. not. Eccles. libr. IV. cap. 14. At hæretici quoque urgebant traditiones, tanquam ab Apostolis acceptas. Edebant etiam miracula; Falsa quidem ea erant, sed tamen speciosa, ut inter ea, & vera in externis non esset discrimen. Num propterea ipsis credendum? aut membra ipsi veræ Ecclesiæ? Audiamus quid de casu hoc judicet Tertullianus d. præscript. cap. 44. Verba fecerat de hæreticis, de quibus & nos hactenus; subjicit effugia & argumenta ipsorum: *Adjicient*, inquiens, *præterea multa de auctoritate cujusq; Doctoris hæretici, illos maximè doctrinæ suæ fidem confirmasse, mortuos suscitasse, debiles reformasse, futura significasse, uti merito Apostoli crederentur:* Sic illi; quid Tertullianus? forsan agnoscit infallibilia in hisce τεκμήεια veræ Ecclesiæ? Minime. Nam addit responsum: *Quasi nec hoc scriptum sit venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent ad fallaciam muniendam corruptæ prædicationis.* Non negat hæreticos edere miracula eaque maxima; sed negat hinc confirmari ipsorum fidem, aut corruptam prædicationem. Quod igitur principium? subjungit ipse: *Dominicæ & Apostolicæ scripturæ & denunciationes*; quam vocat *regulæ doctrinam Apostolis delegatam.* Pamelius

ictum

ictum declinare vult, sed frustra se torquet. Gratias agit Christo, quod non permiserit diabolo, ut per Gnosticos, suos ministros, ederet miracula. Nam licet Gnostici non ediderint, Simon tamen Magus & alii hæretici *stupendis & mirabilibus præstigiis circumvenerunt atq; deceperunt populos,* ut ex Tertulliano ipse fatetur: ad quæ majorum suorum miracula etiam Gnostici provocabant. Idem fatetur Christum & Tertullianum miraculis hæreticorum nihil tribuere; Et tamen mox addit, *si, qui nova docent, etiam nova signa facerent (ut oportet in novæ religionis institutione) de Christi certè fide (ni fallor cum piis multis) actum foret in Gallia nostra ; Quandoquidem turmatim currunt ad ignotos nescio quos blaterones, sermone quidem fallaces, opere nullo potentes ostentis atq; miraculis destitutos, nulla denique virtute redemptos.* Calvinistas forsan notat & Lutheranos, si qui tum temporis in Galliis erant, his derogat miracula ; secus universa Gallia ad ipsos defecisset ; Id enim in religione nova necessarium ; At licet nova religio etiam miraculis firmaretur, ut Simon Magus aliique fecerunt ; non tamen fidem mereretur, si prædicaret, quæ sacris literis adversantur. Semper igitur etiam miracula ad verbum Dei examinanda sunt, an congrua illis confirment : Principium ergo fidei ipsa non sunt. Baron. ann. Chr. 34. §. 13. 14. contendit à nemine hæreticorum factum esse miraculum, quod verè miraculum dici posset ; ratione addita, quod vera miracula sint testimonia à Deo profecta, in gratiam veræ Ecclesiæ & doctrinæ. Rectè loquatur Baronius ; sed jam quæstio est: quæ sint illa vera miracula? An, quibus Pontificii gloriantur, ut errores suos probent, sint vera, quibus non possit subesse falsum? Id verò nos negamus, existimantes, si quod miraculum etiam verum esset; perpetraretur autem ab aliquo κακοδόξῳ in favorem doctrinæ, quæ à scripturis esset aliena, nullam id fidem mereri ; Deut. XIII. 1. seqq. Prius igitur transigendum nobis erit de controversiis ipsis, ex scriptura dijudicandis, quam miracula advocemus. (2.) *Calvinianorum.* Nam apparet, quod jam tum error ipsorum in aliis ab Ecclesia fuerit damnatus, utpote quæ veram & realem præsentiam corporis & sangvinis Christi in Eucharistia agnoscebat. (3.) *Syncretistarum.* Abhorrent Irenici à consequentiis ex hypothesibus adversariorum formandis. At primitiva Ecclesia non abhoruit. E. g. Simon Ma-

2. Calvinianorum.

3. Syncretistarum.

gus, Menander, Basilides, & alii negabant veram Jesu Christi divinitatem; eum tamen colebant: Ignatius hinc facit consequentiam, & vocat ἀνθρωποπλάστας. Nicolaitæ nomen sibi assumebant ex Nicolao, quem tamen Ignatius non agnoscebat auctorem erroris, vocat igitur eos συκοφάντας. Negabant alii Christum crucifixum; hos ergo censet *hostes crucis Christi*; imò Theodotum & Cleobulum hæreticos vocat *Diaboli fœtum*, *gignentes mortiferum fructum*; epist. ad Trall. p. 15. (III.) *Pædeuticum.* Hæreses equidem immania dant scandala iis præsertim, qui sunt extra Ecclesiam, ut gentilibus, cum viderent Judæos & Christianos, & hos inter sese divisos. At Origenes, cui Gnostici aliique à Celso objiciebantur, hinc veris Christianis nihil decedere respondet, τί τοῦτο φέρει ἔγκλημα τοῖς ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, *quid hoc crimen attinet ad Ecclesiam?* lib. V. pag. 272. paulo ante dixerat, *qui absurda figmenta & Jesu successoribus improbata introducant, nunquam Christianos fuisse.* Idem sibi responsum habeant, quotquot aliorum errorum crimina nobis imputant Lutheranis; Hodie in media Evangelii luce, quæ dissensiones & scelerum impudentiam merito confundere deberet, nihilominus inquieta sunt ingenia, quæ antiquam fidem convellunt placentes sibi in sua novitate; aut orthodoxam doctrinam in securitatem carnis convertunt, hos nihil derogare orthodoxiæ ejusque sanctitate vel inde scias, quod similia carcinomata nec veterem Ecclesiam sua privare laude potuerunt, utpote quæ sese omnibus modis ab illa culpa alienam esse ostendit.

(3.) Pædeuticus.

Ar-

Articulus VII.

De

JUDAISMO.

Argumentum.

Nomen. Miniſterium diviſum in Eccleſiaſticos & Scholaſticos. Illi in ſummos Pontifices, intermedios ſacerdotes, & inferiores Levitas; & Nethinæos. Hi in Archiſynagogos, Legisperitos, & Lectores. Vitia utriusq; ordinis. Doctrina corrupta in ipſo fundamento, nempe principio & articulis fidei fundamentalibus, de Deo, Chriſto, & homine. Eccleſia nec una, nec ſancta, nec Catholica. Fata antecedentia Chriſti nativitatem, concomitantia vitam, & conſequentia obitum, usq; ad excidium Hieroſolymorum.

§. 1.

HActenus de Eccleſiæ forma cum interna, tum externa & ipſo formato dictum eſt. Conſequens igitur, ut de ſubjecto hujus formæ verba quoq; faciamus. Eſt autem ſubjectum aliud remotum aliud proximum. Remotum voco id, cui forma iſta adhuc imprimenda; Proximum verò, cui jam eſt impreſſa. Illud ſunt Judæi atque Pagani: hoc ſunt ipſi jam Chriſtiani. De hoc jam diximus: de illis ſingulis tantum dicemus, quantum opus eſſe putamus. Et quidem initio de Judaiſmo, quod primo huic gratia Evangelica fuerit oblata, deinde gentilibus. Actor. XII. 46. Connexio.

§. 2. *Judæi* ſic dicti ſunt à Juda. Juſtin. Apol. II. f. 57. & nobiliſſima tribu Judæ, quæ ex captivitate Babylonica, addita tribu Benjamin, & reliquiis quibusdam cæterarum tribuum quaſi appendicibus, reverſa eſt. Vide Baron. ann. XXXI. §. 42. Cune. d. rep. Heb. lib. I. c. 10. *Miniſterio* uſi ſunt ſuo ſacro, & in aliquot ordines diſtributo. Generalius loquendo diſtribui poſſunt in Eccleſiaſticos & in Scholaſticos; *Eccleſiaſticos* voco, qui cultui divino erant conſecrati; Scholaſticos autem, qui in ſcholis docendæ juventuti vacabant. Illi diſtribuuntur iterum in ſummos, medios, & infimos. *Summos* dico Pontifices maximos. Hi enim præ cæteris omnibus, utpote ſibi ſubjectis, eminebant. Oriundi erant ex ſtirpe Aaronica, donec ea dignitas ad Aſſamonæos Levitas devolveretur,

Judaiſmi (1.) Nomen.

(2.) Miniſterium *Eccleſiaſticum.*

ut ſummi Pontifices.

grassantibus Alexandri M. successoribus. Sed postquam imperium Judaicum in se transtulisset Herodes, eandem dignitatem familiæ Aaronicæ restituit; Nam, ut Joseph. lib. XX. antiq. c. 8. refert πᾶσιν ἀσήμοις καὶ μόνον ἐξ ἱερέων οὖσι, πλὴν ἑνὸς Ἀριστοβούλου ἀπένειμε *quibusvis ex sacerdotibus etiam obscuris, absq; uno Aristobulo, concessit. Idem fecit in ordinandis Pontificibus Archelaus ejus filius, & Romani, qui post illum cum potestate præfuerunt provinciæ.* Hæc ille. Vide Selden. de success. in Pontif. Ebræ. c. XI. p. m. 347. Cune. d. rep. Hebr. lib. 2. c. 1. Ex quibus simul constat, penes quos hoc seculo fuerit potestas eligendi & constituendi summos in Ecclesia Judaica Pontifices, nempe penes Reges & Romanos; Extraordinarie etiam penes Zelotas & tumultuantem plebem.

Constituti à Regibus.

Illos, Nam præter exempla jam allegata, illustris est Herodis Agrippæ Chalcidensium Regis potestas, quam accepit à Claudio etiam pro suis successoribus, ut pro suo arbitrio constitueret Pontifices Judæorum. Nam Theophilum removit, & Simonem substituit; Et hoc dejecto, Matthiam, huic Alionæum; huic Josephum, huic Ananiam, & plures alios vel ipse vel successores. Signum hujus potestatis erat asservatio vestimentorum Pontificalium, quæ erat penes Herodem in turre Antonia, deinde Archelaum, & tandem etiam Romanos. Joseph. lib. XVIII. antiq. cap. 6. Euseb. libr. 1. c. 6. precariò interdum Judæis ipsis concessa.

Romanis.

Istos, Nam vel ipsi Romanorum Præsides eam exercuerunt potestatem, quod videre est ex Quirinio, qui Joazarum, sub quo Christus est natus, pepulit, & Ananum substituit Caiphæ Socerum, & Christi persecutorem. Qui ipse tamen à Valerio Grato Judææ Præside dejectus Ismaëlem quendam successorem habuit. Sed & hic ab eodem remotus substitutum vidit Eleazarum; Neque huic ultra annum favit Gratus; Nam dejecto succedere jussit Simonem. Huic Caipham; Huic Vitellius Jonatham; huic Theophilum idem; Joseph. XVIII. 3.

vulgo.

Hos; Nam Zelotæ tumultuantes quendam Phanniam sorte elegerunt hominem plane rudem, & ineptum. Ex quibus apparet quam hierarchia etiam Ecclesiastica laborare cœperit, postquam Messias advenisset, annua nempe, & præda facta alienigenis & Romanis. Euseb. l. I. hist. c. 6.

Recensentur nomina.

Fuerunt autem à nato Christo usque ad templi excidium Pontifices hi: Joazarus Simonis Boethi F. Eleazarus Fr. Joazari F. Jesus filius, Joazarus iterũ; Ananus F. Seth. Ismael Phabi F.

Elea-

Eleazarus Anani F. Simon Camithi F. Josephus Caiphas, Jonathas Anani F. Theophilus Anani F. Simon Boethi F. Matthias Anani F. Alionæus Cantharæ F. Josephus Canei F. Ananias Nebedæi F. Ismaelus Phahei F. Josephus Cabei F. Ananus Anani F. Jesus Damnæi F. Jesus Gamalielis F. Matthias Theophili F. Phannias Samuelis F. *Dividebantur* Summi Pontifices in ordinarios & vicarios. Nam, si quo impedimento ordinarius à sacris arceretur, vicarius pro eo sacris operabatur, & dicebatur סגן הכהנים vide Casaub. exerc. XIII. §. 8. p. 215. *Officium* erat liberum: *Non enim in ordinem cogebatur, neq; vices stationesve observabat.* Sancta ingrediebatur Sanctorum solus semel quotannis in die expiationis ea tantum hora, qua piaculare sacrum fiebat. Vestitu etiam & potestate à reliquis distinctus. Cune. d. rep. Heb. lib. 2. c. 1. Erat ea potestas partim Ecclesiastica partim aliquo saltem modo politica; illa; Nam exortis novis de fide quæstionibus aut controversiis ipse pronunciabat sententiam collecto concilio, examinabat reos, absolvebat vel condemnabat; Hæc, quia in Synagogis flagellandos curabat damnatos; Matth. X. 17. Donis quidem illustribus erant prædití, adeo ut Caiphas Prophetiam ederet, ita tamen, ut fallere possent & falli. Nam Caiphas erravit Johan. XI. 50. & ante ipsum Hyrcanus secta Sadducæus. D. Danh. Christeid. p. 66. Divisio.

§. 3. Medii erant Sacerdotes in XXIV ordines distributi. Sacerdotes. Horum capita dicebantur Ἀρχιερεῖς principes sacerdotum. Casaub. exerc. XIII. §. 10. p. 216. Habebant sub sese XXIV ordines, quorum duo erant Capita Eleasar, ad quem XVI. Ithamar ad quem VIII. referebantur. 1. Chron. XXV. 4. seqq. Etiamsi autem Josephus dicat illibatos mansisse hos ordines usque ad sua tempora, tamen Seldenus l. c. pag. 347. ex Thalmudicis ostendit *classes seu stationes alias XXIV. factas, veteresq; ita tantum in posterum dignitatem locumq; sortitas, quatenus novatæ distributionis classibus singulæ accederent &c.* Quidquid hujus rei sit, certè scriptura Nov. T. meminit ordinis Abiæ Luc. I. 5. unde apparet eos non omnino exspirasse; Ex quo loco simul de loco & tempore discas.

§. 4. *Inferiores* erant *Levitæ* Sacerdotum Ministri, & in tres Levitæ. classes distributi, juxta tria capita à quibus descendebant, Gerson, Kahat, & Merari. 1. Chron. XXIV. 6. seqq. Eorum fit mentio Johan.

hann. I. 19. Luc. X. 32. Ex quo loco simul apparet, quod in rebus etiam magni momenti adhibiti fuerint Levitæ. Maimonides etiam c. 1. halach. Sanhed. refert Levitas fuisse assessores in Synedrio. Vide Cune. d. rep. Hebr. lib. II. c. 9. Distribui igitur possunt in eos, qui rebus sacris, & eos, qui etiam politicis vacabant. Infimi erant *Nethinæi* ex Gibeonitis olim facti, qui lignatum aquatumque ibant. Jos. IX. 21.

Nethinæi.

& Scholasticum.

§. 5. *Scholastici.* Suas habebant Judæi Synagogas dictas etiam Proseuchas vide Philon. in Flac. & Hierosolymis complures, in certas suas nationes distinctas, quod patet ex Actor. VI. 9. ad quem locum vide interpretes. Doctores scholarum erant distincti cum juxta dignitatem, tum juxta functiones. *Dignitatem*, Nam erant, quipræ cæteris eminerent, *Archisynagogi* Marc. V. 22. Luc. XIII. 14. *primarij in Synagoga Doctores.* Vid. Centur. 1. Magd. libr. I. cap. 6. *Functiones.* Nam quibusdam erant *Theologica* ad docendum commissa, ut Pharisæis in cathedra Mosis sedentibus: Aliis, nempe Scribis & Legisperitis, *leges forenses* potissimum, quas interpretarentur, & disceptarent. Chemnit. harm. c. X. p. 128. Dicebantur communi voce Rabbi, διδάσκαλοι Joh. III. 10. & Presbyteri. Matth. XV. ✝. 2. suos habebant *Diaconos & Lectores*, qui prælegerent aliquid ex S. literis, de quo deinde Doctores disserebant, confer D. Danh. Christeid. p. 68. qui hæc latius excussit. *Forma* in Synagogis observari solita explicatur ab Ambros. comment. in 1. Cor. XIV. nempe: Locatæ erant cathedræ superiores, in quibus seniores; & inferiores seu subsellia, in quibus inferiores sedebant, novissimi omnium in mattis accumbebant; sic locati disserebant invicem, & dijudicabant. Vitiis & Scholastici & Ecclesiastici magnis sive secundam sive primam tabulam respicias erant obnoxii: Nam falsa sentiebant & docebant de rebus divinis; & pessimis moribus erant corrupti ambitione, avaritia, odio erga proximum, hypocrisi, & multis aliis, quæ hinc inde legas in libris Nov. Testam. præsertim in Evangeliis & Actis, in quibus corruptum Judæorum ministerium utramque facit paginam.

3. Doctrina.

§. 6. *Doctrina* in ipsum fidei fundamentum impingebat, adeo ut visibilis Ecclesia vera si non omnino, certè maximam partem interciderit. Ante hoc prædictum in cod. Sanh. Gem. c. 11. f. 26.

Tertio

Tertio Meſsiæ anno fames erit magna, ita ut intereant viri pariter & fœminæ & infantes. Viri pij & rebus geſtis præclari, & lex oblivione tradetur à diſcentibus. Pœna hæc erat ex Deo profecta, ſic puniente ipſorum ſcelera. Rom. 11. 8. 2. Cor. III. 14. *Principium fidei* erat corruptum. Nam ejus principium. præter ſcripturam, etiam traditiones urgebant non ſcriptas, ut non tantum ex Matth. V. XV. &c. ſed etiam ex Joſeph. libr. XIII. antiq. c. 18. patet. Nam refert: *Phariſæos plurimas conſtitutiones non ſcriptas à Moſe, ſed per manus à majoribus acceptas, populo tradidiſſe.* Etiamſi igitur Karaitæ noluerint præter ſcripturam recipere aliud fidei principium, paucos tamen habebant ſectatores. Nam Phariſæi primas in populo partes obtinebant. Corruptis hoc modo fontibus, & excœcatis mentibus, quid mirum eſt rivos inde derivatos nullos eſſe, aut corruptos? (1.) *De Deo* non rectè ſentiebant. Nam Principiatũ 1. De Deo unam tantum perſonam divinæ eſſentiæ, ſolum Patrem, agnoſcebant, Filio & Spiritu Sancto rejectis. Joh. VIII. 41. Solum Patrem recipiunt, vehementer offenſi, quod Chriſtus ſe ipſius Filium dixiſſet: in quo fundamentali errore ipſe etiam Caiphas ſummus Pontifex & concilium hærebat. Matth. XXVI. 65. Merito igitur Chriſtus eos arguit ἀθεότητος. Joh. VIII. 19. Nec obſtat 2. Timoth. I. 3. *Deo ſervio* ἀπὸ προγόνων *à majoribus*, ex quo loco Origen. libr. V. contr. Celſ. p. 271. probat eundem eſſe Judæorum & Chriſtianorum Deum. Nam ſermo eſt Paulo, ut & Origeni, de Judaica Eccleſia, quatenus ex ſcripturis V. T. conſtabat, ea eundem Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum colebat, quem Paulus Chriſtianus. (2.) *De Chriſto.* Impingebant in ipſius & naturas & officia. Illas; nam 2. de Chriſto. humanam tantum, non divinam agnoſcebant. Patet ex colloquio Chriſti cum ipſis habito. Nam ex Pſal. CX. diſputat pro Meſſiæ natura divina, quam Phariſæi cum humana conciliare nequibant. Vid. Orig. l. 4. contr. Celſ. p. 162. *Hæc,* Nam cum triplex ſit Chriſti officium Regium, Propheticum, & Sacerdotale, ipſi perversè de omnibus ſentiebant. De illo; Nam putabant Chriſtum fore regem mundanum, qui eos mundi Dominos eſſet præſtiturus Matth. XX. 21. Luc. XXIV. 21. Actor. I. 6. De iſto; Nam offendebantur, cum publicanis & peccatoribus Evangelium prædicaret; De hoc; Nam neſciebant, quod Meſſias vitam cum morte eſſet commutaturus. Luc. XXIV. 21. (3.) *De homine* in ſtatu deſtitutionis, reſtitu- 3. de homine

Q tio-

deſtituto reſtituto per juſtificationem.

tionis, id eſt, juſtificationis, renovationis, & Salvationis vel nihil ſciebant, vel perversè tradebant & credebant. Nihil; Nam Paulus inter Phariſæos ſectâ ἀκριβεστάτῃ educatus, nihilominus concupiſcentiam originalem neſciebat. Rom. VII.7. *Perversè*; Nam de *juſtificando* ſentiebant quod per ſua bona opera gratioſus apud Deum evaderet, & vitam æternam impetraret. Unde Chriſtus Matth. V.20. meliorem requirit juſtitiam ab illis, qui ſalvari volunt, quam qualis erat Phariſæorum & ſcribarum: Supponens

regenerationem.

Phariſaicam illam, & legalem non ſalvare. *Regenerationem* plane ignorabant. Joh III.4.ſeq. Nicodemus myſterii plane neſcius quærit ex Chriſto, quo pacto id fieri poſſit? pudenda ignorantia in Magiſtro!

renovationē

Quoad *renovationem* ejusque opera non melius ſentiebant. Deſcribebant enim eam ex operibus ſolum externis, exiſtimantes eum ſatis legi feciſſe, qui ab externis ſceleribus abſtinuiſſet, animo utut pravis affectibus laborante. Alius error non levior erat, quod ceremonialia legis & humanitus præcepta vel tradita præferrent cardinali de charitate præcepto, quod erga proximum negligebant. Matth. XV.5. peccabant E. in exceſſu, & in defectu. Manavit error in hierarchias *Politicam & Oeconomicam*. Illam; nam Magiſtratui infideli parendum eſſe ſibi non poterant perſvadere, quod innuunt ſua quæſtione Matth. XXII.17. & factis; Nam ſæpius rebellabant. πρῶτον ψεῦδος erat ſtirps Abrahamica & libertas priſtina, quam ſubinde jactabant. Joh. VIII.33. Hanc; Nam *Matrimonij* leges neſciebant, dimittentes facili negotio uxores, quod ſibi licere putabant ob repudii libellum. Matth. XIX.3. Ex his & ſimilibus videre eſt verum eſſe, quod Baron. appar. annal. §.7. ſcripſit: *Ipſa rectorum dogmatum ſincera doctrina plurimis undiq; erroribus erumpentibus fere penitus erat obſcurata, ut Judæi pene omnes altiſſima caligine involverentur, neq; ſatis quid verum foret dignoſcere ac dijudicare poſſent.*

4. Attributa Non- (1.) Unitas diviſa in ſectas Phariſaicam.

§.7. Deerant eidem Synagogæ etiam attributa veræ Eccleſiæ. (1.) *Unitas*. Nec enim erat indiviſa in ſe, & diviſa à quavis alia Eccleſia. Non in ſe indiviſa; Nam plures erant *Sectæ Phariſæorum, Sadducæorum, & Eſſæorum* Joſeph. antiqq. l. XVIII. c. 2. de bell. Jud. l. II. c. 7. *Illi* vel ſolo nomine unitatem turbabant, dicti Phariſæi à פרש ſeparando. Epiphan. hæreſ. XVI. diſtincti à reliquis cum quoad *doctrinam*, tum quoad *mores*. Illam, quod patet ex hypotheſibus

erro-

erroneis de traditionibus, quas exquisitè urgebant. Matth. XV. 1. de Stoico fato, quod probabant teste Josepho in sua vita; Etiam de μετεμψυχώσει Pythagorica. Joseph. l. II. c. 7. de bell. Jud. *Hos*; Nam peculiarem præ se ferebant rigorem Epiphan. in panar. lib. I. p. 20. prudentiam, sanctitatem, & charitatem. *Isti* Sadducæi dicti ab auctore Sadduc vel Saddoc, in eo quidem Pharisæis præstabant, quod sola scriptura sacra eaque tota veteris styli contenti rejicerent traditiones non scriptas. Sed alio non minus detestando errore laborabant, negantes aliam post hanc vitam; & hinc derivata sunt absurda alia, nempe non esse animam immortalem, aut judicium extremum, aut resurrectionem corporis, aut dæmones & Angelos; uno verbo Epicuri erant de grege porci; ne moribus quidem satis culti. Joseph. lib. II. de bell. Jud. c. 7. invaserant tamen ipsam etjam Pontificalem sedem, & hanc ante natum Christum, Pontifice Hyrcano Sadducæo. Errorum crassissimorum ansam acceperunt ex Magistro suo, qui bonis operibus vacandum esse docebat, etsi nulla post hanc vita alia nos & præmia manerent. Id ipsi absolutè intellexerunt, quasi nulla esset post hanc alia vita. *Essæi* sunt חסירים ὅσιοι sanctuli, vide Fuller. misc. lib. I. c. 3. Nam omne ipsorum institutum tribus absolvebatur τῷ φιλοθέῳ καὶ φιλαρέτῳ, καὶ φιλανθρώπῳ teste Philone. Proximè accedebant ad Pythagoræos & Monachos postea natos. Vide Euseb. l. 2. c. 16. hist. Eccles. Cento erant ex Sadducæismo & Pharisaismo consutus, Eclecticos merito dixeris. Potissimus inter errores erat ἀπιστία; Neque enim Messiam θεάνθρωπον credebant vel venturum, vel venisse. Philastr. hæres. Essen. His accedunt *Judæ Galilæi* asseclæ, neminem, nisi Deum, appellantes Dominum. Joseph. libr. XVIII. c. 2. antiqq. Actor. V. 37. Euseb. I. hist. c. 5. Tertullianus. de Præscr. c. 45. addit Dositheum Samaritanum, nervose stringens sectas recensitas: *Taceo*, inquiens, *Judaismi hæreticos: Dositheum, inquam Samaritanum, qui primus ausus est Prophetas, quasi non in Spiritu Sancto locutos, repudiare. Taceo Sadducæos, qui ex hujus erroris radice surgentes, ausi sunt ad hanc hæresin, etiam resurrectionem carnis negare. Prætermitto Phariseos qui addidamenta quædam legi adstruendo à Judæis divisi sunt: unde etiam accipere hoc ipsum, quod habent, nomen digni fuerunt. Cum his etiam Herodiani, qui Christum Herodem esse dixerunt.* Hæc ille cæteris *Herodianos* addens. Confer *Hemerobaptistas* apud Cle-

Sadducæam

Essæam.

Clementem in Conſtitutionibus lib. VI. c. 6. Epiphan. t. 1. lib. 1. de hæreſ. Contra unitatem pugnat etiam ſchiſma quod acre fuit inter Judæos Hebræos & Helleniſtas. Nam hi illis odio erant ob peregrinam terram, quam incolebant, lingvam græcam, qua utebantur, & templum, quod Heliopoli frequentabant. Cunæ. libr. 2. de rep. Hebr. c. 23. Inter Judæos & Samaritanos de templo Hieroſolymitano & Garizitano. Joſeph. XIII. antiqq. c. 6. Inter Traditionarios & Karaitas. Euſeb. lib. IV. c. 21. Auguſtin. dial. f. 239. Ex dictis colligas *Syncreticam* fuiſſe religionem Judæorum conflatam ex Gentiliſmo & Judaiſmo, & hoc ipſo diviſam in ſe, & indiviſam ab aliis. Non igitur habebant, quod *Samaritanis* & his Syncretiſtis inſignibus exprobrarent, cum ipſi eodem morbo laborarent. *Dicas:* Judæi à Gentiliſmo abhorruerunt quam maximè, nolentes vel ullam imaginem inter ſuos tolerare, laudante Origene lib. IV. cont. Celſ. pag. 181. 182. Sed nec lingvas peregrinas admittebant, utpote profanas. Joſeph. antiq. lib. XX. c. ult. Baron: an. 45. §. 33. an. 72. §. 22. Reſp. antiqvum obtinebant, muſcas colantes & camelos deglutientes. Grande enim Idolum in ſinu exoſculabantur Deum perſona unum: Sic alia ſaltem ex parte gentilibus illis erant ſimiles, qui unum quoque ſolum Deum venerabantur, & impletum, eſt quod in Beth Iſrael f. 50. dictum: *Regnum* (temporibus Meſſiæ) *obruetur hæreticis opinionibus.*

Syncreticas.

(2.) Non-Sanctitas.

§. 8. (2.) *Sanctitas.* Nec enim vel in doctrina vel in moribus, vel in cultu ſacrorum externo nomen illud merentur. Non *in doctrina*; Nam erat nec ſalutiflua, utpote extra fontem ſalutis Chriſtum derivata; nec ſanctiflua; nam perversè de rebus agendis & omittendis tradebant; Nec ſolatiflua, Nam bonis operibus confidebant, & de ſtatu poſt mortem errores fovebant; quod modo delibavimus: Nec *in moribus*; Nam hi erant corruptiſſimi. Caput ipſum Pontifex lethali morbo decumbebat ob ſcelera, quæ perpetrabat, ſeditioſi, injuſti, ambitioſi, Simoniaci; Refert Patriarcha Alexandrinus: *Herodem neminem ad ſacerdotales honores evexiſſe niſi qui donis & pecunia eos redemerit,* Symbolum erat: ἀργυρέαις μάχε βέλεσι καὶ πάντα νικήσεις, id eſt, *argenteis pugna telis & omnia vinces.* Membra ipſa non meliora. *Phariſæi genus hominum aſtutum, arrogans, & interdum regibus quoq; infeſtum, ut eos etiam apertè impugnare non vereatur.*

Jo-

Joſeph. l. XVII. c. 3. *Judas & Sadocus omnium calamitatum auctores ſuper tres priſtinas ſectas quartam induxerunt, & novitatum cupidos affatim ad ſe contraxerunt; id quod non in præſens tantum turbavit rempublicam, ſed futurarum etiam cladium fuit ſeminarium.* lib. XVIII. c. 1. Non hoc ſolum Cleri vitium, ſed & populi, quod ex Gem. Sanh. cap. 11. ſ. 26. docet Cl. Hotting. hiſtor. Eccleſ. ſect. 1. pag. 2. & ex Sotæ cap. ult. l. c. Non equidem deerat ſpecies aliqua ſanctitatis cum reverentiæ & zeli erga Deum, tum charitatis erga proximum, unde toties legimus ipſorum æmulationes pro veteri lege contra novam Chriſti hæreſin, jejunia, eleemoſynas, preces, veſtes, decimas, purificationes, Sabbathi & feſtorum obſervantiam; templi viſitationem. Sed Chriſtus latētia ſub eo pallio vitia detexit, dealbatis clerum comparans ſepulchris, quæ intus fœtore ſqualerent. Ita & *cultus* ſatis quidem ſpecioſus erat, ſed in merum μορμολυκεῖον degeneraverat. Gens hæc, ſi quæ alia, præclarè Deo uſa eſt propitio. Nam ſuum ipſe verbum, teſtamenta, oracula, & quid non? concredidit; Rom. III. 2. *Chariſmata* etiam ſua habuerunt. Luc. XI. 19. His Judæi depoſitis turgidi gentiles alto ſupercilio contemnebant, ſed eventus docuit Deum excisis propter ἀπιστίαν nativis oleis oleaſtros gentiles inſeruiſſe. Rom. XI. 19. ſeqq. Superſtitiones variæ irrepſerunt, quibus ſuus verbo Dei honor ademptus, & officium cum erga Deum, tum proximum eſt interceptum. Zelus erat fervidus tanquam pro Deo, ſed plerumque cœcus, contra ſtimulum calcitrans. Vid. Baron. ann. 72. §. 22. 23. Aquilam foribus templi ab Herode defixum ſecuribus conciderunt; Scuta à Pilato vel in ſuo palatio dedicare noluerunt; Vitellium cum aquilis ſuis Judæam intrare abnuerunt; Recuſarunt in Judæa & Ægypto Cajum venerari Deum: Etiam fumus idololatriæ moleſtus erat Cæſareenſibus & Dorenſibus: Cumana tempora viderunt, quam eſſent acerrimi religionis cultores. Idem teſtantur frequentes ipſorum ad Cæſares pro religione legationes: Hæc & ſimilia alia veniam in quibusdam adhuc, vel etiam laudem merentur. Neutrum autem ea, quæ in Chriſtianos perpetrarunt verpi. Id quod ex uno diſcas exemplo. Reſurrexerat ex mortuis Chriſtus, id verò indigniſſimè ferebant Judæi, quare ἄνδρας ἐκλεκτοὺς *viros electos* miſerunt in univerſum orbem, qui non tantum mentirentur Chriſtianos eſſe atheos, ſed etiam impoſtores

qui Christum mortuum ex sepulchro sustulissent, ut resurrexisse crederetur. Justin. in dial. cum Tryph. f. 181. 262. (3.) *Catholicismus* aberat. Nam degeneraverant Judæi à majoribus, qui verbo Dei contenti ab ἀλλοτρίοις abstinebant. Ipsi contra novitias novellorum Patrum adinventiones exosculabantur.

(3.) Acatholicismus.

5. Fata.

§. 9. *Fata* gentis sic corruptæ observa: Nam Deum justum scelerum vindicem deprehendes. Varia autem sunt, sed contrahamus ad tria capita, Antecedentia Christi nativitatem, concomitantia, vitam, & mortem consequentia. *Antecedentia* sunt (1.) *initia imperij ad Romanos translati.* Disceptabant invicem Hircanus & Aristobulus de principatu; Pompejus igitur arbiter vocatus illum Hyrcano majori natu adjudicavit. Id indignè ferens Aristobulus urbem armata manu occupavit; hinc factum est, ut Pompejus eandem adoriretur, occuparet, & jure belli retineret. Redditur autem principatus Hircano, sed precario; Nam ex hoc tempore *Judæorum gens facta est Romanis vectigalis.* Euseb. libr. I. c. 6. Joseph. libr. XIV. antiq. cap. 8. (2.) *Translatio potestatis regiæ in stirpem Herodis.* Gratiosus erat apud Hyrcanum quidam Antipater gente Idumæus, qui suis commodis intentior imperio Judaico cœpit insidiari; nec frustra fuit; Nam præstita Cæsari opera in bello Ægyptiaco obtinuit pro se & filiis Judææ tutelam. Filios habebat Phaselum & Herodem, qui Patri successerant; cum vero Antigonus utrumque dignitate exuisset, Herodes Romam profugit, & Augusti Senatusque suffragiis Judææ regnum recuperavit. (3.) *Diminutio pristinæ potestatis.* Herodes enim ad regnum evectus omnibus modis allaborare cœpit, ut acceptum firmaret: firmare autem non poterat salvo Synedrio; Quare quæsita caussa Sanctum hunc & pervetustum consessum sustulit, substitutis in occisorum locum suis sibique addictis. Hoc nervo inciso Herodes pro libitu dominabatur, & crudelissimè, quotquot sibi adversarios noverat, necabat. Sceptro à Judæis sic potissimam partem ablato, nascitur Christus. Nota ergo porro fata *Concomitantia* annos illos XXXIV. quibus in terra vixit Salvator. Prægnante adhuc Maria virgine & matre Christi Augustus censum agit per Cyrenium Syriæ Præsidem, etiam in Judæos, quod evidens signum erat potestatis politicæ in Romanos translatæ. Cujus descriptionis meminit Lucas II. 1. seqq. Ignat. ep. ad Philipp. §. 1. Tert. Apol.

contra

contra gent. c. 21. & libr IV. contr. Marc. c. 7. 91. de carne Christi. c. 2. Parebat Judæa, Christo in ea versante, partim Romanis Præsidibus & procuratoribus, partim posteris Herodis Magni, divisa in Tetrarchiam. Luc. III. 1. seqq. Supererat tamen aliqua species pristinæ potestatis in triplici isto judicio, quod Judæis relinquebatur, infimo, medio, & summo. Illud erat in minoribus oppidis, & constabat ex Triumviris; istud ex XXIII viris colligebatur, in civitatibus, quarum cives erant plures 120; Hoc denique erat ex LXXII. præstantissimis viris congregatum in capite gentis Hierosolymis: Tractabat autem negotia ad totum populum spectantia. Vide Cunæ. de rep. Hebr. c. 13 l. 1. Casaub. exerc IX. 11. §. 5. n. 10. Sigon. d. rep. Hebr. lib. VI. cap. 7. In sacris etiam potestas permissa Judæis. Id quod Titus apud Joseph. libr. VII. bell. Jud. c. 4. ingratis exprobrat: *Nonne vos, inquit, ô sceleratissimi cancello sanctum locum protexistis? nonne literis Græcis & nostris incisas tabulas constituistis, quibus, ne septa cuiquam transgredi liceat, edicitur? Nonne eos, qui transissent, quamvis Romanus quis esset, vobis necare permisimus?* Hæc ille. Summa tamen rei erat penes Procuratores, qui fuerunt à nato Christo usque ad mortem c. Coponius cum Quirinio Præside in Judæam ab Augusto missus; M. Ambivius, Annius Rufus, Valerius Gratus, & Pontius Pilatus; Post mortem Christi ad excidium usque urbis erant Marcellus, Cuspius Fadus, Tiberius Alexander, Cumanus, Antonius (Claudius) Felix, Porcius Festus, Albinus, Gessius Florus. Sigon. d. rep. Hebr. lib. VII. c. 4. Sub illis Procuratoribus Judæi cum intra tum extra Palæstinam male habiti. Caussæ erant variæ. Nam cum Quirinius juvante Coponio censum instituere vellet, erant quidam Zelotæ, Juda Gaulonita & Sadduco Pharisæo incentoribus, qui seditionem propterea moverent, cædibus & rapinis omnia implentes. Joseph. lib. XVIII. c. 1. antiqq. Euseb. Chron. an. III. Postquam deinde Pilatus Cæsaris imagines clam noctu Hierosolymis intulisset, & statuisset, iterum sese opponebant, mori potius, quam ista ferre volentes. Joseph. l. 2. de bell. Jud. c. 8. Iterum concitantur, cum ex sacra pecunia aquæductum moliretur; sed pejus quam antea habiti comprimebantur. cap. 4. Euseb. Chron. ann. 34. sed hæc gesta post Christi obitum. Romæ etiam adversa usi sunt fortuna, culpa quorundam impostorum, qui donativum Fulviæ Proselytæ Hierosoly-

mita-

mitano templo, ut debebant, non intuliſſent. Nam Tiberius conquerente Fulviæ marito Saturnino omnes propterea Judæos Roma expulit. c. 5. Sveton. in Tiber. c. 36. Tacit. Annal. II. concitabatur à Sejano, Euſeb. Chron. an. 35. *Conſequentia* Chriſti obitum non meliora; imò deteriora fuerunt, ſive ipſam Judæam ſive regiones exteras malis. Euſeb. Chron. an. Chr. 33. Seditio inter Judæos & Græcos Alexandriæ orta concitaverat Cajum adverſus illos, cum mandaret *Petronio*, ut Judæos vi cogeret ad Cæſaris cultum. Et factum fuiſſet, niſi mors inopina Cajum ſuſtuliſſet. Antiqq. lib. XVIII. c. 11. de bell. Juda. lib. II. c. 9. Euſeb. Chron. an. 40. Nova deinde ſuccrevit cauſſa. Nam Judæi facto in Philadelphienſes impetu *Fadi* Procuratoris iram in ſe converterunt. libr. antiq. c. 1. idem factum eſt Theuda tumultuante: c. 2. Euſeb. hiſt. lib. 2. c. 10. His annumera Judæ Galilæi filios ab Tiberio Alexandro punitos capit. 3. *Cumano* Procuratore iterum Judæi ipſi ſeſe cladibus affecerunt, dum panico metu perterriti ipſi ſeſe ad 20000 contererent. cap. 4. Euſebius Chron. an. 47. refert 30000. Præludium hoc erat cladis à Cumano acceptæ, ob Samaritanos male habitos. c. 5. antiqq. & de bell. c. 11. lib. II. Liberati ab hoc Judæi *Felicem* nacti ſunt Procuratorem, ſed ſibi ſatis infelicem. Nam hic eſt, qui ſeductos ab Ægyptio Mago ſupplicio affecit. c. 6. & lib. 2. de bell. Jud. c. 12. Euſeb. lib. II. hiſt. c. 20. Chron. an. 54. Hoc ipſo regente Judæam ſeditio in Cæſarea Palæſtina orta magnam multitudinem Judæorum perdidit. an. 56. *Feſtus* ſucceſſit & huic *Albinus* non melior eosdem preſſit. cap. 13. Donec tandem *Florus* tantis eosdem affecerit injuriis, ut armis contra Romanos correptis ultimum ſibi exitium Nerone Cæſare conflarent. l. X. c. 9. & de bell. l. II. c. 14. ſeqq. Euſeb. Chron. c. 65. & 69. Extra Palæſtinam ſuper eosdem manſit maledictio. Nam in *Aegypto* etſi 1000000 ſuorum numerarent, Baron. an. 64. §. 12. 13. vexati tamen à Grecis miſerunt quendam Philonē ſuorum præſtantiſſimum ad Cajum, qui Judæorum cauſſam ageret, ſed victus ab Apione gentilium patrono re malè geſta domum eſt reverſus. l. XVIII. antiq. c. 10. Pejora adhuc fuerunt fata gentis in *Babylonia*. Nam Aſinæo & Anilæo fratribus & ducibus arma corripuerant contra Babylonios & alios, cum orta inter fratres diſcordia, & altero veneno extincto, qui ſupeterat Anilæus tandem & ipſe à Babyloniis, & cum eo 50006. Ju-

dæo-

dæorum Seleuciæ occiduntur. c. 12. Hæc præcipua gentis infelicissimæ fata docent, quam non fuerit frustranea vox, qua sua capita sangvini Christi devoverunt olim, cum ipsum ad necem postularent. Vide Euseb. lib. II. hist. Eccles. c. 6. 25. III. 5. seqq. Baron. ann. LXXII. 22. 23. seqq.

§. 10. Huic genti prædicatum est Evangelium additis stupendis miraculis à Christo, Apostolis, LXX discipulis, & viris Apostolicis eo fine ut converterentur. Conversionis media (1.) *Ordinarium* erat verbum Dei in S. literis V. T. contentum, & oretenus prædicatum, etiam N. T. Evangelia. Epiph. 30. hæres. f. 57. t. 2. Recipiebant Judæi principium, scripta Mosis & Prophetarum. Apparet ex certamine inter Judæos & Samaritanos coram Ptolomæo; Nam ex sola *lege probationes afferebant*. Joseph. antiq. libr. XIII. 6. nisi quod quidam traditionibus etiam suis adhærerent non-scriptis. Ex illis igitur Christiani contra Judæos disputabant. Exemplum præbet Petrus in festo Pentecostes, dum allegatis ex Prophetis & Davide testimoniis tria audientium millia convertit. Actor. II. 41. Apollo nitebatur scripturis, cum Judæos convinceret. cap. XVIII. 28. seqq. Berrhoenses in scripturis scrutabantur, an cum ipsis congrueret? quod Paulus docuisset XVII. 11. Eadem vis erat verbi prædicati; Nam idem est verbum, quod scriptum. Actor. III. 4. VIII. 4. 12. 32. 35. IX. 20. seqq. X. 35. seq. XI. 21. XIII. 15. 48. XIV. 3. XVI. 14. Quadrat huc, quod Origen. lib. 3. contr. Cels. p. 152. dicit: *Doctrina eorum, qui primi laboraverunt in constituendis Ecclesiis, ipsaq; prædicatio habuit quidem suadelam, at non qualem professores sapientiæ Platonicæ, aut alterius hominis nihil supra humanam naturam habentis; sed fuit Apostolorum Jesu persvasio data divinitus per fidem inspiratam efficax: Quapropter celerrimè cucurrit eorum prædicatio, vel Dei potius ipsorum ministerio, transformans multos natura peccatores & assuetudine, quos nemo hominum mutasset pœnis quantislibet; at verbum Dei recudit eos formatos juxta voluntatem suam.* Hæc ille. (2.) *Extraordinaria* erant miracula. Actor. IX. 8. 35. 42. & calamitates, quibus Judæi non pauci ad Christianismum adducti sunt.

Conversio (1.) ordinaria.

(2.) Extraordinaria.

§. 11. *Dicis:* Nulla igitur superfuit Ecclesia vera, cum Christus nasceretur? superfuit; Etsi in oculos, qua vera erat, non incurreret. Nam erant, qui vera fide exspectarent Messiam venturum,

ſuamque fidem bonis quoque operibus comprobarent cum viri tum fœminæ; ut Simeon, Zacharias, Nathanael, &c. Hanna, Eliſabetha, Maria &c. Poteſt enim Deus & ſolet corrupto etiam Miniſterio & cultu publico externo; tamen ſibi Eccleſiam, etſi inviſibilem, colligere, & ſub illo conſervare; ſicut factum in Judaica. Hæc naſcebatur ex verbo, quod Phariſæi in cathedra Moſis ſedentes, prædicabant, & circumciſione, quam adminiſtrabant. Subſtantia horum mediorum erat adhuc ſalva, etſi multæ ſuperſtitiones & aliena acceſſerint, quæ tamen effectui non obſtabant juſtifico, ſanctifico, & ſalvifico. Colligimus hinc contra Pontificios, quod Eccleſia viſibilis vera deficere poſſit. Becanus Man. lib. 1. c. 3. aſſumit noſtrum argumentum, quo poſſibilitatem illam probamus ex Eccleſia Judaica *tempore Chriſti, quando tota Synagoga cum omnibus ceremoniis ſuis exſpiravit.* Sed nō bona fide ſic format argumentū noſtrum Jeſuita. Eccleſiam Judaicam viſibilem exſpiraſſe dicimus, quòd tum nullus in ea cætus ex Doctoribus & auditoribus illuſtris extaret qui religione pura uteretur: id quod apparet ex corpore doctrinæ, quod ſupra retulimus. Etiamſi autem Becanus hoc diſſimularet tamen evidentia argumenti ea erat, ut in Rc. ad. 3. fateretur: *Synagogam tempore Chriſti defeciſſe, hoc verum eſt.* Verum igitur & hoc eſt: *Eccleſiam viſibilem poſſe deficere, vel errare in fide:* quod Pontificii negant. Sed putat Becanus argumentum noſtrum non eſſe ad rem: Quæſtionem enim eſſe hanc: An Eccleſia viſibilis tota poſſit deficere à vera fide? Et non: An Eccleſia viſibilis poſſit repudiari finita ipſius periodo? Hoc quidem ex Eccleſia Judæorum rejecta probari; *Non quod tum defecerit à verâ fide, quam antea profitebatur, ſed quia tunc repudiata eſt, cum ſuis ceremoniis & ſacrificiis, & in ejus locum ſucceſſit Eccleſia Chriſti.* p. m. 71. §. tertium eſt. Apparet hinc quo fine paulo ante Jeſuita aliter formaverit argumentum, quam à nobis ſolet formari, nempe, ut locum inveniret reſponſio, quæ ad rem non eſt. Repudiata erat & defecerat Eccleſia Judaica, cum adhuc cæremoniæ ejus & ritus honorificè haberentur. Deinde Paulus ſuum circumcidit Timotheum, & capillos; jubebantur etiam gentiles abſtinere à ſuffocato & ſangvine; Actor. XV. 20. Et tamen jam tum exciſæ erant oleæ nativæ, ſubſtitutis nativis; Roman. XI. 17. ſeqq. Defecerant pridem plantæ iſtæ à doctrina Moſis & Prophetarum, quam ſuam fecerat Chriſtus

&

& Apostoli; Ipsa igitur sese repudiaverat Ecclesia, etsi fatalis terminus tum non adfuisset, ut exspiraret. Unius rei plures esse caussæ possunt, ut repudiatæ Synagogæ, corrupta doctrina, & Ecclesia Christi, quæ successit. Absurdus aut ineptus est Wagnereccius in Anti-Dorsch. part. III. c. 8. §. 1. p. 391. Cum Ecclesiam Judaicam etiam postquam *per totum orbem maledicta, & sine templo, sacrificio, sacerdotio, & principe dispersa, scribit retinere suos Rabbinos, Synagogas, non solum suis, sed & Christianis aliis, agentibus nota & conspicua.* Aut enim hanc putat Ecclesiam esse visibilem veram, aut falsam; si illam, absurdus est, & sibi ipse contrarius, qui putat maledictam Ecclesiam esse veram Ecclesiam; si hanc, ineptus est, utpote aberrans à statu controversiæ. Nec enim quæstio est? An falsa Ecclesia sit visibilis? Sed, an vera? qualis Judaica hodierna non est.

Articulus VIII.

de

GENTILISMO.

Argumentum.

Gentilismi descriptio. Gentiles qui: divisi in ἱερουργοὺς & auditores. Illi distributi. Defectus veri Numinis & cultus, & morum. Nec una, nec sancta, nec Catholica; Argumenta Christianorum contra gentilismum pro Christianismo; vice versa gentilium argumenta contra Christianismum pro gentilismo. Parallelismus inter notas Ecclesiæ Pontificiæ & gentilis.

§. 1.

ALterum objectum, cui Christiana fides erat conferenda fuit Gentilismi.
Gentilismus. Operæ igitur precium erit de hoc quoque verba facere; neque eo tantum, qui seculum primum afflixit, sed etiam de eo, qui secundum, tertium, & quartum. Nam sibi similis error extitit in his seculis, ut opus non sit de eodem in singulis mentionem facere, i. e. idem bis terve quaterve tractare.

§. 2. *Descriptio* gentilismi colligi potest ex dictis Rom. I. 21. descriptio.
29. 1. Cor. XII. 2. Ephes. II. 12. seq. IV. 18. seq. 1. Thess. IV. 5. Origenes potissima complexus ita definit: *Gentiles sunt qui cœlestis Numinis ignari inter templa & simulacra festaq; statis mensibus recurrentia volutantur, ex*

cœcati animo; *Præsertim si ad impietatem accedat vita luxu libidinibusq; perditissima, non habita ulla honestatis ratione, sed observiendo solis turpibus cupiditatibus.* Hæc ille lib. III. contr. Cels. p. m. 158.

descripti *gentiles.* §. 3. Definitum sunt *Gentiles*; dicti alias præputium. Rom. II. 26. Græci à potissima sui parte 1. Cor. I. 22. ἔθνη. Matth. X. 5. τὰ μὲν γὰρ ἄλλα πάντα γένη ἀνθρώπεια ὑπὸ τοῦ προφητικοῦ πνεύματος καλεῖται ἔθνη. id est, *reliqua omnia hominum genera à Prophetico spiritu dicuntur gentes,* inquit Justin. Apol II. f. 69. *Dividuntur* in Ministerium & auditores. Illud in Ecclesiasticum & Scholasticum. Illud apud quosdam populos, Romanos præsertim, distribuebatur ratione sexus in viros & fœminas; Illos iterum in summos, medios, & infimos. Summi erant Pontifices Maximi, & Curiones. Illi maximi dicti, quod *maximarum rerum, quæ ad sacra & religionem pertinent judices essent, & vindices contumaciæ privatorum & Magistratuum.* Dionys. l. 2. rer. Rom. disputabant de Theologia gentili, ut de Scævola refert August. d. Civ. D. lib. IV. c. 27. Hanc dignitatem primus in Cæsares transtulit Augustus, quam successores, etiam Christiani, retinuerunt Pontifices Maximi dicti; usque ad Gratianum, qui primus edicto proposito se & suos successores hoc titulo abdicavit. Hanc puto caussam extitisse, cur rerum sacratum curam gesserint Cæsares etiam Ethnici. Tiberius dicitur ad Senatum retulisse de Christo in numerum Deorum recipiendo. Euseb. lib. II. c. 2. Et ante ipsum Augustus, postquam Pontificatum Maximum esset adeptus, *quidquid fatidicorum librorum Græci Latiniq; generis nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebantur supra duo millia contracta undiq; cremavit. Ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoq; delectu habito; conditiq; duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi.* Sveton. in Aug. c. 31. Iterum Tiberius *Externas cæremonias Aegyptios Judaicosq; ritus compescuit.* in Tiber. c. 36. *Medij* erant Pontifices reliqui, & Maximo inferiores, ut & Curiones, Flamines diversi generis, Salii varii, Duumviri, decemviri, XV. cimviri, Reges Sacrorum &c. *Infimi* erant ministri horum in Sacris Camilli, Flaminii, æditui, tibicines, popæ &c. *Fœminæ* etiam vel sacerdotes vel sacerdotum ministræ; Illarum nominatissimæ erant Vestales virgines ex nobilissimis lectæ, quæ sancte quidem, si castæ; severissimè tamen, si impuræ, habebantur. Vide Lipsium de vesta. *Scholasticos* voco Poëtas & Philosophos præsertim, qui gentilium Theo-

Theologi & Doctores de mysteriis ethnicis disserebant, alios docebant, & contra adversarios propugnabant; Justinus Paræn. ad Gent. f. 1. memorat θεοσεβείας (ἑλλήνων) διδασκάλους ποιητὰς, *Poëtas religionis Ethnicæ doctores.* Origenes lib. I. contr. celſ. p. 19. eosdem appellat gentilium δογμάτων πατέρας καὶ ἀρχαίους θεολόγους Ἑλλήνων: *dogmatum parentes, & priscos Theologos Græcorum.* Tantique faciebant, ut ἐνθέους *divinitus inspiratos* crederent. Hesiodum præsertim; lib. IV. p. 187. De Philosophis, Platone præsertim & Aristotele, credebant τὸν περὶ τῆς θεοσεβείας παρειληφέναι λόγον, quod *comprehenderint rationem divinæ religionis* imò τέλειαν καὶ ἀληθῆ μεμαθηκέναι θεοσέβειαν *perfectam & veram eos didicisse Theologiam.* Justin. paræn. f. 3. & 4. Inter Philosophos celebris est quidam Christianorum hostis *Crescens* Cynicus, qui dicebat ὡς ἀθέων καὶ ἀσεβῶν χριστιανῶν ὄντων, quod *Christiani essent athei & impii*, uti refert Justin. Apol. I. f. 36. Tatian. Orat. f. 204. Et *Celsus* secta Epicureus, qui duos contra Christianos libros scripsit, sed postea ab eruditissimo Origene refutatos, lib. IV contra Celſ. p. 186. V. 274. Apud alias nationes suos quoque habebant Sacerdotes & Scholasticos. Laudantur enim Clementi Alexandrino Αἰγυπτίων τε οἱ προφῆται, καὶ Ἀσσυρίων οἱ χαλδαῖοι, καὶ Γαλατῶν οἱ Δρυΐδαι, καὶ Σαμαναῖοι Βάκτρων, καὶ Κελτῶν οἱ φιλοσοφήσαντες. id est, *Aegyptiorum Prophetæ, Assyriorum Chaldæi, Galatarum Druidæ, Samanæi Bactrorum, & Celtarum Philosophi.* lib. 1. Stromat. confer Origen. libr. I. contr. Celſ. p. 19. Porphyr. d. abstin. lib. IV. p. 167. qui vocat θεοσόφους: *Sapientes Dei*: Cæl. Rhodig. libr. XIII. antiqq. c. 25. *Haruspices, conjectores, ariolos, vates* addit Arnob. libr. 1. contr. gentil. p. 13. confer Tatian. orat. cont. gent. f. 205.

§. 4. *Definitio* constat (1.) *Caussa* gentilismi, quæ est excœcatio mentis. Cœcitas duplex est naturalis & habitualis. Illa connascitur, hæc justa Dei vindicta à diabolo propter antegressa scelera introducitur. Rom. I. 21. seqq. (2.) *Partibus essentialibus* impingentibus cum in tabulam decalogi primam, tum in secundam; in primam contra Deum; in secundam contra bonos mores. Contrà Deum cum privativè, ignorantia, vel directa negatione, aut certè dubitatione Arnob. lib. I. contr. gent. p. 18. Minuc. Octav. cont. gent. veri Numinis, & defectu veri cultus; tum positivè contrario sensu & cultu Idolorum: Ut non nimium dixerint, qui gentiles dixe- Caussa. Partes.

runt ἄθεοι Eph. II. 12. Cypr. cont. Demetr. tract. 1. p. m. 217. Origen. lib. VI. cont. Celſ. p. 277. Arnob. lib. c. probat. Dicebant gentiles quidem eſſe calumniã, quod ἄθεοι eſſent; ſe enim colere Deum, nempe Jovem. Sed ℞. Arnobius: Jovi ea à gentilibus tribui, ut Deus eſſe non poſſit. Artis autem opus eſt omnes gentiliũ Deaſtros diſtinctè referre, adeo confuſa eſt πολυθεότης. Conabimur tamen. Ille Non-Deus, à gentilibus cultus, eſt vel *Non-vivus*, vel vivus; Illud vel *negativè*, vel privativè; *Negativè* ut quatuor elementa, ignis, ſub nomine Veſtæ & Vulcani, illius cœleſtis, hujus terreſtris: Aër, ſub nomine Jovis, quem frigidum, ſerenum, pluvium, tonantem, &c. appellarunt; Aqua ſub Neptuni, Theſidis &c. ut fontes fluminum, in quorum gratiam fontinalia inſtituta, delubra exſtructa, & coronæ jactæ; Terra, quam Cererem, cõmunes Matres, & Lunam dixerunt. Sidera, ut Sol quem Apollinem, & Luna, quam Dianam dixerunt; vide Juſtin. Apol. II. f. 53. 76. dial. cum Tryph. f. 274. Clem. Alex. Protrept. f. 7. 20. Arnob. lib. I. cont. gent. p. 17. VI. p. 209. *Artificialia*, ut ſtatuæ, acinaces, haſtæ, plutei; *Habitualia*, eaque vel Ethica vel Phyſica. *Ethica* vel *bona*, ut virtutes, quarum gratia dabatur aſcenſus in cœlum, vel *mala*, ut vitia & ſcelera. Nam venerem, Deam libidinis, & volupiam colebant; vel *indifferentia*, ut mens, ſpes, Honor &c. *Phyſica*, vel *bona*, ut ſunt Dii, in quorum tutela homo eſſet; Sanitas, & alia; vel *mala*, ut morbi, Febris: pavor, & pallor, & alia quæ referre pudet. Cypr. d. vanit. Idol. p. m. 265. Juſtin. Apol. II. fol. 53. Auguſt. C. D. lib. IV. c. 20. 8. VI. 9. &c. Vel *indifferentia*, ut Quies, fortuna, ſilices, lapides, ligna &c. *Politica*, E. g. Victoria; *Privativè* non-vivum ſunt defuncti, ex quibus idololatriam cœpiſſe dicit Sap. XIV. 14. 15. dicebantur Dii indigetes, qui ex hominibus in Deorum numerum tranſiviſſent, quales erant Imperatores apud Romanos, eorumque Amaſii, ut celebris ille Hadriani Antinous; & apud alias gentes Legislatores e. g. apud Scythas Zamolxis, Cilicas Mopſus, Acarnanas Amphilochus, Thebanos Amphiarus, Lebadienſes Trophonius; in horum cenſum ſpectant Lares, Manes, Penates, Heroes, Novenſiles, Dii Samothracii, Compitales. Vide Orig. lib. III. contra Celſ. p. 131. Arnob. lib. I. contr. gent. pap. 20. *Vivum* objectum erant *Plantæ*, ut arbores, luci, cæpe, porrum, allium, rami, &c. *Beſtiæ*, ut crocodili, Cynocephali, ſerpentes, &c. *Homines*, ut Imperatores,

tores, quorum genii erant sacri; & mariti; Nam & horum genii in nuptiis invocati. *Dæmones*, qui sunt *mediæ & ambiguæ sortis*. Arnob. lib. 2. contr. gent. p. 67. Apulej. de Deo Socrat. p. 101. confer Rom. I. 23. 1. Cor. X. 20. Just. qq. & R.R. orth. q. 126. f. 369. Cypr. contr. Demetr. p. m. 221. Origen. cont. Cels. lib. I. pag. 16. III. 121. V. 249. VI. 277. Arnob. I. p. 27. Aug. C. D. VIII. 21.

§. 5. Corrupto objecto corruptus erat & *cultus* objecto delatus. Cultus vel *internus* vel externus. Ille fit fiducia, spe, metu, charitate, & apparuit ex cultu & gestu *externo*, qui fit vel verbis, vel gestibus, vel operibus. *Verbis*; Nam precibus sua idola invocabant, in nomine ipsorum vota concipiebant, aut juramenta edebant; gratias persolvebant; dona, templa, & si quid aliud dedicabant. Formulas hinc inde obvias nolo huc cumulare. Huc pertinent superstitiosa *scripta*, quibus magicam quandam sanandi, vel maleficia avertendi vim tribuebant. *Gestibus*, ut sunt προσκύνησις, sublatio manuum, osculatio, genuflexio. *Factis* seu operibus; ut sunt sacrificia, & quæ ad hæc spectant delubra, altaria, vasa sacra alia; heautontimoriæ, feriæ, epulæ, ludi & choreæ, dedicationes, peregrinationes, sodalitates, imagines, statuæ, vide D. Dannhau. Christeid. phæn. 1. p. 37. Cultus.

§. 6. Fonte ipso infecto, quis miretur rivos quoque fuisse depravatos. *Carnales spiritualia facere non possunt; neq; spirituales carnalia; sicut nec fides, quæ incredulitatis; & incredulitas, quæ fidei sunt:* verba habes Ignatii. Deus in reprobum sensum dederat impios Rom. I. 21. 1. Cor. I. 23. Accedebant prava exempla, quæ in ipsis Diis celebrabantur. Adorabant *celebrem illum ducem ipsum & parentem omnium, secundum eos, Jovem, parricidam, & patre tali genitum & præ amoris impotentia à malis fœdisq; voluptatibus victum, ad Ganymedem, & permultas adulteriis & stupris imminutas fœminas venisse, & liberos suos similium facinorum patratores suscepisse.* Justin. Apol. II. f. 52. August. C. D. lib. II. c. 7. seqq. 25. seq. III. 3. seq. Imo, eo malitiæ processerunt & impudentiæ, ut crederent Deum luxu & libidine coli, quod patuit ex sacris Bacchi & Veneris. Frequentiora scelera erant *Magia*, vide Actor. XIX. 13. 19. XVI. 6. Justin. Apol. II. f. 47. 50. Origen. libr. 1. contr. Cels. p. 45. seqq. III. p. 131. IV. 184. VI. 302. Baron. an. XVIII. §. 1. *Crudelitas*; est enim diabolus, quo agitabantur, homicida. A- Mores.

ctor.

ctor. XVIII. 17. XIX. 29. Rom. I. 29. 30. Cypr. cont. Demetr. pag. 219. 220. *Libido* nefanda. Rom. I. 26. VI. 19. 1. Cor. VI. 9. Eph. II. 3. IV. 17. 19. 22. Col. III. 5. 7. 1. Thess. IV. 5. 1. Petr. IV. 3. Justin. Apol. II. f. 47. Cypr. contr. Demetr. p. 219. Origen. lib. IV. cont. Cels. pag. 177. seq. Arnob. lib. I. contr. gent. p. 15. *Luxus*, qui sequebatur sacrificia; Nam epulis accumbentes vino sese, & mero ingurgitabant. Justin. Orat. ad Græc. f. 51. Ex his & similibus aliis apparet, quod genialia fuerint hæc gentilismi vitia. *Obscœnitates* in verbis & gestibus non tantum privatim, sed etiam publicè in theatris. Tatian. orat. cont. gent. f. 207. seqq.

Attributa. §. 7. *Attributa* veræ Ecclesiæ non competunt Ethnicæ. Nec enim erat (1.) *Una*: sed divisa in sese. Id quod testantur tot sectæ & diversæ opiniones de Deo rebusque divinis. Justin. cohort. ad Græc. f. 3. seqq. Theophil. lib. II. & III. contra Autolyc. f. 33. Tatian. contr. gent. f. 208. Arnob. libr. II. contr. gent. f. 48. 49. Euseb. libr. XIV. de præp. Evang. c. 1. seqq. Quatuor nobiles sectæ Peripateticorum, Epicuræorum, Platonicorum, & stoicorum; *Peripatetici* negabant preces aut sacrificia quicquam apud Deum valere, referente Orig. libr. 2. p. 68. nam providentiam ipsam non agnoscebant. lib. III. p. 156. nec animæ immortalitatem. lib. 2. p. 67. confer pluribus Euseb. l. c. 5. Tatian. contra Græc. fol. 209. *Epicuræi* adhuc deteriores negabant ipsum Deum, ejusque providentiam, & angelos. lib. III. contr. Cels. p. 132. 156. & animæ immortalitatem. lib. III. p. 159. resurrectionem corporum. libr. II. p. 97. Discrimen honestorum & turpium. libr. V. p. 247. in quo consentiebant cum Cynicis & Academicis seu Scepticis. *Platonici* contra de plerisque melius erant edocti, à Magistro, qui Hebræos doctores habuisse dicitur ab Orig. lib. VI. contr. Cels. p. 288. August. C. D. VIII. 5. seqq. Euseb. d. præp. Evang. lib. XIV. c. 1. seqq. Nec *Stoici* tam mali, quam superiores *Epicuræi*, quibus & in controversia de Deo, & de summo bono contradicebant. Lege Ciceronis libros de natura Deorum & de divinatione, quæstiones item Academicas, deprehendes meras pugnas, & andabatomachias, quibus miserrimi hominum de rebus divinis, ut cœci de coloribus, invicem disceptant, non habentes, ubi pedem figant. His accedunt tria genera Theologiæ μυθικὸν, φυσικὸν, & πολιτικὸν, de quibus Scœvola Pontifex doctissimus disputat apud

Aug.

Aug. C.D. l. IV. c. 27. VI. 5. seqq. & 31. seqq. quorum hoc receptam tuebatur religionem, istud controversias philosophorum inter sese in scholas remittebat. Illud poëtis relinquebatur. Vide August. de. C. D. l. VI. c. 4. Asiaticorum & Græcorum inter sese erant acerrimæ lites, & Romam delatæ, ut dijudicarentur: referente Tacito Annal. III. 61. (2.) *Nec sancta*, neque in doctrina, neque in cultu, neque in moribus, quod ostensum. Confer August. de C. D. lib. II. c. 4. seqq. Nec (3.) *Catholica*, si vocem sensu Ecclesiastico sumpseris. Nam degeneraverat à puritate, sanctitate, & veritate. Nihilominus habuit addictum sibi fere universum orbem, & hujus Dominos Augustum, Tiberium, Cajum, Claudium, Neronem, Galbam, Othonem, Vitellium, Vespasianum, Titum, Domitianum, &c. plerosque Zelotas in sua superstitione.

§. 8. *Scriptores* plurimi contra gentiles extiterunt olim, & extant adhuc plures. Nam quidam perierunt e.g. liber Melitonis & Apollinarii Hierapolitani pro fidei Christianæ veritate. Euseb. IV. 25. Miltiadis contra gentiles. V. 17. Irenæi contra eosdem. c. 25. Apollonii. c. 20. Quadrati & Aristidis. IV. 3. &c. Scriptores.

§. 9. Operæ precium erit excutere *argumenta* quibus Christiani gentilismum impugnarunt, & suam fidem propugnarunt. Nam hodie quoque, ubi religio apud multos etiam dictos Christianos friget, non supervacanea erunt, saltem ut *atheismus* confundatur. Amplissimum hoc argumentum est, in quo expoliendo non unius seculi, sed plurium patres desudarunt. Operam tamen dabimus, ut pleraque ab ipsis latissimè dicta in compendium redigamus, pugno Zenonis pugnaturi. Idque ideo, ne in sequentibus seculis idem bis terve ad nauseam usque repetere cogamur; Veniam dabis, æquissime lector, si quæ prætermiserimus; Nam & tuæ industriæ in vastissimo hoc argumento locum relinquere voluimus. Argumenta contra gentilismum ἀνασκευαστικά.

Sit igitur (1.) argumentum *à defectu genuini principii*, cui religio innitatur. Principium est duplex, quod & quo; Illud vel principale vel ministeriale. *Principale* est Deus; Ministeriale sunt homines, per quos Deus suam hominibus voluntatem & notitiam revelat. Utroque genuino carebant gentiles; Carebant enim vero Deo, quem ignorabant, colentes dæmonem, mendacii Patrem, & Idola mentis expertia. Ex Deo igitur veram rerum sacrarum no- (1.) à defectu principii.

titiam haurire nequiverant. Cum etiam ipsorum oracula obmutescerent. Habebant quidem suos etiam Theologos, Philosophos, Poetas, Historicos, Prophetas & Prophetissas, qui vel viva voce, vel in scriptis suis de rebus divinis disputarunt; sed neq; mores ipsorum, qui scelerati; neq; scriptorum contenta, quæ inepta, dubia, impura, contradictoria, adeoq; falsa & secum pugnantia erant, certitudinem aliquam legentibus vel audientibus prębebant. Ut nihil dicam de ætate, quæ, quam librorũ θεοπνεύστων, longe erat inferior, & plagiis, quæ dæmon, ipsorum doctor, vel ipsimet commiserunt in libris Sacris. Vide disputantes hac de re Justin. Martyr. paræneſ. ad Græc. f. 29. Theophilum Episcopum Antiochenum lib. III. contr. Autolyc. f. 330. seqq. orth Patr. Tatianum Justini auditorem in florentissimo contra gentiles libro f. 190. Arnob. libr. I. contr. gent. p. 20. 39, seqq. Aug. de C. D l. II. 4. 5. VII. 25. 26. Ex professo de hoc argumento Eusebium in prioribus de præparat. Evangelica libris, in quibus exagitat historicam gentilium Theologiam, quæ agit de oraculis. (2) *Defectu veri objecti, monstris opinionum substitutis*; Prolixe hoc probatum est paulo ante, cum objectum Theologię gentilis distincte proponeremus. §. 4. artic. VI. *Excipiebant* Gentiles. 1. Esse figmenta illa tantum poetarum, à quibus prudentiores, philosophi cumprimis, abhorrerent; Non igitur universæ Ecclesiæ imputandum esse, quod maleferiati peccarent. 2. Esse mysticè intelligenda, quæ durius & impurius sonarent. 3. Referenda esse ad Deum ipsum, quæ statuis exhiberentur. Neque enim sese tam stultos esse ut *argentum, æs, aurum, gypsum, ebur, argillam Deorum in numerum referrent, ipsáq; per se dicerent vim habere atq; obtinere divinam*, quæ ipsorum verba refert Arnob. l. VI. contra gentil. p. 201. 4. Infirmorum gratia statuas & imagines fabricari, qui non possent Deum sine figura externa sibi imaginari, metuere, & venerari. Ad 1. R. Justin. parænes. f. 3. Arnob. lib. IV. contra gent. p. 149. *Concedamus, ut dicitis, deformitatum tantarum concinnatores atq; inventores poëtas esse; immunes tamen à Deorum male-tractatione nec sic estis, qui aut talia cessatis maleficia vindicare; aut non legibus latis, & severitate pœnarum tantæ iistis obviam temeritati, constitutumq; à vobis est, ne quis post hac hominum, id, quod esset turpitudini proximum, aut Deorum indignum majestatibus loqueretur.* Hæc disertissimus Afer. Notanda iis etiam, qui hodie eadem contra orthodo-

2. Veri Dei.

thodoxos exceptione utuntur, quasi injuria fieret toti Ecclesiæ, quæ pauci peccarent; Quos tamen ipsi inter suos referunt doctores, nec sententias horridas damnare sustinent. Ad. 2. ℞. Origen. libr. I. contra Cels. p. m. 16. III. p. 121. IV. p. 192. Arnob. lib. V. contra gentil. pag. 180. *Nobis satis est, qui Deos à vobis scelerate contendimus impieq; tractari, quod scriptum est, quod auditur accipere, nec curare in abdito quid sit. Cum contumelia Numinum non in obscura sensuum mente, sed in verborum eminentium significatione teneatur.* Habeant sibi hoc monitum etiam hodie illi, qui periculosis & ambiguis loquendi formulis utuntur, quæ primo intuitu non eum præ se ferunt sensum, qui orthodoxus est, sed cacodoxus; nec nisi multis explicationum & consequentiarum Mæandris corrigi potest. Sed de mystica illa Gentilium Theologia vide ex professo disputantem Eusebium in prioribus de Evang præparatione libris. Ad 3. ℞. Arnob. l. c. p. 201. Nullum esse Deorum ad imagines relationem, aut rationem cur ante factam imaginem in ea materia non colantur; Colantur autem postquam imaginis formam induissent: *Quænam est ergo ratio, ut si hæc omnia corpora intacta atq; infecta permanserint, careant vi Numinis atq; auctoritate cœlesti; Eas formas si accipiant hominum, si auriculas, nasos, buccas, labra, oculos, cilia, continuo Dii fiant, & in ordine cœlitum referantur, & censum.* Regerebant gentiles, rationem diversitatis eam esse, quod Dii sese insinuent imaginibus dedicatis: *Eos in his colimus, eosq; veneramur, quos dedicatio infert sacra & fabrilibus efficit inhabitare simulachris.* p. 203. ℞. Arnobius l. c. Hoc à natura Dei veri alienissimum esse, ut ipse, qui ubique locorum & liberrimus est, angustis & fuliginosis imaginibus includatur: Ad 4. ℞. idem. p. 208. Frustra fuisse illum scopum; Nam non assecutos esse, ut potius contrarium inde evenerit. Nam quia vulgus vidit imagines illas sine virtute esse, & potius vitiis ansam dare, cœpit contemnere, & hoc magis sese vitiis dare; quo minus sibi ab illis metueret. Notent utramque Arnobii Responsionem Pontificii, qui iisdem exceptionibus suam Idololatriam & iconolatriam excusare allaborant.

§. 9. (3.) *A vitioso Dei cultu.* Omnis cultus debet ex vera fide proficisci, ut colens sciat Deo istum cultum convenire aut placere: Etiam requirit verum modum, qui non impingat in pietatem aut justitiam & sanam rationem. *Quemadmodum poterit an sit Deus aliquis* (3.) Cultus.

sciri, si ignorabitur & nescietur, quid sit? aut postulatio ipsa beneficiorum valere, si exploratum non erit, non certum, quis ad quamq; debeat consultationem vocari? Omnis enim, qui quærit alicujus Numinis impetrare responsum, debet necessario scire, cui supplicet, quem imploret, à quo rebus auxilia, & necessitatibus exposcat humanis. Maximè cum vos ipsi, & non omnes omnia Deos posse præstare, & dissimilibus ritibus singulorum animos referatis offensionesq; placari. Arnob. libr. III. contra gent. pag. 124. Cultus, quem Diis gentiles exhibebant, oculo fidei & veritatis destituebatur. Erat *superstitiosus.* Nam iis Deum cæremoniis colebant, quæ nullam omnino vim, aut gratiam, aut rationem solidam haberent. *Ille tauris Deus, hædis alius honoratur, aut ovibus; hic lactentibus porculis, capris ille cornutis, hic sterilibus vacculis, at ille jacientibus scrofis, hic albentibus, ille tetris, alter fœminei generis, alter vero animantibus masculinis.* Arnob. p. 217. Vides quod delectus fuerit in ætatibus, sexu, coloribus, quæ meram redolebant superstitionem; Erat *inhumanus* cum in sese, tum in proximum; *in sese*; Nam fuerunt qui se ipsi affligerent inediis, flagellationibus, peregrinationibus, vulneribus, imò & vim sibi ipsi inferrent αὐτόχειρες. Vide D. Dannh. Christeid. p. 39. phæn. I. In *proximum*: Nam victimas cædebant humanas. *Saturni operabantur mysteriis, hominibus jugulandis, & manibus cruore implendis. &c.* Justin. Martyr. Apol. I. f. 39. Erat *impurus.* Nam in gratiam Deastrorum prostituebant sese & prostituebantur. *Existimatur tractari se honorificè Flora, si suis in ludis flagitiosas conspexerit res agi, & migratum à lupanaribus in theatra.* Arnob. lib. VII. contra gent. p. 238. subjungit quæstionem censoriam: *Itane istud non est Deorum imminuere dignitatem, dicare & consecrare turpissimas res eis, quas censor animus respuat, & quarum actores inhonestos esse jus vestrum, & inter capita computari judicavit infamia?* Confer Tatianum contra gentes, Clementem Alex. in parænesi ad Gentes, Augustinum de C. D. lib. II. c. 4. 5. Et qui ante ipsos appellandus, Ignatium epist. ad Philipp. p. 38.

(4) Fructus. §. 10. (4.) *Ex infelici fructu.* Arbor mala non potest bonos fructus ferre. Mirandum ergo non est, si, corrupto de Deo sensu & cultu, flagitia, mores etiam fuerunt corrupti, ut tandem nil nisi desperatio, & damnatio sequi potuerit. Deos colebant sceleribus infames; si igitur summum bonum est ὁμοίωσις τῷ θεῷ, quod Philosophi docebant, optimum fuisse necesse erat, qui strenuè sceleribus operare-

raretur. *Quid tu, cum Græcus sis, filio tuo succenses, si Jovem imitans, tibi insidiatur, & nuptias tuas furatus est? Cur hunc esse inimicum censes; at illi similia perpetrantem veneraris? Cur item de uxore tua expostulas, quod petulanter vivat ac libidinose; at Venerem templis honorasti?* merito quærit Justin. cohort. II. ad Græc. f. 31. Insigniora scelera erant *Magia* Actor. XIX. 19. *Crudelitas* c. XVIII. 17. quæ elucet ex sangvinolentis persecutionibus. *Libidines.* Rom. I. 26. seqq. *Luxus.* 1. Cor. VI. 10. vide supra §. 6.

§. 11. Potissima argumentorum *ἀνασκευαστικῶν* delibavimus, ad quæ facile reliqua possis referre. *Κατασκευαστικὰ pro veritate religionis Christianæ* seqvuntur. Patres argumenta sumunt etiam ex S. literis, quatenus in illis continentur vaticinia de rebus contingenter futuris, res sublimes, præcepta sanctissima; vide Justin. Cohort. ad Græc. f. 7. Addunt testimonia gentilium domestica, quibus ipsimet sapientes, poetæ, historici, Philosophi & Legislatores testimonium præbuerunt antiquitatibus Mosaicis, & suos inde hortos rigarunt. Accedebant rationes non exiguæ desumptæ ex effectibus, vita, moribus, & similibus, quod ex sequentibus patebit. Confer Justin. Apol. I. f. 36. 38. 40. II. fol. 51. 52. Cypr. contra Demetr. p. m. 217. de Idolor. van. p. 268. Origen. III. contra Cels. p. 135. Retineamus ordinem consvetum. Sit igitur (1.) argumentum *à principio religionis Christianæ.* Principium *quod* est Jesus Christus; Ab hoc enim denominamur Christiani, & reddimur per verbum & sacramenta. Vide Theophil. libr. I. contra Autolyc. f. 292. Fuit ille persona *θεάνθρωπος*, sermone verax, vita inculpatus, rebus gestis præclarus, & officio Propheta. *Deum* extitisse contra gentiles probabatur cum aliis, tum ex suffragio Tiberii Cæsaris, qui à Pilato edoctus in numerum ipsum Deorum voluit referre. *Veracem* fuisse, inde constat quod *promissionibus suis fidem fecerit, exhibitis magnis commoditatibus omnibus, quotquot ipsi præbuerunt se dociles: præsertim cum videant quotidie impleri, quæ tanto ante per eum prædicta fuerant.* Orig. lib. 2. cont. Cels. p. 85. *Vita inculpatum* fuisse inde colligas, quod ne Judæi quidem, ipsa invidia, quicquam scelerum adducere potuerint; Orig. l. 3. cont. Cels. 123. & nemo hactenus inventus sit, qui sceleris ipsum convincere potuerit. Provocat Origenes l. 2. suum antagonistam Celsum: *Ostendat quispiam ex iis, qui præclaro istius sermone delectantur,* ubi-

Κατασκευαστικά.

(1.) à principio *Jesu Christo.*

ubinam verè scripserit eum fuisse reprehensibilem : aut, si aliquid præter jam dicta reprehendendum ducit, profiteatur, undenam didicerit eum esse reprehensione dignum. Hæc ille. Rebus λόγῳ καὶ ἔργῳ clarum & mirabilem extitisse effectus doctrinæ & miracula testantur. Sancta fuit doctrina & sanctifica. Urget Arnobius lib. I. contra gent. pag. 22. seqq. hoc argumentum; *Venerabar, ô cæcitas, nuper simulacra modo ex fornacibus prompta &c. Nunc Doctore tanto in vias veritatis inductus, omnia ista, quæ sint, scio : digna de dignis sentio; contumeliam numini nullam facio divino, & quid cuiq; debeatur vel personæ, vel capiti, inconfusis gradibus atq; auctoritatibus tribuo.* Addit Epiphonema : *Ita ergo Christus non habeatur à nobis Deus?* Miraculis fuit illustris, quæ nemo unquam hominum perpetravit. Origen. lib. I. contra Cels. p. 34. Arnob. lib. II. contra gent. p. 49. *Magis nos valemus ostendere, quid in Christo fuerimus secuti, quam in Philosophis quid vos. Ac nos quidem in illo secuti hæc sumus : opera illa magnifica, potentissimasq; virtutes, quas variis edidit exhibuitq; miraculis, quibus quivis posset ad necessitatem credulitatis adduci, & judicare fideliter, non esse, quæ fierent, hominis, sed divinæ alicujus atq; incognitæ potestatis.* Nec vivus solum, sed etiam post mortem eadem operatur. *Nomen enim Jesu lymphatos sanat, & dæmonas exigit, mortis etiam præsentaneum adfert auxilium.* p. 53. Orig. I. 2. *Præcipue quoties, qui enunciant, ea sano affectu, & integra fide proferunt.* p. 7.

Exceptiones. §. 12. *Excipiebant* gentiles (1.) Jesum fuisse hominem ex illegitimo thoro susceptum Panthera milite, & Maria parentibus, qui tandem propter scelera capite plexus esset. (2.) Doctrinam neque efficacem fuisse, utpote quam ne quidem discipulis persvadere potuisset: si quæ prædixisset, factũ esse ex eo principio, ex quo & latro latroni potest prædicere supplicium. (3.) Miracula fuisse Magica, qualia etiam ab aliis, Apollonio cumprimis Thyanæo, & Simone Mago, perpetrata essent. ℞. ad (1.) Origen. libr. I. contra Celsum p. 25. seqq. Calumniam esse, quam vel sola Christi sanctissima vita, & efficacissima purissimaque doctrina refellere possit. Prophetas pridem dixisse Messiam ex Virgine proditurum esse. Capite quidem plexum esse Jesum, sed non propter scelera, Nec enim omnem, qui violenta morte obit, esse maleficum; aut propterea non esse Deum, si moriatur. Nam & Socratem hausisse cicutam, & plerosque ex gentilium deastris olim fuisse homines & violenta etiam mor-

re obiisse. Justin. Mart. Apol. II. f. 66. addit vaticinia Prophetarum ex S. literis de futura Christi passione; *Excipiebant* gentes, si præscita hęc fuit, cur Christus sibi non cavit: ℞. Orig. l. 2. cont. Cels. p. 71. potuit, sed noluit; Sicut nec Socrates, nec Leonidas, nec Paulus, nec Martyres. ad (2.) ℞. Orig. l. 2. p. 83. persvasisse toti populo sequaci, atque ex ea ipsa caussa concitasse ipsum in sese furorem Judæorum. Discipulos quidem aliquādiu non satis ei credidisse, sed factum id esse ex vitio ipsorum, non Christi. Prædicere potest latro latroni crucem propter scelera, quæ crucem merentur; at Christum Christianis prædixisse crucem, alia & multa, quæ non essent sceleris merces. p. 67. 68. Ad (3.) ℞. Justin. Apol. II. f. 56. Ignat. ep. ad Philip. p. 73. Orig. lib. I. contra Cels. p. 7. 20. II. 53. seqq. VI. 301. 302. Arnob. I. contra gent. p. 25. Lactant. libr. VI. div. Instit. Euseb. demonst. Evangel. l. III. c. 4. seqq. Origenis verba lib. II. pag. 91. notanda sunt. *Certis*, inquit, *indiciis examinemus promissores talium miraculorum; videlicet desumtis ex eorum vita moribusq́;, tum ex miraculorum ipsorum effectibus, dispiciendo, afferantne damnum hominibus, an correctionem moribus, ut sciamus quænam vel ab incantatore fiant ministerio dæmonum, vel ab anima pura sanctaq́; & afflata divino spiritu, cujus etiam corpus ex ejusdem spiritus commercio ad utilitatem institutionemq; hominum sit efficax, & ad confirmandam veram fidem in Deum. Quod si non sunt probanda miracula prius, quam discernantur à quo recte patrentur aut secus, ne vel omnia damnemus, vel omnia miremur, tanquam divina; annon perspicuum est è Mosis Jesuq́; miraculis, quibus gentes integræ ad religionem pertractæ sunt, non sine divina virtute facta ab illis, quæ scripturis sunt prodita* ὅτι θείᾳ δυνάμει πεποιήκασιν οὗτοι, ἅπερ ἀναγέγραπται αὐτοὺς πεποιηκέναι.

§. 13. *Ministri* Jesu Christi in plantanda religione Christiana erant Apostoli ipsorumque συνεργοί. Pridem illi χειροτέχναι καὶ παντελῶς ἰδιῶται Justin. Apol. I. f. 38. ἀγράμματοι, καὶ ποιμένες καὶ ἰδιῶται Theophil. contra Antolyc. l. 2. f. 324. *Illiterati pastores, rudes & idiotæ*, postea tamen virtute Spiritus Sancti potentes λόγῳ καὶ ἔργῳ evaserunt. Hinc probarunt Patres divinitatem officii, & religionis Christianæ ab Apostolis plantatæ. Objiciebant gentiles *ab indoctis hominibus & rudibus scripta esse* (mysteria Christiana) *& idcirco non esse facili auditione credenda*; Retorquet Arnobius lib. I. contra gent. pag. 35. *Vide ne magis hæc fortior caussa sit, cur illa sint nullis coinquinata mendaciis, & igna-* *Ministri.*

& ignara lenociniis ampliare. Theodoret. serm. VIII. d. Martyr. f. m. 592. Converterunt illi discipuli innumeros ab impietate alias inexpugnabili ad pietatem erga Deum & honestatem quoad mores. Docuerunt & scripserunt Prophetæ V. T. & Apostoli N. T. ἀκολούθως καὶ συμφώνως ἀλλήλοις *consentaneo & convenienti inter se consensu* καὶ ταῦτα ἐν διαφόροις τόποις τε καὶ χρόνοις *& hæc variis & temporum & locorum intervallis dissiti*, uti loquitur Justin. Mart. cohort. ad Græc. f. 7. seqq. *Miraculis* etiam verbum & divinitatem officii obsignarunt Origen. lib. I. contra Cels. p. 34. Arnob. l. 2. p. 49.

Verbo Dei. §. 14. Verbum Dei S. literis contentum est principium quo probatur fides Christiana. Esse hoc verbum divinitus inspiratum ex præcedentibus jam colligi potest. Id quod porro declarandum. Probat divinitatem scripturarum Justinus l. c. ex scriptorum inter sese consensu & materia, quæ sublimissima. οὔτε γὰρ φύσει, οὔτε ἀνθρωπίνῃ ἐννοίᾳ οὕτω μεγάλα καὶ θεῖα γινώσκειν ἀνθρώποις δυνατὸν, ἀλλὰ τῇ ἄνωθεν ἐπὶ τοὺς ἁγίους ἄνδρας τηνικαῦτα κατελθούσῃ δωρεᾷ, οἷς οὐ λόγων ἐδέησε τέχνης, οὐδὲ τοῦ ἐριστικῶς τι καὶ φιλονείκως εἰπεῖν, ἀλλὰ καθαροὺς ἑαυτοὺς, τῇ τοῦ θείου πνεύματος παρασχεῖν ἐνεργείᾳ &c. id est, *neq; enim vel natura, vel ingenio humano res tam sublimes & divinas hominibus cognitione assequi est possibile: sed eo, quod tum cœlitus in viros sanctos descendit, gratuito opus est dono. Qui viri nihil indiguere arte dicendi, neq; eis opus fuit, ut quicquam rixæ contentionisve agerent cupiditate; sed ut tantummodo puros seipsos divini spiritus operationi præberent; atq; ita divinum de cœlo plectrum descendens, quasi instrumento quopiam citharæ alicujus vel lyræ viris justis utens, divinarum nobis & cœlestium rerum cognitionem revelaret.* Insignis locus est; Ex quo constat, quibus argumentis Patres scripturarum divinitatem probarint. Non allegat Justinus auctoritatem Ecclesiæ, aut solam antiquitatem, sed argumenta sumit insita, ex materia contenta, ejusdemque harmonia & sublimitate. Addit vaticinia in illis contenta & in N. T. adimpleta, multumque tribuit huic argumento: *Hæc certè maxima & verissima vobis* (gentiles) *quoq; videbitur esse probatio.* Apol. II. fol. 56. confer Orig. l. III. contra Cels. p. 113. seq. *Excipiebant* gentiles, fato E. fiunt omnia. R. Origen. l. 2. p. 72. Neg. cons. Nec enim ideo fiunt, quia Deus prædixit; sed quia erant futura, ideo prædixit. Addebant miracula, quibus Deus scripta ipsorum obsignasset; Sic enim in eversione Aristotelis f. 86. loquitur; Deus πρῶτον θείοις ἔργοις τοῖς δι'

αὐτοῦ

αὐτῶν γιγνομένοις ἀξίους πιστεύεσθαι ἀνέδειξεν *primum divinis, quæ per eos edita sunt, operibus fide dignos esse ostendit.* (Exceptiones & objectiones gentilium inferius excutiemus.) Potissimum argumentum est *vis scripturæ & verbi divini,* qua fides accenditur, & mores corriguntur: Ταῦτά με εἷλε, τό τε τῆς παιδείας ἔνθεον, καὶ τὸ τοῦ λόγου δυνατόν: *Hæc me ceperunt & doctrinæ vis enthea, & sermonis efficacia.* f. 31. Origen. l. 1. cont. Cels. p. 22. *Vicit Dei verbum, quod sua natura opprimi se non patitur, invictumq; permanet: itaq; tot adversariis perdomitis Græciam totam subegit, majoremq; partem Barbariæ, traduxitq; ad pietatem innumeras animas.* Arnob. lib. II. p. 44. *Nonne,* inquit, *vel hæc saltem fidem vobis faciunt argumenta credendi, quod jam per omnes terras in tam brevi temporis spatio immensi nominis hujus sacramenta diffusa sunt?* Theodoret. serm. VIII. d. martyr. f. 592. t. 4. opp. *Horum* (Apostolorum) *scripta simplicia illa, Græciq; nitoris expertia, tum pauca numero & exigua, sanctis hominibus carissima sunt &c.* Accedit *antiquitas,* Nam ipsis gentilium sapientibus, poetis, historicis, philosophis & legislatoribus Mosen extitisse antiquiorem Justinus cohort. ad Græc. f. 7. probat ex ipsis Gentilibus scriptoribus. Confer Tatian. contra Gent. f. 189. Theoph. lib. 2. contra Autolyc. f. 318. Quibus antiquiorem neminem in hoc argumento habemus, judice Scaligero præfat. in Euseb. Chron.

§. 15. *(II.) A Fidei Christianæ articulis.* Nihil Christiani in N. T. impletum credunt, quod non prædixissent implendum scripta Mosis & Prophetarum, aut alias fide dignum tradidissent. Justinus in cohort. ad Græc. f. 11. laudat Dei providentiam, quod Judæos voluerit esse custodes librorum sacrorum; *Ne enim,* inquit, *ex Ecclesia eos proferentes occasionem, quasi suppositi à nobis aut corrupti sint, maledictis nos incessere volentibus præbeamus, ex illorum Synagoga producimus; ut ex ipsis hucusq; apud eos conservatis libris ad nos nostramq; doctrinam à S. viris edita jura liquido & manifesto pertinere appareat.* Doctrina igitur horum librorum *non* (tam) *ad Judæos, verùm* (quam) *ad nos Christianos pertinet,* ut paulo ante dixit. Si autem scriptis Propheticis credimus in iis, quæ impleta sunt, cur non credamus etiam in illis, quæ adhuc implenda e. g. resurrectione mortuorum, judicio extremo &c. aut aliis, quæ credenda proposuerunt? Unus est spiritus à quo omnia inspirata sunt. Ignat. Epist. ad Philadelph. p. 103. Euseb. lib. VII. de præp. Evang. c. 4. seqq. Accedit iterum *consensus scriptorum* (2.) A fidei articulis.

gentilium. Nam & illi per plagia ſacra ſuis ſcriptis myſteria divina alii clarius, alii obſcurius inſeruerunt. Vide Juſtin. Apol. II. f. 50. ſeqq. Theoph. l. 2. contr. Autolyc. f. 301. 327. Tat. f. 219. Cyprian. d. van. Idol. p. m. 267. Clement. Alex. paræneſ. ad Græc. f. 11. ſeqq. Origen. l. 2. contra Celſ. Arnob. lib. I. p. 19. & lib. II. p. 51. *Sanctitas* doctrinæ urgetur à Juſtino l. c. *Efficacia.* l. c. p. 47. Origen. l. 1. contr. Celſ. p. 22. Arnob. lib. 2. p. 44. Gentiles ipſi fatebantur, dum præter oracula Sibyllina & Hyſtaſpis libros, etiam Propheticos libros prohiberent: utpote quod viderent multos illis converti.

(3.) A vita Chriſtianorum.

§. 16. (*III.*) *A Chriſtianorum vita.* Urgent argumentum plurimi. Juſtin. Apol. II. f. 47. Theophil. contra Autolyc. l. 3. f. 337. Origen. contra Celſ. l. 1. p. m. 25. ſeqq. Arnob. libr. 1. contra gent. p. m. 5. 6. ſeqq. Euſeb. d. præparat. Evang. lib. VII. c. 3. ſeqq. Auguſt. C. D. lib. II. c. 28. Juſtini verba ſunt: *Chriſtiani nos* μετὰ τὸ τῷ λόγῳ πειϑῆναι *poſtquam verbo Dei credidimus, ab illis* (idolis) *quidem deſcivimus, ſingularem vero atq; ingenitum Deum per Filium ipſum ſequimur; & qui olim ſtupris lætabamur, nunc caſtitatem ſolam complectimur: qui magicis artibus utebamur, bono & æterno nos conſecramus dicamusq; Deo: qui pecuniarum & poſſeſſionum fructum ac proventus præ rebus omnibus adamabamus, nunc etiam ea, quæ habemus, in commune conferimus, & cum indigentibus quibusq; communicamus; qui odiis & cædibus mutuis inter nos graſſabamur, & pro conſuetudine recepta cum iis, qui tribules noſtri non eſſent, communem focum non habebamus, nunc à Chriſti apparitione familiariter ſimul vivimus, & pro inimicis oramus. &c.* Argumentum eſt: O religio generans fructum *ſanctificum* eſt vera: Chriſtiana generat: E. Huc ſpectat *conſtantia* Chriſtianorum in martyriis & aliis calamitatibus, quod non feciſſent, niſi ſciviſſent verbum, quod literis Apoſtoli conſignarunt, & præcones Evangelici annunciarunt, eſſe ipſum Dei verbum verum & ſalvificum. Hinc enim hauſerunt fidem in Deum, & ſpem futuræ reſurrectionis & ſalvationis. Arnob. lib. 2. p. 44. 45, *Nonne vel hæc ſaltem fidem vobis faciunt argumenta credendi &c. quod ab Dominis ſe ſervi cruciatibus affici, quibus ſtatuerint, malunt, ſolvi conjuges matrimoniis, exhæredari à parentibus liberi, quam fidem rumpere Chriſtianam & ſalutaris militiæ Sacramenta deponere? quod cum genera pœnarum tanta ſint à vobis propoſita religionis hujus ſequentibus leges, augeatur res magis, & contra omnes minas atq; interdicta formidinum animoſus populus obnitatur, & ad credendi ſtudium prohibi-*

bibitionis ipsius stimulis excitetur? Argumentum hinc nascitur: O doctrina *solatiflua* in extremis calamitatibus, est vera: Christiana doctrina est solatiflua: E. confer Euseb. VII. hist. c. 17.

§. 17. *Excipiebant* gentiles: Etiam suos philosophos tradidisse, quæ essent honesta. E. hoc non esse proprium Christianorum: aut sacrarum literarum. ℞. Orig. lib. I. contra Cels. p. *6*. tradidisse id ex lumine naturali & lege cordibus ipsorum inscripta, quam Deus in creatione homini indidisset, & postea inscriptis tabulis Mosaicis & concinnatis scripturis renovasset. Atque ex hoc ipso patere, quod, quæ in S literis habentur, conformia sint menti divinæ & rationi. Deinde distingvendum inter veras virtutes & virtutum simulacra. Si qui inter gentiles honeste vixerunt, & fortiter mortui sunt, factum est non ex virtute doctrinæ Ethnicæ, qua sanctifica & solatiflua fuit; sed plerumque ad captandam nominis gloriam; Animus non erat tranquillus, utpote incertus de statu post mortem, & vita futura.

§. 18. (IV.) *A consensu adversariorum.* Non raro argumentabantur Christiani ex principiis gentilium. (1.) *Ex oraculis*, qualia multa habebant Amphilochia, Dodonæa, Pythia, Sibyllina; Ex quibus allegat testimonia Justin. cohort. f. *9*. seqq. (2.) Ex *scriptoribus* cum prosæ tum ligatæ orationis, cum vetustioribus tum recentioribus. Extabant tum antiquissima monumenta, in quibus multa præclara de historiis sacris consignata legebantur. Etsi enim multa etiam falsa miscuerint, tamen haud obscurè quædam tradebant, ex quibus patebat, quod hortos suos rivulis Israelis irrigarint. (4.) Ex consensu adversariorum.

§. 19. (V.) *Miracula.* Sunt miracula argumenta inducentia & disponentia hominem, ut credat religioni, in qua perpetrantur. Unde factum, ut frequenter hoc argumento contra gentes uterentur Patres; Orig. l. 1. contra Cels. p. 34. III. 124. Arnob. lib. II. contra gent. p. 49. (5.) Ex miraculis.

§. 20. Excutiamus gentilium quoq; argumenta. Duorum autem sunt generum. Alia enim sūt ἀνασκευαστικά, alia κατασκευαστικά. Illa Christianismum destructum eunt; hæc gentilismo pulcrum supponunt. Examinemus illa. Breviter tamen ea, quæ superius in exceptionibus jam tetigimus. Impugnant Christianismum (1.) Ex *caussis:* Efficiente *principali*, quæ est Christus. Hujus enim & personam & Argumenta contra Christianismum.

T 2 res

res gestas in dubium revocabant, imo pernegabant, variis mendaciis coacervatis. Personam; Nam merum fuisse hominem mentiebantur; gesta vero; Nam doctrinam vocabant ineptam, & miracula præstigias. Confirmabant variis traditiunculis ex Judæis sine dubio acceptis, sed impudenter falsis. Ad quas calumnias §.12. est responsum. *Principium quo* est verbum Dei in S. literis V. Test. & N. Test. contentum. Rejiciebant hoc, caussati *auctorem* non esse Deum, sed homines, Ægyptios cumprimis, & Chaldæos, unde Moses & Prophetæ accepissent; vel arbitrium hominum, quibus placuisset alias actiones facere virtutes, alias vitia. *Materiam* esse narrationes falsas, absurdas, fabulosas; *Stylum* esse Barbarum & incultum. *Ministeriales* caussas fuisse homines rudes, & variis vitiis deditos, ut discipulos Christi, qui Idiotæ & proditores Magistri extitissent. II. Ex *materia*. Constare Ecclesiam Christianam ex hominibus vulgaribus, nebulonibus, & aliis vilioris precii animabus; III. Ex *forma* cum interna, tum externa. *Interna* est fides, quæ nititur suis articulis; hos verò & ἀσέβειαν erga Deum, & ἀδικίαν erga proximum plantare. Illam; Nam esse Christianos atheos, utpote qui populum à patrio cultu abstraherent; & contra, asinos, cœlum, aliaque monstra colerent: Hanc, quia Magistratui cultum illum imperanti nollent obsequi, mutua quoque dilectione, quam Christus præcipisset libidinibus nefandis indulgere. *Externa* est cultus publicus, quem prorsus negligerent Christiani, nullis utentes templis, altaribus, &c. *Templa diis exstruimus nulla, nec eorum effigies adoramus, non mactamus hostias, non thura ac vina libamus.* fatetur Arnob. lib. VI. p.190. (IV.) Ex *moribus*; qui flagitiosi: ut sunt *apostasia* à religione antiqua, crimina læsæ majestatis; conventus clancularii vetiti ab Trajano; Plin. epist. libr. X. cap. 97. Et Marco Antonino Philosopho. Bisciol. an. 164. aliis. Euseb. VII. histor. c.10. in quibus mactarent infantes, eorumque devorarent carnes & potarent sangvinem. Euseb. V. c. 1. hist. Luminaria quoque extingverent, & promiscuè scortarentur; Magia, qua dæmones ejicerent, seditiones; dissidia non tantum cum Judæis, sed & inter sese; Nam erumpebant quotidie novæ hæreses Valentiniani, Marcionitæ, & aliæ, quibus motus Celsus Epicuræus dissidia Christianis objiciebat. Prædictiones rerum futurarum. Ulpian. l. 7. de offic. Proconf. & Celsus Origen. l.3. (V.) Ex *fatis*. Esse Christianos infelices

sibi

sibi & aliis. Sibi, nam in sese concitare calamitates varias; aliis; Nam propter ipsos R. Imperium affligi, Diis id malorum infligentibus propter sui contemptum. Euseb. l. V. c. 1. IX. 6. H. E. imprimis hoc argumentum urgebatur tempore pestis, quæ M. Aurelio Antonino imperante fœdissimè grassata est. an. 170.

§. 21. Habes quot argumenta, tot ferè crimina, quædam etiam speciosa, ut Patres operæ precium putaverint ad ea respondere. Ad. I. De *Christi persona*, quod Deus esset, testari, dicebant, non tantum vaticinia prophetica; ipsi congrua; sed etiam miracula doctrinæ & operum, quæ fecisset. Ea vero præstigias non esse, nec fuisse ope dæmonum facta, testari sanctissimam Christi vitam, quam egit, & mores honestissimos, ad quos sua doctrina & exemplo pessimos hominũ traduxisset: Hæc argumento esse, quod ex Deo ea fuerint. Vide §. 12. *Scripturæ* auctor nemo alius esse potest, quam Deus; Nam solus De9 omniscius potuit revelare res longe post futuras, de quarũ, utpote merè contingentium, causis & eventu nemo hominum quicquam rescìscere potuisset. Theologia Ægyptiorum & Chaldæorum prorsus abhorret à Mosaica; & evidenter id patet ex eo, quod Moses potior fuerit Magis Ægyptiacis. Orig. l. 3. p. 140. Grecorum autem poetæ, & philosophi etiam antiquissimi longè inferiores sunt ætate Mosaica & Prophetarum. Ex his igitur non acceperunt Moses & Prophetæ. Esto autem acceperint ex Ægyptiis & Chaldæis sapientissimis & antiquissimis hominum, Tatian. contra gent. f. 217. seqq. saltem fidem merebantur humanam; Taceo, quod illi ipsi Ægyptii & Chaldæi ex Josepho, Abrahamo aliisque Judæorum majoribus accepisse dicantur. Quod vero de arbitrio dicatur humano in designandis virtutum vitiorumque discriminibus, à sana ratione, in qua fundantur, refutatur. Justin. Apol. I. f. 37. Cohort. ad Græc. f. 9. *Materia*, quam scriptura tradit, non omnis à ratione abhorret, & quæ abhorrent, nihilominus in antiquissimis & apud gentiles ipsos probatissimis scriptoribus Ethnicis leguntur, saltem quoad potissimam partem, vel certè ita comparata sunt, ut similia & rationi absurdiora tradantur apud gentiles: Tatian. orat. cont. Græc. f. 206. *Stylus* rerum veritati & gravitati nihil derogat. Nam in mero hominum arbitrio situm est hoc vel illo genere, casu, modo, terminatione &c. uti. Imò ex hoc ipso evincitur, quod scriptura tot ad- Resp. ad I.

miranda præstiterit & adhuc præstet non eloquentiæ acumine, sed veritatis divinæ & nudæ lumine. Vide Arnob. libr. 1. contra gent. f. 35. Theodoret. d. Græcor. affect. serm. 1. t. 4. opp. f. 469. seqq. *Ministri* rudes quidem fuerunt ante accepta dona Spiritus Sancti, sed postea erant doctissimi. Ut vel hinc constaret non humana virtute, sed divina potentia fidem plantari & propagari. Qui pridem ex infirmitate carnis Magistrum deseruerant, iidem postea vel vitam pro ipsius doctrina amittere sustinuerunt. Origen. l. 2. contra

Resp. ad 2.

Cels. p. 86. seqq. III. p. 145. Anob. 1. contra gent. pag. 34. Ad (II.) *Materiam* Ecclesiæ Christianæ esse meros Idiotas, nebulones, & ignobiles, falsum est. Nam experientia contrarium testatur, nempe etiam *magnis ingeniis præditi oratores, Grammatici, Rhetores, Consulti Juris, ac Medic, Philosophiæ etiam secreta rimantes, magisteria hæc expetunt, spretis, quibus paulo ante fidebant.* Arnob. l. 2. contra gent. pag. 44. Esto autem meri Idiotæ fiant Christiani, hoc magis apparet sapientia verbi divini; quod deinde evadant docti. Origen. l. 3. p. 155. *Deus ferens humano generi leges per Jesum* καὶ τοὺς μὴ φρονίμους ἄγει, ὡς οἷόν τέ ἐστιν ἄγεσθαι τοὺς τοιούτους ἐπὶ τὸ βέλτιον *etiam imprudentes ad meliora ducit, sicut tales duci convenit.* Confer libr. VI. pag 284. seqq. Accedit, quod non omnis, qui videtur stultus, sit stultus, cum sæpe etiam justi videantur stulti, judice ipso Carneade. Lactant. d. div. instit. libr. V. c. 16. seqq. *Peccatores* equidem ad Ecclesiam evocantur, sed non ut peccatores maneant, verum ut corrigantur. *Principio curandos vocamus, ut audita salutari doctrina peccatores non peccare discant, insipientes intellectum acquirant, pueriles mentem virilem, deniq; infelices felicitatem vel potius beatitudinem.* Orig. l. 3. p. 147. Idem l. c. p. 117. docet, quod *in tanta doctrinam hanc amplectentium multitudine adjungant se & divites, & honorati, & delicatæ mulierculæ.*

Resp. ad 3.

§. 22. Ad (III.) Christiani non sunt *athei.* Nam N. C. Non colunt idola. E. nullum Deum. Imò si idola colerent, essent athei. Idolum enim non est Deus. Theoph. cont. Autolyc. l. 3. f. 332. & Arnob. l. contra gent. p. 2. Euseb. VII. c. 10. hist. Justin. Apol. II. f. 78. 79. Allegat pro se Justinus testimonium Antonini Pii, ex literis quas ad populos Asiæ pro Christianis scripsisse dicebatur. Nam in illis reprehendit suos gentiles, quod Christianorum religionem ὡς ἀθέων sugillarent, neque tamen id probare possent. *Nam,* scribit, *quos* ἀθέους

& à

& à Diis alienos esse suspicati sumus, æquum est, ut eos norimus Deum in conscientia, suapte sponte, illapsum atq; ibi inclusum habere &c. allegat deinde preces legionis fulminatricis efficacissimè ad Deum fusas. Multis refutat illam calumniam Arn. l. 1. contr. gent. f. 13. seqq. l. 2. p. 43. seqq. & ante ipsum Athenagoras in Apol. pro Christianis. Summa est, Christianos ex scripturis docere, unum esse Deum, quod Philosophi ex lumine naturæ didicissent. Imo apud neminem Deum religiosius coli, quam Christianos. Asinum coluisse Judæos antiqua calumnia est: Et quia Christiani pro Judæis habiti, etiam in ipsos calumnia manavit. *Templa* quidem (ita Arnob. l. VI. p. 190.) *illis exstruimus nulla, nec eorum effigies adoramus, non mactamus hostias, non thura ac vina libamus; &c.* Sed, *in Deorum quos usus, aut in rei cujus necessitatem aut dicitis esse constructa aut esse rursus ædificanda censetis?* quærimus. Imò divinæ omnipræsentiæ derogare, si Dii credantur uni tantum loco præsentes adesse? *Hoc est enim proprium Deorum complere omnia vi sua, non partiliter uspiam, sed ubiq; esse totos, non adesse, non abesse &c.* Hæc ille prolixè. Deinde exagitat simulacra varia, ridicula, pudenda, & vana; & refellit exceptionem gentilium: *Nemo est in rebus humanis tam stolidè cœcus, qui argentum, æs, aurum, gypsum, ebur, argillam, Deorum in numerum referat &c.* Vide supra. §. 8. Transit etiam ad sacrificia, & ostendit eorum quoque vanitatem, libr. VII. pag. 211. seqq. confer Vedel. exerc. VI. in epist. ad Ephes. p. 234. c. 1.

§. 23. Ad (IV.) Christiani nullam commiserunt *apostasiam*; Resp. ad 4. Nam quod ipsi credunt & colunt extat in antiquissimis scriptis non solum Judaicis, sed etiam Ethnicis, e. g. Orphei, Sibyllarum, Homeri &c. Gentiles ergò potius esse novitios & Apostatas. Justin. cohort. ad Græc. f. 9. seqq ostendit. Sed esto, recesserint Christiani, quid tum? *Nullum vestrum in majores vestros exstabit delictum, si in contrariam illorum errori sententiam pedibus ire voletis.* f. 25. *Crimen læsæ majestatis* non committunt Christiani non sacrificantes externo cultu pro salute imperatorum: *Nos enim pro salute imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum; Deum vivum &c.* Apologia est Tertullian. cap. 30. Dionysii apud Euseb. lib. VII. c. 10. Has ille preces, vocat sacrificium in libro ad Scapul. cap. 2. *Itaq; & sacrificamus pro salute imperatoris, sed Deo nostro & ipsius: sed quomodo præcepit Deus, pura prece.* Sacrificium putat non missaticum, sed precum: contra Pamelii effugia

fugia in notis ad l. c. Clancularios quidem conventus Christiani habebant, etsi à Magistratu vetitos; Euseb. VII. 10. *At non est absurdum in veritatis favorem conventus contra leges facere,* Origen. l. 1. contra Cels. p. 4. 5. si non est, juxta gentiles, illicitum tyrannum interficere. Vetuerunt leges ejusmodi conventus haberi, quod putarentur Christiani in illis nefanda perpetrare, quod tamen falsum erat. Non est imputandum doctrinæ Christianæ, quod Pseudo-Christiani interdum committunt. Christus docuit σωφροσύνην; *quare si quis videret paucos aliquot pro Christianis habitos libidinosè vivere, meritò quidem eis prævaricationem impingeret; sed iniquißimè faceret, si doctrinæ Jesu imputaret eorum flagitia.* Verba sunt Orig. l. 3. cont. Cels. p. 138. Equidem negari non potest extitisse inter Christianos quosdam maleferiatos Gnosticos, qui nefandis sacris operarentur, sed veri Christiani illi non fuerunt, excrementa potius veris Christianis abominationi. Quid quod gentilium sacra longè atrocioribus sceleribus sint nefanda, & vita publicè infamis honoretur statuis & laudibus. Tatian. gent. f. 113. seqq. Nec hoc negari potest, quod carne & sangvine Christi vescantur in S. Cœna; at negari potest & debet, quod Cyclopum instar & canum crudas carnes devorarent eorum, quos mactassent. Nam vel ab animalium sangvine abstinuerunt irrationalium, quod Biblis respondebat apud Euseb. l. V. c. 1. hist. Attalus cathedra ferrea ustulatus clamabat ad Gentiles: *Ecce, Ecce, hoc, quod apud vos præstatis, est homines vorare. Nos quidem neq; voramus homines, neq; aliud quicquam sceleris patramus.* l. c. confer Tatian. contra gent. f. 209. Imò si hæc omnia fecissent, haberent tamen ipsos gentiles scelerum horum auctores: utpote qui eadem perpetrassent. Theoph. contra Autolyc. lib. 3. f. 331. *Seditiones* non excitabant, sed patiebantur excitatas ab illis ipsis, qui hoc criminis ipsis objiciebant. Etiam Christus hujus sceleris reus peragebatur, sed silentio ipso coram Pilato refutabat. *Silet,* idem *nunc quoq; nec respondet voce; Cæterum satis caussam suam agit, dum per germanorum discipulorum vitam reclamat suis accusatoribus, ac refellit omnia testium mendacia.* Eleganter loquitur Orig. l. 1. contra Cels. p. 2. *Dißidia* quidem erant (1.) inter Judæos & Christianos; sed vitio, non Christianorum, sed Judæorum, qui nollent ex communi scripturæ principio illuminari; ut, sicut in aliis, ita etjam in articulo de Messia cum Christianis cōvenirent. l. 3. p. 114. seqq.

l. 4.

l.4.p.162.(2) inter Christianos ipsos: sed nec solos, cum & Philosophi inter sese sectis sint divisi; nec omnes veros; nam multos esse Pseudo-Christianos; de quibus ipse Christus prædixisset. libr. 3. p.118. seqq. quod ipsum argumentum est pro divina ipsius præscientia, prædicentis quæ deinde contigerunt, sicut objectionem in Tryphonem retorquet Justin. in dial. f.196. 240. *At sicut neq; medicinam sanæ mentis homo fugiat propter sectarum differentias, & parum honestè faciat, si quis simili de causa abhorreat: sicut neq; propter Judaicas sectas damnanda sunt Mosis atq; prophetarũ sacra volumina; pari modo etiam Christianorum sectas excusare licet.* Scite Lactant. l. 4. c. ult. *sciendum est*, ait, *illam* (inter tot diversas religiones) *esse veram, in qua est religio, confessio & pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus est subjecta imbecillitas carnis, salubriter curat.* Prædictiones à Christianis fieri non negat Origen. sed R. l. 3. *Qualibus autem calliditatibus terriculamentisve fictitiis vulgus attrahamus, ut Celsus temerè objicit, proferat, qui vult; nisi forte, quod de judice Deo, deq; hominibus in eo judicio rationes factorum suorum* postulandis docemus, adstruentes id variis modis, vel scripturarum auctoritate, vel argumentis probabilibus, iste habet pro terriculis fictitiis.

§. 24. Ad (V.) Christianos equidem calamitatibus premi at non ob scelera: sed ut auri instar probati inveniantur; *ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur. Pulchrum spectaculum Deo, cum Christianus cum dolore congreditur, cum adversus minas & supplicia & tormenta componitur, cum strepitum mortis & horrorem carnificis irridens conculcat; Christianus miser videri potest, non potest inveniri.* Minucii judicium est in Octavio. Publicæ calamitates Christianis non sunt imputandæ, sed ipsi idololatriæ pertinacissimæ, aut fatalibus rerumpublicarum periodis, aut aliis caussis, ex quibus natæ sunt ante natum Christianismum. Justinus Apol.I. ad sen. f.34. Cyprianus contra Demetrianum, Arnobius, Minucius Felix, Augustinus de C. D. Orosius, Prudentius contra Symmachum ex professo contra hanc maledicam calumniam disputaverunt. Melito invertebat argumentum, ostendens in Apologia ad Antoninum, quod imperium Romanum fuerit amplissimum sub Augusto & successoribus, postquam religio Christiana esset exorta: referente Euseb. lib. IV. c. 25. Quorsum Apollinarii & Tertulliani argumentum spectat, qui Fulmineam legionem gentilibus objiciebant, quæ precibus fulmina contra hostes impetrasset Apol. c. 5. Euseb. V. cap. 5. Cornicum

oculos configit Scaliger, cum in animadverſ. ad Chron. Euſeb. an. 2189. f. 203. hiſtoriam in dubium vocat. Vide Biſciol. epit. an. 176.

Gentilium argg. κατασκευαστικά.

§. 25. Supereſt, ut argumenta gentilium κατασκευαστικά reſolvamus. In gratiam Pontificiorum diſtribuamus eo ordine, quo Bellarminus notas ſuæ Eccleſiæ, ut videant etiam gentiles illis notis gloriari. (1.) *Catholicum* nomen, quod à nemine hæreſiarcha derivatum. At religione gentiles dicebantur Ethnici, aut Pagani, nomine à nullo hominum accepto, ſed à loco vel ab ipſa gentium, quas occupabant, multitudine. (2) *Antiquitas.* Gentiles ſtudioſè hoc argumentum urgebant, τὰ παλαιὰ ἔθη καλὸν εἶναι τηρεῖν λέγοντες. *Pulchrum eſſe antiquos mores ſervare, dicentes.* Juſtin Apol. II. f. 66. *Sed antiquiora, inquitis, noſtra ſunt ac per hoc fidei & veritatis pleniſſima.* Sic Arnobius ipſorum verba refert, & mox reſpondet libr. 1. p. 34. *Quaſi vero errorum non antiquitas pleniſſima mater ſit, & non ipſa pepererit res eas, quæ turpiſſimas Diis notas ignominioſis concinnaverunt in fabulis. Ante millia enim annorum decem non potuerunt falſa & audiri & credi? aut non ſimillimum veri eſt, fidem vicinis & finitimis, quam ſpatiorum ineſſe longinquitate diſtantibus?* Hæc ille. Confer Sveton. in Auguſt. c. 93. (3.) *Duratio.* Gentilium gloriatio non poſtrema erat, quod Romanum imperium à Diis cœpiſſet, & huc usque conſervatum eſſet. Rꝭ. Cyprianus d. vanit. idolor. p. m. 266. durationem iſtam certis limitibus à Deo vero circumſcriptam eſſe; non religioni idololatricæ deberi. Verba Patris ſunt: *Non ergo de religionibus ſanctis, nec de auſpiciis, aut auguriis Romana regna creverunt, ſed acceptum tempus certo fine cuſtodiunt.* Judicat non omne quod diu durat ſuæ dignitatis gratia diu durare, ſed ex Dei libera voluntate. (4.) *Amplitudo.* Complectebatur gentiliſmus omnia loca, omnes nationes, omnia hominum genera, ſi unicum Judaiſmum, anguſtum ſatis, excipias. Epheſii clamant, & celebrant ſuam Dianam, ἣν ὅλη ἡ Ἀσία καὶ ἡ οἰκουμένη σέβεται *quam univerſa Aſia, imo orbis veneretur.* Actor. XIX. 27. *Jam itaq;*, cum Auguſt. de Civ. D. lib. IV. c. 3. *videamus quale ſit, quod tantam latitudinem ac diuturnitatem imperij Romani illis Diis audeat tribuere.* Oſtendit autem mox quando amplitudo in felicitate ſit ponenda, nempe *ſi verus Deus colatur, ejus ſacris veracibus & bonis moribus ſerviatur, utile eſt, ut boni longè lateq; diu regnent.* Æſtimanda igitur eſt amplitudo ex vera religione; non hæc ex illa. (5.) *Succeſſio Epiſcoporum.* Habebant Romani ſuos Pontifi-

ces

ces institutos à Numa Pompilio, & derivatos usque ad Augustum, qui imperatoriæ dignitati ordinem istum adscripsit, in qua & mansit usque ad Gratianum; qui eo sese abdicavit. Sed ea Episcoporum successione nihil motus Arnobius reprehendit scandala, quæ dederunt e. g. cum *gentis illa genitrix Martiæ, regnatoris & populi procreatrix amans saltabatur Venus, & per affectus omnes meretriciæ vilitatis impudica exprimebatur imitatione bacchari*; tum *sedebant in spectaculis illis publicis sacerdotum omnium Magistratuumq; collegia Pontifices maximi & maximi Curiones: sedebant XV. viri laureati, & Diales cum apicibus Flamines: sedebant Augures interpretes divinæ mentis & voluntatis; nec non castæ virgines, perpetui nutrices & conservatrices ignis.* lib. IV. p. 151. (6.) *Conspiratio cum doctrina antiqua.* Doctrina gentilium de Diis eorumque generatione, rebus gestis, fatis, &c. cultus etiam cum internus tum externus erant per antiqua: Loca paulo ante allegata sunt, sed & responsiones ex Patribus. (7.) *Unio membrorum inter sese.* Frequenter Christianis objiciebant hæreses & sectas, unionem contra suorum deprædicabant. Sed Justin. cohort. f. 3. Arnob. lib. 3. Origen. lib. V. contra Cels. p. 271. ostendunt, quod sit ἡ ἐν ταῖς αἱρέσεσι τῶν φιλοσοφούντων διαφωνία, οὐ περὶ μικρῶν καὶ τῶν τυχόντων, ἀλλὰ περὶ τῶν ἀναγκαιοτάτων *inter philosophos dissensus non de vulgaribus, sed maximè necessariis rebus* vide supra §. 7. (8.) *Sanctitas doctrinæ.* Nam nolebant id laudis solis Christianis largiri, sed sibi quoque arrogabant; *Commune hoc* (de moribus dogma) cum cæteris *philosophis, nec magni quicquam aut novi nostræ disciplinæ inesse,* Origen. l. 1. contra Cels. p. 6. ℞. Philosophos illam præceptorum sanctitatem habere ex lumine naturali divinitus insito, & eo ipso ex eo Deo, quem Christiani colerent scripturæ eadem præcipientis auctorem. (9.) *Efficacia doctrinæ.* Habebant Gentiles sua auspicia & aruspices, qui credebantur sibi obnoxios habere Deos, quos invocabant. ℞. Cypr. d. van. Idol. p. m. 267. dæmonas latere sub statuis atque imaginibus consecratis & respondere. (10.) *Sanctitas vitæ.* Multa egregia virtutum simulacra gentiles laudabant, ut Reguli apud August. C. D. lib. 1. c. 15. Lucretiæ. c. 19. Catonis, c. 23. Ipse Origenes celebrat greges pauperum, *qui apud Græcos philosophiam cum spontanea paupertate complexi sint*; ut Democritum, Cratetem, Diogenem. l. 2. contra Cels. p. 84. Gretserus libr. 2. sacr. peregr. c. 10. ex gentilismo derivat peregrinationes pedestres. Ipse

Augustinus lib. V. c. 12. laudat veterum Romanorum mores, quorum gratia Deus imperium ipsis auxisset. c. 15. Rx. August. l. 2. c. 18. fuisse etiam vitiis contaminatissimos. Deinde fecisse propriæ gloriæ gratia, si quæ benefecerunt. Denique non omnia esse benefacta, quæ videntur, ut Catonis ἀυτοχειρίαν; hypocrisin plerisque arrisisse. (11.) *Gloria miraculorum.* Objiciebant gentiles varia admiranda, quæ contigissent e. g. quod ab Æsculapio multi essent sanati &c. ipse Bisciola ex Baron. ann. 139. refert : *Miracula per hoc tempus ex Marimi Maximi nobilissimi historici potentia conficta Spartianus affirmat; alia quoq; nonnulla ex veteribus monumentis commentitia feruntur ad fulciendum quoquo modo collabentem idolorum cultum.* Et patet ex Lucian. Pseudomante quod quidam ex discipulis Apollonii Thyanæi Alexander Magus variis admirandis sese illustrem reddiderit. ann. 145. confer Euseb. VII. 14. & libr. contra Hieroclem. Phot. biblioth. Cod. 44. Rx. Orig. lib. 3. contra Cels. p. 124. 125. seqq. (1.) hoc non facere ad probandam religionem : Nam quædam non fuisse miracula, sed arte facta ; ut Æsculapii curationes medicinales; (2.) Non videndum quid factum, sed quis fecerit; *Nec enim statim, qui futura prænoscit, vir bonus est; proinde requiri aliam probationem sanatores istos & fatidicos non malos esse, sed probos modis omnibus & qui non immerito haberi possint pro Diis* (3.) Multa esse conficta à scriptoribus. (12.) *Lumen Propheticum.* Gloriabantur Gentiles suis oraculis, qualia erant Amphilochia, Dodonæa, Pythia, apud Justin. Apol. II. f. 50. Rx. Cypr. d. vanit. Idol. p. 267. *Spiritus* (mali) *sub statuis atq; imaginibus consecratis delitescunt. Hi afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, falsa veris semper involvunt.* (13.) *Confessio adversariorum.* Gentiles sæpius provocabant ad Judæorum & Christianorum scripta, in quibus extarent, quæ à gentibus docerentur. Rx. Theophil. libr. II. p. 304. III. 329. 339. accepta ea esse ex libris Christianorum, E. gentiles potius testimonium nobis, quam nosmet ipsis dare. (14.) *Infelix exitus adversariorum.* Calamitates Christianis frequenter objiciebant gentiles, sed responsum est supra §. 24. ad. 5. (15.) *Felicitas temporalis.* Euseb. lib. VII. hist. cap. 10. Carnalis est Ethnica religio, multum E. tribuit huic argumento. Videre id est apud eos scriptores, qui contra hanc & priorem objectionem supra §. 24. citati sunt.

Arti-

Articulus IX.

ELENCHUS ADVERSARIORUM.

Argumentum.

Solvuntur argumenta. *I. Pontificiorum*, pro *traditionibus*, Evangelio Hebræo Matthæi, & Latino Marci, libris Apocryphis; *Ministerii Ecclesiastici* electione, ordinatione, divisione, potestate, cœlibatu; *Doctrina* de reliquiis & cultu imaginum; Angelorum ordinibus; Hominis libero arbitrio, justificatione, renovatione, operibus supererogationis & meritoriis, virginitate, & paupertate electitia: incertitudine salutis, purgatorio: Sacramentis septem, transsubstantiatione Missæ, communione sub una, Ecclesia ritibus jejuniorum, festorum, locorum, signi crucis, luminarium, vigiliarum. Adduntur quidam errores historici; II. *Calvinianorum* contra propositiones personales, meritum Christi particulare; pro Eucharistici panis fractione. III. *Socinianorum* contra Deitatem Christi; IV. *Syncretistarum* pro sufficientia Symboli Apostolici.

§. 1.

SUperest ut elenchum instituamus adversariorum. Qui in rebus primi seculi minus dextrè & candide versantur, detorquentes antiquitatem ad errores suos palliandos & defendendos. Distribuamus in certas classes sectas & errores. Sint autem

§. 2. (I.) *Pontificij.* varia hi ex antiquitate convehunt, ut suis novitatibus canitiem illam asserant: Videamus, quo id jure faciant. (1.) *Principium fidei* geminum habent verbum Dei scriptum & non-scriptum. Hoc vocant *traditiones*. Ante omnia observemus *statum controversiæ.* Non est quæstio de traditionibus Judaicis, sed Christianis. Baron. an. *53*. §. *6*. seqq. nec de manifestis hæreticorum fraudibus, sed iis, quæ in Ecclesia sic dicta receptæ sunt: Nec tam de ritualibus, quam dogmaticis & hermeneuticis; Nec de libertate ritualium, sed necessitate; Nec de dogmaticis, quæ habent fundamentum in S. literis vel implicitum vel explicitum; sed iis, quæ præter & contra S. scripturam asseruntur; statuunt enim Pontificii: *Scripturam non omnia, quæ ad articulos fidei, & ad dogmata pietatis pertinent habere, sed multa, quæ ad articulos fidei, & ad dogmata pietatis necessaria sunt, suscipienda*

(1) *Pontificii* pro (1) Traditionibus.

pienda & credenda eſſe ſine ſcriptura, extra & præter ſcripturam ex traditionibus non ſcriptis, quæ nullo ſcripturæ teſtimonio probari poſſunt. Hic ſtatus eſt, ut formatur à D. Chemnit. part. 1. Exam. p. m. 110. Quo uno obſervato facile apparebit argumenta Pontificiorum vel ignorantiam elenchi committere, vel à genere ad ſpeciem affirmativè concludere. Seponamus argumenta ipſorum ex ſcripturis proferri ſolita; & maneamus (1.) in antiquitate (2.) in rationibus, quas urgent. πολυθρύλλητον eſt quod ex Euſeb. libr. 3. c. 32. Hieron. d. ſcript. Eccleſ. tit. Ignat. adducit Baron. an. 53. §. 14. Alan. Cop. dial. 6. p. 797. & alii; ubi notat Euſebius, quod Ignatius *Eccleſias Aſiaticas hortatus ſit, ut Apoſtolorum traditioni* (non traditionibus, ut pervertit Ruffinus) *mordicus inhæreſcerent*; Biſciola ampullatur ad ann. 109. *Ignatij epiſtolæ ditiſſimum ſunt promptuarium traditionum Apoſtolicarum:* ℞. Chemnit. part. 1. exam. p. 152. addere Ignatium, quod traditionibus non ſcriptis deroget. Nempe ſeſe eas ſcripturum ὑπὲρ ἀσφαλείας, ut certæ eſſent. confer quæ ſupra §. 1. art. III. & §. 3. art. IV. reſponſa ſunt. Excipit Baronius l. c. in epiſtolis illis extare, quæ ſunt præter ſcripturam, e.g. *hierarchicum in Chriſti Eccleſia ordinem, ſingulorum Eccleſiæ miniſtrorum diſtincta officia, conventus publicos, ſacratiſſimæ Euchariſtiæ miniſtrationem, ſacrificij immolationem, obſervationem diei dominicæ, aliasq́ feſtivitates, quadrageſimæ jejunium, viduarum cœtum venerandum, ſacrum collegium earum virginum, quæ perpetuam virginitatem excolerent, & ſeipſas Deo conſecraſſent, & alia hujusmodi.* hæc ille ℞. (1.) Copus l. c. negat librum, quem de traditionibus ſcripſit Ignatius, hodie extare. At epiſtolæ Ignatii extant: E. hæ non ſunt ille liber de traditionibus. (2.) Quædam ſunt ἔγγραφα. E.g. adminiſtratio S. cœnæ & dies dominica. Vide art. III. §. 9. & 10. ſupra. (3.) Reliqua ſunt ritualia & mores liberi, neque ab Ignatio dicuntur eſſe traditiones Apoſtolicæ neceſſitate præcepti, cultus, aut meriti alicujus obſervandæ. De ſingulis infra. Meſtræus ex epiſtola ad Heron. p. m. 106. allegat verba: *Quicunq́ dixerit quippiam* παρὰ τὰ τεταγμένα *præter ea quæ ordinata ſunt,* &c. ℞. N. C. ordinata E. tradita. Vide Vedel. Exerc. XII. c. 2. Pergamus in Baronio. Provocat etiam ad *Polycarpum,* qui *docuit ſemper, quæ ab Apoſtolis didicerat, quæ & Eccleſiæ tradidit & ſola ſunt vera.* teſte Iren. lib. 3. c. 3. Addamus ipſi Egeſippum, quem Euſebius refert lib. IV. cap. 8. *ſinceram & minimè fucatam Apoſtolicæ prædicationis traditionem*

ſcriptis

ſcriptis reliquiſſe. ℞. N. C. Polycarpus & Egeſippus obſervarunt traditiones Apoſtolicas. Ergò præter ſcripturam neceſſarias. Quæ fuerint illæ traditiones neque Irenæus neque Euſebius annotarunt. Polycarpi autem & Egeſippi ſcripta interierunt: ſicut & Matthiæ de traditionibus; unde colligo non tanti fuiſſe, alias Deus conſervaſſet: judicium eſt Chemnitii p. 1. exam. p. 153. Superſedeo cæteris, quæ prolixe repetit ex Juſtino, Irenæo, Tertulliano, Clemente Alexandrino, Origene, Stephano, Athanaſio, Euſebio, Hilario, Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Epiphanio, Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, & Vincentio Lirinenſi; Nam fruſtra omnia ſunt, cum loquantur aut de traditionibus, quæ fundamentum habent in ſcripturis, aut de ritualibus, aut hiſtoricis per ſucceſſionem acceptis. Nemo ipſorum dicit, quod Pontificii affirmant in ſtatu controverſiæ ſuperius declarato. 2. *Rationes* etiam quaſdam allegat Baronius E. g. Symbolum Apoſtolicum, Canonem ſcripturæ, baptiſmum infantium non niſi ex traditione conſtare. Reſp. articuli Symboli Apoſtolici ſunt ἔγγραφοι. Canon ſcripturæ per traditionem quidem acceptus eſt, ſed illi ipſi ita ſeſe Eccleſia allegavit in rebus creditu vel factu neceſſariis, ut præter eum nihil recipiat. Chemnit. p. I. exam. p. 112. ſeqq. Baptiſmus infantium ex S. literis deduci poteſt. *Materiam* ſcripturæ ipſam ſuo loco non relinquunt Pontificii. Baronius an. 34. editionis prioris abjectè de textu Græco Matthæi ſentit: *Dico, quod Græcus textus Matthæi, cujus fidei ſit, niſi collato cum Hebræo originali, affirmare non poſſumus.* Et in edit. Antverp. an. 34. §. 73. *Cum eſt controverſia in textu Latino Evangelij Matthæi, non provocandum eſt ad textum Græcum.* Finis igitur eſt authenticam facere verſionem etiam ſuam Latinam, ſi nempe Matthæi Hebraica authētica eſt. ℞. N. C. Verſio Matthęi ex hebraico (ſupponamus hoc) eſt authentica E. etiam Latina vulgata. Illa enim à viro θεοπνεύστῳ eſt facta; hæc nequaquam. vide Vedel. exercit. IV. ad Ignat. cap. 2. Hiſtoria Suſannæ eſt ἀπόκρυφος. At Ignatius citat in epiſtol. ad Magneſ. Bell. l. 1. de Verb. D. c. 9. ℞. N. C. citatur. E. ut canonica.

§. 3. (II.) *Miniſterium* Eccleſiaſticum non uno errore contaminant Pontificii. Singula ordine videamus. (1) *Electio.* Quæſtio eſt: Cujus ſit eligere & vocare miniſterium? Pontificii dicunt poſt Deum radicaliter eſſe poteſtatem eligendi & vocandi penes Ponti- (2.) Pro *Miniſterio* & ejus (1.) *Electione.*

ficem

ficem, & per ipsum apud Clerum. Nos contra dicimus esse hoc privilegium totius Ecclesiæ in tres status divisæ. Pontificii in acie & fronte ejus locant Petrum, qui emiserit discipulos in orbem terrum, & per ipsos fundaverit hinc inde sedes Episcopales, quò non immediatè ipse pervenisset & Episcopos constituisset. Operosissimus est in hoc argumento Baronius ubicunque occasio arriserit. vide Ann. 46. §. 1. ℞. Non solius Petri hoc erat officium vel privilegium. Nam & Paulus ordinavit Evodium Episcopum Antiochenum, teste Ignatio epist. ad Antioch. p. m. 64. confer quæ supra scripsimus art. II. §. 12. & §. 5. adde Euseb. lib. III. hist. Eccl. c. 17. Nam

(2.) Ordinatione. clarè scribit Johannem constituisse Episcopos; (2.) *Ordinatio* statuitur à Pontificiis ita *necessaria*, ut Eucharistia confici non possit, nisi ab ordinato. Probant ex Ignat. ad Tral. *infideli est deterior, qui audet aliquid facere circa altaris ministeria, nisi fuerit Episcopus aut Presbyter.* Bell. l. 4. de Euch. c. 16. *Subjectum*, dicunt, ineptum habebatur bigamus, s. qui bis connubium iniisset. ann. 58. §. 27. Turrian. pro can. Apost. lib. 1. c. 1. p. m. 2. & probare volunt ex 1. Tim. III 2. can. Apost. 17. *Ritus.* Per sacrificium missaticum ordinationem esse per actam contendit Bisc. ann. 44. p. m. 22. ex Actor. XIII. 12. ex voce λειτουργούντων. Eadem sententia est Pamelii in Liturg. t. 1. p. m. 59. qui provocat ad Simeonem Metaphrasten, eodem modo explicantem. ℞. Dist. inter validè & licitè. Non dicit Ignatius valide non fieri, sed non licitè. Locus. 1. Tim. III. non evincit quod Baronius intendit. Vult Apostolus Episcopum, si conjugatus sit, vel conjugari velit, una uxore esse contentum. Etsi enim moris id non fuerit in Ecclesia, ut essent bigami; tamen potuisset fieri. Et moris erat apud Judæos, teste Justino in Tryph. Chemn. p. III. exam. p. 137. vox ἐγκρατής, quam Turrianus urget, non præcisè significat continentiam cœlibum; Nam 2. Petr. I. 6. omnibus Christianis commendatur & præcipitur. Liturgia per sacrificium missaticum explicare est à baculo ad angulum, à genere ad speciem affirmativè. Dionysius d. Eccles. hierarch. cap. V. p. 2. describit ritum consecrationis; sed sacrificii missatici non meminit sed precum & invocationum & rituum alio-

(3.) Divisione. rum. (3.) *Divisio.* Pontificii septem ordines constituunt Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum Exorcistarum, Acoluthorum, & Lectorum. Baronius probare vult ex Ignatii epist.

epist. XI. ad Antiochen. p. 96. ann. 44. §. 77. Salutat enim *Sanctum Presbyterorum collegium; sacros Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Ianitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores, & Custodes sacrorum vestibulorũ.* R. sit locus genuinus, qui tamen non est, non tamen septem suos ordines inde conficient; Nam Acoluthorum ille non meminit. Fallit ergò concilium Trid. c. 2. d. sacr. ord. cum dicit nomina septem ordinum fuisse in primitiva Ecclesia; Neminem probatum scriptorem ex. 1. seculo hactenus nominare potuerunt Pontificii, qui septem illos ordines nominasset. Magister sententiarum ingenuè fatetur lib. IV. dist. 25. ad lit. i. *Canones duos tantum sacros ordines excellenter appellare censent, Diaconatus scilicet & Presbyteratus, quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse; Subdiaconos & Acoluthos præcedenti tempore Ecclesia sibi constituit.* Taceo, quod Ignatius plures ordines recenseat, quos quidem *officia* vocat Baronius l. c. sed nullum allegat fundamentum, cur officia ab ordinibus distinguat omnibus à se sic dictis. Vide Chemnit. part. 2. exam. p. m. 396. Vedel. exerc. XI. ad ep. Ignat. Antioch. c. 3. (4.) *Potestas.* Alia potest dici privativa, ut est exemptio; alia positiva, quæ est vis imponendi leges; dominandi &c. (4.) Potestate.
Pro illa allegant verba Ignatii epist. ad Philadelph. p. 96. *Diaconi & reliquus Clerus una cum populo universo, militibus, principibus, & Cæsare ipsi obedite Episcopo.* Hæc arrogatur Ecclesiæ potissimum Romanæ, & ejus capiti Pontifici super universum populum Christianum. Corradunt iterum Baronius, Bellarminus & alii quidquid obvium, ut hanc Papæ sui omnipotentiam fulciant. Ignatius epist. ad Rom. in inscriptione eandem vocat προκαθημένην τῆς ἀγάπης; Bellarminus l. 2. d. Pont. c. 15. & Boz. d. sig. Eccles. l. 18. c. 13. ex eadem inscriptione addit: ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων, *quæ præsidet in loco regionis Romanorum:* & hinc concludit eminentiam ejusdem; *cur,* inquiens, *dicitur Ecclesia præsidens, nisi quia caput est omnium aliarum?* Baronius an. 109. §. 13. Sander. d. visib. Monarch. libr. VIII. c. 10. arripiunt verba: ἐκκλησία ἡγιασμένη καὶ πεφωτισμένη ἐν θελήματι θεοῦ &c. *Ecclesia Sanctificata & illuminata in voluntate Dei.* ut cum Mestræo 2. not. ad h. l. concludant Ecclesiam R. integram puramque in fide Christi permansisse. Ignatius epist. ad Trallens. scribit: τῷ ἐπισκόπῳ ὑποτάσσεσθε ὡς τῷ Κυρίῳ, αὐτὸς γὰρ ἀγρυπνεῖ &c. *Episcopo subjecti estote ut Domino; ipse enim vigilat &c.* Ex Heb. XIII. 17. Hinc Bellarm. lib. IV. d. P. R. concludit

Papalem potestatem ferendi leges. Spectat huc *inæqualitas* in ministris, dum per ipsos non licebat cuivis Sacerdotalia exercere, sed soli Episcopo & Presbytero, nec ordinare, nisi Episcopo. Const. Apost. l. 3. c. 11. *Melior est Pontifex, cui credita sunt sancta sanctorum, cui soli commissa sunt secreta Dei.* Ignat. ad Philad. ℞. *Status controversiæ* non est de primatu ordinis, vel charitatis Ecclesiæ Romanæ, de quo unicè Ignatius loquitur, sed jurisdictionis, quem Ignatius nusquam Romanæ tribuit. Nec ab illo ad hunc V. C. Nam & Ambrosio tribuitur προεδρία τῶν ἀποστόλων à Basilio ep. 55. qui tamen prior jurisdictione non est. Unde apparet, quod aliud sit προεδρία respectu subjectarum sibi Ecclesiarum, qualis est omnium Episcoporum; & respectu totius orbis, qualem suæ Romæ arrogant Papistæ. 2. *Non est status controversiæ,* an Ecclesia R. tum temporis adhuc in fide fuerit incorrupta? largiamur, Ignatio id testante; sed N. C. etiam hodiè esse incorruptam; Etiam Philadelphiensem ἐστήριξεν βεβαίως τὴν ἐκκλησίαν ἐπὶ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομῇ πνευματικῇ ἀχειροποιήτῳ, ᾗ συγκλύσαντες οἱ ἄνεμοι, καὶ οἱ ποταμοὶ οὐκ ἴσχυσαν αὐτὴν ἀνατρέψαι, ἀλλὰ μηδὲ ἰσχύσειάν ποτε: *Deus confirmavit firmiter Ecclesiam in petra ædificatione spirituali & sine manibus facta, contra quam conflictantes venti & flumina nunquam eam potuerunt evertere, nec unquam poterunt.* Insigne elogium est, quale de Romana non legimus: Et tamen Philadelphiensis hinc infallibilis fuisse non convincitur. (3.) Status non est: An Episcopo in rebus ad Ecclesiam spectantibus sit obediendum, si ex S. literis definit? id enim largimur; nec plus dicit Ignatius: *Ne quicquam fiat sine tua mente,* scribit ad Polycarpum, *sed nec tu quicquam fac sine Dei mente.* Vide supra art. II. §. 6. (4.) *Inæqualitatis* alia est jure divino, alia Ecclesiastico; de hoc, non illo loquuntur constitutiones Apostolicæ. Nam jure divino Diaconi à sacerdotalibus non excludebantur. Vide supra art. II. §. 4. (5.) Non est status de sacerdote Christo, de quo Ignatius ad Philadelphienses loquitur; sed de putatitio ejus Vicario, Pontifice R. quem Ignatius nescit. (6.) *Cœlibatus.* Quæstio est: An liceat Clericis, continere sese non valentibus, prohibere matrimonium? affirmant Pontificii. Nos negamus: vide supra art. II. §. 14. Illi urgent Constit. Apost. lib. VI. c. 17. *non licere Clericis, si post ordinationem sine uxore fuerint, ad nuptias transire.* Et epist. 2. Clementis ad Jacob. t. 1. concil. f. m. 8. ubi eadem habentur: repetita à Pamelio

(6.) Cœlibatus.

t. 1. Liturg. p. 83. 84. ℞. Ex Bell. d. script. p. m. 39. *Constitutiones Apostolicæ in Ecclesia Latina nullum fere nomen habent; & ipsi etiam posteriores Græci in Concilio Trullano Can. 2. improbant has constitutiones, ut ab hæreticis depravatas.* Idem paulo ante fatetur *scrupulo non carere* epistolas Clementis etiam ad Jacobum;

§. 4. (III) *Doctrinalia.* Sunt de his inter nos & Pontificios controversiæ plures. In articulo (1.) de *Deo*: Nam cultum adorationis etjam creaturis tribuunt Pontificii. *Reliquias* venerantur. Sic enim Bisciola t. 1. epit. an. p. m. 30. an. 55. ex Baron. an. 55. §. 9. colligit. *Traditio de SS. reliquiarum cultu & veneratione ex Christi fimbria inchoata Luc. VIII. seq. Pauli semicinctiis & sudariis confirmata, Actor. XIX. 12. ac de reliquis Martyrum latissimè propagata, per singula tempora demonstratur.* Baronii l. c. verba sunt: *vides in his igitur, tam Domini, quam Pauli Apostoli exemplo & auctoritate cultum sacrarum reliquiarum in Ecclesia institutum, stabilitum, eumq; ab Evangelistis scriptis testatum, atq; miraculis comprobatum.* Etiam *imagines* in nimio habent precio; argumentum idem est, nempe à miraculis desumptum; E. g. crucem venerantur: cur? ὅπερ ὁρῶν φρίττει, καὶ ἀκούων φοβεῖται *quam* (diabolus) *videns horret, & audiens timet,* verba sunt Ignat. epist. ad Philipp. ℞. (1.) status controversiæ *de reliquiis* ante omnia recte formandus: Non est quæstio: *an martyres domini sint spernendi & in honoranda eorum martyria, reliquiæ* &c. ut deliravit Basilides apud Iren. lib. III. cap. 20. Fatemur enim honorificè esse habenda ipsorum ossa; sepelienda; etiam commemorationibus publicis celebranda; sed: An cultu religioso sint inhumata circumgestanda, aut adoranda cultus & opis impetrandæ caussa? hoc negamus. Chemnit. part. 4. exam. p. m. 9. 10. Neque est quæstio: An vivis Christo & Apostolis miracula fuerint perpetrata per fimbriam, semicinctia &c. id enim historia testatur; sed an ideo veneranda? Hoc negamus. Illi asserunt: sed non adducunt consequentiæ suæ rationem (2.) *Crux* sumitur vel pro ligneo isto signo, vel pro confessione & fide Christi crucifixi; aut ipsa Christi passione; h. l. non sumitur pro lignea ista machina vel signo; Neque enim hanc crucis speciem negarunt hæretici, contra quos Ignatius disputat; sed pro ipsa Christi passione, in quam credentes fideles diabolum à sese abigebant; hanc crucem hæretici negabant. Vide Vedel. exerc. X. ad ep. Ignat. c. 1. Inter *opera* Dei est creatio. Creatio-

III. *Doctrinalibus* (1.) de Deo colendo in reliquiis & imaginibus.

Resp. 1.

2.

de Angelis. tionis effectus *Angeli*: Horum varios ordines confingunt Pontificii. Existimant autem Ignatium primum esse cœlestium Hierarchiarum scriptorem; & probare volunt ex epist. ad Trall. p. 6. verba citata sunt supra art. III. §. 3. p. 33. R. varios esse Angelorum ordines non negamus; Nam scriptura deiisdem testatur Eph. I. 21. Coloss. I. 16. Esa. VI. 2. seqq. Psal. XVIII. 11. Id verò nonnullis dubium movit, an genuina sint Ignatii verba, quod sibi polliceatur notitiam abstrusiorem in illis Angelorum differentiis? vide Vedel. exercitat. ad Ignat. 1. c. 8.

(2.) de *hominis* 1. libero arbitrio. §. 5. De *hominis* quoad res divinas. I. *Libero arbitrio* lis est inter nos & Pontificios non vulgaris: Quæstio est: An homo nondum renatus ex suis viribus nativis aliquid possit *in motibus seu actionibus spiritualibus in contritione, fide, & nova obedientia, sicut in verbo Dei nobis illa proponuntur*? Chemnit. p. 1. exam. p. m. 212. affirmant Pontificii; sic enim Bell. libr. V. de libr. arbitr. c. 13. format & affirmat quæstionem. Et quidem Jesuita lib. V. de lib. arb. c. 25. & libr. VI. c. 11. allegat quædam ex Ignatii epistola ad Magnes. p. 53. quæ sic sonant: *Quandoquidem actiones ipsæ sua habent præmia, & obedientiæ proponitur vita, mors autem inobedientiæ, & singuli, qui aut hoc, aut illud elegerunt, in ejus, quod elegerunt, locum abituri sunt, fugiamus mortem, & eligamus vitam.* Et infra: *si quis pietati studet, Dei homo est; si impie agit, diaboli est, non id factus per naturam, sed per animi arbitrium.* Hæc ille. R. (1.) Quæstio non est de renatis, ad quos scribit Ignatius; sed de non-renatis. Illis quidem largitur liberum arbitrium, sed id adscribit divinæ gratiæ: *Pius*, inquiens, *homo est numisma à Deo cusum.* Vide supra art. III. §. 7. seqq. (2.) Per animi arbitrium (esto versionem verborum ὑπὸ τῆς ἑαυτοῦ γνώμης γενόμενος esse rectè factam) homo quidem fit diaboli; sponte enim peccat; At quæstio est: an fiat idem per animi arbitrium homo Dei? Hoc non affirmat: contrarium potius ex præcedentibus patet. Vide Pare. in refut. Bellarm. d. lib. arbit. ad l. c. II. de *justificatione* non minor est controversia. *Organum* justitiæ apprehendendæ est *fides*, quæ justificat sola & salvat. Id verò ferre non possunt Pontificii. Allegare solent pro se contrà nos verba Pauli 1. Cor. XIII. 2. quorum meminit Ignatius epist. ad Heron. p. m. 107. Hinc quidam Mestræus ad l. c. Ignat. observat. *quantum à veritate distet hæreticorũ* (ita etiam orthodoxos calumniatur) *opinio, qui*

2. justificatione.

me-

meram fidem ad salutem valere putant, vel ex isto Ignatij patet loco è 1. *Cor. XIII. deprompto.* Hæc ille. R. dist. inter fidem justificam & miraculosam: de hac, non autem de illa loquitur Martyr; Nam tribuit hanc etiam iis, qui crucem negabant, nempe hæreticis, qui vera fide justificante carent. Retorquemus E. locum in Pontificios, & ostendimus fidem miraculosam & justificam non esse unam eandemque. Instat Bellarminus lib. 1. de justif. c. 17. ex epist. ad Ephes. p. 228. ubi fides dicitur ἀρχὴ ζωῆς *principium vitæ.* Hinc ille colligit fidem justificare tantum per modum dispositionis. Nos contra dicimus fidem justificare per modum adæquatæ caussæ instrumentalis. Ignatius nobis non obest. Aliud enim est esse *initium vitæ* spiritualis, quale est fides, per quam regeneramur & renovamur; aliud esse meram dispositionem, quod invito Ignatio contendit Bellarminus. III. *Renovatio* hominis sequitur justificationem. Habet illa suos gradus; alii enim aliis sunt perfectiores, id est, minus imperfecti; Pontificii somniant *perfectionem* & ejus *consilia*: Et quia putant aliquod ex Patribus se habere subsidium, docendi sunt, non habere; *Perfectionem* videntur spirare illa Ignatii verba epist. ad Eph. p. 221. *Ne quis igitur vos seducat, sicut nec seducimini; Toti namq; estis Dei*; ὅταν γὰρ μηδεμία ἐπιθυμία ἐν ὑμῖν, *quia enim nulla concupiscentia in vobis sit, quæ vos inquinet & cruciatum adferat* (δυναμένη ὑμᾶς ῥυπάναι, καὶ βάσανον ἐπαγαγεῖν) *profecto secundum Deum vivitis.* Hæc ille. Huc pertinent *merita operum.* Hæc Bellarm. l. V. de just. c. 4. probare satagit ex illis Ignatii verbis in epist. ad Rom. quæ sic allegat: *Sinite me, ut bestiarum esca sim, per quam possim Deum promereri.* Græcè ita sonant: ἄφετέ με θηρίων εἶναι βρῶμα, δι᾽ ὧν ἔξεστι θεοῦ ἐπιτυχεῖν, id est, *finite ut bestiarum esca fiam, per quas licebit Deum adipisci.* Meritis hisce in specie accensentur *Monachorum* cumprimis *virginitas & paupertas.* De *virginitate* plura adducunt Pontificii, Bell. 2. d. monach. c. 27. Baron. an. 57. §. 55. Espencæ. l. 4. d. voto contin. cap. 9. etiam ex Ignatio, dicta & exempla: epist. ad Philadelph. p. 95. Polyc. p. 208. Smyrn. p. 173. Baronius an. 68. § 9. huc trahit historiam orti Nicolaismi. Nicolaum enim, cum diaconus esset factus, narrat ab uxore sua, quam formosam habebat, se continuisse, sed postea ad usum ejus rediisse, quod Apostoli in ipso reprehendissent: *indignum nimirum rati, ut sacris jam officiis atq; ordinibus mancipati adhuc carnis tenerentur illecebris.* Etiam *paupertatem* idem

3. Renovatione, Perfectione. meritis; virginitate, paupertate,

idem ann. 34. §. 269. ex Actor. IV. 34. V. 1. ſeqq. probare ſatagit. ℞.
℞. 1. (1.) diſt. inter concupiſcentiam ipſam & ejusdem dominium;
hoc quidem aliquando excutere poſſunt piè viventes; illam autem
nequaquam. Rom. VI. 14. VII. 15. ſeqq. deinde diſt. inter ſenſum
compoſitum & diviſum; Loquitur in ſenſu compoſito, cum ait:
carnales ſpiritualia, & ſpirituales carnalia exercere nequeunt. Nempe qua
tales ſunt. Sunt autem duæ adhuc in renatis etiam leges & homi-
nes, tanquam duo diverſiſſima agendi principia. Roman. VII. 18.
utrumque principium ſua habet ἀποτελέσματα, quæ non ſunt con-
fundenda. Imperfectam enim adhuc eſſe renovationem noſtram
2. jam ſupra §. 9. art. III. ex ipſo Ignatio probavimus. (2.) Decepit
Bellarminum vitioſus interpres, qui ἐπιτυχεῖν (quod adipiſci ſignifi-
cat) vertit *promereri:* At hæc toto cœlo differunt: Non enim omnis,
qui quid adipiſcitur, id promeretur. Videmus hinc quæ cauſſa ſit,
cur Bellarminus d. ſcript. Eccleſ. §. 71. p. 42. Bigne Bibl. Patr. t. 1. f. 3.
parum Græcis codicibus præ Latinis tribuant, nempe, quia Latini
3. codices interdum erroribus Papiſtarum patrocinantur. (3.) diſt.
inter donum heroicum & electitium; id primitivis Chriſtianis lar-
gimur frequentius & commendamus; hoc improbamus ex eo ipſo
fundamento, quo Apoſtoli in Nicolao. Temere hic imitari vo-
luit, ad quod donum vel vocationem nullam habebat; merito igi-
tur levitatem in viro tanto improbarunt Apoſtoli. Baronii ſo-
mnium eſt, ideo reprehendiſſe, quod indignum eſſet ſacris officiis
initiatum uxore uti. Εὔνοιαν ὀφειλομένην vocat Paulus, 1. Cor. VII. 3.
quas Cardinalis vocat *carnis illecebras.* Nempe hic eſt ſtylus Curiæ
Romanæ, reprehenſus à ſanctiſſimo & conjugato Apoſtolo Paulo
4. 1. Tim. IV. 3. ſeqq. vide ſupra art. II. §. 14. V. §. 1. (4.) diſt. inter col-
lationem eleemoſynarum & ſtatum monaſticum. Actor. IV. & V. de
collatis eleemoſynis ſublevandæ, non plantandæ, paupertatis ergo
ſermo eſt; de monaſtica illa votiva paupertate ne γρῦ quidem habe-
tur. Vid. eruditiſſimas Dn. D. Schalleri Dn. Præceptoris & Compa-
tris mei exercitationes contra Bellarminum de paupertate Mona-
4. Certitudine gratiæ. chorum. IV. *Certitudo gratiæ divinæ & ſalutis.* Temerarii ſumus Ponti-
ficiis, quod nobis certam promittamus Dei gratiam & ſalutem. Pu-
tant ipſi Ignatium reclamare. Nam allegant contra nos verba epi-
ſtol. ad Trall. ἵνα μὴ ἐν καυχήσει ἀπόλωμαι &c. Πλεῖον με δεῖ φοβεῖσθαι:

ne in-

ne in jactantia peream &c. *me magis decet timere.* ℞. dist. inter certitudinem & securitatem; Certi esse possumus de futura salute & præsente gratia, supposita nempe Dei promissione & nostra fide, sed non securi, ob multa pericula, quæ quotidiè nobis struit μυριοτέχνης. De hac, non de illa loquitur Ignatius. Nam illam clarè docet; & in Polycarpo celebrat: ἀφθαρσία καὶ ζωὴ αἰώνιος, περὶ ἧς καὶ σὺ πέπεισαι κατὰ πάντα: *incorruptibilitas & vita æterna, quæ tibi per omnia persuasa est.* Vide supra art. III. §.8. Certi de salute non habent cur metuant *purgatorium.* Hoc tamen accendere conantur Pamel. t. 1. Liturg. p. 77. & 120. ex liturgia Jacobi, Constitutionibus Clementinis, & liturgia Clementis: & Baronius ann. 34. §. 313. ex historia Stephani, quem lapidatum nonnulli cordati viri συνεκόμισαν καὶ ἐποιήσαντο κοπετὸν μέγαν ἐπ' αὐτῷ *curaverunt & fecerunt magnum planctum super eum.* Hinc Baronius suffragia ab Ecclesia pro defunctis colligit, ut explicat Bisciola epit. an. p. 18. ℞. Liturgia Jacobi ita *locupletata est à posterioribus, ut non sit facile dijudicare quæ pars ejus liturgiæ S. Jacobum habeat auctorem.* Bellarmini d. script. Eccles. §. 34. p. 33. est judicium. Nec igitur & nos scimus, an allegatum illud testimonium sit Apostoli; de Constitutionibus Clementinis & Liturgia idem judicat. p. 41. §. 72. Præterea nihil de purgatorio dicunt, sed votum tantum faciunt pro æterna defunctorum salute, quod affectus mei testandi ergo possum facere, sine metu purgatorii. Ex Actis prorsus nihil pro purgatorio colligitur. Martyr enim Stephanus fuit, & hoc ipso à purgatorio, si quod esset, liber; Nec sequitur curarunt ipsum. E. pro defuncto orarunt: missam celebrarunt, &c. pro constituto in flammis purgatorii. Tertullianus quidem & Augustinus allegantur, sed sine nostri detrimento; Nam liber Tertulliani exhort. ad cast. scriptus est ab ipso jam hæretico, fatente ipso Bell. d. script. pag. 41. Sed nec alter de corona militis ab orthodoxo est factus; In eo laudat inter *traditiones* etiam *oblationes pro defunctis* cap. 3. At *accipienda illa de vicariatu, quo excommunicatorum, sed pœnitentium, ante solennem introductionem in Ecclesiam defunctorum, oblationes eleemosynariæ pro defunctis factæ, recipiebantur in Ecclesia, juxta definitionem Concilij Arelat. II. can. 12. Carth. IV. can.* 79. Dn. D. Dannh. Christeid. phæn. VIII. p. 252. Augustino quidem adscribuntur sermones de verbis Apost. sed ipse Bellarm. p. 135. l. c. non audet *omnes* eidem adscribere;

§. 6.

(1.) De Sacramentorum numero;

§. 6. *Sacramenta* etiam in controversiam adducuntur. Nos duo propriè sic dicta statuimus; Pontificii septem. Nam superaddunt baptismo & Eucharistiæ ordinem, confirmationem, pœnitentiam, matrimonium, & unctionem extremam. Pro *ordine & confirmatione* objicit quidam Mestræus Ignatium Epistol. ad Heron. ἐκεῖνοι βαπτίζουσιν, ἱερουργοῦσι, χειροτονοῦσι, χειροτεθοῦσι: *Illi baptizant, sacrificant, ordinant, manus imponunt*; Resp. N. C. χειροτονοῦσι. Ergò ordinant. Nam vox illa tempore Ignatii significabat electionem, quæ etiam ad populum spectabat. Vide Zonar. in can. 1. Apost. citante Iustello in cod. can. univ. ρίδ. Vedel. exerc. XII. in epist. Ignat. c. 4. Iterum N. C. χειροτεθοῦσι E. confirmant. Nam manus imponebantur etiam aliis, quam qui confirmabantur, e. g. pœnitentibus, juxta Constit. Apost. lib. 2. c. 45. Porro objicit Bellarm. ex Euseb. lib. 3. hist. c. 17. quod Johannes juvenem à se baptizatum *postea sigillo Domini tanquam perfecta & tuta ejus animi custodia obsignarit*. Hoc sigillum ipse l. 2. d. sacr. confirm. c. 5. interpretatur confirmationis sacramentum. ℞. Baptismo additam olim confirmationem esse, largimur, sed inficiamur additum esse ut distinctum à baptismo sacramentum. Sed non opus est ut liberales simus: Græca ita sonant: *Et postea ulteriori industria & custodia abstinuit*, ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ θεοῦ *utpote perfectum ipsi præmunimentum conferens, signaculum Dei*. N. C. est signaculum E. confirmationis; cur non Eucharistia? Nam & hæc dicitur signaculum & confirmatio: Alcuinus tract. de Cærem. bapt. ita scribit de baptizato & uncto: *Confirmatur postea corpore & sanguine Domini*. Vide Dn. D. Dorsch. ad Conc. Nic. p. 128. seqq. Cætera quæ ex Clementinis potissimum constitutionibus nobis opponunt, partim suppofititia sunt, partim contra nos nihil faciunt, vide Chemnit. part. II. exam. p. 95. Largiamur oleum fuisse adhibi-

baptismo;

tum in baptismo; significationis id fuit, non sacramentalis alicujus operationis organum. Vide supra artic. IV. §. 3. Pro reliquis sacramentis non memini præter scripturæ dicta male allegata produci ex probatis primi seculi auctoribus testimonia à Papistis. Videamus igitur, quid illi de baptismo & Eucharistia. De hac potissimæ sunt

Transsubstantiatione.

controversiæ. (1.) *De transsubstantiatione*. Allegat Bellarm. libr. 2. de Euch. cap. 2. verba Ignatii ex epistola ad Smyrnenses, conservata à Theodoreto dialog. 3. quibus invehitur in hæreticos διὰ τὸ μὴ ὁμο-

λογεῖν

λογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ: *quod nollent confiteri Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi.* ℞. contra Calvinianos quidem hinc probari realem præsentiam corporis Christi in S. Cœna; sed non transsubstantiationem contra Lutheranos; Aliud enim est Eucharistiam esse carnem Christi, quod Lutherani cum Ignatio fatentur; aliud panem esse in carnem transsubstantiatum; quod ex Ignatio illi nunquam probabunt. Vide Chemnit. part. II. exam. p. 146. 147. (2.) De *Missa.* Pro hoc sacrificio allegat Baronius an. 34. §. 53. verba Ignatii ex epistola ad Philadelph. citata superius art. III. §. 9. & ex epist. ad Smyrn. *Rata Eucharistia habeatur, quæ sub Episcopo fuerit; vel cui ipse concesserit. Non liceat sine Episcopo baptizare, neq; offerre, neq; sacrificium immolare, neq;* (quod Canis. oper. Catechet. p. 225. addit) *missas celebrare.* Et ex epist. ad Ephesios verba, quæ citavimus art. III. 9. p. 46. Et ex epist. ad Roman. *Panem Dei volo, panem cœlestem, quæ est caro Filij Dei.* ℞. Panis & calicis distincte meminit in epistola ad Philadelphienses: transsubstantiationem igitur eo quidem in loco non statuit: §. 9. art. III. Bellarm. equidem conatur eludere distinctionem, sed revera nihil dicit ad rem: fatetur *distinctionem carnis & sanguinis à pane & calice*; *Dico*, inquit, *Ignatium distinguere carnem, ut in cruce passam, & sanguinem, ut in cruce fusum, à Sacramento Eucharistiæ*; Idem nos dicimus: *Et rectissime.* Imo si quid rectissimo rectius. Quid inde? Ergò panis & vinum transsubstantiantur in carnem & sanguinem? perabsurda! Testimonium epistolæ ad Smyrnēses supponamus genuinum esse (etsi sit revera tralatitium ex Apostolicis constitutionibus) neque tamen contra nos valet. Nam quomodo illæ & similes veterum phrases sint accipiendæ Aug. lib. X. sent. Prosp. docet: *Sicut cœlestis panis, qui Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi; Cum revera sit Sacramentum corporis Christi, illius videlicet quod palpabile, mortale, in cruce positum est, vocaturq; ipsa immolatio carnis, quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate; sed significante mysterio.* confer epist. 23. ad Bonif. Gerh. l. 2. Confess. Cathol. part. 2. artic. 15. c. 1. p. 1156. D. Dannh. Christeid. Phæn. VIII. p. 256. Canisii addidamentum, non authentica sunt verba hæc: *Neq; missas celebrare.* Epistola ad Ephesios panem Sacramentalem vocat *pharmacum immortalitatis* &c. propter unionem & communionem sacramentalem Corporis Christi cum ipso;

Ad Romanos carnem Chriſti vocat *panem cœleſtem* ſenſu metapho-
Communione ſub una. rico ex Johann. VI. 51. ſeqq. (3.) *De Communione ſub una.* Conten-
dunt Pontificii ſufficere ad Euchariſtiam unam ſpeciem; & Eccius
quidem olim allegabat verba Ignatii ex epiſtola ad Epheſ. pag. 233.
allegata ſuperius art. III. § 9. ἕνα ἄρτον κλῶντες &c. *unum panem fran-
gentes.* R. Synecdochicè loquitur cum Paulo. 1. Cor. XI. 20. ſeqq.
ut ipſe ſe explicat epiſt. ad Philadelph. *unus panis omnibus fractus eſt*;
& unum poculum omnibus diſtributum eſt. Baronius quidem an. 109. n. 25.
legit *pro omnibus*, ut calicis furtum tegeret; ſed prodit fraudem græ-
cus contextus: τὸ ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθη, *poculum omnibus* (non,
pro omnibus) *eſt diſtributum.*

(4.) de *Ecclesia.* §. 7. (4.) *Eccleſia* magnificis, atque utinam ne nimiis,
elogiis celebratur à Papiſtis. *Infallibilitas* ei aſſeritur; nec ea fruſtra,
ut videtur: Nam Ignatius in inſcriptione epiſtol. ad Philadelph. vi-
detur eo inclinare; cum dicit *quod Jeſus Chriſtus per ſuam propriam vo-
luntatem firmaverit Eccleſiam ſuper petram ædificatione ſpirituali citra huma-
narum manuum operam, in quam colliſa flumina & venti non potuerunt eam
ſubvertere, nec id valeant unquam ſpirituales nequitiæ, ſed infirmentur virtute
Domini noſtri Jeſu Chriſti.* R. Eccleſia aut univerſalis aut particularis
intelligitur; ſi illa; abludit objectio à ſtatu controverſiæ; Nam &
nos negamus univerſalem Eccleſiam deficere penitus poſſe: ſi
hanc, & quidem Philadelphienſem, ut videtur, ſequitur Romanæ
id ſolius non eſſe privilegium, quod tamen ejus patroni conten-
(5) de *ritibus* jejuniorum. dunt. V. *Ritus varij* in controverſiam veniunt. *Jejuniis* gloriantur
Papæi, imprimis *quadrageſima*: Et in partes trahunt Ignatium epiſt.
ad Philip. citante Bellarm. lib. 2. de B. O. c. 16. Baron. an. 57. §. 192.
Scribit enim *jejunandum eſſe à fidelibus quadrageſimam, quia imitationem
continet converſationis Domini.* R. Chemnit. part. IV. exam. p. 211. ſup-
poſititia eſſe hæc verba, ſicut & ſequentia; ex Conſtitutionbus A-
poſtolicis aſſuta, aut ab hæreticis inſerta; *ſed cur fieri non potuit, ut
Ignatius Clementem imitaretur, & verba illius ſua etiam faceret verba?* quæ-
ſtio eſt Bellarmini. R. Ideo non potuit, quia *heri & nudius tertius pro-
ducta ſunt illius ſcripta*, ut teſtatur Euſeb. lib. 3. c. 3. Gelaſ. diſt. XV. Ba-
ron. an. XXII. §. 18. &c. Adde, quod Euſebius in Chronico. an. 136.
allegante Biſciola epit. an. p. 63. tradit, jejunium quadrageſimale
à Sixto P. R. adeoque poſt mortem Ignatii eſſe inſtitutum; Excipit
Biſcio-

Bisciola l. c. id falso dici; *cum pleriq; tribuant Telesphoro.* Atqui hic illo adhuc recentior: Sentiens hoc incommodum dicit: *tamen jam ex traditione Apostolica erat usupatum:* Nec addit testimonium: nempe omni idoneo destitutus: Ego contra allegarem verba Irenæi Lugdunensis, qui in epistola, qua Victoris Romani papalem fastum castigavit, docet nullum fuisse certum jejuniorum tempus: verba allegat Euseb. lib. V. hist. c. 24. Esto autem sit genuinum testimonium; neque tamen contra nos militat. Jejunium quadragesimale non abominamur, servetur; per nos licet; dummodo absit opinio necessitatis, meriti, aut cultus: Ipse Ignatius hoc indigitat epist. ad Heron. p. 106. Νηστείαις καὶ δεήσεσι σχόλαζε, ἀλλὰ μὴ ἀμέτρως, ἵνα μὴ αὐτὸν καταβάλῃς, οἴνου καὶ κρεῶν μὴ παντῃ ἀπέχου; οὐ γάρ ἐστι βδελυκτά: id est, *jejuniis & precibus vaca; sed non immodicè; ne te ipse dejicias; vino & carnibus non omnino abstine; neq; enim sunt abominanda:* allegat mox in gratiam sententiæ dicta quædam scripturæ. Vide Chemnit. part. IV. exam. p. 214. Dallæ. d. jej. quadrag. lib. 2. c. 4. seqq. & supra art. IV. §. 4. Baronius omnia corradit ann. 57. §. 192. seqq. Nam (1.) producit exempla eorum, qui à vino, & certis cibis abstinuerunt, Petri, Jacobi, Matthæi, Pauli, Timothæi. (2.) auctoritates Patrum pro jejunio & certo ejus tempore, & necessitate. R. ad (1.) debuisset probare id factum ex opinione cultus, meriti aut necessitatis. *Non enim damnantur ipsa jejunia, sed traditiones, quæ certos dies, certos cibos præscribunt, cum periculo conscientiæ, tanquam istiusmodi opera sint necessarius cultus.* A. C. art. de discrim. cibor. p. 32. ad. 2. R. dist. inter jejunium ipsum & jejunii modum, tempus, &c. *Ego*, inquit Augustinus, ab ipso Baron. an. 57. §. 193. citatus, *in Evangelicis & Apostolicis literis totoq; instrumento, quod appellatur Testamentum novum, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum.* Hæc ille. Nec hoc recusamus, si Ecclesiæ consensu, vel à Magistratu jejunia indicentur, suadente Clero, quod deceat ea celebrare. His distinctionibus datis non video, qui nobis ullus Patrum allegatorum repugnet; adeo ut ipse Tertullianus nostram caussam agat; introducit enim Montanista ille, Baronio laudatus, orthodoxos *pane (& aqua) victitantes ut cuiq; visum est; Deniq;* eosdem compellans, *respondetis*, inquit, *hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio.* Prorsus eadem sen-

sentimus & dicimus. Jejunium quadragesimale sequebatur *Pascha.* Incurrit Baronius an. 58. §. 72. in Lutheranos, quod à Socrate Novatiano decepti, credunt *esse debere in cujusq; voluntatis arbitrio, quando velit Pascha peragere* : cum tamen festum istud à Petro constitutum sit: & Ignatius epist. ad Philip. p. 46. §. 7. scribat: *Si quis cum Judæis celebrat pascha, aut symbola festivitatis eorum recipit, particeps est eorum, qui Dominum occiderunt & Apostolos ejus.* R. (1.) Status controversiæ non observatur à Baronio. Non enim est quæstio : *An liceat Episcopis seu pastoribus facere ordinationes, ut res ordine gerantur in Ecclesia?* Hoc enim fatetur A. C. art. de potest. Eccles. p. 43. Nec est quæstio : *an tales ordinationes conveniat Ecclesias propter charitatem & tranquillitatem servare eatenus, ne alius alium offendat, ut ordine & sine tumultu omnia fiant in Ecclesiis*; Nam & hoc largiuntur Confessores Augustani. Unde, ordinaverit Petrus pascha; Non invidemus hanc ei gloriam; sed apparet Baronium nobis injuriam facere, cum *cujusvis arbitrio relictum*, scribit, apud nos, *quando velit pascha peragere.* Non toleramus hanc confusionem; sed (2.) *hic est status*, sicut ab A. C. formatur : an observantia diei Dominici, Paschatis, Pentecostes, & similium feriarum & rituum ita sit necessaria, ut *per illam mereamur gratiam, aut satisfaciamus pro peccatis, ut obligantur conscientiæ, aut judicent esse necessarios cultus, ac sentiant, se peccare, cum sine offensione aliorum violant.* Hoc negamus. Ignatii locus aut spurius est, ut demonstrat Dallæ. d. jej. & quadragel. l. 2. c. 4. aut Ignatius amicissimum suum Polycarpum, imo Johannem Apostolum ipsum suum præceptorem Judæis annumeravit; Nam hi cum Ecclesia Asiatica celebrarunt pascha eo die quo Judæi. Vide Euseb. lib. VI. hist. Eccles. c. 24. seqq.

Locorum. §. 8. *Cæremoniæ & ritus* alii supersunt. *Loca* sua sancta habent Pontificii; nec improbamus, si modum observarent, nec à simplici antiquitate recessissent. *Martyria* quondam sua habebant, quæ erant loca Martyrum memoriis dedicata. *Nos enim Martyribus nostris non templa, sicut Diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus.* Verba sunt Augustin. C. D. libr. XXII. c. 8. laudata ab ipso Baronio an. 57. §. 27. An hoc quoque seculo talia fuerint constructa? & frequentari solita? Baronius an. 69. §. 21. & ejus Epitomatores affirmant. Citant quendam antiquissimum Theologum Gajum, qui *Apostolorum trophæa* ostendit. Sed non-

nondum hoc ad Martyrium solenne sufficit; Quid in sequentibus sit factum temporibus suo loco disputabimus. *Signum crucis* in nimio apud Pontificios precio est. Nam divinam ipsi vim tribuunt. In antiquitate formatum fuisse probare volunt Baron. an. 60. §. 6. Bisciol. l. c. ex confessione veterum & epistola ad Philippenses Ignatii, sed v. supra art. IV. §. 4. *Luminaria* ab *initio Ecclesiæ* etiam interdiu adhibita esse asserunt quidem Bisciola & Baronius an. 58. §. 70. sed nullo apice probant. Nam quod Acolythos seu ceroferarios argumenti loco assumant, id vero tantis viris indignum est. Ut enim taceam Acoluthos nullo idoneo argumento posse de Ecclesia primi seculi probari; illud saltem urgeo, quod ceroferarii neque grammaticè neque historicè cum illis Acolythis conveniant. Sed Basilius testis esto, saltem pro nocturnis. Hunc enim allegat Baron. 51. §. 70. *quasi insinuarit hæc non nisi ex Apostolorum traditione ad Ecclesias esse perlata.* Loquitur Cardinalis de lucernariis precibus; de quibus etiam Basilius loquitur: Sed hic non appellat traditionem Apostolicam, etsi appellet *antiquam populi vocem.* Advocat E. Baronius Clementem Const. Apost. l. 8. c. 36. Sed qui potest, cum ipse an. 32. § 18. eundem *librum apocryphum* appellet? *Vigiliæ* huc spectant, sed quia de illis non tanti sint inter nos controversiæ supersedemus de illis aliquid agere.

Signorum. Luminarium. Vigiliarum.

§. 9. *Historicos* quosdam errores coronidis loco annotabimus, in quibus nonnihil inter nos est disceptationis. *Templa* propriè sic dicta an fuerint seculo primo? quæritur. Affirmat Baron. ann. LVII. §. 99. & an. CIX. 5. & probare vult ex Ignatii epist. ad Magn. Nam hic jubet: πάντες εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ συντρέχετε, *omnes in templum Dei concurrite.* Sed an hæc verba sint genuina merito dubitatur. Nam Origen. l. 8. contra Cels. Arnob. lib. VI. contra gent. pag. 190. Minuc. in Octav. Lactant. libr. 1. de fals. relig. c. 2. clarè testantur, quod eo usque Christiani nulla habuerint templa. Exceptiones Baronii diluit Vedel. exerc. ad epist. Ignat. p. 69. seqq. confer supra art. III. §. 4. pag. 67. *Assumtio* B. Virginis Mariæ adeo certa est apud Pontificios, ut vel festo honoretur. Sed unde probant? Ex Dionysio Areopagita lib. I. cap. 3. de divin. nomin. At fatetur Baronius §. 9. an. 48. *quæ ad hanc historiam pertinent, neq; ex Canonicis scriptis, neq; ex antiquorum Patrum testimoniis roborari possunt.* Ergo Areopagita non

Historici errores de templis.

est antiquus Pater testimonii dicendi capax. Taceo, quod instituta temporum ratione relatio Dionysii Areopag. multorum errorum possit postulari; Unde E. probatur? Ex consensu Ecclesiæ, *adeo ut perfrictæ frontis & procacis sit animi indicium Ecclesiæ universalis usui, & tot Patrum sententiis non acquiescere.* Hæc idem: Sed qui illi Patres? Recentiores omnes. Nam ne unum quidem ex vetustioribus producere potuit Baronius. Eusebium antiquissimum laudat; sed Bisciola ipse p. 48. epit. suspicatur *ab alio additam* esse relationem. Plures idem Cardinalis suppositios fatetur & refutat non tantum in Annalibus, sed etiam in Martyrologio ad diem XV. August. *Simon Magus* à Petro precibus ex alto præcipitatus esse perhibetur à multis, nec tamen antiquissimis Patribus: antiquissimus cæteris est Arnobius; ante ipsum non memini ullum esse genuinum Patrem, qui id retulisset. Certe Irenæus, qui diligenter Simonis Magis historiam scripsit, nullo apice meminit certaminis istius. Drama. E. potius, quam historia merito videtur nostro B. Pappo in hist. Eccles. p. 22. Et tamen Pontificii hinc eliciunt mysteria? *Caput Apostolorum Petrus Simonem Magum omnis magiæ, hæreseos & schismatis principem debilitavit, fregit, ac delevit, eo ipso declarans totum corpus totamq; hæreseos & schismatis causam per Episcopos Petro in Romana cathedra succedentes, in æternum reprimendam fore:* Verba sunt Sander. d. visib. Monarch. l. VII. f. 226. Addit Sibyllæ Erythrææ vaticinium quoddam *ex Chaldæo sermone in Græcum, ac deinde in Latinum, translatum, extare dicitur Venetiis in Bibliotheca S. Georgij Majoris, & citatur à Bernardino in sexta parte ser. 1. de festiv. Mariæ; itemq; in Chronicis Antonini part. 1. t. 3. cap. 9. §. 14.* Est autem hoc: *quod elegerit sibi ex piscatoribus dejectis numerum duodenarium, unumq; diabolum, quodq; non in gladio bellove Aeneadem urbem Regesq; subjiciet, sed in hamo piscantis.*

Simone Mago.

II. Calvinianorum (1.) de persona Christi.

§. 10. II. *Calviniani* in controversia (1.) de *persona Christi* & propositionibus personalibus allegare possent verba Ignatii ad Polyc. p. 207. Nam scribit Christum *esse omnibus passionibus carentem*, ὡς θεὸν, *ut Deum: propter nos vero passionibus obnoxium factum ut hominem:* Deus E. non est passus in concreto naturæ, sed homo tantum; Resp. dist. inter ἄσαρκον & ἔνσαρκον; ille est utique ἀπαθὴς; Et sic intelligit Ignatius; Describit enim eundem qualis fuerit ab æterno ante incarnationem: Hic autem est passibilis; Nam idem jubet: *Exspecta*

Filium

Filium Dei, in tempore, qui omni tempore caret; &c. &c. δι' ἡμᾶς δὲ παθητὸν ὡς ἄνθρωπον *propter nos vero passionibus obnoxium, ut hominem*. E. Filius Dei est passionibus obnoxius. Alius locus videtur iisdem favere, qem citat ex epistola Ignatii ad Romanos Theodoretus Dial. 1. Nam Christus dicitur *Filius Dei* κατὰ θεότητα *secundum Deitatem*; At etjam est Filius Dei secundum humanitatem naturalis, non adoptivus. Vide Menzer. in Anti-Croc. disp. VII. th. 6. & 36. Gerh. exeges. art. IV. & 156. B. Joh. Schmid. disp. de unione pers. ex Heb. II. 14. th. 44. Dorsch. pentad. disput. II. §. 71. III. 50. IV. 29. Interv. c. 25. D. Dannh. Christof. p. 67. Ignatius nobis non contradicit. Nam licet affirmet Christum esse Dei Filium secundum Deitatem; non tamen negat esse etiam secundam humanitem. Pręsentiam humanæ Christi naturæ in terris negant Calvinistæ, eo quod non videatur; & abutuntur auctoritate Ignatii, qui dicit in ep. ad Smyrn. Christum fuisse in carne: & palpatum fuisse. Sed N.C. Omnis palpabilis est corporeus. E. non palpabilis non est corporeus. (2.) *De merito Christi*, quod particulare sit solis electis destinatum; videtur Ignatius suffragari epist. ad Magnes. p. 59. In semine ejus benedicentur πάντες οἱ τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον ἐν χριστῷ *omnes ordinati ad vitam æternam in Christo*: si illi solum, qui electi, E. qui non electi, non benedicentur. Rx. (1.) Scriptura dicit: omnes gentes. E. non soli electi intelliguntur. (2.) N. C. Omnes electi benedicentur. E. qui non sunt electi non benedicentur. Prædicatum latius est subjecto. E. consequentia negativè non valet. Observent interim absoluti decreti patroni quod dicamur τεταγμένοι ἐν χριστῷ *ordinati in Christo*; Christus E. electionis fundamentum est non tantum in executione, sed etiam in æterna destinatione, cum decretum conciperetur. (3.) *De Eucharistiâ*. Fractio panis tanquam necessaria pars urgetur: Et videtur idem facere Ignatius epist. ad Ephes. 233. cum loquitur ad ἕνα ἄρτον κλῶντες, *unum panem frangentes*. Fractio. E. tum fuit observata. Confer superius artic. III. §. 4. pag. 66. Resp. observata? fateor; imperata, ut pars essentialis vel integralis? nego: Christi ascensio in cœlos & sessio ad dextram, de qua Ignatius in epist. ad Trall. ab Orthod. consensu in proleg p. 3. detorquetur in fraudem præsentiæ sacramentalis. Inepta est Calvinianorum oppositio, quam faciunt inter sessionem & præsentiam; Cum illa hujus potius fundamentum sit.

(2.) de Merito Christi.

(3.) de Eucharistia.

§. 11.

III. Socinianorum.

§. 11. (III.) *Sociniani.* Solent aliàs jactare ante Synodum Nicænam, adeoque in primo etiam seculo non fuiſſe cognitum dogma Trinitatis; ſed ſupra oſtenſum eſt articul. III. §. 3. quod Ignatius myſterium iſtud crediderit & docuerit. Regerunt Socinus defenſ. animadverſ. pag. 352. Et, qui ipſi pollicem premit, M. Nicolai Meth. d. Trinit. p. 23. quod Ignatius in epiſtola ad Tarſ. inter errores numeret *Chriſtum eſſe Deum ſuper omnia & Patrem*: quaſi duo negaret, *& ſummum Deum eſſe Chriſtum*; *& Patrem.* ℞. Chriſtum eſſe verum & ſummum Deum, ex ſententia etiam Ignatii, ſupra art. IV. §. 4. pluribus ex ipſo teſtimoniis probatum eſt: Non E. hic ſenſus eſt, quod Chriſtus non ſit ſummus Deus; ſed quod non ſit Pater, qui eſt Deus ſuper omnia. Perſonas diſtinguit Martyr, ne quis Praxeas confundat; non Naturam ſeu eſſentiam. Atque huc ſpectat etiam illud ad Philippenſes, quod illi ipſi objiciunt: *Unus eſt Deus & Pater, & non tria vel tres; unus ſcil. qui eſt, & non præter eum, ſolus verus. Dominus enim tuus unus eſt.* Nempe non ſunt plures Patres, aut Dii, ſed unus Deut. IV. 4. ſicut ipſe mox infert: *Ergo neq; tres ſunt Patres, neq; tres Filij, ſed neq; tres Paracleti, ſed unus Pater, & unus Filius, & unus Paracletus.* Nondum quieſcit Nicolai, ſed inſtat, & urget verba ad diabolum: *Unum ſcio ſolum, cujus tu deſertor factus es. Non ſum Deo adverſus, confiteor eminentiam, cognoſco generationis meæ auctorem Patrem.* ℞. Tò ſolus *oppoſita* tantum excludit; At Pater, Filius, & Spiritus S. non ſunt oppoſita; Nam idem ſathanas *à Deo defeciſſe, à Chriſto ſeparatus, à Spiritu S. alienatus eſſe* dicitur in eadem epiſtola. *Eminentiam* confitetur Filius, nempe ſecundum humanitatem, qua Patre minor eſt: Vide Dn. D. Calov. Confeſſ. Martyr. ſect. III. §. 5. capit. I. Dn. D. Dannh. in Chriſteid. Theatr. 4. Act. 1. p. m. 923.

IV. Syncretiſtarum.

§. 12. (IV.) *Syncretiſtæ.* Medium conciliandarum inter ſeſe trium inter Chriſtianos religionum eminentiorum videtur eſſe aptiſſimum Symbolum Apoſtolorum, utpote quod omnia credenda in ſeſe complectatur. Cum igitur ſalvari poſſit, qui iſta crediderit, etiam in Eccleſia vera eſſe eosdem neceſſe eſt; utpote quod extra eam nemo ſalvetur: Salvari autem ex Ignatio conſtat. Sic enim ad Magneſ. p. 60. ſcribit: *Cupio vobis cautum, ne incidatis in hamos inanis gloriæ, ſed plenam de Chriſto cognitionem* (πληροφορεῖσθαι ἐν Χριςῷ plenam fiduciam) *habeatis, qui ante ſecula natus ex Deo Patre; poſt vero*

natus

natus eſt ex Maria virgine ſine viri commercio, quiq; ſanctè vixit, omnemq; morbum & imbecillitatem curavit in populo, ſigna & prodigia patravit ad benefaciendum hominibus, & iis, qui in ſuperſtitionem plurium Deorum, impegerant, unum verum Deum Patrem ſuum annunciavit; qui paſſus eſt, & à Chriſticidis Judæis ſub Pontio Pilato præſide, & rege Herode crucem ſuſtinuit, mortuus eſt, & reſurrexit, aſcendit ad cœlos, ad eum, à quo miſſus erat, ſedetq; ad dextram ipſius; qui venturus eſt in fine ſeculorum cum paterna gloria, ut judicet vivos & mortuos, reddatq; unicuiq; ſecundum opera ſua: ταῦτα ὁ γνοὺς ἐν πληροφορίᾳ καὶ πιστεύσας, μακάριος, *hæc qui plena fiducia cognoverit, & crediderit, Salvabitur.* Hæc ille. Vel ſolus E. articulus de Chriſto ſufficit ad ſalutem. Reſp. (1.) Quam primitiva Eccleſia abhorruerit à Syncretiſmo, ſuperius artic. III. §. 13. & 15. oſtenſum eſt (2.) *Scopus* Ignatii probè obſervandus. Diſputat enim adverſus hæreticos, qui articuum de Chriſto convellebant; contra hos docet credenda de Chriſto, promittens ea credentibus æternam ſalutem, puta ſi cætera paria fuerint, id eſt, nullos alios ipſi errores foverint: Secus enim damnabat illos ipſos. Clara ſunt ejus verba epiſt. ad Philadelph. p. 99. Poſtquam enim articulum de Chriſto recenſuiſſet, ſubjicit: *Si quis univerſa hæc confiteatur, ſed legitimam commixtionem & liberorum procreationem corruptelam & pollutionem appellet, aut cibos aliquos deteſtandos putet; talis apoſtatam illum draconem in ſe habitantem fovet.* Ecce Ignatio non ſufficit dicere, *quod unus ſit Deus, & confiteatur Chriſtum Jeſum, nec eundem nudum hominem putet, ſed Deum unigenitum, anima & corpore conſtantem:* ſed neceſſe eſſe, ut in aliis quoque articulis ſit purus, ſi velit in cœtum orthodoxorum recipi. *Fugite,* ſubjicit, *maleficia & inſidias ſpiritus, qui nunc operatur in filiis hujus ſeculi. &c.*

Articulus X.

De

ADMIRANDIS ET INSOLITIS.

Argumentum.

Admiranda (1.) Dei conſilium in manuducendis ad fidem infidelibus. (2.) puniendis malitioſis (3.) conſervandis piis. *Inſolita*; ut ſolis defectiones, terræmotus, fames, bella, peſtis, incendia, oſtenta.

§. 1.

ADmiranda divinæ ſapientiæ & juſtitiæ ἐνεργήματα coronidis loco ſubjungi non abs re erit. Nam exinde apparebit, quomodo Deus (1.) *Gentiles manuducere voluerit ad agnitionem veræ lucis, cujus indicia quædam alia clariora, alia illuſtriora ſuppeditabat.* Cum Chriſtꝰ naſceretur *Auguſtus* Imper. Rom. dicitur hecatomba oblata Apollinem conſuluiſſe, quis ſibi ſucceſſor eſſet futurus? ſed oraculum conticuiſſe, donec iterata hecatomba in hæc verba reſponderet: *Me puer Hebræus, Divos Deus ipſe gubernans, cedere ſede jubet, triſtemq; redire ſub orcum; Aris ergo dehinc tacitis diſcedite noſtris.* Hoc accepto reſponſo Auguſtus narratur in capitolio aram cæteris majorem erexiſſe, his inſcriptam verbis: *Ara primogeniti Dei.* χειραγωγία hæc fuit divinæ gratiæ, quæ deſiderium pueri illius Hebræi in gentilibus cætera curioſis accendere voluit. *Tiberius* Auguſti ſucceſſor non ſine motu divino Dominum ſeſe appellari noluit; Nec caſu factum eſt, nato omnium Deo & Domino, quod templa ſibi fieri & ſtatuas vetuerit; vide Sueton. in vit. Tiber. c. 27. Dion. l. 57. Ipſe quidem hac fictitia ſua modeſtia Romanorum ſibi animos conciliare voluit; Deus autem, cujus ſenſa non ſunt noſtra, quaſi monere voluit *rerum Dominum advenisse.* Biſciol. epit. ann. 17. Sunt qui huc referunt cenſuram librorum Sibyllinorum, quam idem inſtituit, aliis rejectis, aliis probatis; ex quibus deinde Chriſtiani argumenta pro ſe contra gentiles allegabant. Dio. l. 57. Tac. annal. 2. Aptius huc facit, quod Euſeb. lib. 5. de præp. c. 9. refert: *Tiberij tempore Salvator & Dominus noſter, cum hominibus converſatus, dæmonum genus ab humana depulit vita. Habes etiam à ſummis apud Gentiles viris non alio tempore unquam, quam temporibus Salvatoris noſtri, dæmones extinctos fuiſſe.* Sed & illud non omittendum; Quod Tiberius ex Pilato literis de rebus geſtis Jeſu Chriſti acceptis ad Senatum retulerit de eo in numerum Deorũ recipiendo; Sed ſenatum reclamaſſe, quod non liceret novas religiones Romæ inferre; *Claudius*, Cum tertium eſſet conſul, multa ſacrificia, multasque ferias abrogavit, eo quod major anni pars his ineptiis abſumeretur cum damno reip. Dio. l. LX. Id vero factum eſſe videtur, ut homines ſenſim à gentiliſmi cultu abſtraherentur: Idem ſtatuas Caji omnes, Hieroſolymis olim inferendas, conflari in hiſtrionis ſtatuam juſſit; Deo inſaniam gentilium ſic riſui exponente. *Nero* qui-

quidem nihil in gratiam Christianismi fecit sponte; sed tamen Deus per ipsum videtur nominis sui famam orbi patefecisse. Legitur inscriptio in Hispania: *Neroni Cl. Cæs. Aug. Pontif. Maxim. ob provin. Latronib. & his qui novam generi hum. superstitionem inculcan. purgatam.* Videtur per superstitionem novam Christianismum indicare; Nam hoc nomine frequenter etiam apud Dionem sugillatur.

§. 2. *Deus hostes suæ Ecclesiæ immissis vel permissis pœnis insignibus punivit.* Inter infensissimos Ecclesiæ Christianæ hostes erant Judæi, & ut graves essent Christianis Romanum in sese Magistratum agnoscebant. Hic igitur ipse, cum Judæi obedientiam detractarent, rebelles ad debitas pœnas revocavit per Vespasianum, qui & stirpem Davidicam, & ipsam Judæorum rempublic. fregit, & per Filium suum evertit. Ipsos etiam Romanos Neroni & Domitiano vexandos permisit, cum prius ipsi cædibus Christianorum delectarentur. Neronem deinde & Domitianum & ipsos ad debitas pœnas pertraxit.

§. 3. (3.) *Deus suorum caussam agit, cum cætera funditus pereunt; etiam scelerum usus occasione.* Imminebat Hierosolymis extremum exitium; Christiani igitur audito oraculo jubentur Pellam concedere, quo conservarentur. Nero Matrem trucidaverat, cum Christiani, & in his etiam Paulus captivus, libertati, lætitiæ testandæ gratia, restituerentur. Titus Imperator de crimine impietatis nunquam cognovit, nec permisit aliis, ut cognoscerent. Referente Dione in Tito. Forsan noluit Christianis ægre fieri ob religionem suam. Imitatus est hac in parte Tiberium; qui accepta & probata de Christo fama Christianos vexari suppliciis noluit.

§. 4. *Insolita* fuerunt (1.) *Defectio solis* insignis, quæ contigit, cum Christus sol justitiæ in cruce pateretur. Sic enim Euseb. Chron. an. Chr. 32. ex Phlegonte refert: *Quarto autem anno CCII. Olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis facta; dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cœlo visæ sint.* Et præmittit Eusebius l. c. se etiam in aliorum Ethnicorum commentariis eadem invenisse. Orig. l. 2. contra Cels. *De sole autem Tiberij Cæsaris temporis obscurato, quo imperante Jesus creditur cruci fuisse affixus, & de magnis terræ tunc motibus factis scribit, Phlegon. in 13. vel. 14. ut arbitror de temporibus libr.* & Tert. Apol. c. 21. *Eodem momento dies, me-*

Insolida (1.) *Eclipses.*

rum orbem signante sole, subducta est, deliquium utique putaverunt, qui id quoque super Christo prædicatum non scierunt: & tamen tum mundi casum relictum in Archivis vestris habetis. Annotat Scaliger ad Chron. Euseb. fol. 171. *Archiva vocat annales & Chronica. Quod enim ait Eclipsim veram quosdam putasse, sine dubio intelligit & Phlegontem, & Thallum Chronographum.* Africanus: Τοῦτο τὸ σκότος ἔκλειψιν ἡλίου Θάλλος ἀποκαλεῖ ἐν τρίτῃ τῶν ἱστοριῶν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ἀλόγως. *Nam Eclipsin quoque veram putavit Phlegon. Inde Tertullianus, putaverunt, cum dicit, non unum Phlegontem, sed & Thallum simul comprehendit.* hactenus Scaliger. vide Chronicon ἀνωνύμου apud Hen. Canis. t. 2. Lect. antiq. Circumfertur etiam quædam Polycarpi ad Johannem Apostolum epistola in orthod. Patr. f. 65. quæ ejusdem Eclipsis meminit visæ à Dionysio in Ægypti urbe Heliopoli.


(2.) Terræmotus. (2.) *Terræmotus* Eclipsi huic conjunctus fuit; teste non solum Origine, sed & Eusebio ex Phlegonte: *Terræmotus in Bithynia Nicææ urbis multas ædes subvertit.* Anonymus Chronologus apud Stevartium in tomo singulari aliquanto aliter: *Asiæ quædam civitates terræ motu, qui tunc* (ann. Chr. 33.) *factus est, dirutæ sunt.* De pluribus terræmotibus Eusebius ann. 59. *Terræ motus Romæ & solis defectio.* & an. 65. *In Asia urbes tres terræ motu conciderunt: Laodicea, Hierapolis, Colossæ.* Stevartii Chronicon refert ad an. 62. *Tres civitates Cypri terræmotu conciderunt.* an. 78. Stevartii Chr. ad an. 81. profert.

(3.) Pestes. (3.) *Pestes*: Memorabilis est quæ accidit Vespasiano imperante (alii tamen ad Titi tempora referunt.) Euseb. an. 78. ita loquitur: *Lues ingens Romæ facta: ut per multos dies in Ephemeridem 10000. fermè mortuorum hominum referrentur.* Ante hanc meminit alterius Chronicon Stevartii an. 62. *Triginta millia hominum pestilentia post mortem Apostolorum perierunt.*

(4.) Ostenta. (4) *Ostenta.* In his memoria dignum est, quod refert Euseb. Chron. ann. 32. *Josephus vernaculus Judæorum scriptor circa hæc tempora die Pentecostes sacerdotes primum commotiones locorum & quosdam sonitus sensisse testatur: deinde ex adyto templi repentinam subito erupisse vocem, dicentium: Transmigremus ex his sedibus.* Idem Euseb. an. 97. *multa* recenset *signa atque portenta Romæ ex toto orbe facta.* Ad quæ prodigia referri potest incendium montis Vesuvii, quod fuit Tito imperante, uti narrat Dio. Quod ideo factum putant, ut ex hoc veluti symbolo profani gentiles horrere discerent ignem futurum inferni.

(5.) Fames. (5.) *Fames* sub Claudio ingens totum terrarum orbem afflixit. Euseb. Chron, an. 45. Stevart. an. 46. recruduit an. 51. Stev. an. 52.

Finis Seculi Primi.



SECULI II. SCRIPTORES.

Articulus I.

Summa. Scriptores, ſcripta confuſè; diſtinctè; Quadratus, Ariſtides, Caſtor Agrippa, Egeſippus, Papias, Iuſtinus, Melito, Apollinarius, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Tatianus, Philippus Gortynenſis, Modeſtus, Muſanus, Bardeſanes, Pinytus, Dionyſius Corinthiacus, Miltiades, Irenæus, Apollonius, Pantænus, Rhodon, Serapion, Victor, & reliqui Pontifices Romani. Horum explicantur ætates, ſcripta, elogia & judicia, ſcripta referuntur juxta materias, & de fatis diſquiritur.

§. 1.

COmplectitur res in Eccleſia geſtas ſub Trajano, Hadriano, Antonino Pio, Marco Antonino & Lucio Aurelio Commodo, Commodo, & ex parte Severo Imperatoribus Romanis: juxta Euſebium in Chronicis, & hiſtor. Eccleſ. lib. 3. c. 26. usque ad librum VI. excluſive. Summa.

§. 2. *Scriptores* hoc ſeculo plures extitere; Etſi nec omnium nomina, nec ſcripta ſint expreſſa. *Confuſè* enim mentionem eorum facit Euſeb. lib. IV. hiſtor. c. 24. (26.) Καὶ ἄλλοι δὲ πλεῖυς, ὧν παρὰ πλείςοις τῶν ἀδελφῶν εἰσέτι νῦν οἱ πόνοι διαφυλάττονται: *Alij item complures ſcriptores extiterunt, quorum lucubrationes adhuc in permultorum fratrum manibus integrè cuſtodiuntur.* & c. 27 Apollinarii quædam citat, ſed quædam nomine non expreſſo: de quibus & Photius Myriob. §. 14. *ferunt & alia ipſius ſcripta commemoratu digna circumferri, ſed quæ in meas nondum manus pervenerunt.* Tatianus ibidem *magnum librorum numerum* dicitur poſt ſe reliquiſſe. Theophilus apud Trithenhem. d. ſcript. Eccleſ. 160. fertur ſcripſiſſe *tractatus breves & plures ad ædificationem Eccleſiæ Catholicæ pertinentes, qui apud Latinos rarò ſimul inveniuntur.* Alii ſubinnuuntur libr. V. Euſeb. c. 27. *Nam Irenæi, Melitonis & cæterorum libros, quis ignorat, qui Chriſtum Deum & hominem eſſe annunciant ? qui illi cæteri ?* celebriores fuerunt *Quadratus Pontifex* ſeu Epiſcopus Athe- Scriptores. *Quadrati* (1.) ætas.

Atheniensis. Nam Adriano circa annum Christi 127. exhibuit apologiam pro Christianis Euseb. Chron. ad an. 127. Baron. an. 128. §. 1. seq. hist. Eccles. lib. IV. 3. antiquissimus igitur patrum est, quippe qui & oculis suis vidit eorum quosdam, in quibus Servator noster miracula exercuit ὥστε καὶ εἰς τοὺς ἡμετέρους χρόνους τινὲς αὐτῶν ἀφίκοντο, *ut ad*
(2.) Scripta. *nostra usq; tempora quidam ipsorum pervenerint.* Monumenta ingenii & fidei dedit duo apologiam & syngramma. De ista Eusebius l. 4. c. 3. ita loquitur: ἀπολογίαν συντάξας ὑπὲρ τῆς καθ' ἡμᾶς θεοσεβείας *Apologiam pro nostræ religionis defensione contexuit ideo, quod nonnulli nequam & perditi homines nostris molestiam facere conarentur:* Addit mox *Elogium*, in-
(3.) Elogia. quiens: *Quod quidem opus, cum apud multos fratres ad hoc usq; tempus, tum apud nos habetur in manibus, ex quo præclara mentis, Intelligentiæ, & Apostolicæ veritatis excutiendæ regulæ indicia* λαμπρὰ τεκμήρια τῆς τε τοῦ ἀνδρὸς διανοίας καὶ τῆς ἀποστολικῆς ὀρθοτομίας, ait l. c. Eusebius, *quæ in illo viro lucebant, facile licet pervidere.* Judicium Hieronym. t. 3. opp. epist. ad Magnum orat. Rom. f. 149. consonat: *Quadratus Apostolorum discipulus & Atheniensis Pontifex Ecclesiæ nonne Adriano principi Eleusinæ sacra invisenti librum pro nostra religione tradidit? & tantæ admirationi omnibus fuit, ut persecutionem gravissimam illius excellens sedaret ingenium.* Gemina leguntur t. 1. opp. f. 125. Catal. script. Eccles. tit. Quadratus. *Elogium* viri etiam insigne est apud Euseb. l. III. hist. c. 31. Nam refertur inter eos, *qui gloriæ & virtutis splendore iisdem temporibus præstabant:* τῶν δ' κατὰ τούτους διαλαμψάντων καὶ κοδράτος ἦν, adde sequentia laudum ornamenta: Trithenhem. d. script. Eccles. an. 120. *Vir constans & incomparabilis doctrinæ &c. Doctor insignis* laudatur.

Aristidis. §. 3. Quadrato jungitur plerumque *Aristides.* Sic enim Eu-
(1.) ætas. seb. in Chron. ad an. 127. *Quadratus discipulus Apostolorum, & Aristides Atheniensis noster Philosophus libros pro Christiana religione Hadriano dedere*
(2.) Scripta. *compositos.* Et lib. 4. hist. Eccles. c. 3. Aristides etiam πιστὸς ἀνὴρ τῆς καθ' ἡμᾶς ὁρμώμενος εὐσεβείας τῷ κοδράτῳ παραπλησίως ὑπὲρ τῆς πίστεως ἀπολογίαν ἐπιφωνήσας Ἀδριανῷ καταλέλοιπε, σώζεται δέ γε εἰς δεῦρο παρὰ πλείστοις καὶ ἡ τούτου γραφή. id est, *scriptor fidelis & institutis nostræ religionis imbutus, Apologiam pro fide nostra scriptis post se reliquit; quam quidem Adriano dedicavit, ut Quadratus antea suam. Qui ejus liber adhuc à plerisq; custoditur.* Et
(3.) Elogia. Hieron. l. c. *Aristides philosophus, vir eloquentissimus vir fide & sapientia plenus. Eidem principi (Adriano) Apologeticum obtulit: contextum Philoso-*

sophorum sententiis. Eadem fere habentur t. 1. opp. Catal. script. Eccl. f. 125. tit. Aristides. & apud Trithenh. d. script. an. 120. *Vir in secularibus literis doctissimus, & in divinis scripturis admodum studiosus, tanta eloquentia insignis emicuit, ut miraculum suis gentibus praeberet, qui sub habitu Philosophi Christianam & fidem & conversationem bajulans, non sine sanctitatis opinione clarus effulsit.* Confer Baron. an. 128. §. 2.

§. 4. Aristidi Eusebius Chron. an. 127. jungit quendam Serenum Grannium: Sic enim ille: *Serenus Grannius legatus, vir apprimè nobilis literas ad imperatorem misit, iniquum esse dicens clamoribus vulgi innocentum hominum sanguinem concedi, & sine ullo crimine nominis tantum & sectae reos fieri.* Confer hist. lib. IV. c. 8. Baron. an. 128. §. 3. *Sereni* (1.) aetas. (2.) scriptũ.

§. 5. *Castor Agrippa,* quem γνωριμώτατον συγγραφῆ vocat Euseb. l. 4. hist. c. 7. iste scripsit ἱκανώτατον ἔλεγχον *accuratam refutationem* contra haereticos, Basiliden cumprimis. Sic enim & Hieron. l. c. *Agrippa,* inquit, *cognomento Castor, vir valde doctus, adversum* XXIV. *Basilidis haeretici volumina, quae in Evangelium confecerat* δυνατῶς ἐξηγήσατο *fortissimè disseruit, prodens ejus universa mysteria.* Addit: *mortuus est autem Basilides, à quo Gnostici in Alexandria, temporibus Hadriani, qua tempestate & Chochibus dux Judaicae factionis Christianos variis suppliciis enecavit.* Hinc colligas Agrippae aetatem. vide Baron. 120. §. 7. 8. *Castoris Agrippae* (1.) Scripta. (2.) aetas.

c. 6. *Egesippus.* Hic, qua aetate vixerit, ipse indicat in fragmento, quod Euseb. libr. IV. histor. Eccles. c. 8. & ex eo Hieron. d. script. Ecclesiast. t. 1. tit. Egesipp. conservavit. Nam perstringit sacra Antinoo Hadriani amasio celebrata ᾧ καὶ ἀγὼν ἄγεται Ἀντινόειος, ὁ καὶ ἐφ' ἡμῶν γενόμενος, *cui agitur certamen Antinoium, idq; nostro etiam tempore.* Ejus *scriptum* laudatur mirificè ab iisdem auctoribus: *Iste enim sinceram & minimè fucatam Apostolicae praedicationis traditionem quinq; libris, illo quidem scribendi genere maximè simplici & submisso, persequi aggressus est.* Ita Eusebius: & Hieronymus: *Egesippus vicinus Apostolicorum temporum & omnes à passione Domini usq; ad suam aetatem Ecclesiasticorum actuum texens historiam, multaq; ad utilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans quinq; libros composuit, sermone simplici, ut quorum vitam sectabatur, dicendi quoq; exprimeret characterem.* Loco hujus historiae genuinae circumfertur hodie alia de *excidio Hierosolymae, aut alterius Egesippi recentioris aut suppositity.* *Certè ex libr. III. cap. 5. colligitur post Constantini tempora libros illos fuisse conscriptos:* Judicio Bellarm. d. script. Eccles. *Egesippi* (1.) aetas. (2.) Scripta.

§ 177.

§. 177. cui ſub ſcribunt Laurentius de la Barre in præfat. Hegeſ. Margarinus de la Bigne in indice Chronol. ad fin. t. 6. Bibl. Patr. Baron. ad ann. 167. §. 15. Gretſer. def. Bell. libr. IV. c. 7. f. 1660. Qua igitur fronte Cardinalis Bellarminus (nequid de aliis Pontificiorum dicam) alibi citat ſcriptum Egeſippi ut genuinum? confer Sozom. l. 1. c. 1. Niceph. Calliſt. IV. 7. Phot. Bibl. cod. 232. Trithenhem. d. ſcript. Eccleſ. tit. Egeſ. Cent. Magd. II. c. 10. f. 136. Baron. ann. 167. §. 11. ſeqq. Scaliger. in not. ad. Euſeb. Chron. an. 2077. 2110. Druſ. not. ad Sulpit. Sever. lib. II. Barth. adverſ. XLVI. 4. Voſſ. d. ſcript. Græc. libr. II. c. 14. Rivet. Crit. libr. II. c. 4. Rob. Coc. Cenſ. Patr. p. 120.

(1.) Elogium. *Doctrina & ſanctitate in Eccleſia Dei admirabilis effulſit.* Juxta Tritenhem. d. ſcript. Eccleſ. 160.

Papiæ (1.) ætas. (2.) Scripta. §. 7. *Papias.* Inter antiquiſſimos refertur ſcriptores. Sic enim de ipſo Irenæus, citante Euſeb. lib. III. hiſt. c. 33. *Papias, Joannis auditor, Polycarpi familiaris, vir antiquus:* Addit de ſcriptis: *Sunt quinq; ab eo libri confecti.* Exordium operis citat l. c. Euſebius, & ex eo Hieron. d. ſcript. Eccleſ. Ex quo apparet fuiſſe centonem ex variis traditionibus non ſcriptis, & interdum (καί τινα καὶ μυθικώτερα) fabuloſis imprudentius conſutum, σφόδρα γὰρ σμικρὸς ὢν τὸν νοῦν, uti ait Euſe-
(3.) judiciū. bius: *vir erat pertenuis judicij.* parcius igitur judicare potuiſſet Abbas Spanheimenſis d. ſcript. Eccleſ. quam judicavit, his verbis: *Papias &c. fidei Chriſtianæ conſtantiſſimus propagator & defenſor, ſanctorumque Apoſtolorum diſcipulus, & ſtudioſus imitator ſcripſit non ſpernendæ auctoritatis opuſcula: E quibus extat opus inſigne 5. voluminibus diſtinctum* &c. an. 100. Baron. ann. 118. §. 2. ſeqq. Inſeruit ſcripto Ariſtionis cujusdam in ſermones Domini explanationes & traditiones Johannis preſbyteri, præter alias narrationes. Intercidit liber præter pauca fragmenta ab Euſebio conſervata. vide Caſaub. exerc. 69. p. 528.

Iuſtini. (1.) ætas. §. 8. *Juſtinus Martyr.* Floruit temporibus Antonini Pii & ſucceſſorum ejus Marci Aurelii & Lucii Veri, ut apparet ex Apologia. II. f. 41. ſuam enim Apologiam dicavit: *Imperatori Tito Aelio Adriano Antonino Pio Auguſto Cæſari, & Veriſſimo filio Philoſopho, & Lucio Philoſopho, Lucij quidem Cæſaris nativo, Pij autem adoptivo filio:* quæ l. c. ipſius verba ſunt. Baron. annal. 142. §. 12. 150. 3. Scaliger. animad. in Euſeb. ann. MM C LVII. Baron. an. 142. 12. Natione fuit Græcus, domo Pa-
(2.) Patria. læſtinus. Sic enim iterum: *Juſtinus Priſci Bacchi filius, Flaviæ (quæ nova*

Civi-

civitas eſt Syriæ Palæſtinæ) ortus. ita vertit Sylburgius : Sed τὸ *ortus* non eſt in Græco. Dubium enim Samariæ, an alibi ortus ſit? Fuit enim ex colonis Græcis ἀπερίτμητος : *incircumciſus.* Cautius igitur Hieron. d. ſcript. Eccleſ. t. 1. op. *Juſtinus*, inquit, *Philoſophus, habitu quoq; Philoſophorum incedens, de Neapoli urbe Palæſtinæ, Patre Priſco Bacchio.* Urbs pridem dicebatur Sichem, deinde Samaria, & Neapolis, *poſtremo, deductis in eam colonis à Veſpaſiano aut Domitiano, Flavia Cæſarea appellata eſt.* Scalig. l. c. Unde ſimul apparet fuiſſe *profeſſione* quondam Philoſophum : ſed, cum nulla ex ſectis Philoſophorum conſcientiæ ſatisfaceret, tandem animum ad Chriſtianiſmum applicuit, motus martyrum conſtantia, & monitis, neſcio cujus, ſenis ipſi apparentis, & poſt diſparentis. Hic enim remiſit ipſum ad S. literas, ut legeret, quod & fecit ἐμοῦ δὲ παραχρῆμα πῦρ ἐν τῇ ψυχῇ ἀνήφθη, καὶ ἔρως ἔχει με τῶν προφητῶν, καὶ τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων, οἵ εἰσι Χριστοῦ φίλοι: Διαλογιζόμενός τε πρὸς ἐμαυτὸν τοὺς λόγους αὐτοῦ, ταύτην μόνην εὕρισκον φιλοσοφίαν ἀσφαλῆ τε καὶ σύμφορον. id eſt, *Confeſtim in animo meo ardor excitatus eſt, & amor me invaſit Prophetarum, & virorum illorum, qui Chriſto cari ſunt, & amici. Ac revolvens ipſe mecum diſputationem illius, hanc ipſam ſolam comperi eſſe certam atq; utilem philoſophiam.* Obſerva infideles ſine auctoritate Eccleſiæ, per ſolum verbum Dei, ſi ſcriptum legunt, vel prædicatum audiunt, converti. Converſus fidem *ſcriptis* ſuis declaravit. Quorum alia ſunt *indubitata*, ut Apologia. I. ad Antoninum Pium. II. Ad Marcum & Lucium ſucceſſores (inverſus eſt ordo in vulgaribus editionibus) Dialogus cum Tryphone, Paræneſis ad gentes, De monarchia; ſicut recitantur ab Euſeb. lib. IV. hiſt. c. 17. Hieron. d. ſcript. Eccleſ. & t. 3. opp. f. 149. t. 1. tit. Juſtinus. Phot. Bibl. §. 125. *Controverſa* ſunt : *Expoſitio fidei* : Nam ſunt, qui quidem inſignem librum celebrant, ſed Juſtini eſſe negant, ducti ſilentio antiquitatis, diverſitate ſtyli, & novitate terminorum. Cujus ſententiæ eſt Bellarmin. d. ſcript. § 150. Baron. an. 165. §. 8. Chemnitius apud Gerh. Loco III. §. 50. p. 965. Scultet. Medul. part. I. c. 10. pag. 29. Rivet. Critic. ſacr. libr. II. cap. 5. Petavius Theol. dogm. lib. I. c. 3. §. 3. qui tamen cenſuram cenſuræ ſui Bellarmini contra Areopagitam ſcribit. Contra vide Dn. D. Dannhavv. ſtyl. vind. p. 201. *Epiſtola ad Zenam & Serenum*, de qua idem, quod de expoſitione fidei, cenſet Bell. l. c. Ut & *de libro quæſtionum*; quod in

(3) Profeſſio.

(4.) Converſio.

(4.) Scripta.

illis mentio fiat Irenæi, Origenis, Manichæorum; id est, eorum qui Justino inferiores sunt ætate. Vide Rivet. Crit. l. 2. c. 5. Coc. censf. veter. p. 118. Est & de *reprehensione dogmatum Aristotelis* liber, quem in medio relinquit Bell. l. c. Alii, ut Possev. in appar. Baron. ann. 165. §. 8. Peronius apud Sylburgum in annotat. ad Justin. fol. 86. negant esse Justini. Transigant igitur inter sese Cadmæi fratres. *Deperdita* sunt: Elenchus contra gentes, ὁ δὲ αὐτὸς οὗτος Ἰουστῖνος καὶ πρὸς Ἕλληνας ἱκανώτατα πονήσας *accuratissimè elaboravit*, ait Euseb. l. IV. c. 11. hist. Psaltes; de dæmonum natura; de anima, contra Marcionem aliquot volumina, & contra omnes hæreses, adeoque etiam contra Valentinianos. Sic enim Tertul. advers. Valent. c. 5. scribit. *Nec undique dicemur ipsi nobis finxisse materias, quas tot jam viri sanctitate & præstantia insignes, nec solum nostri antecessores, sed ipsorum hæresiarcharum contemporales, instructissimis voluminibus & prodiderunt, & retuderunt, ut Justinus Philosophus & Martyr, & Miltiades Ecclesiarum Sophista, ut Irenæus omnium doctrinarum curiosissimus indagator, ut Proculus nostræ virginis senectæ & Christianæ eloquentiæ dignitas; quos in omni opere fidei, quemadmodum in isto, optamus assequi.* Addunt in Apocalypsin commentarium; & epistolam ad Papam; illius meminit Sixtus Senensis in Bibliotheca; hujus ipse Justinus in epist. ad Zenam & Serenum. vide Baron. ann. 165. §. 8. *Recens inventa.* Nam Gesnerus in Biblioth. tit. Justinus. f. 116. citat. *moralem quandam ejusdem orationem*, quæ Græcè extat in Italia.

(6.) *Iudicia de persona.* §. 9. Judicia (1.) *de persona ipsa.* Euseb. lib. IV. c. 16. citat Tatiani fragmentum, in quo dicitur ὁ θαυμασιώτατος Ἰουστῖνος *admirandus* Justinus; & c. 11. ipse ait: *Justinus in philosophi habitu* πρεσβεύων τὸν θεῖον λόγον καὶ τοῖς ὑπὲρ τῆς πίστεως ἐναγωνιζόμενος συγγράμμασιν *cum verbum Dei prædicando, tum scriptis pro fide acriter decertando magnæ famæ celebritate enituit.* Epiphanius panar. libr. 1. t. 3. hæres. Tatian. f. 170. vocat *virum sanctum, Deique amantem*; & mox: *Justinus Samaritanus genere, Christi fidem amplexus, & magnopere in ea exercitatus* καὶ μεγάλως ἐξασκηθεὶς ἀρετῆς τε βίον ἐνδειξάμενος, *tum multiplici virtutis specimine per vitam edito tandem martyrij pro Christo perfectam coronam meritus est.* Phot. in Bibl. §. 125. *Est vir ille*, inquit, *ad philosophiæ cum nostræ tum potissimum profanæ* εἰς ἄκραν ἀνηγμένος, πολυμαθείας τε καὶ ἱστοριῶν περιῤῥεόμενος πλούτῳ *summum evectus fastigium, multiplicisque eruditionis & historiarum copia*

circum-

circumfluens. Montac. part. 1. annal. t. 1. ann. 11. §. 120. vocat: *doctissimum & antiquissimum Patrem.* Scalig. animad. ad Euseb. loc. c. appellat. *Ecclesiasticorum scriptorum, qui hodie exstant, vetustissimum:* Secutus Bell. d. script. lib. §. 150. *Post Apostolica tempora*, dicit, *primus eorum, quorum scripta ad nos pervenerunt, videtur esse sanctus Justinus Philosophus & Martyr.* Quos igitur in primo seculo posuit, Clementem Romanum, Ignatium, Polycarpum, Dionysium Areopagitam, non sunt illi, qui videntur Pontificiis, genuini scriptorum auctores, quia ante Justinum vixerunt.

§. 10. (2.) *De scriptis.* Alia sunt. 1. *in meliorem partem.* Euseb. lib. IV. c. 16. (17.) Justinus πλεῖστα δ' οὗτος καταλέλοιπεν ἡμῖν πεπαιδευμένης διανοίας ὑπομνήματα πάσης ὠφελείας ἔμπλεα, ἐφ' ἃ τοὺς φιλομαθεῖς ἀναπέμψομεν, τὰ εἰς ἡμετέραν γνῶσιν ἐλθόντα χρησίμως παρασημηνάμενοι. id est, *multa sane & præclara sui ingenij sacrarum literarum cognitione accurate informati, & in iisdem valde diligenter exercitati monumenta nobis reliquit, eaq; certè plena utilitatis & commodi cujusq; generis. Ad quæ quidem studiosos quosq; mittemus, simulatq; ex illis ea tantummodo, quæ ad nostram notitiam pervenerint, ad legentium utilitatem percensuerimus.* Descendit mox ad speciales libros, eorumque argumenta refert, & ἀξιομνημόνευτα quædam, quæ apud ipsum legas. Photius in Biblioth. §. 125. *vir ille,* inquit, *ad philosophiæ cum nostræ tum profanæ potissimum summum evectus fastigium, multiplicisq; eruditionis & historiarum copiâ circumfluens. Sed Rhetorico artificio nativam philosophiæ suæ pulchritudinem colorare haud studio habuit. Quamobrem etiam oratio ejus pollens alioqui & valida, scientificumque servans stylum, Rhetoricæ illa condimenta non spirat, nec illecebris, & blandimentis vulgus auditorum attrahit.* Hactenus Photius. *De scriptis meliora.*

§. 11. 2. *In deteriorem.* Pontificii, Patrum alias admiratores, non raro hujus scriptoris auctoritatem rejiciunt, vel, quod contraria ipsis scribat, vel quod evidens veritas ipsos dissentire cogat. E. g. Maldonatus Comment. in Matth. XXVIII. 9. f. 667. *nulla*, inquit, *mihi ex superioribus* (Justini Martyris, Cyrilli &c.) *placet interpretatio.* Sixt. Senens. Bibl. libr. V. annot. 64. 169. VI. ann. 264. & 345. reprehendit dogma de negato intuitu beatifico ante diem extremum non futuro, quod tamen fuit etiam Justini, qq. 77. ad orth. Hugo Grot. ad Luc. XXIII. 45. Laurent. rever. Eccles. Rom. art. 6. p. 85. & 93. Bellarminus, cum ex Justino & aliis objiceretur pro Deterior.

dæmonibus, quod non ſint torquendi ante diem extremum, reſpondet lib. 1. De ſanct. c. 6. *Juſtini, Irenæi, Epiphanij atq; Oecumenij ſententiam non video, quo pacto ab errore poſſimus defendere.* Petav. d. Trinit. lib. 1. Theol. dogm. c. 3 §. 2. reprehendit eum, *quod minorem Patre filium poſuerit, non ſolum quatenus hominem ſe fecit, ſed etiam divinitate, & antequam humana ſe carne veſtiret.* Caſaubonus exerc. p. 180. indubium revocat Juſtini de Sibyllinis libris narrationem. Idem caſtigat anachroniſmum ejusdem de ætate Herodis. p. 112. Et incommodum nativitatis Chriſti locum. pag. 146. *Nævos* alios recitat Dn. D. Dannh. Chriſteid. p. m. 305. vindicias ſcripſit idem. p. 924.

Meliton.
(1.) ætas.
(2.) Scripta.

§. 12. *Melito* Sardenſis Epiſcopus. Ætas ipſius apparet ex apologia M. Aurelio Imp. oblata. Sic enim Euſeb. in Chron. ad an. 171. *Antonino Imperatori Melito Aſianus Sardienſis Epiſcopus Apologeticum pro Chriſtianis tradidit.* Idem lib. IV. hiſtor. c. 25. recitat *ſcripta* viri, in quorum uno, de Paſchate ſcilic. ſuam ipſe ætatem exprimit: *Cum Servilius Paulus eſſet Aſiæ proconſul (quo quidem tempore Sagaris martyrij corona donatus fuit) magna apud Laodiceam orta eſt controverſia de paſchate: quod quidem feſtum forte eodem temporis articulo, quo oriebatur controverſia, incidit. Atq; illis ipſis diebus etiam iſta à me de feſto illo fuere perſcripta.* Sunt autem ſcripta hæc: *Duo de paſchate libri; alius de recta vitæ Chriſtianæ inſtitutione: De Prophetis alius. Liber item de Eccleſia. Alter de die Dominico. Eſt præterea ejusdem liber de natura hominis, de ejus creatione, de obedientia fidei, de ſenſuum ſedibus. Iſtis accedit liber de anima & corpore. Inter quos eſt etiam liber de lavacro regenerationis, de veritate, de fide, de generatione Chriſti. Liber etiam ejusdem de prophetia, de hoſpitalitate; unus item, qui clavis inſcribitur: alius etiam de diabolo: alius de apocalypſi Johannis, de Deo incarnato, poſtremo liber ad Antoninum ſcriptus*: nempe *pro fidei noſtræ defenſione* ὑπὲρ τῆς πίστεως ἀπολογίας, uti Euſebius l. c. loquitur. Addit *opus aliud, quod breves & ſelectas ſententias ex ſcripturis depromptas continet.* Hieron. in catal. illuſtr. Script. §. 34. vocat: ἐκλογῶν *libros ſex. In quibus,* Sixto Senenſ. l. IV. Bibl. p. 345. explicante, *diverſa ſcripturarum teſtimonia ad inſtitutionem Chriſtianæ vitæ conducibilia pulchro ordine aptavit.* Liber περὶ ἐνσωμάτου θεοῦ de *corporeo* potius, quam *incarnato Deo,* prodit *errorem* Melitonis de Deo corpore conſtante, ut ex Origine, Theodoreto, Pico, contra Sixtum lib. 5. biblioth. an. 18. oſtendit Dionyſ. Petav. Theol. dogm. t. 1. l. 2. c. 1. §. 4. Sed redimus ad Euſebium

sebium. Recitat catalogum librorum canonicorum Veteris Testamenti, de quibus infra. *Fama* celeberrimus fuit διαπρεπῶς ἤκμαζον (3.) Elogia. *permagna famæ celebritate floruerunt Melito Sardiensis Ecclesiæ Episcopus, & Apollinarius Episcopus Hierapolitanus*, ait. l. c. Euseb. & Hieron. l. c. *Hujus*, inquit, *elegans & declamatorium ingenium Tertullianus in 7. libris, quos scripsit adversus Ecclesiam pro Montano, dicit, eum à plerisque nostrorum Prophetam putari.* Et t. 3. op. f. 149. *Quid loquar de Melitone Sardensi Episcopo? Quid de Apollinario Hierapolitanæ Ecclesiæ sacerdote &c. qui Origenis hæreseon singularum venena, ex quibus philosophorum fontibus emanarint, multis voluminibus explicarunt.* Trithenhemio d. script. Eccles. an. 160. dicitur: *Vir in divinis scripturis eruditus, & non minus sanctitate, quam doctrina venerabilis, inter Catholicos prædicatores clarus effulsit.* Sixt. Senens. Bibl. l. IV. pag. 345. *Sanctitate & eruditione admirabilem vocat.* Tribuitur eidem Melitoni liber *de transitu D. Virginis*; sed, judice Bell. d. script. §. 150. *indignus liber est, qui tanto viro tribuatur.* idem censet Baron. annal. 44. §. 13. & 172. §. 5. Martyr. August. 15. index expurg. Rom. t. 1. p. 248. Possev. appar. tit. Melito: secuti judicium Gelasii Papæ dist. XV. decret. Grat. Et Tritenh. l. c. Sixt. Senens. lib. 2. p. 106. Voss. d. script. Græc. p. 229. Tamen Margarinus de la Bigne studiosis legendum proponit, & Trithenhemius ante ipsum retulit inter libros genuinos.

§. 13. *Apollinarius Hierapolitanus.* Prænomen erat Claudius, ut *Apollinarii* patet ex literis Serapionis apud Euseb. lib. V. hist. c. 18. Conjungi- (1.) ætas. tur Melitoni, ut appareat eodem tempore, quo ille, fuisse. Euseb. Chron. an. 172. *Apollinaris*, inquit, *Asianus Hierapolitanus Episcopus in-* (2.) Scripta. *signis habetur.* Repetit lib. IV. c. 25. & Hieron. d. script. Eccles. f. 126. *Apollinarius, scribit, Asiæ Hierapolitanus Episcopus, sub Imperatore M. Antonino II. floruit. Cui & insigne volumen pro fide Christianorum dedit. Extant ejus & alii V. adversum gentes libri, & de veritate duo; & adversum Cataphrygas tum primum exortos cum Priscilla, & Maximilla insanis vatibus incipiente Montano.* Hujus postremi idem meminit in Serapione, quem refert Apollinaris hujus literas contra Montanum misisse ad Carinum & Pontium, vel Coricum & Ponticum, ut ab Eusebio l. 5. c. 18. nominantur. Didicit hæc ex Eusebii hist. libr. IV. c. 26. & V. 18. qui insuper citat duos libros ejusdem *contra Judæos.* Utrumque secutus Photius Bibl. §. 14. scribit: *Lectus est Apollinarius adversus gentes,*

de pietate, itemq; de veritate. Hierapolita est scriptor hic, ejus, quæ in Asia, Hierapoleos creatus Episcopus: Floruit vero Marci Antonini Veri Romæ imperan-
(3.) elogia. *tis temporibus:* ἀξιόλογος ὁ ἀνὴρ καὶ φράσει ἀξιολόγῳ κεχρημένος: *vir sane præstans, & phrasi usus non pœnitenda. Ferunt & alia ipsius scripta commemoratu digna circumferri, sed quæ in meas nondum manus pervenerunt.* Hæc ille: Imitatus Euseb. lib. IV. c. 26. hist. Nam præter ea scripta, quæ nomine tenus exprimit, meminit & aliorum πολλῶν παρὰ πολλοῖς σωζομένων *multorum, qui servantur apud multos.* Confer Trithenhem. d. script. ann. 165. qui putat scriptis ipsum *se virum non tam eruditum*
(4.) differentia. *quam Zelosum ostendisse.* Differt autem hic Apollinaris à Laodicenis illis, Patre & filio, quorum ille Grammaticus insignis, hic Rhetor habebatur seculo IV. Et ab aliis longe recentioribus, de quibus Gesnerus in Bibliotheca.

Athenagoræ. §. 14. *Athenagoras.* Fuit ætate æqualis Justini, Melitonis, &
(1.) ætas. Apollinarii, quod apparet ex apologia ejusdem, quam M. Aurelio Antonino, & Aurelio Commodo impp. obtulit. Ejus tamen nec Euseb. nec Hieronym. meminerunt. Inferiorem ejus ætatem locat Gesnerus, cum in Bibl. f. m. 20. scribit: *floruit infra ducentissimum à Christo*
(2.) Scripta. *annum.* Duo *scripta* ejus celebrantur, alterum de *resurrectione,* quod extat 9. Bibl. Patr. & in Orthod. Patr. f. 351. alterum *Apologia pro Christianis* ad M. Aurelium Antoninum & Commodum, Græcum MSC. extat Bononiæ in Bibliotheca S. Salutaris. Ille extat editus Parisiis & Basileæ; Ἀνέκδοτοι sunt alii libri XII. περὶ τῆς εἰς ἑαυτόν, qui olim extabant apud Conradum Gesnerum, uti memorat in præfatione bibliothecæ ad Bullingerum. Extantium *Analysin* instituit Scultetus in medul. p. 57. libr. 2. *Nævos* annotavit idem; *vindicias* dedit D. Dannhavver. Christeid. p. 932. qui & nævos. vide & Petav. d. Trin. l. 1. c. 3. §. 4.

Theophili §. 15. *Theophilus* Episcopus Antiochenus. Hujus ætatem an-
(1.) ætas. notavit Euseb. Chron. ann. 169: *Antiochiæ Sextus Episcopus ordinatur Theophilus.* Adde Hieron. d. script. Eccles. f. 126. *Theophilus Sextus Antiochensis Ecclesiæ Episcopus sub imperatore M. Antonino Vero &c.* Addunt *scripta* ejusdem. Trithenhem. eum refert anno 173. claruisse. Euse-
(2.) Scripta. bius l. c. ejus *plurima ingenij opera extant,* quæ recenset libr. IV. hist. c. 23. libros III. quos religionis elementa & quasi seminaria complectentes Autolyco dedicavit: contra Hermogenis hæresin; (censet

tamen

tamen Baron. ann. 170. §. 11. ætatem Hermogenis recentiorem Theophilo vetustiori non congruere, ut proinde alius hujus nominis fuerit auctor.) De prima Christiani in fide institutione: contra Marcionem. Hieronym. l. c. qui addit: *Legi sub nomine ejus in Evangelium & in proverbia Salomonis commentarios, qui mihi cum superiorum voluminum elegantia & phrasi non videntur congruere.* Confer Sixt. Senens. lib. 4. Bibl. tit. Theoph. Baron. an. 170. §. 12. Casaub. Exerc. XIII. §. 3. Ejus *elogia* canunt cent. Magd. II. 7. f. 131. 169. *In Ethnicis*, ajentes, *auctoribus fuit doctissimus & versatissimus; unde licet colligere eum, antequam ad Christi cognitionem perveniret, non minimam ætatis suæ partem in philosophicis atq; Ethnicis studiis contrivisse, omnesq; ipsorum authores singulari industria evolvisse.* Confer Baron. ann. 170. §. 7. Miror igitur, cur ab Hieronymo non laudetur in celebri ad Magnum Romanum epistola, in qua ex professo agit de veteribus in gentilium scriptis versatis: Nisi forsan caussa sit, quam refert Trithenhemius, *tractatus ejus apud Latinos raro simul inveniri.* Ab antiquitate celebratur à Scaligero præfat. in Chron. Euseb. *De antiquitate*, inquiens, *fortasse primi responderint Theophilus tribus libris ad Autolycum:* Idem dicitur *bonus & orator & didacticus fidelis, & disputator acutus* à Dn. D. Dannhavver. Christeid. p. 311. 312. *Analysin* instituit Scultetus in Medul. p. 93. l. 4. c. 1. *Nævos* annotavit, idem, qui tamen adhuc excusari possunt. Confer Dionys. Petav. d. Trinit. l. 1. c. 3. §. 6. (3.) Elogia.

§. 16. *Tatianus.* Ejus *ætatem* colligere possumus ex Eusebio Chron. ann. 173. ubi ita loquitur: *Tatianus hæreticus agnoscitur.* id verò factum post Justini præceptoris Martyrium, censente Bellarm. d. script. §. 170. & editore Orthod. Patr. f. 116. Victore Capuano Episcopo. ex Hieronym. d. script. f. 126. *Justini*, inquit, *Martyris sectator fuit, florens in Ecclesia, quam diu ab ejus latere non discessit, postea vero, inflatus eloquentiæ tumore, novam condidit hæresin, quæ ἐγκρατιτῶν dicitur:* addit: *Et hic sub Imperatore M. Antonino vero, & L. Aurelio Commodo vixit.* Idem innuit t. 3. opp. f. 149. *Scripta* ejus *infinita* prædicat idem Hieronymus, *è quibus unus contra gentes florentissimus extat liber, qui inter omnia opera ejus fertur insignis.* Mutuatus hæc est ex Euseb. lib. IV. c. 27. ubi invenias alium ejusdem librum διὰ τεσσάρων, id est, *unum Evangelium ex IV. collectum*; qui etiam adhuc in quibusdam manibus versabatur, laudatur à Montac. Orig. an. 30. §. 26. p. 351. 352. Casaub. exerc. XIII. §. 3.

Tatiani (1.) ætas

(2.) Scripta.

§. 3. An adhuc extet? sub judice lis est. Videtur quod sic Victori Capuano in præf. ad Tatian. harmon. l. c. qui *Diapente* vocat. An Diapanton? ita Casaub. exerc. XIII. §. 3. p. 210. vocat, & deprædicat. Nam *Evangelium*, inquit, *ut mihi videtur, solerti compaginatione disposuit, & forsitan adhuc B. Justini adhærens lateri illius eruditionis merito hoc opus explicuit.* Sed secus censet Bellarm. d. script. §. 540. p. 166. suffragante Baron. an 174. §. 8. Ammonio harmoniam transscribentes. Certior est *de animalibus* liber, quem sese scripsisse meminit ipse oratione contr. Græc. f. 201. orthod. Patr. Et alius quidam *quæstionum* liber, quem Rhodon quidam vidit elaboratum, in quo pollicetur, se *sacras literas involutas & obscuras esse demonstraturum*. Euseb. libr. 5. c. 14. Alius, an hic? allegatur ab eodem in orat. cont. Græc. 219. περὶ τοὺς ἀποφηναμένους τὰ περὶ τοῦ θεοῦ *contra eos, qui rebus divinis simplicem fidem de-*
(3.) Elogia. *trahunt.* Idem Victor *elogium* ipsi non spernendum scribit; Nam appellat *virum eruditissimum, & oratorem illius temporis clarissimum*: Secutus Hieronymum d. script. Eccles. f. 127. *Tatianus*, inquit, *primum oratoriam docens non parvam sibi ex arte Rhetorica gloriam comparaverat.* Et hic Eusebium lib. IV. c. 17. *Tatianus vir plane cum primo ætatis suæ tempore Græcis disciplinis deditus, tum in iisdem* δόξαν οὐ σμικρὰν ἐν αὐτοῖς ἀπενηνεγμένος *non exiguam gloriæ amplitudinem assecutus, qui quidem plurima monumenta scriptis prodita post se reliquit.* Hæreseos tandem auctor extitit. vide Dionys. Petav. d. Trinit. l. 1. c. 3. §. 5.

Philippi §. 17. *Philippus* fuit Ecclesiæ Gortynensis Episcopus; *& tem-*
(1.) ætas. *poribus M. Antonini Veri, & L. Aurelij Commodi claruit*, juxta Hieronym. d. script. f. 126. & colligitur ex Euseb. hist. lib. IV. c. 22. 24. *Præclarum adversus Marcionem edidit librum*, juxta Hieronymum. Trithen-
(2.) Scripta. hem. d. scriptor. Eccles. addit ann. 170. alia scripta. *Scripsit etiam quasdam ad diversos epistolas, variosq; tractatus.* Cui Eusebius l. c. jungit *Mo-*
Modesti *destum* quendam, qui & ipse *egregiè præter cæteros* Marcionis *errorem ex-*
(1.) ætas. *piscatus omnium oculis subjecit contemplandum.* Et post ipsum Hieron.
(2.) Scripta. l. c. *Modestus*, inquit, *& ipse sub Imperatore M. Antonino & L. Aurelio Commodo adversus Marcionem scripsit librum, qui usq; hodie perseverat. Feruntur sub nomine ejus & alia* συγγράμματα, *sed ab eruditis quasi* ψευδεπίγραφα *repudiantur.* Trithenhem. d. script. l. c. nescio unde citat *non contemnendæ lectionis opuscula, in quibus abundans ingenij ejus vena conspicatur.*
Musani His annumerat Euseb. l. 4. hist. c. 27. quondam *Musanum*, quem sub

L. Au-

L. Aurelio Commodo locat Hieron. l. c. Eusebius ponit in anno 205. Chron. Extat ejus quidam *liber elegantissimus ab eo scriptus adversus quosdam fratres, qui videbantur inclinare in hæresin eorum, qui Encratitæ dicuntur,* uti loquitur Eusebius, & ex eo Hieronymus. Æqualis horum fuit *Bardesanes* Syrus. Nam regnante eodem imperatore, uti Euseb. l. 4. c. 28. & Hieron. d. script. fol. 126. computant, floruit. Commendatur ab eruditione exquisitissima, & facundia præclara, & scholis frequentibus; Etiam à *scriptis*, ut sunt dialogi, & alia de fatis seculi Syriacè, deinde Græce scripta: sed in Valentini schola educatus errores non omnes abjicere potuit. *Scripsit infinita adversum omnes pene hæreticos, qui ætate ejus pullulaverant. In quibus clarissimus ille est, & fortissimus liber, quem M. Antonino de fato tradidit: & multa alia super persecutione volumina, quæ sectatores ejus de Syra lingua verterunt in Græcam. Si autem tanta vis est & fulgor in interpretatione, quantam putamus in sermone proprio?* ait Hieronymus. (1.) ætas. (2.) Scripta. *Bardesanis.* (1.) ætas. (2.) Elogia. (3.) Scripta.

§. 18. Pinytus Cretensis Episcopus claruit anno 172. juxta Euseb. Chronicon; nempe sub M. Antonino Vero & L. Aurelio Commodo, secundum Hieron. d. script. Eccles. f. 126. *Vir eloquentissimus* ab Eusebio nuncupatur in Chronico, & in hist. lib. IV. c. 22. commendatur *à divinarum literarum intelligentia.* De *scriptis* ab ipso literis illi ipsi faciunt mentionem; respondit enim Dionysio, & solidiorem pro profectioribus ursit cibum, id est, castitatem, de qua ipsum monuerat Dionysius. *Scripsit ad Dionysium Corinthi Episcopum valde elegantem epistolam, in qua docet, non semper lacte populos nutriendos, ne quasi parvuli ab ultimo occupentur die, sed & solido vesci debere cibo, ut in spiritualem proficiant senectutem:* Verba sunt Hieron. d. script. l. c. *Pinyti* (1.) ætas. (3.) Elogia. (3.) Scripta.

§. 19. *Dionysius* Corinthiorum Episcopus claruit sub iisdem imperatoribus, juxta Eusebium & Hieronymum; *Epistolis* scriptis celebratur. *E quibus est una ad Lacedæmonios, alia ad Athenienses, tertia Nicomedienses, quarta ad Cretenses, quinta ad Ecclesiam Amastrianam, & ad reliquas Ponti Ecclesias, sexta ad Gnossianos & ad Pinytum, ejusdem urbis Episcopum, septima ad Romanos, quam scripsit ad Soterem eorum Episcopum; octava ad Chrysophoram sanctam fœminam.* Hieron. in Catal. Eusebius libr. IV. c. 20. inter eos refert, *quorum diligentia & labore recta integræ fidei & Apostolicæ traditionis opinio ac sententia scriptis prodita ad nos pervenit:* & cap. 22. laudat ejusdem ἔνθεον φιλοπονίαν *divinam laborandi industriam* *Dionysii* (1.) ætas. (2.) Scripta. (3.) Elogia.

χρησιμώτατον ἅπασιν ἑαυτὸν καθιστὰς, ἐν αἷς ὑπετυποῦτο καθολικαῖς πρὸς τὰς ἐκκλησίας ἐπιστολαῖς: *Catholicis suis epistolis, quas ad Ecclesias exaravit, omnibus permultum utilitatis attulit.* Subjicit mox singulas, additis ipsarum argumentis & elogiis, & fragmentis. Trithenhem. d. script. Ecclesi. an. 170. vocat *virum eloquentissimum, & in divinis scripturis valde eruditum,* qui *etiam exterarum plebes urbium per epistolas ad constantiam fidei provocare allaboravit; quæ quidem epistolæ tam utiles & prolixæ feruntur, ut non abs re libri queant appellari.*

Miltiadis
(1.) ætas. §. 20. *Miltiades*, juxta Hieron. d. script. f. 127. alias & Mil-
(2.) Scripta. ciades; *floruit* M. Antonini Commodi temporibus. *Scripsit* contra Judæos; Gentiles; apologiam pro Christianis, citante Euseb. libr. V. c. 16. contra Valentinianos, auctore Tert. c. 5. contr. Valent. contra Montanistas. s. Cataphrygas, citante fragmentum Eusebio lib. 5. c. 16. & ex eo Baron. an. 173. §. 17. qui vocat *perillustris antiqui*
(3.) Elogia. *Theologi monumentum.* Quale fere Eusebius l. c. *elogium* subjungit, *præclara* scilic. *diligentiæ ac studij in S. literis collocati indicia* commendans: subscribit Tertull. contra Valent. *Ut*, inquiens, *Justinus Philosophus & Martyr, ut Miltiades Ecclesiarum Sophista, ut Irenæus omnium doctrinarum curiosissimus explorator.* Trithenhem. d. script. ann. 170. vocat *virum in secularibus literis eruditissimum & in divinis scripturis jugi studio exercitatum.*

Irenæi
(1.) ætas. §. 21. *Irenæus* Episcopus Lugdunensis & Martyr. De *ætate* ejus: Euseb. Chron. an. 183. scribit: *Irenæus Episcopus Lugdunensis insignis habetur.* & Hieron. de script. f. 127. *Floruit maximè sub Commodo principe,*
(2.) Scripta. *qui M. Antonino Vero in imperium successerat.* Ejus *scripta* in compendio Hieron. l. c. recitat: *Scripsit V. adversus hæreses libros, & contra gentes volumen breve, & de disciplina aliud, & ad Martianum fratrem de Apostolica prædicatione, & librum variorum tractatuum, & ad Blastum de schismate, & ad Florinum de Monarchia, & celebrem ad Victorem epistolam:* & de Ogdoade librum, quem mirificè celebrat Hieronymus, & in *Apocalypsin* commentarium citante Eusebio in Chronico juxta Sixt. Senens. l. 4. Bibl. p. 338. Neque tamen ejus commentarii mentionem fecit in hist. lib. V. c. 25. Ubi Irenæi scripta recenset. Sed nec in Chronico Eusebiano-Scaligeriano comparet. Videtur E. respicere ad l. 5. ubi quædum Apocalyptica explicat. Scripsisse *multa alia* dicitur à Trithenhem. an. 175. Præter fragmenta nihil hodie superest, nisi V. libri contra hæreticos Valentinianos, singulorum argumenta enar-

rat

rat Phot. Bibl. Cod. 120. nec nisi Latinè, cum tamen Græcam fuisse idiomate ex stylo pateat, & auctoritate Hieron. libr. 11. in Ezech. c. 36. & descript. Eccles. tit. Tertullianus. Erasmus equidem *dubitat Græcè scripserit an Latinè? etiamsi magis arbitretur Latine scripsisse.* Nonnihil tamen in Hieronymi sententiam, quam refert, inclinat præfat. in libr. V. Iren. ὁμοψήφους habet Possevinum & Fevardentium: Secus autem videtur aliis. Hieronymo, uti dictum, qui græce scripsisse perhibet. Chemnitio d. lect. Patr. p. m. 3. *Nunc,* dicenti, *tantum 5. libri extant, & illi quidem satis male versi, cum tamen Irenæus in sua lingua satis eleganter loquatur. Epiphanius enim aliquot paginas ex illo Græcè citat. Dicunt Græcum exemplar alicubi extare, & dignum esset, ut prodiret in lucem. Multa enim, quæ incommodè sunt versa dextrè inde possent colligi.* Suffragatur Sixt. Senens. l. 4. Bibl. p. 338. *Scripsit hic Græco eloquio multa egregia volumina.* Scaliger in prolegomenis ad Chronicon Eusebii meminit Græci textus ex Epiphanio & fragmentis concinnati. Barnabas Brissonius in observationibus divini & humani juris, expendens ex Eusebio & Epiphanio transcriptos Irenæi locos, ingenuè fatetur libros nunc extantes *de Græcis elegantibus Latinos rudes factos.* Rivetus in Crit. sacr. lib. II. c. 6. ex Epiphanio memorat 27. capita de libris Irenæi græce expressa. Voet. desp. caus. Pap. lib. III. sect. 1. pag. 522. §. 3. Casaub. exerc. 106. 109. Atque huc spectat, quod Franc. Balduinus in præfat. Optati Milevitani habet: *Cum hisce diebus in hac urbe Irenæus, qualis ab Erasmo primum editus fuit, recusus esset, doleo non præmonitum fuisse librarium, ut bona illa Irenæi Græci pars, quæ in libris Epiphanii integra extat, simul ederetur. Sic enim multo melior antiquissimus hic Ecclesiæ Christianæ scriptor in hominum manus venisset, tametsi reliqua pars ejusdem generis etiamnum desideraretur.* Respicit opinor ad editionem Basileensem an. 1534. factam, in qua judiciosissimus Erasmus *elogia* præclara canit de Irenæo & scriptis: Illum enim vocat *magnum* (3.) Elogia.
Ecclesiæ propugnatorem, ac pro sui nominis augurio pacis Ecclesiasticæ vindicem. Eundem ex Tertulliani judicio *disciplinarum omnium peritissimum* facit. Tertullianus enim eundem vocat: *omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem.* Ecclesia Lugdunensis in literis ad Eleutherum laudat ζηλωτὴν ὄντα τῆς διαθήκης τοῦ χριστοῦ. Euseb. libr. V. c. 4. Subscribit Sixt. Senens. Bibl. lib. IV. p. 338. Irenæus, inquit, *vir summa eruditione & pietate præditus, sub Papa Eleutherio Romam missus legatus non minus san-*

ctitate, quam ipsa doctrina clarissimus comprobatus est. Et ante ipsum Trithenh. d. script. an. 175. *Vir in divinis scripturis studiosus & valde eruditus:* Petav. Theol. dogm. t. 2. de Trin. lib. 1. §. 7. secus judicat, quasi in articulo de Trinitate minus dextrè versatus sit Irenæus. Censet, *scripta, Erasmus spirant priscum illum Evangelij vigorem, ac phrasis arguit pectus martyrio paratum. Habent enim Martyres suam quandam dictionem seriam, fortem, ac masculam.* Et paulo post: *scripta* Irenæi *spirant pectus Evangelicum, & martyrij, ut ita loquar, canditatum.* Addit de stylo quid sibi videatur; Et differit de materia librorum, deque editione à sese concinnata variisque aliis scitu dignis. Chemnit. d. lect. Patr. p. 3. ita judicat: *Sunt libri illi lectu dignissimi, quia fundamentaliter disputat de principiis Christianæ fidei. Hæretici enim sunt qui rejiciebant scripturam, & sua etiam absurdissima deliria obtrudebant Ecclesiis nomine traditionum Apostolicarum.* Imprimis notanda sunt *fata* scriptorū. Conqueritur enim Erasmus mox ab initio præfationis *pene sepultum fuisse* auctorem hunc, adeo ut *situm abstergere* debuerit: Addit: *Ex Tertulliano pauca restituimus, quod illic plus etiam erat depravationis in vocabulis, non pauca conjecturis sumus assecuti, quæ, si parum certa videbantur, in margine tantum annotavimus.* Quod de Tertulliano dixit, mox illustrat, dicens: Tertulliani *libros, quos eruditissimos scripsit adversus Valentinianos & Marcionem, præterea de hæresibus & hæreticorum præscripus, si quis legere non gravabitur, rectius intelliget eos Irenæi libros.* Laborem & editionem Erasmi commendat Gesnerus in Biblioth. tit. Irenæus.

§. 22. Variant igitur *judicia* de Irenæo. Photius in Bibl. cod.
(4.) Iudicia. 120. *In aliquibus.* inquit, *Ecclesiasticorum dogmatum* ἀληθείας ἀκρίβεια νόθοις λογισμοῖς κιβδηλεύεται *certa veritas spuriis rationibus fucari videtur, quæ observasse convenit.* Pontificii non semper stare volunt auctoritate hujus patris, etiam cum aliis consentientis. Pererius Comment. in Rom. VIII. disp. XXII. sibi objicit Justini Martyris, Irenæi, Tertulliani, & Isidori doctorum *contrariè opinantium auctoritatem & multitudinem,* & subjicit: *Quid igitur, dicet aliquis, tot auctoribus, tam antiquis tanta doctrina & sanctitate nobilitatis dissentire & adversari nonne temerarium judicari debet? Minime vero,* respondet, *sed quanti æstimari debeat ejusmodi argumentatio ex numero auctorum petita, diligenter ponderandum & considerandum est.* E. g. Irenæus cum multis aliis Patribus negat animas

mas ante diem extremum videre Deum intuitivè; hanc vero ſententiam, & merito quidem, rejiciunt Pontificii, ut §. 11. oſtenſum. Idem Irenæus χιλιασμὸν probavit, *quem errorem in Cerintho hæreſiarcha ut hæreticum dogma Patres damnarunt*, ait Sixt. Senenſ. lib. V. annot. 233. In quibus eſt Hieronymus in præfat. XVIII. lib. comment. in Eſaiam; ubi meminit erroris illius Chiliaſtici à Dionyſio Corinthiorum Epiſcopo in Irenæo reprehenſi. ſupra §. 11. citatus eſt ex Bell. lib. 1. de ſanct. c. 6. locus: *Juſtini, Irenæi, Epiphanij, atq; Oecumenij ſententiam non video; quo pacto ab errore poſſimus defendere*, ait Cardinalis. Ipſe Irenæus in præfat. operis fatetur *orationis artem ſe non didiciſſe, neq; vim conſcriptoris affectaſſe, neq; ornamentum verborum, neq; ſuadelam noſſe.*

§. 23. *Apollonius.* Irenæo σύγχρονος *floruit ſub Commodo & Severo principibus*, juxta Hieron. in Catal. ſcript. f. 128. *Scripſit* hic vir Eccleſiaſticus contra hæreſin Cataphrygum, ſeu, ut Hieron. l. c. loquitur, *adverſus Montanum, Priſcillam & Maximillam* μέγα καὶ ἐπίσημον τεῦχος *longum & inſigne volumen.* Adverſarium nactus eſt Tertullianum. Hic enim *ſex voluminibus adverſus Eccleſiam editis, quæ ſcripſit,* περὶ ἐκστάσεως, *ſeptimum propriè adverſus Apollonium elaboravit; in quo omnia, quæ ille arguit, conatur defendere.* Uti memorat Hieronymus præmiſſo *elogio viri diſertiſſimi.* In confeſſione Tetrapolitana vocatur ein Chriſtlicher Schreiber. p. 17. à Trithenhem. d. ſcript. ann. 180. dicitur *vir doctus atq; diſertiſſimus, non minus vita, quam eloquentia inſignis, hæreticæ pravitatis debellator fortiſſimus.* Alius hujus nominis eodem ſeculo vixit Apollonius Romanæ urbis ſenator: qui Chriſtianiſmi accuſatus *inſigne volumen compoſuit, quod in ſenatu legit*: Fruſtra tamen hoc illi fuit. Nihilominus enim *ſententia Senatus pro Chriſto capite truncatus eſt; veteri apud eos obtinente lege, abſq; negatione non dimitti Chriſtianos, qui ſemel ad eorum judicia pertracti eſſent*; uti Hieron. l. c. loquitur ex mente Euſebii lib. 5. hiſt. c. 20. apud quem extat *elogium* Apollonii inſigne. Vocat enim ἄνδρα ἐπὶ παιδείᾳ καὶ φιλοσοφίᾳ βεβοημένον *virum politioris literaturæ ſtudiis & philoſophiæ notitia plurimum celebratum*: quod fere iisdem verbis repetit Trithenh. de ſcript. anno 190.

Apollonii (1.) ætas. (2.) Scripta. (3.) diſtinctio.

§. 24. *Pantænus.* Extrema hujus ſeculi tempora lambit. Nam, juxta Hieron. d. ſcript. Eccleſ. f. 127. *docuit ſub Severo principe, & Antonino Caracalla.* Euſeb. in Chron. an. 195. ita ſcribit: *Pantænus Stoicus Philoſophus in diſputatione dogmatis noſtri diſertiſſimus habetur.* Et hiſt. lib.

Pantæni (1.) ætas.

(2.) Scripta. IV. c. 9. & 10. ad Commodi tempora refertur. *Scriptis* erat celebris:
Hujus multi in S. Scripturam extant commentarij, sed magis viva voce Pantænus profuit, ait Hieronym. l. c. innuens vitam, quam egit scholasticam, & iter in orientem, in quo missus à Demetrio Episcopo Evan-
(3.) Elogiū. gelium docuit ἀνὴρ κατὰ παιδείαν ἐνδοξότατος. *vir omni humana literatura præstantissimus.*

Rhodonis §. 2. *Rhodon. Dicitur eodem tempore*, nempe quo Pantænus, flo-
(1.) ætas. ruisse. ab Euseb. hist. lib. V. cap. 13. Hieron. d. script. Eccles. fol. 127.
(2.) Scripta. *Scriptis* fuit inclytus. Διάφορα συντάξας βιβλία *diversos composuit libros*, cum reliquis etiam Marcionis hæresi sese opposuit, quam in varias scissam sectas refert, earundemque auctores ἐπ' ἀκριβὲς τε τὰς παρ' ἑκάστῳ τῶν ἐπινενοημένας διελέγχων ψευδολογίας *falsa cujusq; illorum commenta, quæ callidè excogitaverant, accuratè coarguit*, Euseb. l. V. c. 13. Addit ejusdem εἰς τὴν ἑξαήμερον ὑπομνήματα *in sex dies commentarios.* Hieron. l. c. vocat elegantes tractatus, & jungit adversum Phryges insigne opus ejusdem. Præceptorem habuit Tatianum, à quo in
(3.) Elogiū. *S. literis eruditus.* Euseb. & Hier. l. c. *vir tam in divinis scripturis, quam etjam in secularibus literis præstantissimus*, dicitur à Trithenhem. d. script. ann. 200.

Serapionis §. 26. *Serapion.* Fuit octavus Antiochiæ Episcopus Euseb.
(1.) ætas. hist. V. 18. 21. anno 190. juxta Chron. Eusebii; vel XI. Commodi
(2.) Scripta. Imper. anno, juxta Hieron. in catal. script. f. 128. ordinatus. *Scripta* ejus in compendio recitat l. c. Hieronymus, nempe: epistolam ad Montanum, ad Carinum & Pontium, volumen ad Domnum apostatam, De Evangelio librum ad Rhodensem Ciliciæ Ecclesiam,
(3.) Elogiū. & epistolas quasdam *authoris suæ* ἀσκήσει *& vitæ congruentes.* Trithenhemio dicitur *vir acris ingenij in divinis scripturis valde studiosus & eruditus, non minus vita quam scientia venerabilis.* d. script. Eccles. an. 193.

Victoris §. 27. *Victor.* Hujus ætatem Euseb. Chron. ad an. 193. refert,
(1.) ætas. quo ordinatus est. Hieron. in Catal, script. f. 126. 127. locat sub Severo imperatore. σύγχρονος fuit Irenæi, qui de paschate disce-
(2.) Scripta. ptavit. *Mediocria de Religione* ejus *extant volumina*, inquit Euseb. l. c. Chron. vel, ut Hieronym. l. c. scribit: *Super quæstionem paschæ, & alia scripsit opuscula.* Fuerunt autem hoc seculo Pontifices Romani A-
& Pontificum. nacletus, Evaristus, Alexander, citante Euseb. libr. IV. c. 1. omissus à Bellarmino in Chronologia. Sixtus, Thelesphorus, Hyginus, Pius,

Pius, Anicetus, Soter, Eleutherius, & Victor. Vide Irenæ. l. 3. contra hæres. c. 3. Euseb. hist. Eccles. l. IV. 1. 4. 5. 10. 18. 21. Chron. ann. 100. 108. 120. 129. 140. 143. 154. 169. 177. 103. Horum *epistolæ* decretales circumferuntur, & à Pontificiis frequenter pro suis erroribus stabiliendis citantur. Sunt autem Anacleti tres ; tres Evaristi Alexandri tres : Sixti. II. Telesphori una ; Hygini aliqnot ; Pii II. Aniceti una ; Soteris duæ ; Victoris. II. Eleutherii una. *Tituli* Epistolarum Anacleti sunt : *De oppreßione Episcoporum, & de accusatione Episcoporum, & de ordinatione Archiepiscoporum, & de primatibus, & de Patriarchis eorumque Ministris : Ac de reliquis Episcopis, & quod Ecclesia Romana cardo & caput omnium Ecclesiarum sit: De ordine Episcoporum vel primatum; De subjectis, qui amici sunt inimicis Episcoporum suorum.* Evaristi : *De ordinatione Diaconorum & legitimo conjugio, atque de fide, & non injurandis Episcopis. aut lacerandis : Item, quod Christus sit caput & sponsus Ecclesiæ, & qualiter sacerdotes suas Ecclesias, & Ecclesiæ eorum eos debeant diligere.* Alexandri. *De sacerdotibus non vexandis; nec scriptis ab eis per metum aut aliquam fraudem exigendis ; & de paßione Domini in consecratione corporis ejus miscenda , & de aqua cum sale populis benedicenda, & de fide S. Trinitatis.* 2. *De caußis & gravationibus sacerdotum.* 3. *ut vientur detractiones & injustæ pulsationes.* Sixti nullos præ se ferunt titulos. Posses dicere. 1. De fide Trinitatis & correptione Clericorum. 2 De sanctitate vasorum sacrorum & eminentia sedis Romanæ. Telesphori : *de jejunio septem hebdomadum ante pascha, & de missarum celebratione in nocte sancta natalis Domini, & quo tempore aliis diebus missæ celebrentur, & de Episcoporum defensione.* Hygini. 1. *De fide & reliquis caußis.* 2. *ad Athenienses.* Pii. 1. ut *pascha die dominico celebretur.* 2. *Epistola Italicis directa.* Aniceti *de ordinatione Archiepiscoporum & reliquorum Episcoporum, & de Appellationibus minorum ad majorum sedes vel ad Romanam Ecclesiam.* Soteris *de fide* ; 2. poßis dicere, de sacris vasis non profanandis. Eleutheri titulo caret, dicas : de usu ciborum, accusationibus Clericorum, & proditoribus. Victoris. 1. *De pascha & caussis reliquis* ; 2. *ad Afros de caußis superioribus.* Ex t. 1. concil. f. 12. seqq edit. Colon. anno 1530.

Epistolæ. Anacleti. Evaristi : Alexandri : Sixti : Telesphori : Hygini : Pii : Aniceti : Soteris : Eleutheri : & Victoris.

§. 28. Ex titulis facile est odorari contenta & indolem epistolarum. Nam longe aliam ætatem & statum Ecclesiæ præ se ferunt, quam eruditi, etiam Pontificii, historiarum gnari deprehendunt.

Iudicium.

dunt. Lutherus Postill. Eccles. dom. III. advent. f.m. 42. b. bene judicat: Sage mir in alle der Sündfluth seiner (des Bapsts) unzehlichen Gesetz und Befehl / ja in alle seinem Regiment / wenn hast du je gehört oder gelesen / daß er GOttes mysteria mit einem Wort rühre / oder das Evangelium predige? Da ist nichts dann von hadder Sachen / von Praebenden / oder auffs höchst von Platten und Kleidern: Ja er verdammt öffentlich dazu das Evangelium / und GOttes mysteria. Nolumus illis refutandis immorari; Nam multi præclari viri id abundè præstiterunt. Ex vetustioribus Centuriatores Magd. II. c. 7. f. 110. seqq. Ex recentioribus Gerhardus lib. 1. conf. Cathol. R. vet. libr. 1. Crit. sacr. c. 8. Coc. cens. vet. p. 39. seqq. Imprimis David Blondellus justo tractatu.

Materia scriptorum.

§. 29. Ut autem in conspectu sint *materiæ* de quibus hi & præcedentes, saltem ut videntur, scripserunt, precium erit in certas classes eas digerere. Sint igitur (I.) *Commentarij* vel *in genere*, ut Pantæni in S. literas exegesis: vel in *specie* in hexaëmeron Rhodonis; in Proverbia & Ecclesiasten Theophili; in 4. Evangelia Tatiani; In Apocalypsin Justini; Melitonis & Irenæi. (II.) *Catechetæ*, qui de capitibus fidei, vel morum, similibusque scripserunt. Et quidem vel in *genere*, ut Justinus expositionem fidei, & quæstiones varias; Quadratus Syngramma; Theophilus elementa fidei Christianæ, & de prima Christiani institutione; Dionysius Corinth. epistolas ad diversos. Bardesanes dialogos. Vel in *specie*, de *scripturæ* obscuritate Tatianus; divinitate idem. De apostolica prædicatione Irenæus, de Evangelio Serapion; de Prophetia Melito; De *Deo*. Justinus de Monarchia, Melito de Deo corporeo: De *Christo*. Melito de generatione Christi. De *homine in statu institutionis*. Melito de hominis creatione, adeoque & de anima, corpore, & sensuum sedibus natura: *destitutionis*, & quidem caussa ejus efficiente diabolo, idem. *Restitutionis ministerio*. Pontifices Romani de Clericorum ordinibus, ordinationibus, juribus, privilegiis, Officiis. &c. *Organo*; Melito de lavacro regenerationis; *termino & effectu*, nempe *de fide* Melito; & de *bonis operibus*. Ut moralem orationem Justinus: juxta *tabulam decalogi primam* Melito de veritate, fide; Apollinarius de pietate & veritate; & de paschate Melito, Irenæus & Victor; de die dominico Melito; juxta *secundam* Melito de hospitalitate; *in genere*, Justinus

in epi-

in epist. ad Zenam; De Ecclesia Melito. De fatis seculi Bardesanes, de resurrectione Athenagoras. Pinytus de ἀσκήσει. Contraria sunt *hæreses*, contra quas in genere scripsit Justinus, Bardesanes; in specie contra Basilidem Castor Agrippa; Montanistas Miltiades, Apollinarius, Apollonius, & Serapion; Hermogenem Theophilus; Marcionem idem, Philippus; Modestus, & Rhodon; Valentinianos & Gnosticos Justinus, Irenæus: Blastum & Florinum idem; Domnum Serapion: Encratitas Musanus & Rhodon. *Judæos* Justinus, Apollinarius, Miltiades; *Gentiles* Justinus, Apollinarius libris V. Tatianus, Miltiades, Irenæus. Contra *persecutiones* Bardesanes; Remedium sunt *Apologiæ*; has pro Christianis scripsere Quadratus, Aristides, Justinus, Melito, Apollinarius, Athenagoras, Bardesanes, & Miltiades. De disciplina Irenæus. (III.) *Historici.* Egesippus, Papias, Melito de vitis Prophetarum.

§. 29. Dolenda est strages præcipuorum horum, quos enumeravimus librorum. Exceptis enim Justini, Melitonis fragmento, Athenagoræ apologia, & de resurrectione; Theophili contra Autolycum, Tatiani contra gentes, Egesippi fragmentis, & Irenæi libris V. contra hæreses; Cæteri *perierunt*, vel certè in publico non comparent genuini, & certi. Hegesippi, qui hodie circumferuntur, Melitonis de transitu Virginis, Theophili in IV. Evangelistas, Pontificum decretales subventanei sunt fœtus, vel ipsis Pontificiis fatentibus. *Controversi* sunt Justini quædam, de quibus supra; Tatiani harmonia, Irenæi versio. Exiguum igitur in scriptoribus hujus quidem seculi præsidium inveniunt Patrophili, in tanto scriptorum genuinorum defectu. Existant autem omnes Patrum fœtus, iique incorrupti, nihilominus suspecti erunt ob auctores suos, qui suis quoque erroribus obnoxii fuerunt. Unus Petavius lib. 1. de Trinit. c. 3. præcipuos hujus seculi Patres Melitonem, Justinum, Theophilum Antiochenum, Tatianum, Athenagoram, Irenæum reos peragit erroris, quem deinceps Audeani & Anthropomorphitæ erarunt. Chiliasmo favebant Papias, Irenæus, Apollinarius, teste Hieronymo in Catal. script. tit. Papias; Justinus Martyr; & *cæteri*, juxta Hieronymum. Habes igitur consensum Patrum hujus seculi in unum & alterum errorem. Fata.

Articulus II.

De

MINISTERIO ECCLESIASTICO.

Argumentum.

Nomina ministrorum Ecclesiæ; Præsides, Presbyteri, Episcopi, Pastores, Doctores, Evangelistæ, Pontifices, Papæ. Electio penes Ecclesiam totam: subjectum eligibile: Electi distributi in Episcopos, Presbyteros, & Diaconos. Recensentur Episcopi Herosolymitani, Antiocheni, Romani, Alexandrini, Constantinopolitani, alii insigniores; Doctores: Eorum officium; prædicatio verbi cum Ecclesiastica, tum scholastica. Administratio Sacramentorum, usus clavium, Potestas externa, Cælibatus, conjugium, honores, fata, subjectio, conventus Ecclesiastici.

§. I.

II. Ministerii (1.) *Nomina.*

NOmina ministrorum Ecclesiæ pauca & modesta hoc seculo inveniuntur, desumpta, non ab eminentia aliqua, aut dignitate aut alio respectu humano, sed ab officio, quod servis suis Christus demandavit. Dicuntur enim *προεστῶτες antistites*, à Justino Apol. II. fol. 76. 77. scilicet *verbi*, uti explicat Tertullianus. *Episcopi* ab *inspectione* in Ecclesiam, quæ à Spiritu S. ipsis est commendata Actor. XX. 28. sic vocat Ecclesia Lugdunensis apud Euseb. libr. V. c. 1. Irenæus in epistola ad Victorem. lib. V. c. 23. *Presbyteri* ab ætate, & legatione, qua nomine Dei fungebantur: ita sæpissime dicuntur Irenæo libr. IV. 44. f. 390. Euseb. libr. V. 23. *Doctores*, nimirum verbi, quod ab Apostolis acceperunt, aliisque tradiderunt. Iren. l. IV. 44. *Pastores* à pascendo, scilicet gregem à Deo sibi commissum, quod fit per prædicationem verbi. Euseb. lib. III. hist. c. 31. *Evangelistæ* ab Evangelio, quod omnibus gentibus Apostoli, & horum successores denunciarunt. Euseb. l. c. *Pontifices* ab Hieronymo in epist. ad orator. Magnum. t. 3. opp. f. 149. voce suo potius tempore frequentata. *Papæ.* Extat libellus ad Zenam & Serenum Justino inscriptus, in quo meminit epistolæ ad Papam; Quid nominis hoc sit proprium an appelativum? disceptant. Baronius in Martyr. 10. Jan. & annal. 165. §. 10. nihil certi definit, largitur tamen Papæ nomen olim commune fuisse Clero, deinde Episcopis mancipatum

esse

esse omnibus; donec seculo XI. Gregorius VII. ambitiosissimus Papa sibi soli vendicaret.

§. 2. Efficiens. I. *Principalis* est Deus. *Etenim Dominus omnium dedit Apostolis suis potestatem Evangelij, per quos & veritatem h. e. Dei filij doctrinam cognovimus, quibus & dixit Dominus: qui vos audit, & me audit, & qui vos contemnit, & eum, qui misit me.* Iren. præfat. in lib. III. & lib. IV. c. 44. *Posuit Deus primo in Ecclesia Apostolos, secundo prophetas, tertio Doctores. Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem.* Sunt igitur officia Ecclesiastica dona divina Eph. IV. 7. 11.

(2.) *Caussa* Efficiens principalis; est *Deus.*

§. 3. *Minus principalis.* Sunt homines in Ecclesia congregati. 1. *Ministri.* Nam Euseb. lib. III. c. 31. refert de proximis Apostolorum discipulis & successoribus, quod plantatis hinc inde Ecclesiis ποιμένας τε καθιστάντες ἑτέρους, τούτοις δ' αὐτοῖς ἐγχειρίζοντες τὴν τῶν ἀρτίως εἰσαχθέντων γεωργίαν *pastores alios constituerunt, iisq; curam eorum qui ad fidem nuper erant adducti doctrina Christi sedulo excolendorum commiserant.* More ex seculo. I. traducto, ut apparet ex Chrysost. hom. 70. t. 5. f. 499. in qua Ignatium laudat, & meminit ordinationis: *Non solum,* inquit, *quod tanto principatu dignus est habitus, hominem admiror, sed etiam quod à sanctis illis iste ipsi principatus commissus est,* παρὰ τῶν ἁγίων ἐκείνων τὴν ἀρχὴν ταύτην ἐνεχειρίσθη, καὶ αἱ τῶν μακαρίων Ἀποστόλων χεῖρες τῆς ἱερᾶς ἐκείνης ἥψαντο κεφαλῆς, *ac beatorum manus Apostolorum sacrum illud caput contigerunt.* Irenæus lib. 3. contra hæres. c. 3. *Habemus,* inquit, *annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum usq; ad nos.* Repetit libr. IV. c. 63. Hieron. epist. ad Evagr. meminit in collegio Presbyterorum electum fuisse aliquem, qui Episcopus nominaretur.

Minus principalis est status Ecclesiasticus.

§. 4: 2. *Populus seu auditores.* Elici potest ex Cyprian. libr. 1. ep. 4. qui ad traditionem refert Apostolicam, quod Clerus eligatur plebe præsente & suffragante. *Propter quod diligenter de traditione divina & Apostolica observatione servandum & tenendum est, quod apud nos quoq; & ferè per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdē provinciæ proximi quiq; conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusq; actum de ejus conversatione perspexit.* Hæc Cyprianus. Si igitur ex traditione Apostolica necessaria est plebis præsentia, &, quod ante dixerat, *potestas vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi,*

& Oeconomicus.

cusandi, sequitur hoc quoque seculo morem istum fuisse usurpatum, aut Ecclesiam hujus seculi Apostolis vicinam maximè, & Apostolicis viris utentem, neglexisse Apostolorum traditionem, quam seculi III. Ecclesia usurpavit, quod absurdum. Anacletus, quem Turrianus veluti genuinum defendit, t. 1. concil. f. 15. epist. 2. *Reliqui*, inquit, *sacerdotes à proprio ordinentur episopo, ita ut cives & alij sacerdotes assensum præbeant.* Et paulo post: *Electionem quoq; summorum sacerdotum sibi Dominus reservavit, licet electionem eorum bonis sacerdotibus, & spiritualibus populis concessisset.* Mox repetit ex Apostolo Paulo conditiones Episcopi eligendi.

Objectum electionis.

§. 5. *Objectum* electionis erant, qui apti ad sanctum officium videbantur. Imprimis eligebantur illi, qui capita & mysteria fidei Christianæ probe vel ab Apostolis ipsis, vel Apostolorum discipulis edocti, moribus probi, & donis exornati erant. Nam habebant suas *scholas* sacras cum publicas tum privatas, in quibus juventus in futurum Ecclesiæ usum formabatur. Euseb. libr. V. c. 10. laudat *scholam* Pantæni διδασκαλεῖον τῶν ἱερῶν λόγων *sacrarum literarum*, quam dicit frequentatam esse πρὸς τῶν ἐν λόγῳ καὶ τῇ περὶ τὰ θεῖα σπουδῇ δυνατῶν *ab hominibus cum politiore doctrina & eloquentia mirè instructis, tum sacrarum literarum studio probè exercitatis.* Uti vertit Christophorsonus. Ex qua schola prodiit Clemens Alexandrinus κατὰ τοῦτον τὰς θείας γραφὰς συνασκούμενος ἐπ' Ἀλεξανδρείας; *qui ab hoc* Pantæno *informatus est in sacris literis Alexandriæ.* loc. citat. cap. 11. Romæ scholam Theologicam habuit Tatianus. Nam c. 13. laudatur Rhodon μαθητευθεὶς ἐπὶ Ῥώμης *eruditus Romæ* ab Asiatico illo Tatiano. Niceph. lib. III. c. 29. refert de quadam Anthia Eleutherii matre, quod filium *Aniceto Romano Episcopo tradiderit, ut sacris ab ipso literis imbueretur*; quod & factum: *sacro cleri numero inseritur, & quintodecimo ætatis anno diaconi gradum consequitur, mox triennio post Presbyter creatur, & deinde 20. annos Illyrici Episcopus deligitur, vita priore signis miraculisq; ingentibus edendis transacta.* Hæc idem de eodem. Modus electionis qui fuerit incertus est. Si literæ inhærendum, videntur sorte esse electi. Nam Euseb. libr. IV. hist. c. 1. de primo quodam Alexandrino Episcopo refert: qui λειτουργίαν κληροῦται *Ministerium Ecclesiæ sorte accepit*, vertente Christophorsono. Electi ordinabantur. Sed quo ritu? Pseudo-Anacletus

Ordinatio.

processum describit: *Episcopi convenientes scrutinium diligenter agant, jeju-*

jejuniumq; cum omnibus celebrent precibus, & manus cum sanctis Evangeliis, quæ prædicaturi sunt, imponentes, dominica die hora tertia orantes, sacraq; unctione, exemplo Prophetarum & Regum, capita eorum more Apostolorum & Moysi ungentes, quia omnis sanctificatio constat in Spiritu Sancto, cujus virtus invisibilis sancto chrismate est permixta, & hoc ritu solennem celebrent ordinationem. Mustei sunt ritus, de quibus apud Justinum, Irenæum, aliosque genuinos auctores nihil legas.

§.6. Electi possunt dividi in Episcopos, Presbyteros, & diaconos. Plures non legimus ordines subiisse Eleutherium modo laudatum; Nec Damasus plurium, cum in vitis Pontificum refert Presbyteros & Diaconos, quos illi ordinarint. Nec Ecclesia Lugdunensis in epistola ad Asiaticos, alios quam Episcopum, Presbyteros & Diaconos appellat. Euseb. libr. IV. c. 1. Nec Hieronymus in Ecclesia Alexandrina à Marco ad Dionysium usque plures invenire potuit. epist. ad Evagr. Imo Justinus Apol. II. meminit duorum tantum ordinum προεστώτων & διακόνων antistitum, qui prædicando verbo, & benedicendis sacramentis vacabant; & Diaconorum, qui distribuebant unicuique præsentium μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι *accipere de benedicto pane, vino, & aqua; ad absentes vero deferebant.* Si qui fuisset tum Pontifex Oecumenicus, quem hodie jactant Pontificii, non tacuisset eum Justinus in Apologia, in qua accuratissime Christianam hierarchiam sibi describendam, & Confessionis loco Magistratui supremo exhibendam proposuerat. Quod si major fuerit Pontificis Romani auctoritas, legant Pontificii, quod Anacletus scribit t. 1. Concil. f. m. 16. *Sacerdotum ordo bipertitus est*, nempe in *Episcopos, & Presbyteros*; quorum illi *Apostolis*, hi LXX. *discipulis* successerunt. Irenæus in Epistola ad Victorem laudat Asiæ Episcopos; apud Euseb. libr. V. c. 23. Presbyteros memorat lib. 4. contra hæres. c. 44. quod nominis illi ipsi tribuit Ecclesia Lugdunensis in literis ad Eleutherium systaticis, ut patet ex fragmento apud Euseb. lib. V. cap. 4. Sed ut appareat inter Episcopos & Presbyteros discrimen nullum esse, Episcopos Romanos vocat Presbyteros in eadem ad victorem epistola οἱ πρὸ σωτῆρος πρεσβύτεροι οἱ προστάντες τῆς Ἐκκλησίας, ἧς νῦν ἀφηγῇ, Ἀνίκητον λέγομεν, καὶ Πίον, Ὑγῖνόν τε καὶ Τελέσφορον, καὶ Ξύστον; ut Eusebii verba sonant. Esto autem inter Episcopos &

Subjectum distributum in tres Ordines.

Presbyteros fuisse discrimen, jure id fuit Ecclesiastico, non divino, ut ex Hieronymi ad Evagrium epistola aliisque locis alibi demonstratum est, Seculo I. art. 2. §. 4. Distinguit Petavius d. Eccles. hier. lib. 1. c. 4. inter unum idemque esse ὑποκειμένῳ & λόγῳ, asserens in *eandem* quidem *personam concurrisse ambos illos gradus & ordines* ; *sed diversos nihilominus habitos esse.* Et cap. 5. probare vult contra Salmasium ex successione Episcoporum, quam veteres, & in illis vetustissimus Irenæus lib. 3. c. 3. annotarunt : *Hoc enim argumento premi se, commentumq; obteri vidit, quo unum duntaxat ordinem ex instituto Christi & Apostolorum esse contendit Episcopatum & Presbyteratum* ; inquit Petavius. Sed inepta est Jesuitæ consequentia: Irenæus annotavit successionem Episcoporum: Ergo statuit Episcopos & Presbyteros esse *ex instituto Christi & Apostolorum* distinctos. Nam quos Irenæus Episcopos appellat lib. 3. c. 3. eosdem apud Euseb. lib. V. c. 23. vocat Presbyteros, ut annotata adeo Episcoporum successione annotarit simul & Presbyterorum.

Episcopi (1.) Hierosolymitani.

§. 7. Episcopi. I. *Hierosolymitani* erant: *Justus* Simeonis Cleophæ successor Euseb. lib. III c. 29. Chron. an. CVIII. fuit *unus ex infinitis illis, qui erant ex circumcisione, quiq; ad fidem Christi id temporis sese transtulerunt,* ut Euseb. l. c. loquitur. Huic successit *Zacchæus.* Euseb. Chron. 112. Huic *Tobias*: huic *Benjamin* : huic *Johannes* ; huic *Matthias*; huic *Philippus* ; huic *Seneca*; huic *Justus*; huic *Levi*; huic *Ephrem*; huic *Joseph*, huic *Judas*. Omnes hi ex Judæis oriundi erant. Euseb. lib. IV. hist. c. 5. successit ex gentibus primus electus *Marcus.* Euseb. Chron. an. 136. hist. lib. IV. c. 6. huic *Cassianus*, huic *Publius*, huic *Maximus*, huic *Julianus.* I. huic *Cajus*. I. huic *Symmachus*, huic *Cajus* II. huic *Julianus.* II. huic *Capito*; huic *Valens*, huic *Dolichianus*; huic *Narcissus*, uti ἐκ τοῦς αὐτόθι διαδοχαῖς *ex tabulis successionum*, quæ in Ecclesia Hierosolymitana asservabantur, deducit Euseb. lib. V. hist. c. 12. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in Chronol. p. 159. recenses eosdem singulorum annos adjicit, sed in nominibus nonnullis discrepat, nominans pro Zacchæo Zachariam, pro Matthia Matthæum; Camerarius in appendice pag. 160. ex Epiphanio eosdem repetit, nominatque pro Justo. I. Judam, pro Zacchæo Zachariam, pro Ephremo Vaphrim, pro Cajo Gajanum. Quæris: Unde tot in uno seculo unius Ecclesiæ Episcopi? videntur rebellas.

bellantium Judæorum & ipsi pœnas dedisse gentibus Romanis. Frequenter Judæi movebant seditiones adversus Dominos suos Romanos Trajanum & Hadrianum; vide Euseb. Chron. ann. 117. 119. 133. 134. 135. 137. Quare pœnas dabant Romanis, implicitis etiam Christianis, quos à Judæis discernere non poterant vel volebant gentiles: Præsertim cum jam ante novæ religionis, & variorum scelerum erant suspecti & infames. Hæ videntur extitisse caussæ, cur prioribus trucidatis subinde opus esset novis successoribus, hinc crevit numerus.

§. 8. II. *Antiocheni.* Erant: *Hero* Ignatii quondam diaconus, ad quem & epistolam scripsit, postea successor: Euseb. Chron. 108. Successit *Cornelius* ann. 129. hist. lib. IV. cap. 19. huic *Heros.* l. c. huic *Theophilus* l. c. an. 169. quem art. I §. 15. laudavimus: huic *Maximinus*; Huic *Serapio.* ann. 190. hist. lib. IV. 23. V. 21. confer §. 25. art. I. *(II.) Antiocheni.*

§. 9. III. *Romani.* Fuerunt: Anacletus, Evarestus, Alexander, Sixtus, Telesphorus, Hyginus, Pius, Anicetus, Soter, Eleutherius, & Victor. Euseb. hist. lib. III. 12. 16. IV. 1. 4. 5. 10. 18. 21. V. 21. Chron. an. 81. 100. 108. 120. 129. 140. 143. 154. 169. 177. 193. Irenæ. lib. III. c. 3. Niceph. Constant. Chron. 167. Successio variat. Nam Irenæus & Nicephor. l. c. Lino subjiciunt Anacletum, & huic Clementem, quod & facit Eusebius in Chronico; Recentiores autem eo, quo nos, ordine numerant. Baronius ann. 154. §. 1. Eusebium reprehendit, *quod in serie Romanorum Pontificum Cletum numerare prætermiserit.* Reprehendendus igitur est & Irenæus, qui l. c. numerat, quo Eusebius ordine, & ante Clementem Anacleti quidem meminit, non autem Cleti, nisi Anacletus & Cletus sit idem homo. Hiabit igitur post Clementem, post quem neque Irenæus, neque Eusebius ullius Anacleti meminerunt, successio Episcoporum, id est, *argumentum evidentissimum ad veram Ecclesiam ostendendam*, quod jactat Bellarm. d. not. Eccles. lib. IV. c. 8. *Doctrina* quales fuerint, certum non est, deficientibus ipsorum & aliorum de ipsis scriptis; *Per pauca de rebus gestis Pontificum Romanorum literis prodita inveniuntur, ideo fortassis, quia non in magna admodum fuerant auctoritate, ac Deus per alios potius alibi res salutares effici, quam ipsos, voluit.* Censentibus Magd. Cent. II. c. 10. f. 165. 166. *Confessione* Martyres extiterunt, si recentiorum narrationib⁹ deferendum, quod non putant illi ipsi Centuriatores: *(III.) Romani.*

In

In dubium ferè hæc, quæ de martyriis eorum prodita sunt, vocantur. Caussam præmiserant silentium antiquitatis. Unius Telesphori meminit Irenæus l. 3. c. 3. *quod gloriosissimè martyrium fecerit*; Dum igitur in cæteris martyrii non meminit, probabile est martyres non fuisse. Fatetur Onuph. not. ad Hyginū Platinæ. *Moribus* varii fuerunt. Pacificus erat Anicetus, dum Polycarpo & reliquis Asiaticis ob diversitatem paschatis & jejuniorum molestus non fuit, secus ac Victor, qui ex communicatum ibat. Eleutherium Patris titulo exornat Ecclesia Lugdunensis. Euseb. lib. V. 4. Soter laudatur à beneficentia in pauperes & afflictos in epistola Dionysii ad Romanos. Euseb. IV. 23.

(IV.) Alexandrini §. 10. IV. *Alexandrini.* Fuerunt: Primus. Euseb. hist. IV. 1. Chron. 107. Eumenes. cap. 5. Justus. c. 5. Marcus. c. 10. Chron. 143. Celadio. c. 10. Chron. 150. Agrippa c. 18. qui & Agrippinus dicitur Chron. ann. 167. Julianus. c. 9. lib. V. Chron. an. 180. Demetrius. cap. 21. Chron. an. 190. confer. Niceph. Chronol. p. 240. & notas Camerarii.

(V.) Constantinopolitani. §. 11. V. *Constantinopolitani.* Numerantur ab Andrea fundatore illius Episcopatus, ad Constantinum M. Episcopi Byzantini XXII. & sunt: Andreas, Stachys, Onesimus, Polycarpus, Plutarchus, Sedecion, Diogenes, Eleutherius, Felix, Polycarpus II. Athenodorus, Euzojus, Laurentius, Alypius, Pertinax, Olympianus, Marcus, Cyriacus, Castinus, Titus, Domitius, & Probus. Hactenus Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in Chron. f. 181. forsan ex diptychis nomina & successionem suorum antecessorum describens.

(VI.) Alii. §. 12. Præter hos præcipuarum sedium Episcopos celebrantur & alii Episcopi vel Presbyteri (1.) in *Asia*: Phocas Ponti Episcopus, Galma Episcopus Amastrianorum; Zoticus Ancyranus; Palmas Ponticus, Cassius Phœnicius: Melito Sardensis, Apollinarius Hierapolitanus; Polycrates Ephesinus; Theophilus Cæsareensis. (2.) In *Europa.* Publius, Quadratus, Jovius Athenis: Primus, Dionysius, Bacchillus Corinthi: Photinus, Irenæus, Lugduni; Regulus Arelati; Lucianus inter Beluacenses, Curanus inter Carnotenses; Benignus Divioni; Sanctus Viennæ, Zacharias Lugduni; Philippus Gortynensis; Pinytus Cretensis, confer Centur. II. Magd. c. 10. ubi plures memorantur.

§. 13. *Scho-*

§. 13. *Scholastici* Ecclesiasticis adjungi possunt. Nam opus erat illis, ut non tantum ipsi juventutem formarent, sed etiam disputando contra gentiles, Judæos, hæreticos, qui & ipsi suas scholas habebant, exercerent; ut Aristides, Castor Agrippa, Egesippus, Justinus Martyr, Athenagoras, Tatianus, Modestus, Musanus, Bardesanes, Miltiades, quem *Ecclesiæ Sophistam* vocat Tertull. c. 5. contr. Valent. Apollonius, Pantænus, Rhodon. Habuerunt hi suas διατριβὰς sive *scholas,* ut Justinus Romæ, in quibus refutavit Crescentem; Clemens Alexandrinus. l. 1. Strom. laudat suos præceptores, quibus adolescens operam dedisset, & in illis quendam Ægyptium, *siculam revera apim, prophetici & Apostolici prati flores decerpentem;* quo factum esse ait, ut *sinceram quandam & incorruptam cognitionem ingeneraret eorum, qui audiebant, animis.* Inspectores scholarum erant Episcopi, ut apparet exemplo Demetrii, qui Pantænum præfecit scholæ Alexandrinæ omnium celeberrimæ Doctorem. Fructus erat insignis. Nam juventus egregiè docebatur, adeo, ut καὶ περὶ τὰς ἠλακάτας αἱ παρθένοι τὰ κατὰ θεὸν λαλοῦσιν ἐκφωνήματα, *intentæ lanificio virgines divinos sermones edisseruerint.* Teste Tatiano contra Græc. f. 214. Sed & necessitas efflagitabat. Habebant enim Gentiles philosophi suas etiam scholas, & hæretici suas, ut Valentinus; quare opus erat ex parte Christianorum, qui contraria docerent. Et vigilavit divina providentia, excitatis inter Christianos Philosophis eruditis, *Valentinus Philosophus oppugnavit Ecclesiam, sed Justinus Philosophus, & Irenæus Philosophus defendit:* uti loquitur Erasmus præfat. in Irenæum. *Doctores.*

§. 14. *Officium* erat (1.) *Prædicatio verbi.* Solebant enim in congressibus publicis legere τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποστόλων ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν *commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum, quoad tempus ferret. Deinde lectore quiescente* ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται: *Præsidens per orationem populum instruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur.* Justin. Apol. II. f. 77. Norma, juxta quam docebant, erat verbum Dei in SS. literis contentum. Innuit hoc Justinus dial. Tryph. fol. 173. Quærit enim: τίνι οὖν ἔτι τις χρήσαιτο διδασκάλῳ *quo tandem aliquis utatur doctore?* respondet, sacra scriptura, quam Prophetæ nobis reliquerunt unicam fidei regulam. Alligat ergo doctores ad verbum Dei. Dicuntur enim *verbi prædicatores & fideles*

Formalis. Potestas. (1.) *Ordinis* ut prædicatio verbi.

ejus *norma.*

nuncij, qui divino Apostolorum imitandorum studio inflammati, magna adjumenta cum ad verbum Dei in animis hominum exædificandum, tum ad idem augendum afferebant. Euseb. lib. 5. c. 20. Et lib. III. c. 31. laudat Apostolorum discipulos Evangelistas, quod domo profecti, iis, qui ne adhuc quidem omnino verbum Dei audivissent, κηρύττειν τὸν Χριστὸν φιλοτιμούμενοι, καὶ τὴν τῶν θείων εὐαγγελίων παραδιδόναι γραφήν, *Christum prædicarint, & scripturas sanctorum Evangeliorum tradere omni cura & cogitatione studuerint.* Quod si non doceant verbum Dei, fugiendi sunt, etiam in officio jam constituti: *Qui vero crediti sunt à multis esse Presbyteri, serviunt autem suis voluptatibus, & non proponunt timorem Dei in cordibus suis &c. ab omnibus talibus absistere oportet; adhærere vero iis, qui & Apostolorum, sicut prædiximus, doctrinam custodiunt, & cum Presbyterij ordine sermonem, famam & conversationem sine offensa præstant ad informationem & correctionem reliquorum. &c. Tales Presbyteros nutrit Ecclesia.* Iren. lib. IV. capit. 44. Si placet Pontificiis Anacletus Papa, legant, quod ipse alias in patrocinio cleri nimius scribit: *Doctor vel pastor Ecclesiæ, si à fide exorbitaverit, erit à fidelibus corrigendus: sed pro reprobis moribus magis est tolerandus* t. 1. Concil. Addant decretum Pii. l. c. *Reprobari oportet eorum redargutiones, qui in recta fide suspecti sunt. Fides autem & conversatio primum scrutanda est, & denuo, qui irreprehensibiles apparuerint, sunt recipiendi* Et Victoris ex epistol. 2. ad Afros: *Nulli liceat doctrinam Evangelicam deserere, & sacerdotali honore gaudere.* Non igitur cœca obedientia Clero debetur, sed examinanda est ejus doctrina & vita ad normam verbi divini, &, si congrua deprehendantur, saltem doctrina, tum demum digni sunt, qui observentur. Ex his judicari potest de adulterini Anacleti decreto, quo *accusandi vel testificandi licentiam* de Cleri vitiis demit Laicis. tom. 1. Concil.

Summma. Doctrinæ summam recitat Irenæus lib. 1. cap. 3. nempe Symbolum Apostolicum (in nonnullis tamen mutatum) *Ecclesia enim per universum orbem usq; ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum &c.* c. 3. *Hanc prædicationem hanc fidem accepit.*

Locus. Locus, ubi docebant, erat vel Ecclesia vel schola. *Ecclesia* ἔνθα συνηγμένοι εἰσὶν κοινὰς εὐχὰς ποιησάμενοι, *ubi congregati sunt fideles communes facturi preces,* ait Justin. Apolog. II. fol. 77. Bardesanes quidam contra Marcionitas dialogos composuit, quos οἱ γνώριμοι, πλεῖστοι δ' ἦσαν, αὐτῷ δυνατῶς τῷ λόγῳ παρισταμένῳ, &c. *discipuli,*

puli, plures enim, quia tantum dicendo valebat, ejus scholam frequentabant, ex Syriaco in græcum converterunt. Euseb. lib. IV. c. ult. In scholis igitur eos de rebus divinis informabant, ut ex libr. 5. cap. 10. paulo ante est ostensum: Et ne pauperes deterrerentur, gratis eos docebant, teste Tatiano contra Græc. f. 213. Orth. Patr. *Modus* docendi erat duplex, vel ore vel scripto. E. g. Quadratus non modo coram Hadriano orationem pro Christianis habuit, sed etiam scripto tradidit, reddens fidei suæ suorumque rationem. Irenæus epist. ad Florinum narrat de Polycarpo, quod sedens disputaverit, & ad multitudinem verba fecerit. Euseb. lib. 5. c. 20. Apollinarius Hierap. disputavit contra Cataphrygas publicè in Ecclesia, teste Niceph. libr. 4. c. 23. Cum hâc seculi praxi confer quid in Papatu olim sit factum, & hodie fiat cum Episcopis. Judicium ferat Erasmus in scholiis ad epist. Hieron. ad Paulin. l. III. opp. fol. 5. *Sacerdotem Episcopum dicit. Nam olim soli Episcopi sacerdotes vocabantur, & iidem Presbyteri. Deinde cum plures esse cœpissent, princeps omnium sacerdos & Episcopus vocabatur. Cæteri Presbyteri. Ex his palam liquet, proprium Episcopi munus esse docere populum, non Scoticas argutias, sed Christum & arcanas scripturas. Atq; is, qui Summi Pontificis nomen sibi vendicat, deberet in eo, quod summum est munus, esse summus. At nunc pleriq; summas Episcopi partes ad vilissimos relegant, ipsi, quod est infimum, sibi sumunt, litium cognitiones, & censuum rationes. Et ne nihil omnino sacri populo videantur dare, mota manu benedicunt.* Hactenus Erasmus. Modus.

§. 15. (II.) Administratio Sacramentorum. Et quidem 1. *Baptismi.* Ritum hunc præclarè describit Justinus lib. II. Apol. fol. 73. seqq. neque tamen expressè meminit quis baptismum ministrarit Catechumeno; Probabile tamen est fuisse illum ipsum προεστῶτα præsidentem fratrum, quibus præsentibus baptizabatur. Alias in casu necessitatis licebat & Laicis baptizare, ut ex historia Judæi arena baptizati apparet apud Niceph. lib. 3. c. 37. *Administratio* 1. Baptismi.

§. 16. 2. *Eucharistiæ.* Distribuerunt & deportarunt hanc Diaconi, postquam consecrata esset à Præside Ecclesiæ: προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος. *Ei, qui fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ & vini, quibus ille acceptis laudem & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii & Spiritus Sancti offert, & Eucharistiam sive gratiarum actionem pro eo, quod nos donis hisce dignatus* 2. Euchari-stiæ.

 sit,

sit, prolixè exequitur. Justin. Apol. II. f. 73. Anicetus P. R. permisit Polycarpo S. Cœnam administrare, ut suum erga ipsum consensum contestaretur. Euseb. V. 24. Distincta igitur fuerunt Antistitis & Diaconorum officia, cum in verbo, tum in Sacramentis administrandis. In verbo; Nam diaconi prælegebant scripturas, & ex iis textum, quem deinde Præses pro concione enarrabat; In sacramentis; Nam Antistes consecrabat; diaconi verò distribuebant, & ad absentes deferebant.

(II.) *Iurisdictionis.* 1. Internæ clavium.

§. 17. Usus clavium. Clavis alia est *ligans*, alia *solvens*. Illius mentio fit apud Euseb. libr. IV. c. 10. qui ex lib. 3. Irenæi allegat exemplum Cerdonis ἀφισαμένε τῆς τῶν ἀδελφῶν συνοδίας *exclusi à cœtu fratrum* & libr. V. 28. Victor dicitur excommunicasse Theodotum coriarium. *Vitia* excommunicatione digna erant vel *hæresis*, ut Theodoti, qui Christum esse purum hominem asserebat; Blasti & Forini, ideo de Presbyteratu dejectorum; Euseb. V. 14. 25. Niceph. IV. 30. aliorum, quos Polycarpus & sinceri pastores aversabantur, ut lupos. Euseb. l. 4. c. 14. Vel *scelera* scandalosa, E. g. cædes, adulteria, scortationes, quod Plinius in celebri ad Trajanum epistola subinnuit. *Solventis* meminit Euseb. libr. V. cap. 1. in literis Ecclesiæ Lugdunensis ad Asiaticas. Hæc enim scribit de receptis in persecutione lapsis, quod fit per clavem solventem; Et in Marcionis historia mentio fit erroris ab ipso publicè agniti. Confer Iren. lib. I. contra hæres. c. 1. & 9. & lib. III. c. 4. Euseb. lib. IV. c. 23. Dionysius Corinthiorum Episcopus in epistola ad Palmam eos, qui *quocunq; casu sive gravis alicujus peccati noxa, sive hæretico pestiferoq; errore Ecclesia excidissent, denuò in Ecclesiam, modo se totos converterent, clementer recipiendos præcipit.* Hinc constat non tantum de utraque clave, sed etiam criminibus clave ligandis; Nempe hæresi, & sceleribus contra tabulam potissimum secundam commissis, quale est stuprum, cujus gratia Marcion excommunicatus est.

2. *Externæ* gubernationis. quoad personas.

§. 18. *Potestas externa.* Non erat penes unum, solum, oecumenicum Episcopum, sed omnes, qui Episcoporum nomine gaudebant. Apparuit in controversia paschali inter Ecclesiam orientalem & occidentalem. Cum enim Victor Papa R. illam excommunicare vellet & auderet, Asiæ Episcopi masculè restiterunt. Convocata enim Synodo, cui præerat Polycrates, contrariam Vi-

ctori

ctori tulere sententiam. Ille animosè scribit ad Victorem: *Ego, qui 65. annos in Domino vixerim, qui multis cum fratribus per orbem terrarum dispersis de fide communicarim, qui universam sacram scripturam studiose evolverim, his, quæ nobis ad terrorem objiciuntur, minimè conturbor. Mei enim majores dixerunt, magis Deo, quam hominibus, obtemperandum.* Subdit deinceps nomina Episcoporum subscribentium suæ sententiæ. Euseb. lib. V. 23. & refert de aliis quoque c. 24. ἀλλ' οὐ πᾶσί γε τοῖς ἐπισκόποις ταῦτ' ἠρέσκετο, ἀντιπαρακελεύονται δῆτα αὐτῷ: *Sed non omnibus Episcopis hæc* (Victoris acta) *placuerunt; Sed illi contrarium decretum ediderunt.* Sic enim transferenda Græca, non, ut Christophorsonus Pontificius vertit: *Illum contra magnopere adhortabantur,* scenæ suæ serviens. Confirmatur à Nicolao. I. in epistola ad Michaëlem Imper. Græcum: Cum *Asiani*, inquit, *omnes inter cæteros, Evangelista Johanne auctore, quartadecima luna cum Judæis putarent pascha celebrandum, hoc præsul meritis & nomine Victor, collegis separavit. At illi omnes cum nonnullis Ecclesiarum Præsulibus non solum huic manus minimè præbuerunt, verum etiam pertinaciæ redarguerunt.* Et iterum: *Quid autem mirum, si nobis pro Ecclesiastica correctione laborantibus manum non datis? sed & duritiis redarguitis? Cum videmus Victorem Papam & Martyrem, qui ideo verè Victor est, quia Martyr, pro Ecclesiastica traditione pene à totius Ecclesiæ præsulibus pertinaciæ redargutum, quandoquidem Ecclesia tota nunc cum illo sapit, &, quod fecit, laude prædicat dignum*: citante Papyrio Massono de Episc. Urb. p. 15. Excipiunt Pontificii Bellarm. l. 2. de P. R. c. 19. Sander. de visib. Monarch. libr. VII. f. m. 246. §. 23. Baron. annal. 198. §. 10. (1.) retorquendo: sic enim Baronius: *Videre est perspicuo sane exemplo, quanta auctoritate polleret R. Episcopus, præstaretq; cæteris, quippe qui per orbem concilia indicat, & provincias non obtemperantes ejus præcepto à communione secludat.* 2. Distinguendo inter jus & factum s. juris exercitium: *Existimarunt illi*, inquit Bellarminus, *Victorem fecisse, quod potuit, sed non quod debuit.* Rx. 1. Pontificem Romanum concilium Asianum sua *auctoritate*, uti Baronius ait, indixisse, falsum est: Nam Polycrates, *rogatus à* Victore, (Sic enim vertunt Christophorsonus Sanderus, Baronius Pontificii verba Polycratis: οὓς ὑμεῖς μετακληθῆναι ὑπ' ἐμοῦ, καὶ μετεκαλεσάμην: *quos, ut accerserem à vobis rogatus, diligenter accersebam.*) Concilium convocavit. Regerit Sanderus; *Hoc Ecclesiasticæ modestiæ est, ut jus suum verbo quam mitissimo exprimat, dum memor est, se ita majo-*

rem esse inter fratres, ut tamen debeat se gerere tanquam ministrum, & non tanquam Regem & Dominum. ℞. Immodesti igitur & immemores sui ministerii fuerunt alii Romani Pontifices, qui ἀνυπεύθυνον jactabant auctoritatem in suis epistolis, E. g. Evarestus ep. 2. t. 1. concil. *Si adversus eos aliquam querelam habueritis, his peractis inquirendum erit, & auctoritate hujus sanctæ sedis terminandum:* Et Alexander: *Relatum insuper est ad hujus sanctæ & Apostolicæ sedis apicem, cui summarum dispositiones caussarum, & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput &c.* Imo ipse Victor in decreto de paschate: *Celebritatem sancti pascha die dominica agi debere prædecessores nostri jam statuerunt, & nos illud eadem die celebrare solenniter mandamus.* &c. Annon satis pro auctoritate? Fingit igitur modestiam, non probat Sanderus: Sicut & jus, ubi merum est factum. ℞. ad. 2. Falsum est in Victore Asiaticos ullum jus, aut auctoritatem agnovisse: Nam ἀντιπαρακελεύοντο δῆτα αὐτῷ *contrarium ipsi jusserunt fieri;* ut Eusebius scribit: *Nec manus dare voluerunt,* ut nec Græci Nicolao. Intercessio Irenæi non fuit subjectionis, sed fraternæ admonitionis, ne sc. scandala ex arrogantia potestatis affectatæ suborirentur. Idem Eusebius. c. 22. recenset Synodos Asiaticas hac de re habitas, & laudat, *decretum Ecclesiasticum* ἐκκλησιαστικὸν δόγμα à Palæstinis Episcopis editum; Et Synodum οὗ προτετάκτο *cui præfuerunt* Theophilus Cæsareensis, & Narcissus Hierosolymitanus Episcopi. Nam quod Niceph. Chronol. p. 167. memorat Victorem Synodo in Palæstina celebratæ interfuisse, meritò repudiatur à Camerario in notis p. 170. Addit alias Synodos. Ex quibus omnibus apparet omnipotentiam papalem tum nondum fuisse receptam. Imprimis huc spectant literæ Irenæi ad Victorem satis cordatæ, in quibus notat nimium Papæ rigorem, & imitandum proponit Anicetum antecessorem ipsius, qui & ipse quidem dissensisset à Polycarpo, unionem tamen non scidisset in re adiaphora, De Episcopis Hierosolymitanis elogium observandum est ex fragmento apud Euseb. libr. 3. c. 26. προηγοῦνται πάσης Ἐκκλησίας ὡς μάρτυρες *veniunt & præsunt universæ Ecclesiæ, ut Martyres.* Non ergo statim oecumenicus est Pontifex, qui universæ Ecclesiæ præest; secus Hierosolymitani quoque forent. Anaclet. epistol. 2. t. 1. Concil. ingenuè fatetur: *Cæteri Apostoli cum eodem* (Petro) *pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumq; principem eorum esse voluerunt.*

runt. Etiamsi igitur Petrus principatum ordinis & *reverentiæ* obtineret, majorem tamen *potestatem* non accepit, quare nec majorem in successores suos derivare potuit. Nec, qui ad alterum literas scribit, & reprehendit, pro capite est censendus Ecclesiæ. Nam & Dionysius Corinthiorum Episcopus ad Pinytum Gnosiorum Episcopum literas dedit, ejusque intempestivum pro cœlibatu Zelum notavit. Euseb. IV. 23. qui tamen caput non erat quare nec fuit hoc Romanæ Ecclesiæ privilegium, cum scriberet ad Corinthiacam, eiq; in memoriam veram fidē revocaret: teste Iren. l. I c. 3. Nec genuinum est, certè ab aliis non receptum, decretum Anacleti t. 1. Concil. judicium: *Unaquæq; provincia tam juxta Ecclesiasticas, quam juxta seculi leges suos debet justos, & non iniquos habere judices, & non extremos, nisi Apostolicæ sedis hujus decreverit auctoritas.* Apostolicam sedem vocat auctor, quisquis est, à Petro Apostolo principe Apostolorum, quod idem narrat epist. 2.

§. 19. Administratio *bonorum Ecclesiasticorum* Præsidibus Ecclesiarum erat commissa. Sic enim Justinus Apolog. II. fol. 77. refert: *Qui copiosiores sunt, & volunt, pro arbitrio quisq; suo, quod visum est, contribuunt, &, quod ita colligitur, apud præpositum deponitur; atq; ille inde opitulatur pupillis & viduis, & his, qui propter morbum aut aliquam aliam caussam egent, quiq; in vinculis sunt, ut peregre advenientibus hospitibus, &, ut simpliciter dicam, indigentium is omnium curator est.* Hæc ille. Exemplum præbet Dionysius Corinthiacus in epistola ad Ecclesiam Romanam. Nam in ea laudat Romanos, & nomine quidem Soterem Episcopum urbis, *qui non tantum sanctis, quæ usus corporalis poscebat, impertiebatur; verum & advenientes fratres clementi satis & mitissimo solabatur alloquio, & tanquam pium se & religiosum Patrem exhibebat.* Euseb. l. IV. 23. Unde hos sumptus collegerint in dubio adhuc est. Videntur tamen ex liberalitate credentium, vel illis sese applicantium recepisse. Si quid epistolis Pontificum esset tribuendum, diceremus, prædia alias vendi solita, hoc seculo Ecclesiis esse donata, ex quorum reditibus ad Episcopos spectantibus fideles sustentabantur. Vide epist. 2. Pii, & I. Urbani. Nec licebat ea abalienare, si Anacleti sunt, quæ decrevisse traditur epist. 1. *qui Christi pecunias & Ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est.* t. 1. concil. Cura *librorum* iisdem incumbebat. Nam Melito Sardensium Episcopus eo

fine

& res.

fine in orientem est profectus, ut accuratam canonis V. Test. notitiam sibi compararet. Et Pantænus ex Indiis retulit Evangelium Matthæi, quod sine dubio in Bibliotheca Alexandrina reposuit insignis polyhistor.

(3.) *Adjuncta.* ut Conjugium

§. 20. Adjuncta (1.) *Cœlibatus & conjugium.* Ille honorificentior; hoc tamen non prohibitum, sed licitum, honestum, & usurpatum. Pinytus Cretensis Episcopus suos ad cœlibatum volebat adigere, sed Dionysius Corinthiorum Episcopus scripta ad ipsum epistola monuit *μὴ βαρὺ φορτίον ἐπ᾽ ἀνάγκης τὸ περὶ ἁγνείας τοῖς ἀδελφοῖς ἐπιτιθέναι ne grave onus castitatis fratribus ex necessitate imponeret, sed multitudinis accuratè consideraret imbecillitatem.* Euseb. IV. 23. Irenæus libr. 1. contra hæres. c. 9. laudat diaconum uxoratum confer Gerh. Loc. d. Minist. Eccles. §. 345. Unde merito Polydor. Virgil. lib. 5. de invent. c. 4. scribit: *Siricius* (vixit ann. Chr. 387.) *primus sacerdotibus & Diaconis conjugio interdixit:* Liberum ergo hoc quidem in seculo etiam Clero fuit matrimonium inire.

Honores.

§. 21. (2.) *Honores.* Insignes cum verbales tum reales ipsis exhibebantur. Ecclesia Lugdunensis in literis ad Eleutherium, *patrem* ipsum vocat: *Te in Deo omnibus in rebus perpetuo, pater Eleuthere, valere optamus.* Euseb. l. V. c. 4.

Fata.

§. 22. (3.) *Fata.* Persecutionibus divexabantur, ut vel ex solis Episcopis Hierosolymitanis patet, quorum vere triginta uno seculo absumpsit rabies persecutorum. Non autem dicendæ sunt persecutiones, cum fideles quibusvis Episcoporum jussis obedire detrectant; ut quidem Pseudo-Pontificibus in decretalibus suis utramque paginam hæc querela implet. Sed de persecutionibus infra dicemus.

Subjectio sub Magistratu.

§. 23. (4.) *Subjectio sub Magistratu politico.* De hac peroravit Justinus Apol. ad Anton. II. f. 50. *Vectigalia sane,* inquit, *& collationes eis, qui à vobis sunt ordinati exactoribus, præ omnibus ubiq; inferre contendimus, quemadmodum ab eo sumus instituti.* Confer Theoph. Antioch. libr. 1. contra Autol. Iren. libr. V. c. 24. citante Coccio in thesau. libr. VII. f. 783. verba sunt: *Dominus tributorum exactoribus jubet pro se, & pro Petro dare tributum.*

§. 24. (5.) *Conventus Ecclesiastici.* Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & potiores Laici solebant convenire in unum, & inter sese deli-

deliberare de rebus vel ad fidem, vel ad mores pertinentibus. *Etenim fideles per Asiam multis sæpenumero Asiæ locis ob hanc caussam conveniebant, & nuper natas doctrinas examinabant, & profanas pronunciabant, hæresinq; istam reprobantes, Ecclesia ejiciebant, & excommunicabant.* Euseb. libr. 5. c. 16. ex Apollinario. Certiora hæc sunt, quam quæ innuit Anacletus epist. 1. concil. tom. 1. de *sacerdotali judicio; deq; summorum congregata congregatione.* Qualia leguntur & in Alexandri. I. epistola. & ep. 2. t. 1. concil.

§. 25. (6.) *Translatio* An liceat relicta priore statione novam capessere? genuini hujus seculi auctores nihil, quod ego quidem meminerim, definiunt. Evarestus tamen Pontifex in epist. 2. sanxit, neminem Episcopum *Ecclesiam, ad quam sacratus est, absq; inevitabili necessitate, dimittere debere.* t. 1. concil. *Translatio.*

****

Articulus III.

De

SCRIPTURA FIDEI PRINCIPIO.

Sectionis I. Argumentum.

Scriptura Sacra *est principium fidei: Non Traditiones, nec Patres, nec Ratio, nec Miracula. Divinitus inspirata est; à Prophetis & Apostolis infallibili fide consignata; Criteria habet interna, & externa. Canon V. T. Finis: Attributa, claritas, efficacia, perfectio, harmonia, integritas; scriptio, versiones, Lectio.*

§. 1.

Ecclesia Catholica Seculi II. consensit cum Ecclesia Lutherana in capitibus fidei justificantis & salvantis. Tria autem consideranda sunt I. Principium. II. Summa. III. Articuli fidei Christianæ, sigillatim, παρέχοντος θεοῦ, *Deo duce,* recensendi & demonstrandi ex monumentis veterum hujus seculi scriptorum, quorum scripta adhuc supersunt, saltem in fragmentis.

I.
Principium fidei est *Scriptura.*

§. 2. I. *Principium fidei* ordinarium, quo Deus in colligenda, conſervanda, & ſalvanda Eccleſia ſua utitur, eſt verbum Dei in S. literis V. T. & N. T. comprehenſum. Ἐπειδὴ ἐκ ἀνθρωπείοις διδάγμασι κεκελεύσμεθα ὑπ' αὐτοῦ τοῦ χειστοῦ πείθεσθαι, ἀλλὰ τοῖς διὰ τῶν μακαρίων προφητῶν κηρυχθεῖσι, καὶ δι' αὐτοῦ διδαχθεῖσι, id eſt, *Siquidem non humanis traditionibus & doctrinis juſſi ſumus à Chriſto ipſo credere, ſed eis, quas beati Prophetæ promulgarunt, & ipſe Chriſtus docuit* : ait Juſtin. dial. cum Tryph. f. 207. συγγράμματα δὲ αὐτῶν ἔτι καὶ νῦν &c. *Libri vero eorum etjam nunc extant, quos ſi quis legat, eisq; fidem habeat, plurimum etiam inde ferat emolumenti de principiis, & de fide, & de aliis, quæ philoſophum ſcire oportet.* fol. 173. confer fol. 190. 215. 217. 241. edit. Sylburg. ſubſcribit Athenag. in legat. pro Chriſt. *nos*, inquiens, *ſententiæ fideiq; noſtræ teſtes habemus prophetas, qui Spiritu divino de Deo & rebus divinis diſſeruerunt.* Loqui hoc teſtimonium de ſcriptura fatetur Jod. Coccius theſ. cath. d. ſcript. art. 30. f. 749. Suffragatur Theophilus lib. 1. contra Autolyc. fol. 293. *Credo*, inquiens, ἐπιτυχὼν ἱεραῖς γραφαῖς τῶν ἁγίων προφητῶν, *incidens in ſacras ſcripturas prophetarum* : Irenæus libr. III. c. I. *Non enim per alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, poſtea verò per Dei voluntatem in ſcripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum.* Unde appellat *regulam veritatis.* libr. 2. c. 46. 47. & l. 4. c. 69. vocat κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ *canonem veritatis infallibilem* Et l. 5. f. 319. *confugere oportet ad Eccleſiam, & in ejus ſinu educari, & Dominicis ſcripturis enutriri. Plantata eſt enim Eccleſia paradiſus in hoc mundo. Ab omni ergo ligno paradiſi eſcas manducatis, ait ſpiritus Dei,* i. e, *ab omni ſcriptura Dominica manducate.* Hominibus in rebus fidei credendum non eſt, ſed ſolis ſcripturis. *Non enim magis idonei hi, quam ſcripturæ, nec relinquentes nos eloquia Domini, & Moſen, & reliquos Prophetas, qui veritatem præconiaverunt, his credere oportet.* l. II. cap. 59. Talia hinc inde multa emblemata in hujus Irenæi ſcriptis occurrunt, ut merito Chemnitius noſter de ipſis judicarit: *Sunt libri illi lectu digniſſimi, quia fundamentaliter diſputant de primis principiis Chriſtianæ fidei. Hæretici enim tunc rejiciebant ſcripturas, & ſua etiam abſurdiſſima deliria obtrudebant Eccleſiis nomine traditionum Apoſtolicarum. Exponit igitur, quæ ſit vera traditio ab Apoſtolis commendata Eccleſiæ, nempe cujus ſumma comprehenſa eſt in Symbolo (Nam ferè totidem verbis recitat ſymbolum) & dicit illam traditionem in omni-*

bus

bus Ecclesiis Apostolicis eandem esse. Huic addit textum scripturæ & multis ostendit, quæ scripta Apostolorum sint Canonica. Sumit igitur illa duo, traditionem seu Symbolum, & textum scripturæ, & quod cum his non convenit, rejicit tanquam hæreticum. Hactenus Chemnitius de Irenæo.

§.3. *Traditiones* igitur ad scripturam examinandæ sunt, ut non prius recipiantur, quam illis congruere deprehendantur; sin incongruæ, rejiciantur. Locus Justini paulo ante allegatus satis clarè hæc confirmat. Et addi potest, quod idem f. 289. contra Judæos traditionarios: & Theoph. l. 2. contra Autol. f. 322. scribit. *Cæterum,* inquiens, *Creatorem & opificem altoremq; omnis spiritus irritum faciunt, & vilipendunt mortales, nec recusant obtemperare vanis dogmatibus* διὰ πλάνης πατροπαραδότου γνώμης ἀσυνέτου *secuti stultam à parentibus traditam sententiam.* Irenæus libr. III. c. 2. disputat contra hæreticos, qui traditiones, spretis scripturis, urgebant. *Cum enim,* inquit, *ex scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum, quasi non rectè habeant, neq; sint ex auctoritate, & quia variè sunt dictæ, & quia non possit ex iis inveniri veritas ab iis, qui nesciant traditionem. Non enim per literas traditam illam, sed per vivam vocem.* Præclarus hic locus: Docet enim Patres hujus seculi contra hæreticos disputasse ex scripturis, scripturam igitur habebant pro idonea, ex quâ redarguerentur & convincerentur hæretici; Hos autem, cum non haberent convicti, quod responderent, ipsas scripturas in dubium revocasse, quasi corruptas, aut divinitus non inspiratas, & ambiguas, ut sensus ex ipsis certus haberi non posset, nisi traditiones hermeneuticæ, ut vocant, accederent. *Quia enim de cogitatione eorum, qui contraria opinantur de Patre, nihil apertè, neq; ipsa dictione, neq; sine controversia in nulla omnino dictum sit scriptura, & ipsi testantur, dicentes: in absconso hæc eadem salvatorem docuisse non omnes, sed aliquos discipulorum, qui possunt capere, & argumenta, & ænigmata, & parabolas ab eo significata intelligentibus,* libr. II. cap. 46. His igitur Irenæus contradicens statuit scripturas non esse corruptas, mutilas, aut imperfectas; Esse divinitus inspiratas, esse claras, ut sine viva traditione sensus inde certus & liquidus haberi possit. Traditiones igitur & dogmaticas & hermeneuticas, nisi congruunt cum scripturis, rejicit Irenæus. Illustrari potest ex quadam ejusdem ad Florinum epistola, in qua de traditionibus quidem agit à Polycarpo propagatis, sed addit: ἀπήγγελε πάντα σύμφωνα ταῖς γραφαῖς, *annunciavit omnia*

Non Traditiones.

consona scripturis. Hæc vero non eo fine diximus, quasi omnino traditiones rejiceremus, e.g. Non rejicimus eā, quæ est Ecclesiæ tradentis S. scripturas. *Nam quod etiamnū apud Judæos pietatis nostræ libri asservantur, divinæ id de nobis opus est providentiæ: Ne n. ex Ecclesia eos proferentes occasionem, quasi suppositi à nobis aut corrupti sint, maledictis nos incessere volentibus præbeamus,* ἀπὸ τῆς τῶν Ἰουδαίων συναγωγῆς ταύτας ἀξιοῦμεν προκομίζεσθαι. i.e. *ex illorum synagoga producimus,* ἵνα ἀπ᾽ αὐτῶν τῶν ἔτι παρ᾽ αὐτοῖς σωζομένων βιβλίων, *ut ex ipsis huc usq; apud eos conservatis libris ad nos nostramq; doctrinam à sanctis viris edita jura liquido & manifesto pertinere appareat.* Justin. Parænes. f. 11. & Theophil. l. 3. contra Autolyc. fol. 341. *Ab his,* inquit, Judæos putat, *accepimus sacros libros, qui vetustate superant omnes profanos scriptores.* At hinc non sequitur Ecclesiam Judaicam esse rerum credendarum Dominam: *Si quis eorum, qui temerè contradicere consueverunt, nobis objiciat: non nostros hos esse, sed Judæorum libros, eo quod ad hoc usq; tempus in synagogis eorum asserventur, & per vanitatem nos jactare, religionem ex eis hausisse, dicat, is scire debet, ex rebus ipsis, quæ in libros hosce sunt relatæ, non ad Judæos, verum ad nos Christianos doctrinam eorum pertinere:* ait idem l. c. Justinus. Nec igitur sequitur Ecclesiam Judaicam esse infallibilem in aliis, quæ tradit: Secus Justinus Judæos in dialogo non refutasset. Vide B. Chemnit. part. 1. exam. p. m. 112. seqq. Dn. D. Dannh. Aristotel. recid. disp. 1. p. 26. seqq.

Non Patres: §. 4. *Patres* non sunt Principium fidei. Justinus enim quæstionum 119. Patribus in contrarium objectis opponit & præfert *Beatum Apostolum* Paulum τὸν τῶν πατέρων πατέρα *patrum patrem.* Nec obstat, quod Bellarminus de script. Eccles. pag. 48. §. 150. librum hunc Justino abjudicet. Nam ut genuinum Justini fœtum allegat ipse in libris controversiarum, ut probet baptismum Johannis non habuisse efficaciam, quam habet baptismus Christi d. bapt. c. 21. Catechumenos debere ungi ante baptismum. cap. 25. Confirmationem esse sacramentum. d. confirm. cap. 5. Christum Dominum corpus suum solidum per aliud solidum introduxisse libr. 3. d. Euchar. c. 6. Quod si omnino cogitationibus Bellarmini posterioribus adeoque melioribus standum, loquatur genuinus Justinus in παραιν. ad Græc. fol. 25. οὐδὲν γὰρ ἔσται παρ᾽ ὑμῶν οὐδ᾽ περὶ τοὺς προγόνους ὑμῶν πλημμελὲς, εἰ εἰς τὴν ἐναντίαν τρέπεσθαι νυνὶ τῆς ἐξ ἐκείνων βούλεσθε πλάνης. *Nullum enim vestrum in majores vestros exstabit delictum, si in contrariam illo-*

rum

rum errori ſententiam pedibus ire voletis: quos par eſt apud inferos nunc ſeram nimis pœnitentiam pœnitentes, in gravi eſſe luctu. Hæc ille. Et mox: Ἀκόλουθον ὑμῖν ἐστι λοιπὸν τὴν τῶν προγόνων ὑμῶν ἀποστάντας πλάνην ἐντυγχάνειν ταῖς τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν προφητείαις: *reliquum de cœtero fuerit, ut remiſſo majorum veſtrorum errori nuncio, ſanctorum virorum legatis vaticinia, non ſplendorem orationis ab eis petentes, quod non in dictis, ſed in factis res noſtræ religionis conſiſtant, & ex ipſis ea percipiatis, per quæ vitam poſſitis conſequi ſempiternam.* Eadem habet mox ab initio παραινέσεως. f. 1. imo, citante Irenæo lib. IV. c. 14. *in eo libro, qui eſt ad Marcionem, ait: Quoniam ipſi quoq; Domino non credidiſſet alterum Deum annuncianti, præter fabricatorem, & factorem, nutritorem noſtrum.* Imitatus hac in fiducia Paulum, qui vel Angelo de cœlo aliud Evangelium annuncianti anathema dicit. Gal I. 9. Quanto minus auctoritate hominum, ſecus docentium, erit ſtandum?

§. 5. *Ratio* non eſt principium fidei. Juſtin. d. fide & conf. p. m. 297. agens de Trinitatis myſterio, negat rationem eſſe audiendam: *Tametſi enim mens pura in nobis ſedem ſuam habeat, per quam non raro ea, quæ ſupra nos ſunt, ratione comprehendimus; attamen, quæ ei conjuncta eſt, carne aggravata* ἀτονεῖ τὴν ἐναργῆ τῶν μειζόνων κατάληψιν *infirmior redditur, quam ut rerum majorum manifeſtam aſſequatur cognitionem.* Quod ſi cui recentius Juſtino videatur hoc ſcriptum, audiat Tatianum in oratione contra gentes: τὰ τῆς ἡμετέρας παιδείας ἐστὶν ἀνωτέρω τῆς κοσμικῆς καταλήψεως, *Myſteria noſtræ fidei altiora ſunt, quam ut à ſapientia mundana capiantur.* Non ratio:

§. 6. *Miracula* non ſunt principium fidei, ſed examinanda ad verbum Dei, ſi ab hoc abducunt ad errores, rejicienda ſunt. Irenæus lib. II. c. 57. *Super hæc arguentur, qui ſunt à Simone & Carpocrate, & ſi qui alij virtutes operari dicuntur, non in virtute Dei, neq; in veritate, neq; in beneficiis hominibus facientes ea, quæ faciunt, ſed in perniciem & errorem per magicas eluſiones, & univerſa fraude plus lædentes, quam utilitatem præſtantes iis, qui credunt eis in eo, quod ſeducant.* Confer lib. 1. c. 8. 9. 12. lib. II. c. 58. Imo etiam miracula Chriſti reſolvit in fidem ſcripturarum lib. 2. c. 58. *Si autem & Dominum per phantaſmata hujuſmodi feciſſe dicunt, ad Prophetica reducentes eos, ex ipſis monſtrabimus omnia ſic Deo & prædicta eſſe, & facta firmiſſime.* Fundatur in 2. Petr. I. 19. Non miracula:

§. 7. Scriptura eſt divinitus inſpirata. Juſtin. dial. Tryph. f. 173.

II. *Caussæ:* principalis.

fol. 173. *Extiterunt quidam ante multa tempora omnibus istis, qui habiti sunt philosophis longe vetustiores, beati, justi, Dei amantes, Deoq; ipsi chari homines,* θείῳ πνεύματι λαλήσαντες *divini spiritus afflatu loquentes, & futura vaticinantes, quæ nunc ad rem conferuntur, prophetas eos vocant. Hi soli, quid in vero sit, & viderunt, & hominibus renunciarunt, neq; observantes, neq; metuentes quenquam, neq; gloriæ cupiditate victi. Ea quippe duntaxat sunt prolocuti, quæ audiverunt & viderunt* ἁγίῳ πληρωθέντες πνεύματι, *Spiritu Sancto repleti; Libri vero eorum etiam nunc exstant.* Irenæus lib. IV. c. 3. Mosis & Christi verba eadem facit ex Johan. V. 46. *Mosi literæ verba sunt Christi; Mosi literæ Christi sunt sermones. Ergo si Mosi, & reliquorum sine dubio prophetarum sermones ipsius sunt, quemadmodum demonstravimus.* Et c. 24. *Quomodo autem scripturæ testificantur de eo, nisi ab uno & eodem Deo omnia semper per verbum revelata & ostensa fuissent credentibus.* & l. 2. c. 47. *Credere autem hæc talia debemus Deo, qui & nos fecit, rectissimè scientes, quia scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe à verbo Dei, & spiritu ejus dictæ.* Athenagoras leg. pro Christ. *Nos*, inquit, *sententiæ fideiq; nostræ testes habemus Prophetas, qui spiritu divino de Deo & rebus divinis disseruerunt.* Theophil. lib. 2. contra Autolyc. f. 302. & 313. διδάσκουσιν ἡμᾶς αἱ ἅγιαι γραφαὶ, καὶ πάντες οἱ πνευματοφόροι, *docent nos sacræ literæ, & omnes à Spiritu Sancto inspirati.* Quos dividit in ministros V. T. & N. T. *De justitia*, inquiens, *quam lex suggerit, non dissimilia videre est in Prophetis & Evangelistis,* διὰ τὸ τοὺς πάντας πνευματοφόρους ἑνὶ πνεύματι θεοῦ λελαληκέναι, *quia utriusq; Test. ministri uno eodemq; spiritu inspirati, loquuti sunt.* confer 318. 339. 344. Hæc ille. Frequens est in hoc fidei articulo Irenæus, quia res ipsi erat cum hæreticis, qui alium V. testamenti Deum somniabant, quam Novi: Ostendendum igitur fuit eundem esse Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, qui per Prophetas & Apostolos locutus sit. Ex professo tractasse argumentum videtur Tatianus in libro, quem scripsit *contra eos, qui rebus divinis simplicem fidem detrahunt,* cujus ipse meminit oratione contra Græc. fol. 219. orthod. Patrum.

Ministerialis

§. 8. *Ministri* Spiritus Sancti revelationem non tantum exactè perceperunt, sed etiam fideliter in literas retulerunt: Organa fuisse Justinus Cohort. 1. ad Græc. f. 7. auctor est, docens: *divinam è cœlo plectrum descendens, quasi instrumento quopiam citharæ alicujus vel lyræ viris justis utens, divinarum nobis & cœlestium rerum cognitionem revelavit.*

Et

Et Theophil. lib. II. contra Autolyc. f. 301. οἱ δὲ τοῦ θεοῦ ἄνθρωποι πνευματοφόροι πνεύματος ἁγίου, καὶ προφῆται γενόμενοι, ὑπ' αὐτοῦ τοῦ θεοῦ ἐμπνευσθέντες καὶ σοφισθέντες ἐγένοντο θεοδίδακτοι καὶ ὅσιοι καὶ δίκαιοι, διὸ καὶ κατηξιώθησαν τὴν ἀντιμισθίαν ταύτην λαβεῖν, ὄργανα θεοῦ γενόμενοι καὶ χωρήσαντες σοφίαν τὴν παρ' αὐτοῦ &c. i. e. *Dei homines pleni Spiritu Sancto & à Deo inspirati institutiq; Prophetæ ordinati sunt. Proinde fuere à Deo docti, sancti, justiq; : Quapropter digni habiti sunt, ut essent organa Dei, à quo accipientes sapientiam vaticinati sunt, de creatione mundi, & de reliquis omnibus.* De Prophetarum fide modo ex Justino audivimus : μόνα ταῦτα εἰπόντες ἃ ἤκουσαν, καὶ ἃ εἶδον: *Sola ea dixerunt, quæ audiverunt & viderunt*; & paulo ante : οὗτοι μόνοι τὸ ἀληθὲς καὶ εἶδον καὶ ἐξεῖπον ἀνθρώποις : *hi soli veritatem & viderunt, & renunciarunt hominibus. Modus* inspirandi & vaticinandi fuit placidus, non monstrose inquietus, ut in Montano & prophetissis ejusdem, contra quem ex hoc fundamento disputat Miltiades. Cum enim ille *furore percitus, & ex inscitia quadam voluntaria ordiens, in insaniam animi inter prophetandum delaberetur*, hinc arguit Miltiades malum dæmonem exagitare Montanum. *Neq; enim quenquam V. T. prophetam, neq; quenquam novi ostendi posse, qui insano spiritu ad hunc modum fuerint aliquando exagitati.* Euseb. V. 16. histor. De Apostolis audiamus Irenæum lib. III. c. 1. *Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei nostræ futurum. Nec enim fas est dicere, quoniam ante prædicaverunt, quam perfectam haberent agnitionem, sicut quidam audent dicere, gloriantes emendatores se esse Apostolorum. Postea enim quam surrexit Dominus noster à mortuis, & induti sunt, superveniente Spiritu Sancto, virtute ex alto, de omnibus adimpleti sunt, & habuerunt perfectam agnitionem* &c. subdit Evangelium prædicatum ab illis ipsis, & in literas relatum; concludit: *Omnes isti unum Deum factorem cœli & terræ à lege & prophetis annunciatum, & unum Christum filium Dei tradiderunt nobis : quibus si quis non assentit, spernit quidem participes Domini, spernit autem & ipsum Christum dominum, spernit verò & patrem, & est à semetipso damnatus, resistens & repugnans saluti suæ, quod faciunt omnes hæretici.* Hactenus Irenæus. Ex quibus elucet, quod Dei & hominum una fuerit actio, cum Evangelium prædicaretur & scriberetur, ut non hominibus tantum, sed Deo ipsi resisteret, qui credere non vellet revelata. Fidelissimè igitur perceperunt & retulerunt voce & scriptis, quod Spiritus Sanctus

ctus revelarat. *Apostoli discipuli veritatis existentes, extra omne mendacium sunt*, ait idem c. 5. & probat de singulis c. 13.

Criteria I. interna. (1.) *Majestas.*

§. 9. *Criteria* divinitatis scripturæ cognoscendæ alia sunt interna, alia externa. Interna, ut (1.) *majestas mysteriorum*, quæ nullus intellectus humanus excogitare potuisset: *Neq; enim vel natura, vel ingenio humano res tam sublimes & divinas hominibus cognitione assequi est possibile; sed eo, quod tum cœlitus in viros sanctos descendit, gratuito opus est dono:* Justin. parænes. 1. ad Græc. fol. 7.

(2.) *Harmonia.*

(2.) *Harmonia.* Vixerunt Prophetæ & Apostoli diversissimis temporibus & locis, & tamen de rebus supra rationis captum constitutis eodem modo scripserunt. *Quamobrem tanquam ore & lingua una de Deo, de mundo condito, de hominis creatione, de animæ humanæ immortalitate, de futuro post hanc vitam judicio, & de omnibus, quæ nos scire opus est, consentaneo & convenienti inter se consensu docuerunt, atq; hoc sic illi* καὶ ταῦτα ἐν διαφόροις τόποις τε καὶ χρόνοις τὴν θείαν ἡμῖν διδασκαλίαν παρεσχηκότες, *variis & temporum & locorum intervallis dissiti divina disciplina tradenda præstiterunt.* Justin. Parænes. I. f. 7. Et Theoph. lib. 2. contra Autolyc. f. 301. *Prophetæ*, inquit, *profectò omnes* σύμφωνα εἰρήκασι, *adeo consonantia inter se dixerunt, de præteritis, de præsentibus, quæ nunc fiunt,* διὸ καὶ πεπείσμεθα καὶ περὶ τῶν μελλόντων οὕτως ἔσεσθαι, *ut non dubitemus de futuris, quin sint eventura, quemadmodum priora contigerunt omnia.* fol. 339. 324. addit *ruditatem* eorundem, quæ fuerit prius quam à Spiritu S. illuminarentur, ut vel hinc pateat de suo illos non scripsisse. confer §. 16.

(3.) *Prophetia:*

(3.) *Veritates Propheticæ.* Justin. dial. cum Tryph. f, 173. *Et quæ evenerunt, & quæ eveniunt, necessitatem secum afferunt assentiri eis, quæ ab illis sunt dicta.* Multum huic argumento tribuit Justinus: ut apparet ex Apol. II. f. 56. in quâ provocat ad ipsos gentiles ἥπερ μεγίστη καὶ ἀληθεστάτη ἀπόδειξις καὶ ὑμῖν, ὡς νομίζομεν, φανήσεται, *quæ certè maxima & verissima vobis quoq;, ut arbitramur, videbitur esse probatio.* Hæc ille. In eandem sententiam Theophilus lib. 1. contra Autolyc. f. 293 orthod. Patr. scribit: *Fidem meam plurimum adjuvarunt literæ sacræ, quas legi, inprimis tamen prophetarum oracula* οἳ καὶ προεῖπον διὰ πνεύματος θεοῦ τὰ προγεγονότα, ᾧ τρόπῳ γέγονε, καὶ τὰ ἐνεστῶτα τίνι τρόπῳ γίνεται &c. *quam Spiritu Sancto afflati prædixere, plurimum mihi contulere. Nam præterea non secus ac evenere, prædixerunt, similiter & præsentia nec non futurorum quis modus, quisve ordo futurus sit, præmonuere,* ἀπόδειξιν οὖν λαβὼν τῶν γινομένων καὶ προαναπεφωνημένων οὐκ ἀπιστῶ, *confirmatus*

matus igitur ex iis, quæ prædicta sunt à Prophetis, & contigere, non amplius hæsito, sed Deo fidem habeo, lubenti animo ei obtemperans. Repetit libr. 2. fol. 322. (4) *Indoles styli.* Simplicissimè enim veritatem admirandam propoluerunt, *minime namq; tum illi* μετὰ ἀποδείξεως πεποίηνται τότε τοὺς λόγους *per demonstrationes scripta sua composuere.* Justin. dial. f. 173. *Breves ejus* (Christi) *& compendiosi fuere sermones; non enim Sophista & cavillator exstitit, sed virtus Dei.* Apol. II. f. 47. & Tatianus contra Græc. f. 211. orthod. Patr. *Cum diligenter,* inquit, *circumspicerem, in libros quosdam barbaros incidere mihi contigit, antiquiores multo, quam Græcorum philosophia, si spectes ætatem; & angustiores, seu diviniores, si illorum errores* καί μοι πεισθῆναι ταύταις συνέβη *his ego fidem adhibui, quod stylus non esset phaleratus, nec ulla scriptorum affectatio, & sermo nusquam obscurus; futurorum item eventuum prænotione, & magnitudine promissionum, & quod unum universorum Monarcham statuerent impulsus.* Præclarè dictum. Agit enim de motivo fidei, & illud constituit non miracula non auctoritatem Ecclesiæ, non consensum Patrum, sed S. scripturam; hanc autem divinam esse & verbum Dei colligit ex ipsa scriptura, & rebus in ea contentis. (5.) *Vis & Efficacia.* Justin. Paræneſ. II. fol. 51. *Hæc me* (gentilem quondam) *ceperunt* τό τε τῆς παιδείας ἔνθεον, καὶ τὸ τοῦ λόγου δυνατόν *& doctrinæ vis divina, & sermonis efficacia.* Ecce iterum exemplum alicujus pridem infidelis Ethnici, quem divinitatem scripturæ, & veritatem Christianismi nulla docuit Ecclesia miraculis, successione, amplitudine illustris, sed ipsum Dei verbum in S. literas relatum.

(4.) Stylus.

(5.) Efficacia.

§. 10. Criteria externa sunt (1.) *Consensus adversariorum*, ut gentilium, qui mysteria sua suffurati sunt ἐκ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν *ex lege & Prophetis.* ait Theoph. l. 3. contra Autolyc. f. 328. confer Tatian. contra gent. fol. 219. Justinum Paræneſ. I. contra Græc. fol. 12. seqq. (2.) *Miracula.* Justin. dial. f. 173. urget hoc argumentum: *Quin & propter virtutes,* inquiens, *& miracula quæ edidere* (scriptores) πιστεύεσθαι δίκαιοι ἦσαν *ut eis crederetur, digni reperti sunt.* (3.) *Antiquitas.* Multi sunt in hoc argumento Patres in controversiis contra gentiles. Justin. Paræneſ. f. 7. ex gentilium monumentis ipsis pollicetur sese demonstraturum omnibus ipsorum, *sive sapientibus, sive historicis, sive philosophis, & legislatoribus* πολλῷ πρεσβύτατον γεγονέναι τὸν πρῶτον τῆς θεοσεβείας διδάσκαλον ἡμῶν Μωϋσῆ γεγονότα, *longe vetustiorem exstitisse primum*

(2.) Externa.
1. Cõsensus.
2. Miracula.
3. Antiquitas

mum

mum pietatis doctorem Mosen. confer Theoph. lib. 3. contra Autol. f. 212. Irenæus aliud addit libr. V. f. 333. Disputans enim de numero Apocalyptico provocat ad antiquissima exemplaria, & traditionem: *His autem,* inquiens, *sicse habentibus & in omnibus antiquis & probatissimis, & veteribus scripturis numero hoc posito, & testimonium perhibentibus iis, qui facie ad faciem Johannem viderunt, & ratione docentibus* &c. Hæc ille.

Canon V. T. §. II. *Canon* Sacrarum literarum Veter. T. apud Christianos idem est, qui apud Judæos. Illustre est testimonium Melitonis, qui in quodam suo libro τῶν ὁμολογουμένων τῆς παλαιᾶς διαθήκης γραφῶν ποιεῖται κατάλογον *librorum Vet. T. qui sunt omnium consentiente auctoritate comprobati, catalogum citat.* Euseb. IV. 25. Didicit autem hunc catalogum ἀκριβῶς *accurate* in oriente, quo profectus erat, & retulit hunc: *Mosis quinq; Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesus Nave, Judices, Ruth, Regum, seu regnorum libri quatuor, Paralipomenon duo, Psalmi Davidis, Salomonis Proverbia, Sapientia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Job, Prophetarum libri, Esaiæ, Jeremiæ, & XII. Prophetarum scripta in uno libro separatim contenta, Daniel, Ezechiel, Esdras.* Hactenus Melito. Versio est Christophorsoni Pontificii. Quare non mireris *Sapientiam* Salomoni adscriptam. Distinguit ille, sicut & Bell. de V. D. lib. 1. c. 13. quæ Melitoni idem sunt, Salomonis Proverbia & Sapientia idem liber sunt, diversis tantum nominibus expressus: Id quod non tantum ex articulo præfixo conjicimus, sed aperte colligimus ex Niceph. lib. IV. c. 10. ubi sic legimus: Σολομῶνος παροιμίαι ἡ σοφία, *Salomonis Proverbia sive Sapientia*, ut Ruffinus Eusebii locum vertit, & Eusebius ipse innuit c. 22. οὐ μόνος δὲ οὗτος, ἀλλὰ καὶ Εἰρηναῖος, καὶ πᾶς ὁ τῶν ἀρχαίων χορὸς πανάρετον σοφίαν τῆς Σολομῶνος παροιμίας ἐκάλουν: *Porro autem non hic solus, sed Irenæus, & tota veterum turba proverbia Salomonis appellabant sapientiam omni virtute refertam.* Versio Ruffini hunc quoque locum pervertit. Vide Cham Panstr. t. 1. libr. 5. c. 15. §. 6. melior est Christophorsoni: *Porro non hic solus, sed Irenæus, & tota veterum turba Proverbia Salomonis librum esse præclara eximiaq; sapientia refertum affirmabant.* Atque hæc forsan caussa est, quod Jodocus Cocc. thes. Cath. de script. art. 9. non ausus fuerit ad Melitonem, ut alios, provocare, quod non omisisset, si quid præsidii in eo testimonio invenisset. Revertimur in viam. Ex catalogo Melitonis apparet tum temporis apocryphos fuisse habitos eosdem libros quos

quos orthodoxa nostra Ecclesia hodie habet. Atq; utinam exstaret genuinus Egesippus, quem Euseb. l. IV. hist. c. 21. refert disseruisse περὶ τῶν λεγομένων ἀποκρύφων *de apocryphis sic dictis libris*, etiam iis, quos hæretici supponebant. Distinctio Pontificiorum inter canonem Judęorum & Christianorum nullum fundamentum habet in narratione Eusebii de canone Melitonis, nec alibi locorum. Reportavit enim, nec alium, canonem eorum librorum, qui in confesso sunt canonici, puta apud Judæos & Christianos, ex ipso oriente. Nec favet Pontificiorum Canoni ullus in hoc toto seculo scriptor; primum enim, quod adducere solent, testimonium est Concilii Carthaginensis III. habiti anno 397. juxta Jod. Coccium thes. Cathol. d. script. art. 4. f. 608. altius nec ipse, nec Becanus, nec Bellarminus, nec alii adscenderunt. Stylus in authentico V. T. Codice est Hebræus. Sic enim Justinus Apol. II. f. 56. *Fuere quidam apud Judæos, Prophetæ Dei, per quos Spiritus propheticus, quæ futura erant, antequam fierent, pronunciavit: atq; horum vaticinia, qui temporibus suis in Judæa fuere Reges, ita ut ederentur promulgata* τῇ ἰδίᾳ αὐτῶν Ἑβραΐδι φωνῇ ἐν βιβλίοις ὑπ᾽ αὐτῶν τῶν προφητῶν συντεταγμένα κτώμενοι *& vernacula Ebræorum voce in libris per ipsos prophetas compositis perscripta sunt, conservarunt. Græci igitur V. T. libri canonici non sunt.*

§. 12. *Finis* scripturæ est *nostri informatio.* Id quod ex Rom. XV. 4. probat Irenæus lib. IV. cap. 45. f. 255. *Similiter*, inquiens, *& plebis prævaricationes videns descriptas esse, non propter illos, qui tunc transgrediebantur, sed in correptionem nostram, & ut sciremus, unum & eundem Deum, in quem illi delinquebant* &c. & lib. III. c. 15. ex Luc. I. 4. exponit finem Evangelii à Luca conscripti, nempe, *ut regulam veritatis inadulteratam habentes, salvari possint.* confer Theophil. lib. 3. contra Autolyc. f. 334. Informationi & salvationi accedit convictio, cujus exemplum præbet quidam Trypho Judæus. Cum enim Justinus ex S. literis demonstrasset præexistentiam Filii Dei, Trypho infit: ὅτι μὲν ἡ γραφὴ τοῦτο ἀναγκάζει ὁμολογεῖν ἡμᾶς, φαίνεται, *quod scriptura cogat nos hoc confiteri, apparet.* f. 217. Irenæus l. 5. f. 312. *Utens etiam iis ostensionibus, quæ sunt ex scripturis, facile evertis, quemadmodum demonstravimus, omnes eas, quæ postea afflictæ sunt, hæreticorum sententias.* Finalis.

§. 13. *Attributa* scripturæ sunt (1.) *Claritas*, cum in se, tum quoad nos, quos legitimis mediis adhibitis illuminat. Justin. dial. cum Tryph. f. 213. *Advertite animum*, inquit, *ad ea, quæ ex sanctis scri-* III. *Attributa.* (1.) Claritas.

 pturis

pturis commemorabo οὐκ ἐξηγηθῆναι δεομένων, ἀλλὰ μόνον ἀκουσθῆναι, *& non explicatione aliqua, sed audientia duntaxat opus habeant.* Vanum igitur est Pontificiorum effugium, scripturas tum demum esse claras, si fuerint declaratæ; Nam Justinus ait, *declaratione non opus habere.* Irenæ. l. 2. c. 46. *Universæ,* inquit, *scripturæ & Propheticæ & Evangelicæ in aperto, & sine ambiguitate, & similiter ab omnibus audiri possunt.* libr. 3. c. 2. idem reprehendit hæreticos, quod scripturas *accusent obscuritatis.* Theophil. l. 1. contra Autolyc. sub fin. f. 294. orth. Patr. *Consule,* inquit, *sacras literas,* καὶ αὐταί σε τρανότερον ὁδηγήσουσι, *& ille majore evidentia te instituere possunt,* scilicet, quam ego, vel Ethnici Philosophi, qui tamen hactenus scripturas adduximus & usurpavimus. Rhodon Tatiano in hac ipsa quæstione (de claritate scripturæ) fortiter sese opposuit. Cum enim hic *polliceretur se sacras literas involutas & obscuras esse demonstraturum; iste contra, se easdem quæstiones in libro separato perspicuè soluturum* promittebat. Euseb. hist. lib. 5. c. 13. Requi-
Ejus media. rit tamen, quod non diffitendum, claritas hæc certa *media,* per quæ lumen scripturæ ad nos deferatur: ut sunt preces. *At tu votis & precibus tibi ante omnia lucis portas aperiri opta: Neq; enim ab aliquibus perspiciuntur atq; intelliguntur, præterquam sicuti Deus, & Christus ejus concesserint intelligentiam:* monet nescio quis Justinum dial. cum Tryph. f. 173. & fol. 271. *Num putatis, ô viri, nos unquam hæc in scripturis intelligere potuisse, nisi voluntate Dei, ut ista intelligeremus, voluntatis gratiam accepissemus.* Idem dixerat. f. 217. Sit quoque animus legentis non malignus: *Ne putemur fugere illam, quæ ex scripturis Dominicis est, probationem; ipsis scripturis multo manifestius & clarius hoc ipsum prædicantibus, his tamen, qui non pravè intendunt eis:* ait Iren. l. 2. c. 66. Et Theophil. l. 2. contra Autolyc. f. 323. *Si quis ea* (à Prophetis scripta) *scire gestit, prophetarum januæ patent, hos legat accedens mente pura & exactè veritatem ipsam cognoscat* μὴ παραγινέσθω ἀπὸ διανοίας καὶ ματαιοπονίας· Inepti igitur sunt Pontificii, qui subordinata hæc opponunt, scripturæ intelligendæ media ipsi scripturarum claritati, & defectum tribuunt scripturæ, si cœcutiunt homines, cum potius malitiæ hominum tribuenda esset culpa, *qui ad tam lucidam adapertionem cœcutiunt oculos, & nolunt videre lumen prædicationis, sed constringunt semetipsos, & per tenebrosas parabolarum absolutiones unusquisq; eorum proprium putat invenisse Deum.* c. 46. Id tamen non eo intellectum volumus, quod putemus omnia

in S. literis esse clara: Sunt quædam obscura, sed ex clarioribus locis explicanda, aut certè, si explicari non possint, Deo committenda: *Si ergo secundum hunc modum, quem diximus, quædam quidem quæstionum Deo commiserimus, & fidem nostram servabimus, & omnis scriptura à Deo nobis data consonans nobis invenietur, & parabolæ iis, quæ manifestè dicta sunt, consonabunt, & manifestè dicta absolvent parabolas &c.* ait idem. c. 47. f. 117. & cap. 49. f. 118. 119. Frustra igitur est Bellarm. lib. III. V. d. c. 1. *cum hunc locum pro obscuritate S. literarum allegat. de quo infra.*

§. 14. (2.) *Efficacia.* Scriptura in debito suo usu constituta efficaciam suam exserit erga legentes. Refert Justinus Martyr dial. cum Tryph. f. 173. 174. de sua conversione, quod audita nescio cujus forsan angeli catechesi confestim in animo suo ardor excitatus sit, & amor ipsum invaserit prophetarum, & virorum illorum, qui Christo cari sunt atque amici: Ac revolvens ipse secum disputationem illius ταύτην μόνην εὕρισκον φιλοσοφίαν ἀσφαλῆ τε καὶ σύμφορον, *hanc ipsam solam invenerit esse certam atque utilem philosophiam.* Tatianus contra Græc. f. 211. id ipsum suo comprobat exemplo, nempe quomodo in scripturas inciderit, legerit, divina cognitione initiatus sit atque persuasus. (2.) Efficacia.

§. 15. (3.) *Perfectio.* Scriptura, quantum viatores opus habemus, perfecta est. Unde Justinus dial. cum Tryph. fol. 193. pollicetur *ex sanctis & propheticis literis* τὰς πάσας ἀποδείξεις *omnes demonstrationes sese facturum.* Et fol. 243. iniquum putat *sacras literas posthabere, & non easdem scripturas semper allegare,* ἀλλ᾽ ἡγεῖσθαι ἑαυτὸν βέλτιον τῆς γραφῆς συνιέντα εἰπεῖν. *Sed seipsum melius quidquam, quam sanctas literas, invenire, & eloqui posse existimare.* Theoph. lib. 3. contra Autolyc. f. 335. Lex, innuit, *cum in multa peccata sit diffusa, mirabiliter* πάσαν δικαιοσύνην, *universam justitiam continet.* Iren. libr. II. c. 47. *Habentes itaque regulam ipsam veritatem, & in aperto positum de Deo testimonium, non debemus per quæstionum declinantes in alias atque alias absolutiones ejicere firmam & veram de Deo sententiam.* Et lib. 1. c. 1. τοιαύτης τῆς ὑποθέσεως αὐτῶν οὔσης, ἣν οὔτε προφῆται ἐκήρυξαν, οὔτε ὁ Κύριος ἐδίδαξεν, οὔτε ἀπόστολοι παρέδωκαν, ἣν περὶ τῶν ὅλων αὐχοῦσι πλεῖον τῶν ἄλλων ἐγνωκέναι, ἐξ ἀγράφων ἀναγινώσκοντες, καὶ τὸ δὴ λεγόμενον ἐξ ἄμμου σχοινία πλέκειν ἐπιτηδεύοντες: hoc est, juxta veterem interpretem: *Cum sit igitur tale illorum argumentum, quod neque prophetæ prædicaverunt, neque Dominus docuit, ne-* (3.) Perfectio.

que Apostoli tradiderunt, quod abundantius gloriantur plus, quam cæteri, cognovisse, de iis quæ non sunt scripta, legentes, &, quod solet dici, de arena resticulas nectere affectantes. lib. IV. c. 66. Adhuc clarius loquitur: *Dicemus adversus omnes hæreticos, & primo quidem adversus eos, qui sunt à Marcione, & adversus eos, qui sunt similes illis, ab altero Deo dicentes esse prophetas: Legite diligentius id, quod ab Apostolis est, Evangelium nobis datum, & legite diligentius Prophetas, & invenietis universam actionem, & omnem doctrinam, & omnem passionem Domini nostri prædicata in ipsis.* Vindicat locum ab exceptionibus Ratisponensium Jesuitarum Cham. I. Panstr. l. VIII. c. 10. Perfectè verbum Dei esse prædicatum cum in V. T. tum in N. T. in confesso est: At illud ipsum, quod prædicarunt, in literas retulerunt: *Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, postea vero per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.* Irenæ. lib. III. c. 1. Excipit Bellarm. de V. D. lib. IV. c. 11. distinguendo inter perfectiores & imperfectiores, & inter necessaria omnibus, & quibusdam. *Cum igitur Irenæus ait, Apostolos scripsisse, quæ prædicaverant in mundo, verum est, & non contra traditiones: quia non prædicaverunt populis omnia, sed solum ea, quæ illis necessaria, cætera seorsim perfectioribus tradiderunt.* At (1.) Irenæus ait: *fidei nostræ, cognovimus &c. nobis tradiderunt* &c. *fundamentum fidei nostræ*, se nimirum, qui tamen Episcopus erat, complexus cum reliquis: (2.) Scopus est ex scripturis refutare *hæreticos omnes*, ut *plenissime θεόφιλ& ipsis contradicere* posset; sicut in præfatione suum ipse scopum proponit. At qui *plenissime*, si præter scripturam & traditiones valerent? (3.) Distinctio Bellarmini est illorum ipsorum hæreticorum, quos Irenæus refutat. Nam illi alia sacris literis prodita, alia in occulto tradita, mentiebantur, quos refellit c. 15. *Igitur testificatio ejus vera & doctrina Apostolorum manifesta, & firma, & nihil subtrahens, neq; alia quidem in abscondito, alia vero in manifesto docentium.* Si igitur Apostoli non aliud ore, aliud calamo; aliud palam, aliud clam docuerunt, manifestum est perfectam esse ipsorum scripturã. Rive. Cath. orth. tr. 1. q. 8. 9. Confirmatur ex l. II. c. 47. f. m. 116. Rectissimè scimus, quia *Scripturæ perfectæ sunt, quippe à verbo Dei & Spiritu ejus dictæ.* Apollinarius Hierapolitanus excusaturus suam in refutandis Cataphrygibus moram, hanc caussam adfert: *quod tum metuerem,*

tum

tum ſedulo præcaverem, ne Evangelico N. T. verbo μή πη δόξω τισὶν ἐπισυγγρά-φειν ἢ ἐπιδιατάσσεσθαι τῷ τῆς τοῦ εὐαγγελίου καινῆς διαθήκης λόγῳ, ᾧ μήτε προσ-θεῖναι, μήτ' ἀφελεῖν δυνατὸν, *viderer aliquid ſcribendo addere vel ſtatuere, cui tamen neq; addendum, neq; detrahendum, quod non in eo omnino comprehen-ſum ſit.* Euſeb. lib. V. c. 15. Obſerva, quod *non in eo omnino comprehenſum* ſit. Ergò non ſufficit contra ſcripturas nihil dixiſſe, quod Pontificiorum effugium eſt, ſed nec præter eam quicquam in rebus credendis vel faciendis dicendum eſt, Apollinario cenſente.

§. 16 (4.) *Harmonia.* Sæpe quidem videntur ſibi ſacræ literæ contrariari, ſed videntur; non autem revera diſſentiunt; vitium eſt non in ipſis, ſed in animo legentis, qui non intelligit. Juſtinus certé dial. f. 225. noluit concedere, ἐναντίας εἶναι τὰς γραφὰς ἀλλήλαις, *contrarias invicem ſibi ſcripturas eſſe: Verum ſi quæ ſcriptura, quæ ejusmodi eſſe videatur, in medium proponatur, & obtentum eum,* ὡς ἐναντία οὔσα, *quaſi adverſaria alteri ſit, habeat, omnibus modis perſuaſum habens,* ὅτι οὐδεμία γραφὴ τῇ ἑτέρᾳ ἐναντία ἐστίν, *quod nulla ſcriptura alteri contraria ſit, ipſe me potius, quæ dicta ſint, non intelligere fatebor, atq; ut illi, qui ſcripturis inter ſe non convenire ſuſpicantur, idem mecum ſentiant, perſuadere contendam.* Ἐναντιοφάνειαν vitio vertit non ſcripturæ, ſed non intelligenti, quare ſcriptura non eſt obſcura in ſeſe, in ſpeciem contradictoria complectens, ſed animus hominis non capientis defectu illo laborat. (4.) Harmonia.

§. 17. (5.) *Integritas.* Sacra ſcriptura nullum paſſa eſt detrimentum à Judæis ipſius bajulis. Aſſerit hoc ſaltem ad hominem Juſtinus in Paræn. f. m. 11. *Nam quod etiam nunc apud Judæos pietatis noſtræ libri aſſervantur, divinæ id nobis opus eſt providentiæ. Ne enim ex Eccleſia eas proferentes occaſionem quaſi ſuppoſiti à nobis aut corrupti ſint, maledictis nos inceſſere volentibus præbeamus, ex illorum ſynagoga producimus, ut ex ipſis* τῶν ἔτι παρ' αὐτοῖς σωζομένων βιβλίων, *huc usq; apud eos conſervatis libris ad nos noſtramq; doctrinam à ſanctis viris edita jura liquido & manifeſto pertinere appareat.* Irenæus l. 3. c. 2. refutat hæreticos, qui *corruptas* eſſe ſcripturas mentiebanrur. & c. 15. Vocat *regulam veritatis inadulteratam.* Confirmat hæc Trypho Judæus. Cum enim Juſtinus ipſi corruptionem à Judæis factam objeciſſet, reſpondit: *An pro eo, atq; ais, in ſcripturis aliquid detraxerint, aut depravarint principes populi, Deus ſcire poteſt,* ἀπίστῳ δ' ἔοικε τὸ τοιοῦτον, *hoc vero incredibile videtur. Incredibile profecto, ego dixi, videtur. Magis enim eſt horrendum, quam vituli conſecratio illa, quam in ter-* (5.) Integritas.

ris

ris fecerunt, qui manna ad saturitatem impleti fuerant, & quam liberorum dæmonis mactatorum sacrificium, aut Prophetarum ipsorum occisio. Hæc Judæus apud Just. in dial. f. 233.

(6.) Scriptio. §. 18. (6.) *Scriptio.* Ex eodem Irenæi lib. III. cap. 1. clarè constat, quod *per Dei voluntatem* literis mandarint suam doctrinam Apostoli. Non igitur, quod Papistæ volunt, proprio & privato ausu id fecerunt. Vide Chemnit. part. 1. exam. p. m. 29.

(7.) *Versiones.* Græca LXX §. 19 (7.) *Versiones.* Celebratur imprimis LXX. versio. Non quidem probamus narrationem Justini de interpretum cellulis & harmonia exacta, edocti ab Hieronymo Præf. 11. in Pent. t. IV. opp. f. 6. fatente Bell. de V. D. lib. II. c. 6. fabulam esse, quod narraret ille, videmus tamen, quod antiquissimus Pater probarit translationem scripturæ in linguam vulgarem, dum refert Regem Philadelphum *libros, ita ut par erat, exosculatum esse, & Deo consecratos in bibliotheca ibi reposuisse.* παραιν. ad Græc. f. 11. Nec tamen ita reposuit, ut non in vulgus emanarent. Nam *Petrus, & Johannes, & Matthæus, & Paulus, & reliqui deinceps, & horum sectatores, prophetica omnia ita annunciaverunt, quemadmodum seniorum interpretatio continet.* ait Irenæ. l. III. c. 25. Easdem *scripturas allegabat* Justinus *ita ut à LXX. versæ*, dial cum Tryph. fol. 287. Irenæo eandem, quam Justino, veniam damus, dum eundem, quem ille, errorem errat, interea accipimus, quod *per aspirationem Dei interpretatæ sint scripturæ.* libr. III. 25. Non quidem existimamus interpretes fuisse θεοπνεύστους, ut errare non potuerint, Dei tamen auxilio adjutos esse, saltem ex mente Irenæi, amplectimur, ut probemus placere Deo in vulgares linguas converti scripturam. Irenæi iterum verba subjiciam ex lib. III. c. 25. *Cum tanta igitur veritate & gratia Dei interpretatæ sunt scripturæ, ex quibus præparavit & reformavit Deus fidem nostram, quæ in filium ejus est, & servavit nobis simplices scripturas in Aegypto &c.* Ut non evadat Bellarm. lib. 2. de V. D. c. 16. distinctione inter linguam vulgarem & communem, quasi Græca lingua *communissima* quidem fuerit, non tamen *vulgaris.* Observa Irenæi sententiam. Nam etiam versiones esse efficaces ad fidem accendendam docet. Caussa autem, cur Justinus, Irenæus, & alii Patres magnificentius loquerentur de versione LXX. seniorum, videtur fuisse Zelus contra Judæos, qui auctoritate illius versionis, quâ premebantur, stare nolebant: *verè impudorati & audaces ostenduntur,*

qui

qui nunc volunt aliter interpretationes facere, quando ex ipsis scripturis arguantur à nobis, & in fidem adventus filij Dei concludantur. idem l.c. censet. Cætera, quæ de LXX. versione disputantur alibi legas apud Bell. lib. 2. de V. D. c. 6. seqq. Baron. annal. 231. Leonem à Castr. & Jacobum Usserium pecul. tract. Cham. Panstr. t. 1. lib. XIII. §. 1. seq. Riv. in Isag. script. c. 9. Dorsch. Theol. Zach. præfat. & p. 133. seqq. Gerh. Loc. d. script. sect. 2. §. 506. seqq. D. Calov. Crit. sacr. p. 439. seqq. Præter hanc versionem *Syriaco-Hebraicæ* meminit Hegesippus in quodam fragmento, quod recitat Euseb. lib. IV. hist. c. 21. ἔκ τε τοῦ καθ' ἑβραίους Εὐαγγελίου καὶ τοῦ Συριακοῦ, Ex Evangelio Hebræo & Syriaco, inquit Eusebius, Hegesippum quædam narrasse. *Hebræum* Evangelium quod fuerit clarè non dicit. Duorum alias hujus idiomatis fit mentio apud veteres, quorum alterum Matthæo adscribunt, alterum Nazaræis hæreticis. Illud in Indiis manu Bartholomæi scriptum Pantænus, *ut fertur,* invenit, Euseb. l. V. c. 10. Dicitur alias Ebionitarum, quod ab Hæreticis illis fuerit saltem corruptum & usurpatum: Vide Epiphan. lib. I. contra hæres. Ebionit. De hoc agit hinc inde Hieronymus, imprimis lib. 3. contra Pelag. *In Evangelio,* inquiens, *juxta Hebræos, quod Chaldaico Syroq; sermone, sed Hebraicis literis scriptum est, quo utuntur usq; hodie Nazareni secundum Apostolos, sive, ut pleriq; autumant, juxta Matthæum, & in Cæsareensi Bibliotheca habetur, narrat historia* &c. Sequitur veteres Clementem Alexandrinum, Origenem, Hegesippum, qui & ipsi plurimum huic Evangelio tribuerunt. Vide Sixt. Senens. Biblioth. lib. 2. p. 82. *Syriacum* ex mente Hieronymi videtur esse illud ipsum Hebræum solo charactere diversum. Celebris est Syriaca versio facta superiori seculo per Albertum Widmanstadium JCtum & provinciarum Austriæ Orientalium Cancellarium. Dum enim in Italia Carolum V. comitatus anno 1529. incidisset in quendam Theseum Syriacæ linguæ peritissimum, deprehendit apud ipsum MSC. exemplar Syriacum IV. Evangelia complectens, quod deinde, sublevatus sumptibus Serenissimi Ferdinandi, in lucem edidit Viennæ. Lege historiam apud Baumbach. in tract. d. ling. orient. c. 13. & ex eo apud B. Gerh. Exeg. d. script. sect. 3. §. 508. Sunt, qui versionem hanc Antiochenæ Ecclesiæ & Christianis primum in ea appellatis adscribendam existimant. Alsted. lib. 2. præcog. cap. 113. Antiquissimum esse codicem

Hebraica.

Syriaca.

certum est, sed non authenticum, cu.n sit versio ex Græco translata. Certiora sunt, quæ de versionibus *Aquilæ Pontici & Theodotionis* habemus. Vixit ille, juxta Epiphanium de mens. & pond. sub Hadriano circiter annum Christ. 137. juxta Baronium in Annal. 137. §. 10. Et scripturas V. T. in linguam Græcam transtulit, vel potius, uti Epiphanius l. c. loquitur: *Interpretatus est, non recta ratione usus, sed quo aliqua ex receptis libris perverteret, irruens in LXX. duorum interpretationem, ut testimonia de Christo in scripturis probata aliter ederet.* Ad quam Judæi apostatæ malitiam videtur respexisse Justinus Martyr in dial. cum Thryph. f. 273. nec diffitetur l. c. Baronius. Obiter noto ἀβλεψίαν Jodoci Coccii in Thesaur. Cath. d. script. sacr. art. 2. f. m. 597. qui ex loco allegato Epiphanii evincere vult negativam, quod versio LXX. aliis Græcorum versionibus præferenda sit; Cum potius affirmativa inde concludi posset, eo ipso, quod dicit Aquilam corrupisse versionem LXX. Duas autem Aquila elaboravit versiones, juxta Hieron. in Zach. III. 4. & de quæst. Hebr. quarum posterior priore sincerior censetur. Altera est Theodotionis inter Græcas tertia versio. Hujus ut & illius meminit Irenæus lib. III. 4. & utramque reprehendit: *Non ergo vera est,* inquiens, *quorundam interpretatio, qui ita audent interpretari scripturam: Ecce adolescentula in ventre habebit, & pariet filium, quemadmodum & Theodotion est interpretatus Ephesius, & Aquila Ponticus utriq; Judæi proselyti, quos sectati Ebionæi &c.* Refutat malitiosum errorem ex versione LXX. interpretum, quæ παρθένον transtulit, putatque hoc fortius esse argumentum, quod ante natum Christum & dictos Christianos procurata fuerit ea versio, comburenda prius à Judæis, si scivissent Christianos ea usuros esse. Vixit Theodotion sub Commodo, ejusque primis annis, majorique fide versionem fecisse creditur Epiphanio: *Circa secundi Commodi regnum, qui regnavit post prædictum Commodum Lucium Aurelium annos XIII. Theodotion quidam Ponticus* (Ephesium facit Irenæus) *ex sectatoribus Marcionis hæresiarchæ Sinopitæ, infensus & ipse illius hæresi, & ad Judaismum declinans, & circumcisus & Hebræorum linguam ipsorumq; elementa edoctus, privatim etiam ipse interpretationem, & pleraq; consonanter cum LXXII. edidit. Habebat enim hic plurima exercitia ex consuetudine LXXII.* Hæc Epiphanius d. mens. & pond.

Græca Aquilæ.

& Theodotionis.

§. 20. Le-

§. 20. *Lectio* scripturæ omnibus licita & mandata, etiam Ethnicis. Theophil. lib. 2. contra Autolyc. sub fin. f. 329. *Oportet te, si es discendi cupidus, frequentius accedere scripturam sacram, ut vivas, & audiens vocem Dei, ad unguem, quod ajunt, veritatem consequare.*

SECTIO II.

§. 21. II. *Summa* articulorum fidei in S. literis contentorum, vel certe præcipui comprehendebantur Symbolicis confessionibus, qualem recitat Irenæus lib. I. c. 2. *fidem, quæ est in unum Deum patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt: Et in unum Jesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostra salute: Et in Spiritum Sanctum, qui per Prophetas prædicavit dispositiones Dei, & adventum, & eam, quæ est ex virgine, generationem, & passionẽ, & resurrectionem à mortuis, & in carne in cœlos ascensionem dilecti Jesu Christi Domini nostri, & de cœlis in gloria Patris adventum ejus, ad recapitulanda universa, & resuscitandam omnem carnem humani generis: Ut Christo Jesu Domino nostro, & Deo, & Salvatori, & Regi, secundum placitum Patris invisibilis omne genu curvetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur ei, & judicium justum in omnibus faciat.* Ex dictis apparet quædam in Symbolo Apostolico contenta hîc esse omissa; & quædam hîc inserta, quæ in Apostolico tacentur, quod non fecisset Irenæus in loco, ubi ex professo de Symbolis agit, si credidisset symbolum vulgo dictum Apostolicum, ab Apostolis ut perfectam & perpetuam regulam & normam Ecclesiæ esse præscriptam. Frustraneus igitur est Jodocus Coccius in thes. Cath. d. scr. art. 29. cum ex hoc Irenæi loco probare vult: *Symbolũ Christianæ fidei ab Apostolis esse conscriptum.* Aut enim Ecclesia traditionem illam Apostolicam diligenter non custodivit, aut Irenæus mala fide, vel saltem negligenter allegavit, nec enim ut hodie extat, allegavit, aut, quod tutissimum est, ab Apostolis sub hodierna forma non est concinnatum. Theophilus Episcopus Antiochenus scripsit tres contra Autolycum gentilem libros, σύμβολον καὶ ἀῤῥαβῶνα τῆς ἀληθείας, *Symbolum & pignus veritatis*, uti sub finem lib. III. ipse vocat, neque tamen uspiam Symboli Apostolici in recepta hodie serie meminit, sed frustulatim hinc inde tantum unum vel alterum articulum citat, & explicat, ut dubitem Symbolum vulgo A-

II. *Summa* præcipuorũ dogmatum.

postolicum dictum tum quidem temporis pro norma credendorum adæquata fuisse habitum.

SECTIO III.

Argumentum.

Θεολογίας principium *est vel naturale, vel supernaturale*; *Dei* nomina *an, & quæ?* Essentiæ *unitas*, personarum *Trinitas*; Characteres *personales*. Attributa: *Spiritualitas, Invisibilitas, Simplicitas, Aeternitas, Immutabilitas, Immortalitas, Infinitas, Immensitas, Omnipotentia, Bonitas, Misericordia, Iustitia, Omniscientia, Sapientia, Voluntas, Veritas, perfectio, Majestas, & beatitudo.* Opera *creatio, & providentia: utriusq; objecta & effecta.* Cultus *religiosus.*

III. Θεολογία. (1.) *Principium cognoscendi.* vel naturale vel supernaturale.

§. 22. III. Θεολογία. *Principium* cognoscendi Deum quod sit, est naturale, & supernaturale. Ita enim Justinus quæst. Græc. conf. f. 157. q. 3. quærit: *unde liquet an prorsus sit Deus?* ℞. *Ex rerum, quæ exstant constitutione, & perseveranti diuturnitate. Non enim ea exstarent, quæ exstant, nisi Deus prius, quam illa, exstitisset, qui partes creaturæ utiliter omnes ex usu & commodo universæ creaturæ ordinavit. Et cognitus nobis est per prædictiones, & doctrinas Prophetarum, atq; Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi Apostolorumq; ejus sermones, testificatione divinarum virtutum confirmatos.* In eandem sententiam scribit Iren. lib. 2. c. 9. *Nunc autem sufficit id, quod est ab eis, qui contraria nobis dicunt, testimonium, hominibus ad hoc demum sentientibus: Veteribus quidem, & imprimis à primoplasti traditione hanc suadelam custodientibus, & unum Deum fabricatorem cœli & terræ hymnizantibus. Reliquis autem post eos à Prophetis Dei hujus rei commemorationem accipientibus; Ethnicis verò ab ipsa conditione discentibus. Ipsa enim conditio ostendit eum, qui condidit eam, & ipsa factura suggerit eum, qui eam fecit, & mundus manifestat eum, qui se disposuit. Ecclesia autem omnis per universum orbem hanc accepit ab Apostolis traditionem.* Hæc ille. Et Tatian. orat. contra Græc. fol. 192. orth. Patr. *Hunc*, ait, *ex opere, quod condidit, agnoscimus, & potentiam ejus invisibilem ex factis æstimamus.* Subscribit Theophil. lib. 1. contra Autolyc. f. 287. 288. Acquisita hæc est cognitio, cui adjungitur *insita* πάντες γὰρ ὅτι ἐστιν ὁ θεὸς ὁμολογοῦσι κοινῇ ἐννοίᾳ, *omnes enim fatentur communi notione unum Deum.* Justin. quæst. Græc. f. 122. Hæc autem cognitio imperfecta cum sit, requirit principium altius, nempe Verbum Dei. Unde

Justin.

Justin. cohort. l. ad Græc. sub fin. præclare, *nullo plane pacto*, inquit, *aliter aut aliunde de Deo vel de recta religione discere quicquam potes*, ἢ παρὰ τῶν προφητῶν μόνον, *quam à Prophetis solis, qui divina inspiratione afflati vos docent & instituunt.* Hæc ille.

§. 23. *Nomina* Dei sunt El, Elohim, Adonai, Jehova, & juxta (2.) Nomina Dei.
Iren. lib. II. c. 67. Zebaoth; minus autem grammaticè explicat, vel ut Chemnitii verbis utar: *Leviora sunt illa, cum exponit Eloi, Adonai, Sebaoth, sed parum grammaticè.* Ea verò bona est sententia, quod nomina ista unum explicare Deum contra hæreticos contendit: *Discant, quoniam unius & ipsius significationis & nuncupationis sint omnia hujusmodi.* Sic ille l. c. Plura Dei nomina coacervat & explicat Theophil. l. 1. ut sunt *Deus, Dominus, Pater, opifex, altissimus, Imperator*, &c. Justinus M. cum grano salis accipiendus est, cum Paræn. ad Græc. f. 14. 15. negat Deum habere nomen proprium. Jehova enim est Dei proprium nomen, etsi ab appellativo derivatum: Quod bene explicat Justinus per ὢν ex Exod. III. 14. ut opponatur Diis non existentibus, quales Protoplasti divinitatem affectantes. Justino ὁμόψηφος quidam Attalus martyr, cum interrogaretur: *quod nomen Deus haberet? respondit: Deum nomen non habere more hominum.* Euseb. libr. V. histor. cap. 1. vide Gerh. Exeges. Loc. II. §. 18.

§. 23. *Unus* est essentia Deus. Deum habere essentiam apud (3.) Unitas essentiæ.
Platonicos quidem dubitabatur, ut apparet ex lib. 6. contr. Celsum Origenis; sed credimus utique Deum habere essentiam cum Irenæo, qui hæreticum introducit, dicentem Deum esse ἀνούσιον *insubstantivum*: ut versio interpretatur. Vide Casaub. exerc. I. contra Baron. apparat. §. 18. *Una* autem hæc est essentia, quod Justinus integro libro de Monarchia, Parænesi ad Græcos sub fin. Athenagoras in Apologia pro Christianis, Theophilus l. 3. contra Autolycum, Irenæus, contra Valentinianos præsertim, ex professò cum ex S. literis, tum ex rationibus, & adversariorum ipsorum testimoniis demonstrarunt, adeo, ut hic interdum videatur solum Patrem facere Deum. Vide lib. I. c. 2. ubi Symbolum recitat: *Credo in Unum Deum* &c. l. 2. c. 1. invehitur in duos Marcionis Deos, & pleromata Valentinianorum. l. 4. c. 1. ubi docet unum & eundem esse Deum V. T. & N. T. *Nec enim esse alterum Deum præter eum, qui fecit & plasmavit nos, nec firmitatem habere sermonem eorum, qui dicunt aut per angelos, aut*

per aliam quamlibet virtutem, aut ab alio Deo factum esse hunc mundum, qui est secundum nos. libr. 4. cap. 52. Rationem urget libr. 2. cap. 1. ab absurdo, si duo essent Dii, *Deerit enim,* inquit, *unicuique eorum partem minimam habenti ad comparationem omnium reliquorum, & solvetur omnipotentis appellatio.* Sensus est, si duo essent Dii alteruter haberet aliquid perfectionis præter alterum, ut perfectissimus non esset Deus. Vide Dionys. Petav. Theol. dogm. d. Deo libr. II. cap. IV. §. 2.

(4.) Trinitas personarum. §. 25. In una essentia divina sunt tres personæ à se realiter distinctæ. Id quod vox *Trinitas* ab Alexandro P. R. sæpius repetita ep. 1. brevissimè innueret, si genuinum esset scriptum. Cum autem sit suppositițium; sicut & Sixti, qui de Trinitate in epistola disceptat; alia fundamenta quæramus. Theoph. l. 2. contra Autolyc. f. 308. clarè appellat Trinitatem, cum inquit: Tres dies, qui præcessere creationem, luminarium imago sunt, τῆς τριάδος τοῦ θεοῦ, καὶ τοῦ λόγου αὐτοῦ, καὶ τῆς σοφίας αὐτοῦ, *Trinitatis, Patris, & verbi ejus, & sapientiæ ejus.* Polycarpi diserta est confessio in ardentissimis ad Deum precibus: Orat enim *Patrem dilecti & benedicti Filij sui Jesu Christi*, ut per *Spiritum* suum *Sanctum* se in martyrio confortet: eidemque Deo Patri, cum Filio in Spiritu Sancto dicit gloriam nunc & in æternum Euseb. lib. IV. c. 14. Justinus Apol. II. f. m. 43. atheismi crimen à sesuisq; Christianis amoliturus, fatetur quidem se non esse cultores idolorum, neque tamen ἀθέους. Nam esse sese cultores *verissimi illius Dei,* ἀληθεστάτου καὶ πατρὸς δικαιοσύνης, *& patris justitiæ, & castitatis, & virtutum aliarum, & ab omni vitiositatis mixtione & labe alieni expertes. Verum hunc ipsum,* καὶ τὸν παρ᾽ αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα καὶ διδάξαντα ἡμᾶς, *& qui ab ipso venit nosq; docuit Filium, & aliorum obsequentium exæquatorumq; ad voluntatem ejus bonorum Angelorum exercitum docuit,* πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν, *& Spiritum Propheticum colimus & adoramus cum ratione & veritate venerantes, atq; unicuiq; discere atq; nosse volenti pro eo, atq; edocti sumus, candidè hæc tradentes.* Et p. 47. *Horum omnium nos habere*, inquit, *Jesum Christum, eundemq;, quod ipsius veri Dei,* τοῦ ὄντος θεοῦ *filium esse edocti simus,* ἐν δευτέρᾳ χώρᾳ, *secundo loco, ac Spiritum Propheticum,* ἐν τρίτῃ τάξει, *tertio ordine, nos cum ratione venerari & colere demonstrabimus.* Ex quibus apparet, quod Justinus Filium & Spiritum Sanctum distinguat à se invicem, & à Patre, tanquam ἀριθμῷ ἕτερόν τι, *numero diversum quid,*

quid, uti loquitur dial. cum Tryph. f. 280. diversitate non essentiali, sed reali; Non illa: Nam negat Filium ita genitum, ut essentia Patris sit divisa, *prout alia omnia divisa & secta*, οὐ τὰ αὐτά ἐστιν, *non eadem sunt, quæ antefuerunt, quam scinderentur.* Est igitur Patris & Filii eadem essentia. Quod ex f. 222. dial. dilucidius patet. Nam differens de dicto Gen. III. 12. asserit: *Ea ad aliquem dicta esse,* ἀριθμῷ ὄντα ἕτερον λογικὸν ὑπάρχοντα, *qui & numero alius sit, & subsistens quoddam intellectuale, illisq; quasi unus ex nobis,* ἀριθμὸν τῶν ἀλλήλοις συνόντων, καὶ τὸ ἐλάχιστον δύο, *numerum eorum, qui una essent, tum minimum duos indicari.* Ecce Patrem & filium vocat συνόντας, *coexistentes* seu coæternos, adeoque ὁμοουσίους. Irenæus subscribit, recitans lib. 1. c. 2. Symbolum & fidem in unum Deum, nempe *Patrem omnipotentem* &c *& in unum Jesum Christum Filium Dei incarnatum pro nostra salute; & in Spiritum S. qui per Prophetas prædicavit dispositiones Dei.* Athenagoræ illustre dictum est in Apologia pro Christianis: *Quis igitur non miretur*, inquit, *nos, qui Deum patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum Sanctum, ita ut & unionis eorum vim, & ordinis distinctionem exponamus, impios & sine Deo homines vocari?* Hæc ille. Non tamen diffitemur, *antequam in Alexandria quasi dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam, & minus cautè*, ut Hieron. Apol. 2. contr. Ruffin. verbis utar, *locutos esse* Patres vetustiores. Vide Dionys. Petav. Theolog. dogm. d. Trinit. lib. I. c. 3. Verum tamen & hoc est, quod eundem Deum in Vet. T. & in N. T. creditum esse Patres hujus seculi affirment. Sic enim Iren. l. III. c. 9. *Ostenso igitur hic plane & adhuc ostendatur manifestius, neminem alterum Dominum vel Deum, neq; Prophetas, neq; Apostolos, neq; Dominum Christum confessum esse ex sua persona, sed præcipuè Deum & Dominum Prophetis quidem & Apostolis Patrem & Filium confitentibus, alterum autem neminem neq; Deum nominatibus, neq; Dominum confitentibus.*

§. 26. *Characteres personales* alii sunt interni, alii externi. *Interni*, ut in *Patre* generatio activa: in Filio passiva; in Spiritu Sancto processio: scribit enim Justinus dial. cum Tryph. fol. 281. εἰπὼν τὴν δύναμιν ταύτην γεγεννῆσθαι ἀπὸ τοῦ πατρὸς, *virtutem hanc dicens de Patre genitam virtute & consilio voluntateq; ipsius, non per recisionem,* οὐ κατ' ἀποτομὴν, ὡς ἀπομεριζομένης τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας, *veluti ab essentia Patris dissectam.* Athenagoras Filium vocat *primogeniam Patris progeniem*: & Spiritum Sanctum *à Deo emanare ad ipsumq; reflecti* dicit: ἀπόρροιαν εἶναι τοῦ θεοῦ: (4.) Characteres. Interni.

Justi-

Justinus in expos. fidei f. 292. paulo aliter loquitur: sed clarissimè: *Unus ergo revera est universitatis hujus Deus, qui in Patre, & Filio, & Sancto Spiritu cognoscitur. Cum namq;* ἐκ τῆς οἰκείας οὐσίας ὁ πατὴρ τὸν υἱὸν ἀπεγέννησεν, ἐκ δὲ τῆς αὐτῆς τὸ πνεῦμα προήγαγεν, *ex substantia sua Pater Filium progenuerit, atq; ex eadem spiritum produxerit, jure optimo, quæ unam eandemq; participant essentiam, una eademq; dignantur divinitate. Quomodo igitur, dicet aliquis, non differt id quod gignit, ab eo, quod gignitur, & quod procedit, ab eo, unde procedit?* ἔστι δὲ ὁ πατὴρ ἀγέννητος, ἀφ' οὗ καὶ ὁ υἱὸς γεγέννηται, καὶ τὸ πνεῦμα προῆλθεν, *Pater quippe ingenitus est, à quo & Filius genitus est, & Spiritus Sanctus processit. Idcirco non idem cum Patre, Filius & Spiritus Sanctus. Quod ingenitum, & genitum,* καὶ ἐκπορευτὸν *& procedens, non essentiæ nomina sunt, sed existentiæ modi, modusq; existentiæ nominibus hisce denotatur.* Ex his satis perspicue characteres interni intelliguntur.

& externi. *Externi* sumuntur ab operibus, in quibus sese personæ singulæ manifestarunt: ut Pater in creatione, qui per verbum & spiritum oris sui cuncta creavit: *primitus per eum cuncta condidit & ornavit.* Justin. Apol. I. Irenæus in Symbolo lib. I. cap. 2. & 19 *Deus per verbum & spiritum suum omnia faciens & disponens.* Filius in incarnatione. Nam Ecclesia credit *in unum Jesum Christum Filium Dei incarnatum pro nostra salute.* Spiritus S. in Ecclesiæ gubernatione: Unde eadem credit *in Spiritum Sanctum, qui per prophetas prædicavit dispositiones Dei:* Quo sensu à Justino sæpe dicitur, πνεῦμα προφητικὸν *spiritus propheticus.* Rotundè Irenæus l. 5. f. m. 317. *Super omnia quidem Pater, & ipse est caput Christi: Per omnia autem verbum, & ipse est caput Ecclesiæ: In omnibus autem nobis est Spiritus, & ipse est aqua viva, quam præstat Dominus in se rectè credentibus, & diligentibus se, & scientibus.*

(5.) Attributa.

§. 27. Attributa divina sunt eadem cum ipsa Dei essentia. *Pater quidem omnium multum distat ab his, quæ proveniunt hominibus, affectionibus, & passionibus, & simplex, & non compositus, & simili membrius, & totus ipse sibimetipsi similis, & æqualis est totus, cum sit sensus, & totus spiritus, & totus sensu habilitas, & totus* ἔννοια, *& totus ratio, & totus auditus, & totus oculus, & totus lumen, & totus fons omnium bonorum.* Iren. libr. 2. cap. 16. 47. 48.

(1) Spiritualitas.

§ 28. *In specie* considerando attributa Dei, occurrit (1.) *Spiritualitas.* Justin. d. monarch. Dei f. 81. laudat Æschyli versus, in quibus Deum incorporeum facit: χώριζε θνητῶν τὸν θεὸν, καὶ μὴ δόκει ὅμοιον

μοιον σαυτῷ σαρκινὸν καθεστάναι. *Discerne mortales à Deo, hūc ne existimes ipsi tibi quoad carnem similem esse.* & Theoph. l. 1. f. 292: *Deus*, ait, *est spiritus, non insinuans se materiæ, sed spirituum materialium & formarum in materia opifex.* Et quia spiritus, ideo *invisibilis.* fol. 288. Irenæus l. 2. c. 47. *Deus,* inquit, *est totus mens, totus ratio, & totus spiritus operans.* Hæc ille. (2.) *Invisibilitas.* Nam Philemon, quem laudat Justin. d. mon. fol. 81. (2.) Invisibilitas.
Deum vocat, οὐχ ὁρώμενον *invisibilem*: Et sequitur ex priori. Spiritus enim est invisibilis. (3.) *Simplicitas.* Just. quæst. & Resp. orth. 144. (3.) Simplicitas.
f. 379. *Non instar creatæ naturæ Deus est, ut id, quod sit, & habeat per compositiones intelligatur, sicut natura creata, verum pro eo atq; naturam obtinet, ita etiam intelligendus est id, quod sit, & id quod habeat,* ἔστιν ὑπὲρ τὴν σύνθεσιν *est super compositionem.* Solvit objectionem Justinus desumptam à *creatione*, docens φυσικῶς ista sese habere, q. 113. & de *Trinitate*: εἷς τοίνυν ἐστὶν ὁ θεὸς, ἡ τριὰς τῇ μονάδι τῆς οὐσίας, χωρὶς πάσης κατὰ τοῦτο διαιρέσεως καὶ διακρίσεως: *in Trinitate unitas est essentiæ, sine ulla secundum hoc divisione ac discrimine*: Confer Dionys. Petav. Theol. dogm. l. II. §. 3. seqq. c. IV. t. 1. Nec obstat, quod idem quæst. 2. negat Deum esse incorporeum; intelligere enim videtur incorporeum per modum formæ informantis. Petav. l. 2. c. 16. §. 1. Irenæus l. 2. c. 49. *totum mentem*, esse dicit Deum. Simplicem E. statuit. (4.) *Aeternitas.* Justin. quæst. & R. (4.) Aeternitas.
ad Græc. f. 29. οὐδὲν ἔγχρονόν ἐστι παρὰ τῷ θεῷ, *nihil est temporaneum apud Deum.* & παραιν. f. 18. ex voce יהוה deducit æternitatem, cum denotet præsens, præteritum, & futurum, eamque Platoni fuisse cognitam contendit. Theophil. l. 1. contra Autolyc. f. 192. *Deus noster* οὐκ ἔχει σύστασιν ἐν χρόνῳ μόνος ἄναρχος ὢν καὶ αὐτὸς ὑπάρχων τῶν ὅλων ἀρχή, id est, *non consistit intra tempus, solus sine principio, cum ipse sit principium rerum omnium, quæ inceperunt.* confer fol. 287. Irenæus. lib. 2. cap. 64. *sine initio,* inquit, *& sine fine verè & semper idem eodem modo se habens solus est Deus, qui est omnium Dominus.* (5.) *Immutabilitas,* Deus enim non movetur οὐ κινεῖται, qui nec loco, nec universo mundo comprehendi (5.) Immutabilitas.
potest. Justin. dial. cum Tryph. f. 279. ἄτρεπτον τὸ θεῖον immutabile est numen. quæst. orth. 51. f. 328. nempe κατὰ τὸ ὑπάρχειν καὶ κατὰ τὸ πράττειν, *secundum existentiam, & secundum operationem.* R. ad quæst. 36. ἀναλλοίωτος ὁ θεὸς, *immutabilis est Deus,* ait rotunde Theoph. contra Autolyc. lib. 1. f. 245. orth. Patr. Ita ut *omnium multum distet ab his, quæ proveniunt hominibus, affectionibus, & passionibus,* juxta Irenæ. l. 2. c. 16. *Deus*

(6.) Immortalitas.

semper idem est. lib. IV. c. 24. (6.) *Immortalitas.* Ex immutabilitate constat. *Discant, quoniam sine initio & sine fine verè & semper idem eodem modo se habens solus est Deus.* Iren. l. 2. c. 65. *Deus est immortalis & potens.* l. 5. f. 295. Justinus quæst. ad Græc. fol. 151. *Deus sine ulla creatione,* inquit, *est substantia sua, & æternæ incorruptionis illum habet statum.*

(7.) Infinitas.

(7.) *Infinitas.* Nam ὁ πατὴρ πάντα χωρεῖ, ἀχώρειστος ὢν ὑπάρχει, *Pater omnia comprehendit, ipse incomprehensibilis.* Iren. l. 1. contra hæres. c. 12.

(8.) Immensitas.

(8.) *Immensitas:* Justin. d. Monarch. Dei fol. 82. laudat Orpheum, quod Deum dicat πάντοτε ἐκτέτακεν *ubiq; esse extensum.* Est vel absoluta vel relativa, juxta illam οὔτε κινούμενος, ὁ τόπῳ τε ἀχώρητος, καὶ τῷ κόσμῳ ὅλῳ, *neq; mobilis est, neq; ullo loco, atq; adeo neq; mundo universo comprehensibilis, ut qui ante exstitit, quam mundus est conditus.* dial. f. 279. Relativa ad locum dicitur omnipræsentia. *Nos omnibus, non modo factis, sed etiam cogitationibus & sermonibus nostris tum noctu, tum interdiu Deum adesse scimus:* Athen. Apol. pro Christ. & Theoph. l. 2. θεὸς γὰρ οὐ χωρεῖται, ἀλλ' αὐτός ἐστι τόπος τῶν ὅλων, *Deus non comprehenditur, sed ipse est locus omnium.* Confer librum. 1. ubi eleganti similitudine de punico malo mysterium illustrat. Et l. 2. fol. 296.

(9.) Omnipotentia.

(9.) *Omnipotentia.* Nam Justinus in dial. cum Tryph. f. 242. *Pro impossibili vos habere illud non oportet,* πάντα δύνασθαι τὸν θεὸν ὅσα βούλεται, *omnia posse Deum, quæcunq; vult,* in evers. dogm. Aristot. f. 86. laudat Dei ἀνεμπόδιστον τὴν ἐνέργειαν *vim, quæ impediri non possit:* Irenæus libr. 2. c. 52. *Deus,* inquit, *melior quam natura, habens apud semetipsum velle &c. quoniam bonus est, & posse, quoniam potens est; & perficere, quoniam dives & perfectus est.* Confer l. V. fol. 297. 298. II. 11. Theophil. l. 2. contra Autolyc. fol. 305. Athenag. de resurrect. Mort. f. 353. orth. Patrum.

(10.) Bonitas.

(10.) *Bonitas.* Nam Justino q. & R. ad Græc. fol. 122. τῶν ἀγαθῶν τὸ μέγιστον ὁ θεός ἐστι, *bonorum summum Deus est.* Irenæus lib. 3. cap. 42. 43. disputans contra Marcionem, qui Deum alium bonum, alium malum fingebat, dicit Deum *interimi* ab ipso. *Hic enim, qui judicialis, si non & bonus sit, non est Deus, quia Deus non est, cui bonitas desit. &c. Est enim & bonus, & misericors, & patiens, & salvat, quos oportet; neq; bonum ei deficit justi effectum, neq; sapientia deminoratur: Salvat enim, quos debet salvare, & judicat dignos judicio, neq; justum immite ostenditur, præeunte licet & præcedente bonitate.* Hæc ille: confer Theoph l. 1. contra Autol. f. 286.

(11.) Misericordia.

Hinc facile patet (11.) *Misericordia* eaque universalis. Præclarè Justin. dial. cum Tryph. fol. 207. scribit: ἡ γὰρ χρη-

ςότης καὶ ἡ φιλανθρωπία τοῦ θεοῦ καὶ τὸ ἄμετρον τοῦ πλούτου αὐτοῦ, *Bonitas namq; & humanitas Dei, & immensitas divitiarum ejus pœnitentiam agentem resipiscentemq; à peccatis, prout per Ezechielem indicat, perinde atq; justum, quiq; peccatum non admiserit, habet.* Subscripsit modo Irenæus l. 3. c. 43. *Est enim* per ipsum *Deus & bonus, & misericors.* Lugdunensis Ecclesia in literis ad Ponticam tractans receptionem lapsorum probat & ex Dei misericordia, *qui non vult mortem peccatoris, sed pro sua benignitate eum ad pœnitentiam invitet.* Euseb. libr. V. c. 1. (12.) *Justitia.* Justinus (12.) Iustitia.
Apol. I. f. 39. vocat θεὸν πάντων ἐπόπτην δίκαιον, *Deum omnium inspectorem justum.* Irenæus disputans contra sententiam Marcionis de Deo bono & malo lib. III. c. 42. ostendit justitiam Dei everti illo errore. *Si enim judicialis non & bonus sit ad dandum quidem his, quibus debet, & exprobrandum his, quibus oportet, neq; justus, neq; sapiens videbitur judex. Rursus bonus, si hoc tantum sit bonus, non & probator, in quos emittat bonitatem, extra justitiam erit & bonitatem, & in forma bonitas ejus videbitur, non omnes salvans, si non cum judicio fiat.* Theophil. lib. 1. contra Autolyc. fol. 287. objicit sibi: *Irascitur Deus? Maximè:* respondet: *Iram suam porrigit in omnes, qui mala designant.* Quod est opus justitiæ. Observa obiter, Deum revera irasci, non ἀνθρωποπαθῶς; etsi imperfectiones humanæ sint separandæ. Hæc ille. (13.) *Omniscientia,* ad quam spectat & (13.) Omniscientia.
futurorum contingentium *præscientia.* Probat hanc ex vaticiniis Prophetarum Justin. Apol. II. f. 64. *Non per fati necessitatem ea fieri dicimus,* ἀλλὰ προγνώστου τοῦ θεοῦ ὄντος τῶν μελλόντων ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων πραχθήσεσθαι, *sed Deum futurorum omnium, quæ homines futuri essent, præscium esse indicamus.* & Iren. l. III. c. 18. *Præcognita sunt enim hæc omnia à Patre.* Theoph. l. 2. f. 302. *Divina sapientia,* εἴδει μέλλειν φλυαρεῖν τινὰς *prænoverat fore, qui ineptias effutirent, & multitudinem Deorum introducerent.* Athenag. d. resurrect. mortuor. f. 352. 353. *Facile est Deo* τὰ μὴ γινόμενα προγινώσκειν *ea, quæ nondum facta, nosse.* Ea tamen Dei præscientia non tollit in homine arbitrii libertatem. Distinguendum enim, inter prædictionem & prædeterminationem: Futura Deus quidem prædicit, sed non absoluta necessitate prædeterminat. Just. dial. fol. 290. *Quod si verbum Dei præmonstrat, fore omnino, ut Angeli quidam & homines excrucientur, eo quod* προεγίνωσκεν αὐτοὺς ἀμεταβλήτους γενησομένους πονηρούς, προεῖπε ταῦτα, ἀλλ᾽ οὐχ ὅτι αὐτοὺς ὁ θεὸς τοιούτους ἐποίησεν, *præscierit illos immutabiliter malos futuros, idipsum prædixit, non autem, quod Deus eos*

tales fecerit. Et paulo ante: οὐκ αἰτία τοῦ θεοῦ οἱ προγινωσκόμενοι καὶ γενησόμενοι ἄδικοι, *non Dei culpa, qui pranoscuntur & futuri sunt iniqui sive Angeli sive mortales mali sunt.* Tatianus orat. contra Græc. f. 194. in eandem sententiam loquitur, *Verbi,* inquiens, *potentia, cum pranosset, quid eventurum esset,* οὐ καθ' εἱμαρμένην, τῇ δὲ αἱρουμένων αὐτεξουσίων γνώμῃ τῶν μελλόντων προέλεγε τὰς ἀποβάσεις *non ex necessitate & fato, sed libero eligentium proposito rerum futurarum exitus prædicebat.* Huc digitum intendit Irenæus lib. 4. c. 48. Agens enim de induratione Pharaonis præscivisse quidem Deum largitur, sed non prædeterminasse: *Si igitur & nunc, quotquot scit non credituros Deus, cum sit omnium præcognitor, tradidit eos infidelitati eorum, & avertit faciem ab hujusmodi, relinquens eos in tenebris, quas ipsi sibi elegerunt: Quid mirum si & tunc nunquam crediturum Pharaonem, cum iis, qui cum eo erant, tradidit eos suæ infidelitati.* Præscientia igitur Dei non est caussa indurationis, sed tenebræ, quas ipsi sibi elegerunt, ut infideles redderentur. Quod contra Calv. lib. III. instit. c. 23. sect. 6. 29. Bez. colloq. Mompelg. p. 519. observandum. Neque vero sola futura novit Deus, sed & præsentia, ἀδύνατον θεὸν λαθεῖν τι οὐ μόνον πραττόμενον, ἀλλὰ καὶ βουλόμενον, *impossibile est Deum latere quicquam, non solum factum, sed etiam volitum.* Videt autem & audit οὐκ ὀφθαλμοῖς, οὐδ' ὠσίν, ἀλλὰ δυνάμει ἀλέκτῳ, *non oculis certè, nec auribus, verum virtute infinita ille inspectat, & omnia noscit.* dial. cum Tryph. fol. 279. Nec è longinquo, sed præsentissimus. *Hoc enim Dei altissimi, qui omnia regit, reque vera existit, hoc quasi proprium est, ut non solum ubiq; sit, verum omnia præsens inspiciat, exaudiat* Theophil. l. 2. contra Autolyc. f. 296. (14.)

(14.) Sapientia. *Sapientia.* De hac agit Irenæus lib. 3. c. 43. inscriptio ab ipso facta est: *Quoniam sapiens idem (Deus) & justus.* & in cap. *Sapientia igitur præcellet Pater super omnem humanam & angelicam sapientiam, quoniam Dominus, & judex justus, & Dominator super omnes.* Eluxit illa Dei sapientia in creatione, de qua Theoph. l. 2. contra Autolyc. f. 304. Athenagor. d. resurrect. mort. f. 362. & redemptione, quod bonitatem cum justitia conciliavit, de qua Irenæus l. c. contra Marcionem disputat, imprimis autem ea conciliatio facta est per passionem,

(15.) Voluntas. mortem, & meritum Christi. (15.) *Voluntas & libertas agendi.* Justin. quæst. 114. ad orthod. docens ex creatione nullam in Deum redundare mutationem, rationes reddit: *cujus potentia nulla naturali necessitate continetur,* ἀλλὰ ἰδίᾳ βουλῇ ὑφέστηκεν, *sed in voluntate sola posita est,*

eum

etiam nullam capere imminutionem. Irenæ. libr. 2. c. 52. *Deus,* inquit, *melior est, quam natura, habens apud semetipsum velle, quoniam bonus est,* & lib. IV. c. 72. *Liberæ sententiæ ab initio est homo, & liberæ sententiæ est Deus.* Justin. dial. cum Tryph. f. 257. ventilat quæstionem, cur Deus non sustulerit Herodem, ne persequeretur Christum? Resp. ex eadem caussa, quâ serpentem non sustulerit, i. e. ex mera libertate. (16.) (16.) Veritas *Veritas.* Polycarpus in ardentissimis suis precibus agnoscit præparationem, præsignificationem, & tandem completionem à Deo, qui *verus sit, & omnis mendacij expers.* Euseb. l. 4. hist. c. 14. Iren. l. 5. f. 298. *incredulitas hominum non evacuat fidem Dei.* (17.) *Perfectio.* Iren. l. IV. c. 24. *Deus* (17.) Perfectio. *quidem perfectus in omnibus, ipsi sibi æqualis & similis, totus cum sit lumen, & totus mens, homo vero perfectum percipiens & augmentum ad Deum.* Theophil. l. 2. contra Autolyc. *ut sol semper plenus conspicitur, nec unquam minuitur, sic Deus perpetuo perfectus existens plenus potentia, sapientia, immortalitate, & reliquis bonis omnibus* f. 307. (18.) *Majestas & gloria.* Vo- (18.) Majestas. catur enim à Theoph. l. 1. δόξῃ ἀχώρητος, μεγέθει ἀκατάληπτος, ὕψει ἀπερινόητος, ἰσχύι ἀσύγκριτος, σοφίᾳ ἀσυμβίβαστος, ἀγαθωσύνῃ ἀμίμητος: *Gloriâ nemini concedens, magnitudine incomprehensibilis, altitudine incogitabilis, robore incomparabilis, sapientia invincibilis, bonitate inimitabilis.* (19.) (19.) Beatitudo. *Beatitudo.* De hac Athenagaros in Apol. pro Christ. *Scimus,* ait, *nos hac mortali vita defunctos alteram hac terrestri longe meliorem, nempe cœlestem victuros, ut apud Deum, & cum ipso.* Ipse igitur Deus beatus est.

§. 29. *Opera* Dei sunt (1.) *Creatio.* Vox est à qua Deus dici- (6.) *Opera.* (1.) Creationis. tur Creator. Justin. Apol. I. f. 34. *Pater,* inquit, *& Deus, & creator, & Dominus, & herus, non nomina sunt,* ἀλλ' ἐκ τῶν εὐποιϊῶν καὶ τῶν ἔργων προσρήσεις. *Sed à beneficiis, & operibus ejus petitæ appellationes.* Quod igitur sit aliqua creatio, dubitandum non est. Credit confessor *in Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt.* Iren. lib. 1. c. 2. Principium cognoscendi saltem distinctè creationem est verbum Dei à Deo per prophetas revelatum. *Filius enim Dei descendit in prophetas, per quos, ceu organa,* περὶ τῆς ποιήσεως τοῦ κόσμου καὶ τῶν λοιπῶν ἁπάντων, *de mundi creatione, & reliquis omnibus locutus est: Non enim erant Prophetæ, cum mundus conderetur, sed sapientia Dei, quæ in ipso est, sermoq; ejus sanctus semper præsto erat.* Theoph. l. 2. cont. Autol. f. 302. 304. Creator autem est ille ipse Deus, qui Filium genuit ab æterno, & ab æterno genitus est; & procedit ab utroque. *Nihil enim indiget omnium*

Deus, ſed per verbum & ſpiritum ſuum omnia faciens, & diſponens, & gubernans, & omnibus eſſe præſtans. c. 19. *Adeſt enim ei ſemper verbum & ſapientia, Filius, & Spiritus, per quos, & in quibus omnia liberè & ſponte fecit, ad quos & loquitur, dicens: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* IV. 37. Theoph. l. I. contra Autolyc. f. 289. Ita autem Pater per Filium omnia fecit, ut ipſe ſit creator. Iren. l. 5. f. 308. *Fabricator,* inquit, *univerſorum Dei verbum, qui & ab initio plaſmavit hominem.* f. 318. *Mundi enim factor verò Dei verbum eſt. Hic autem eſt Dominus noſter, qui in noviſſimis temporibus homo factus eſt.* Finis eſt hominis utilitas. *Non enim fruſtrà mundum à Deo conditum eſſe didicimus,* ἀλλὰ διὰ τὸ ἀνθρώπειον γένος, *ſed humani generis gratia.* Juſtin. Apol. I. fol. 34. Theophil. lib. 1. f. 287. contra Autolyc. Athenag. d. reſurrect. mort. fol. 362. *Tempus,* quod creandis omnibus rebus impendit Deus, ſunt 6. dies: Hexaëmeron vocant: quod plurimi ſcriptores enarrarunt, vide Theoph. l. 2. contra Autolyc. f. 302.

(2.) Providentiæ. §. 30. *Providentia* divina curam gerit rerum creatarum: voce utitur Iren. l. 3. c. 41. *Providentiam Deus habet omnium.* Rem ipſam quod attinet, ſunt, qui quidem generalem Deo curam attribuunt, ſed ſpecialem denegant. Nam Juſt. dial. cum Tryph. f. 167. conqueritur de quibusdam philoſophis, quod *nobis perſuadere moliuntur, univerſitatis quidem hujus ac generum ſpecierumque ipſarum curam gerere Deum,* ἐμοῦ δὲ καὶ σοῦ οὐκέτι καὶ τῶν καθ᾽ ἕκαστα, *mei autem atque tui & uniuscujusque ſigillatim non itidem.* Contrarium ipſe ſtatuit, ut & Athenagoras, cui nihil eſt in mundo ἀπρονόητον *ſine providentia.* Theophil. l. 1. contra Autol. f. 287. Diſtinguè autem inter providentiam & fatum: Illam ſtatuerunt, ab hac Patres abhorruerunt: Illam contra Epicurum, ab hoc contra Stoicos. Irenæus lib. III. c. 41. hanc facit inſcriptionem: *Oſtenſio, quoniam providentia Dei regitur hic mundus:* Et ſubjungit elenchum Epicuri: *Epicuri videlicet invenientes Deum, neque ſibi neque aliis aliquid præſtantem, id eſt, nullius providentiam habentem.* Contrariam ille ſuam ſententiam opponit: *Providentiam autem habet Deus omnium, propter hoc & conſilium dat: conſilium autem dans adeſt his qui morum providentiam habet.* Hæc vero providentia non infert vim arbitrio humano: Sed neque καθ᾽ εἱμαρμένην, *ſecundum fatum mortales ea, quæ fiunt, perhibemus vel facere vel pati, verum* κατὰ μὲν τὴν προαίρεσιν *animi deſtinatione quemque aut officioſe aut perperam agere &c. quod cum Stoici non pervi-*

pervidiſſent, per fati neceſſitatem omnia fieri cenſuerunt. Juſtin. Apol. I. f.35. ſecus non opus eſſet preces ad Deum fundere. Apol. II. fol. 47. Nec vel vitium vel virtus amplius, aut homo ſui arbitrii eſſet. fol. 62.63. aut pœnarum præmiorumve capax. I. fol. 35. Stoico fato ſimile eſt Aſtrologicum: Cæterum καὶ εἱμαρμένης ἐσμὲν ἀνώτεροι, καὶ ἀντὶ πλανητῶν δαιμόνων ἕνα ἀπλανῆ δεσπότην μεμαθήκαμεν, καὶ οὐ καθ' εἱμαρμένην ἀγόμενοι τοὺς ταύτης νομοθέτας παρῃτήμεθα, *nos & fato ſuperiores ſumus, & pro Planetis, hoc eſt, erraticis dæmonibus unum erroris neſcium Dominum accepimus, & cum fato non regamur, gubernatores ejus contemnimus.* Tatian. orat.contraGræc.f.196.orth.Patr.confer Bardeſan.apudEuſeb.præp.Ev.VI.8.

§.31. *Objectum* creationis & providentiæ præter alias creaturas ſunt Angeli & homines. *Angelus* alius increatus alius creatus; Ille eſt *Objecta.* Angeli. Filiꝰ Dei apud Juſt.dial.cum Tryph.f.235.ſed de eo nunc nobis ſermo non eſt, infra erit locus dicendi. De *Creatis* videamus. Creati ſunt à Deo in libertate arbitrii, αὐτεξούσιον τό τε τῶν Ἀγγέλων γένος καὶ τῶν ἀνθρώπων τὴν ἀρχὴν ἐποίησεν ὁ θεὸς, *Liberi arbitrij & Angelorum & hominum genus ab initio creavit Deus.* Juſtin. Apol. I. f. 35. Eſſentia ſunt ſpiritus. *Fecit* enim *Deus Angelos ſuos Spiritus.* Iren. l. 2. c 53. Ordinibus ſunt diverſi: ſunt enim *Angeli Throni, Dominationes, poteſtates innumerabiles.* c.54. vel, ut c. 55. loquitur: *Angeli, Archangeli, dominationes, poteſtates, & virtutes.* Sed differentia horum ordinum in obſcuro eſt. Sic enim c. 54. idem ab hæreticis petit: *Dicant nobis, quæ ſit inviſibilium natura, enarrent numerum Angelorum, & ordinem Archangelorum, demonſtrent thronorum ſacramenta, & doceant diverſitates dominationum, principatuum, poteſtatum, atq; virtutum, ſed non habent dicere.* Dividuntur in Angelos Dividuntur. bonos & malos. Illi in bono perſtiterunt; Hi vero deſciverunt: unde Juſtinus dial. cum Tryph. f. 238. dicit, ἀγγέλους πονηρευσαμένους καὶ ἀποστάντας τοῦ θεοῦ, *maligne egiſſe & deſciviſſe à Deo:* idque libere. Apol. I.f.35. Diabolus *ſibimetipſi, & reliquis factus eſt abſceſſionis cauſſa.* Iren. l.4.c.79. Boni Deo jubente curam gerunt hominum, cuſtodientes, & in bonum impellentes eosdem. Non jam loquor de ea cura, quæ occaſio fuiſſe dicitur Angelis ad libidinem erga homines, de qua Juſtin. Apol. I. 34. ex communi errore Patrum ſentit: Sed de cura piorum, quos dial. f. 238. dicit διακονεῖν γεγραμμένους *miniſtrare eſſe ſcriptos:* & λειτουργίαν ἐκπληροῦν *functionem explere,* χρειώδη τοῖς οὐρανοῖς καὶ τοῖς διὰ τὸν ἄνθρωπον, *utilem cœlis & hominibus.* quæſt. orthod. 30. Reſp. Dæmones

mones contra malis inferendis sunt intenti. Justin. dial. f. 238. vel immediatè vel mediatè, unde f. 282. conjungit, *dæmonia & dæmoniorum militiam.* Donec abjiciatur in ignem, qui eis æternus paratus est. *Apud nos archidux, & princeps malorum dæmonum serpens vocatur, & satanas, & diabolus; quem una cum militia sua, & hominibus eum sequentibus in ignem missum & per seculum infinitum excruciatum iri præmonstravit Christus.* Justin. Apol. II. f. 55. Iren. l. 3. c. 35. l. 4. c. 78.

(7.) Cultus. §. 32. *Cultus religiosus* soli Deo debetur. Justin. Apol. II. f. 49. θεὸν μόνον δεῖ προσκυνεῖν, *Deum solum oportet adorare:* Eumque Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: *Hunc ipsum* (Patrem) *& qui ab eo venit, atq; ista nos atq; aliorum obsequentium exæquatorumq; ad voluntatem ejus bonorum angelorum exercitum docuit, Filium, & Spiritum propheticum colimus, & adoramus.* f. 43. Et f. 50. θεὸν μόνον προσκυνοῦμεν, *Deum solum adoramus.* Theophil. libr. 1. fol. 291. *Honorabo Regem non autem eum adorabo, verum pro eo orabo* θεῷ δὲ τῷ ὄντως θεῷ καὶ ἀληθεῖ προσκυνῶ *Deum, qui verus Deus est, adorabo, sciens Cæsarem ab ipso esse ordinatum. Dicas ergò: Quare Regem adorare recusas? Quia non ad id constitutus est, ut adoraretur, sed ut legitimo, qui ipsi congruit, honore honoretur. Rex enim Deus non est, sed meminerit, se esse hominem à Deo in hanc dignitatem promotum, non ut adoretur, sed ut justè, ut justitia exigit; judicet.* Et f. 292. *Cæsar neminem subjectorum aut regem, aut Cæsarem appellari vult. Regium enim sive Cæsareum nomen ipsi soli competit, nec alius id sibi vendicare audet:* οὕτως οὐ δεῖ προσκυνεῖσθαι ἀλλ' ἢ μόνῳ θεῷ: *ita adorandi cultus nemini nisi Deo soli deferendus est.* Perpendant hæc Pontificii, & conferant cum sua ἁγιολατρεία, μαριολατρεία, ἀγγελολατρεία, εἰδωλολατρεία: & discant abstinere. Distinctionem ipsorum inter λατρείαν, δουλείαν, ὑπερδουλείαν simplex hoc seculum nescit. Iren. l. 2. c. 58. *Non invocationibus Angelicis fiat aliquid, nec aliqua prava curiositate, sed munde & purè dirigantur omnes ad Deum, qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Jesu Christi, cujus nomen omnia præstat, & curat, non autem alterius cujusquam.* Polycarpi preces recitat Euseb. lib. IV. cap. 15. sed neminem præter Deum invocat. Vide Chemnit. part. III. exam. p. m. 319. confer §. 63. inferius dicta.

Sectionis IV. Argumentum

Χριστολογία. Christi *nomina, persona, naturæ earumq; unio, & communio, communicatio idiomatum quoad tria genera. Officium triplex: status vel exinanitionis, vel exaltationis.*

§. 33. IV.

§. 33. IV. Χεισολογία. *Nomina* Christi varia recenset Justin. dial. cum Tryph. 194. *Rex, & Sacerdos, & Deus, & Dominus, & Angelus seu nuncius, & homo, & archidux militiæq; princeps, & lapis, & puer natus, & perpeßioni primum obnoxius, &c.* f. 221. *virtus rationalis, Gloria Domini, Filius, Sapientia, Angelus, Deus, Dominus, Verbum, Archidux,* ἀρχιστράτηγος. & f. 255. *Sapientia, & dies, & oriens, & gladius, & lapis, & virga, & Jacob, & Israel, alio atq; alio modo in prophetarum libris cognominatus est.* f. 278. *Magni consilij Angelus, vir, tanquam Filius hominis, puellus, Christus & Deus adorandus, David, lapis, Sapientia, Joseph, Judas, stella, oriens, passionis subditus, Jacob, Israel, virga, flos, lapis summus angularis, & Filius Dei.* Inter hæc nomina celebrius est *Jesus.* Quod ipsum tamen Irenæ. libr. 2. cap. 41. minus grammaticè explicat, censente D. Gerhard. Loc. IV. d. Christ. offic. cap. 1. §. 7. *Verbum* λόγος, *verbum,* ἐπειδὴ καὶ τὰς παρὰ τοῦ πατρὸς ὁμιλίας φέρει τοῖς ἀνθρώποις, *quod Patris sermones ad mortales perferat.* Justin. fol. 280. *cum ex paterni consilij & voluntatis administratione, tum ex voluntaria Patris generatione,* uti plenius loquitur fol. 221. Dicitur & *Christus*: Secundum quidem Justinum Apol. I. fol. 35. κατὰ τὸ κεχρῖσθαι καὶ κοσμῆσαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ τὸν θεόν. id est, *quod per illum Deus omnia conformaverit atq; ornaverit*: sed minus grammatica est derivatio. Non quod Justinus grammaticam Græcam Græcus nesciverit, sed quod vulgari errore Christus tum diceretur: Chrestus; ut habet Sylburgius in notis, & ex eo Gerh. Loc. IV. de pers. Christ. §. 15. Rectius igitur Iren. lib. III. c. 20. *In Christi nomine,* inquit, *subauditur, qui unxit, & ipse qui unctus est, & ipsa unctio, in qua unctus est. Et unxit quidem Pater, unctus est vero filius in spiritu, qui est unctio*: Nimirum ab ungendo nomen derivat. IV. Χειστολογία Christi. (1.) Nomina.

§. 34. *Persona* est unica, & distincta à reliquis. Prolixè & frequenter de hoc articulo disputat Irenæus contra hæreticos, qui aliam personam Christum, aliam Jesum somniabant: His fortiter contradixit orthodoxa Ecclesia. *Non enim alius Christus, alius verò Jesus, sed verbum Dei, qui est Salvator, & omnium dominator cœli & terræ, qui est Jesus, quemadmodum ante ostendimus, qui & assumpsit carnem, & unctus est à Patre Spiritu, Jesus Christus factus est.* Iren. libr. 3. c. 10. confer. 17. 18. capp. Distinctam esse à reliquis, & quidem à Patre, vel unius Filii nomen evincit, quod accepit ex æterna generatione. Justin. Apol. I. f. 34. 35. dial. cum Tryph. f. 280. Irenæ. lib. 3. c. 6. (2.) Persona.

§. 35. Composita est persona ex duabus naturis, ut Deus & (3.) Naturæ.

 homo

homo esset: *Manifestum est, quoniam ipse erat verbum Dei, Filius hominis factus, à Patre potestatem accipiens, quomodo homo, & quomodo Deus: & quomodo homo compassus est nobis, tanquam Deus misereatur nostri, & remittat nobis debita nostra, quæ factori nostro debemus Deo.* Irenæ. lib. V. p. 316. *Quis Irenæi, quis Melitonis, quis cæterorum libros ignorat, qui Christum Deum & hominem*, θεὸν καὶ ἄνθρωπον, *annunciarunt?* Quærit ille apud Euseb. libr. IV. 27. Compositionem hanc exigebat redemptio generis humani, quæ requirebat θεάνθρωπον. *Neque enim justè victus fuisset inimicus, nisi ex muliere homo esset, qui vicit eum. Per mulierem enim homini dominatus est ab initio, semetipsum contrarium statuens homini. Propter hoc & Dominus semetipsum Filium hominis confitetur, principalem hominem illum, ex quo ea, quæ secundum mulierem est, plasmatio facta, in semetipso recapitulans, uti, quemadmodum per hominem victum descendit in mortem genus nostrum, sic iterum per hominem victorem ascendamus in vitam.* fol. 320. & lib. III. c. 21. *Sicut enim homo erat, ut tentaretur, sic & verbum, ut glorificaretur, requiescente quidem verbo, ut posset tentari & inhonorari, absorpto autem homine in eo, quod vincit, & sustinet, & resurgit, & assumitur.* Et Justin. Apol. II. f. 53. *Jesus Christus unus & solus propriè Dei Filius, qui nimirum ratio & verbum ejus, & primogenitus, & virtus est, atque de consilio voluntateque ejus instaurandi & restituendi humani generis ergo homo factus*, ἐπ᾽ ἀλλαγῇ καὶ ἐπαναγωγῇ τοῦ ἀνθρωπείου γένους. Justin. Apol. II. f. 53.

Divina. §. 36. *Divina* natura. Probatur (1.) *expressis verbis* ex Justin. dial. cum Tryph. f. 280. καὶ ὅτι Κύριος ὢν ὁ Χριστὸς, καὶ θεὸς θεοῦ υἱὸς ὑπάρχων. *Et quod Christus, qui Dominus & Deus, Dei Filius est.* Irenæ. l. 2. c. 6. *Neque igitur Dominus, neque Spiritus S. neque Apostoli eum, qui non esset Deus definitivè, & absolutè, Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus, neque Dominum appellassent aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur, Dominum Deum Patrem, & Filium ejus, qui Dominum accepit à Patre suo omnis conditionis: Verè igitur cum Pater sit Dominus, & Filius verè sit Dominus, merito Spiritus Sanctus Domini appellatione signavit eos.* Si licet, ab ipsis hostibus mutuemur testimonia. Lucianus περὶ τ. περεγ. τελευτ. p. 337. scribit χριστὸν ὡς θεὸν ἐδοξάζον, *Christum ut Deum habuerunt.* Sed redeamus ad Christianos, & eum quidem, qui contra Paulum Samosatenum scripsit, provocans *ad Justinum, Miltiadem, Tatianum, Clementem, & alios nonnullos, in quorum omnium libris Christus verè Deus esse confirmatur. Quis Irenæi, quis Melitonis, quis cæterorum libros ignorat, qui hymni*

Chri-

Christum, Deum & hominem constanter asseverant? Quot item Psalmi, quot hymni à fratribus fidelibus antiquitus perscripti, qui Christum verbum Dei, verum Deum esse consensu quodam concelebrant? Euseb. libr. 5. hist. cap. 27. (2.) *Ex æterna generatione.* Justin. Apol. II. f. 53. scribit: Ἰησοῦς Χριστὸς μόνος ἰδίως υἱὸς τῷ θεῷ γεγέννηται, *Jesus Christus solus propriè Filius Deo genitus est.* Æternam esse hanc generationem idem probat ex Proverb. VIII. 22. dial. f. 221. Irenæus adhuc clarius loquitur libr. III. c. 21. Ut enim probet, quod *ipse propriè præter omnes, qui fuerunt tunc homines, Deus, & Dominus, & Rex æternus, & unigenitus, & verbum incarnatum sit prædicatum:* provocat ad generationem ejus æternam; *Quoniam præclaram præter omnes habuit in se eam, quæ est ab altissimo Patre, genituram.* Athenagoras in Apologia vocat, πρῶτον γέννημα τοῦ πατρὸς, οὐχ ὡς γενόμενον, *primum genimen Patris, non factum:* (3.) *Ex æqualitate cum Patre.* Nam Christianus credit *in unum Deum Patrem omnipotentem &c. & in unum Jesum Filium Dei, & in Spiritum Sanctum,* apud Iren. lib. 1. c. 2. (4.) *Ex attributis,* quale est *æternitas.* Disertè hoc affirmabat Justinus in dialogo cum Tryphone, qui idipsum repetit fol. 207. *Nam quod ais,* inquit, προϋπάρχειν Θεὸν ὄντα πρὸ αἰώνων τοῦτον τὸν Χριστὸν, *ante secula Deum fuisse hunc Christum, ac deinde nasci etiam hominem factum sustinuisse &c.* μωρὸν *stultum mihi* (Judæo) videtur. Irenæ. lib. 2. c. 56. vocat *Filium semper coexistentem Patri.* Et hoc respectu reliquos hominum Christo opponit: *Non enim infectus es, ô homo,* inquit, *neque semper coëxistebas Deo, sicut proximum ejus verbum.* c. 43 (5.) *Ex operibus.* Quale est *creatio.* testimonia §. 26. adduximus. (6.) *Ex cultu* soli Deo proprio. Justin. Apol. II. f. 43. *Hunc ipsum* (Patrem) *Filium & Spiritum Propheticum* σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν *colimus & adoramus.* repetit f. 47. contestetur vel hostis Plinius lib. 10. ep. 97 ad Traj. Scribit enim Christianos *carmen Christo, quasi Deo, dicere.*

§. 37. *Humana natura* probatur iisdem argumentorum locis Humana. (1.) *Ex nominibus.* Dicitur enim *homo* à Justin. Apol. 1. f. 40. qui f. 57. explicat *sanguinem uvæ,* qui Messiæ tribuitur: σημαντικὸν τοῦ ἔχειν μὲν αἷμα τὸν φανησόμενον, ἀλλ' οὐκ ἐξ ἀνθρωπείου σπέρματος, ἀλλ' ἐκ θείας δυνάμεως, *significat eum, qui apparituros fuerat, sanguinem quidem habiturum, verum non ex humano viri semine, sed ex virtute divina.* dial. f. 207. appellat ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων γενόμενον, *hominem ex hominibus genitum.* (2.) ex anima rationali & corpore, tanquam essentia humana. Sic enim

Juſtin. Apol. 1. f. 37. διὰ τοῦτο λογικὸν τὸ ὅλον τὸν φανέντα δι' ἡμᾶς χριστὸν γεγονέναι, καὶ σῶμα, καὶ λόγον, καὶ ψυχὴν, *ob id, quod qui noſtri cauſſa apparuit, Chriſtus rationalis ex parte omni factus eſt corpore, ratione & anima.* Irenæ. lib.V. f.293 *Sic in fine verbum Patris, & Spiritus Dei, adunitus antiquæ ſubſtantiæ plaſmationis Adæ, viventem & perfectum efficit hominem, capientem perfectum patrem.* Subjungit de carne & ſanguine, quibus in S. Cœna fruimur. Item de ſanguine, quo redempti ſumus: *Sanguis enim non eſt, niſi à venis & carnibus, & à reliqua, quæ eſt ſecundum hominem ſubſtantia, quia verè factum verbum Dei, ſanguine ſuo redemit nos.* l.c. (3.) Ex accidentibus, ſeu proprietatibus humanis, E.g. ex paſſione & morte. Nec minus interim oſtendens, ὅτι ἀληθῶς γέγονεν ἄνθρωπος ἀντιληπτικῶς παθῶν, *verum ſe eſſe hominem, ut qui cruciatus iſtos percipiendo paſſionem obierit,* dial. f. 254. Ex diverſa voluntate. Non ut ego volo, inquit Chriſtus paſſurus, ſed ſicut tu vis; *liquido ſatis per iſta declarans,* ὅτι ἀληθῶς παθητὸς ἄνθρωπος γεγόνηται, *ſe verè hominem paſſioni obnoxium prognatum eſſe.* fol. 255. (4.) Ex *incarnatione,* dicitur σωματοποίησις *incorporatio* à Juſtin. dial. Tryph. f. 231. Efficiens hujus erat peculiari modo Spiritus Sanctus: Sic enim Juſtin. Apol. II. fol. 58. τὸ πνεῦμα ἐλθὸν ἐπὶ τὴν παρθένον καὶ ἐπισκίασαν, *ſpiritus venit ſuper virginem, & obumbravit eam;* Ergo Spiritus Sanctus eſt Chriſti pater? Negatur. Nam οὐ διὰ συνουσίας, ἀλλὰ διὰ δυνάμεως ἐγκύμονα καθέστησε *non per concubitum, ſed per potentiam prægnantem reddidit. Spiritus Sanctus advenit in Mariam, & virtus altiſſimi obumbravit eam, quapropter & quod generatum eſt, ſanctum eſt, & Filius altiſſimi Dei Patris omnium, qui operatus eſt incarnationem ejus, & novam oſtendit generationem.* Iren. l.V. f. 263. Ita igitur Spiritus S. eſt incarnationis cauſſa, ut Pater tamen non ſit excluſus. Mater, ex qua natus eſt, Maria virgo eſt, ita ut hæc ſit θεοτόκος, probat Iren. lib.III. c.26. ex Iſai. VII. 14. ſeqq. ubi cibus & nomen Meſſiæ exprimitur; *diligenter igitur ſignificavit Spiritus Sanctus, per ea, quæ dicta ſunt, generationem ejus, quæ ex virgine, & ſubſtantiam, quoniam Deus; Emanuel enim nomen hoc ſignificat.* Et c. 32. *Quid enim in illam* (Mariam) *deſcendebat, ſi nihil incipiebat ſumere ab ea?* i. e. ἔμελλε λαμβάνειν *ſumpturus erat,* explicante Theodoreto lib. 1. Polymorphi, notante Jac. Bill. lib. 2. obſerv. ſacr. c. 5. Subſcribit Juſtino dialog. f. 256. διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐξ αὐτῆς, ἅγιόν ἐστιν, υἱὸς θεοῦ, *quapropter etiam per nativitatem ex ea progrediens ſanctum, ſit Filius Dei.* Maria igitur eſſen-

tiam

tiam humanam commodavit Filio Dei, quem peperit θεοτόκος facta. *Ex Maria operatus est plasmationem, ut non alia plasmatio fieret, neque alia esset plasmatio, quæ salvaretur, sed eadem ipsa recapitularetur servata similitudine.* Iren. l. III. cap. 31. disputat, innuens ex substantia Mariæ formatam esse humanam Christi naturam, sicut ex luto quondam Adamus. Pater putatitius fuit Josephus, τέκτονος νομιζομένου, *Christus Josephi fabri lignarij filius habebatur*; imò faber & ipse fuit: ταῦτα γὰρ τὰ τεκτονικὰ ἔργα εἰργάζετο ἐν ἀνθρώποις ὤν, ἄροτρα καὶ ζυγὰ, *fabrilia namque, cum in hominibus esset, faciebat opera, aratra & juga conficiens.* f. 247. dial. *Caussa finalis* ex parte Dei est gloria ipsius; ex parte nostri est reparatio amissorum. Ingeniti namque & ineffabilis Dei Rationem ac verbum secundum Deum adoramus & complectimur, ἐπειδὴ καὶ δι' ἡμᾶς ἄνθρωπος γέγονεν, ὅπως καὶ τῶν παθῶν τῶν ἡμετέρων συμμέτοχος γενόμενος, καὶ ἴασιν ποιήσηται, *quoniam nostra caussa id homo factum est, ut perpessionum nostrarum participatione medicinam nobis faceret.* Apolog. II. fol. 40. *Verbum incarnatum est propter ipsos* (impios hæreticos) *Propter hoc enim verbum Dei homo, & qui Filius Dei, filius hominis factus est, commixtus verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat filius Dei. Non enim poteramus aliter incorruptelam & immortalitatem accipere, nisi adunati fuissemus incorruptelæ, & immortalitati,* ait Irenæ. lib. 3. c. 21. ostendens incarnatum esse Dei verbum etiam propter impios hæreticos. confer lib. I. c. 2. II. c. 10. III. c. 18. 20. 21. 23. V. f. 315. ita loquitur: *Et propter hoc* (Deum nobis iratum) *in novissimis temporibus in amicitiam constituit nos Dominus per suam incarnationem Mediator Dei & hominum factus, propitians quidem pro nobis Patrem, in quem peccaveramus, & nostram inobedientiam consolatus; nobis autem donans eam, quæ est ad factorem nostrum, conversationem & subjectionem.* Hæc ille. Usus distinctionis inter duas in Christo naturas insignis est in conciliandis contradictoriis alias Christi prædicatis; Docet nos hunc usum Justinus lib. 3. de Trinit. citante Leontio contra Monophysitas: *Cum audieris unius filii voces contrarias* κατάλληλως μέριζε ταῖς φύσεσι τὰ λεγόμενα, *convenienter naturis partire, quæ dicuntur.* Subjectus est hic locus reliquis Justini Martyris libris in editione Commeliniana f. 399.

§. 38. In hac incarnatione facta est *unio* duarum in Christo naturarum. Nam λόγος humanam naturam in suam assumpsit hypostasin, quod Justin. dial. f. 231. vocat σωματοποιήσασθαι, hoc est, (4.) Unio.

quod corpus sibi fecerit, seu assumpserit, vel quod caro factus sit, explicante Chemnit. d. duab. nat. c. IX. p. m. 56. 57. Irenæus variis utitur formulis cum ἐγγράφοις, tum ἀγράφοις; ut lib. 3. c. 20. retinet τὸ ἐγένετο ex Joh. I. 14. *Oportebat*, inquiens, *eum, qui interficeret peccatum, idipsum fieri, quod erat homo, ut peccatum ab homine interficeretur, & homo exiret à morte.* cap. 19. ita loquitur: *unigenitus venit in hominem propter hominem.* Apud Theodoret. dial. 1. vocat, σάρκωσιν vel ἐνσάρκωσιν *incarnationem.* Nam λόγος σὰρξ ἐγένετο, *verbum caro factum est.* Frequenter appellat *Commixtionem.* l. 3. c. 21. l. 4. c. 37. 51. meliori mente, quam lingua: Vide Gallas. not. ad Iren. lib. 3. c. 21. vel, ut Erasmus in arg. ad lib. 3. Iren. loquitur: *Pio quidem sensu, sed verbo, quod nunc aversantur Theologorum aures.* Ut autem excuset & defendat Irenæum, addit: *Quam à permiscendi miscendiq; vocabulis non abhorruerit Augustinus epistola tertia: tametsi, quod Augustinus dicit, durius est dicto Irenæi. Ait enim, quod Deus homini permixtus sit, Irenæus dicit hominem Deo permixtum.* Patres ante ortum Eutychem securius locuti sunt, Nam & Naz. epistol. ad Clidonium unionem vocat, κρᾶσιν & σύγκρασιν, *mixtionem & commixtionem*; Qua tamen phrasi contentus non est Cyrillus in certamine Nestoriano probè versatus. Sic enim ille: *Non mixtura confusionem aut κρᾶσιν substantiæ λόγου ad carnem factam definimus, sed dicimus carnem animam habenti rationalem, unitum verbum, sed ultra mentem, & ineffabiliter, ut solus ipse novit.* Eodem sensu suam commixtionem videtur intellexisse Irenæus. Nam libr. V. fol. 298. unionem animæ & corporis vocat commixtionem, cum qua alibi solent comparare unionem duarum in Christo naturarum. Et libr. III. 18. sic loquitur: *Filius Dei Filius hominis factus est, portante homine, & capiente, & complectente Filium Dei.* Optat noster Chemnitius lucem ex Græco textu. *Apud Irenæum* enim *plurima sunt ita de Græcis imitata, ut quid ea significent, vix satis quisquam assequi possit, etsi mediocrem linguæ Græcæ peritiam sibi compararit,* Ait eruditissimus Criticus Jacobus Billius observ. sacr. l. I. c. 33. Desiderat igitur & noster Chemnitius textum h. l. authenticum i. e. Græcum, in quo suspicatur extitisse vocem χωρεῖν vel περιχωρεῖν, qua utitur Theodoretus dial. citans Irenæi sententiam: ὁ ἄνθρωπος χωρήσας τὸν λόγον, item: θεὸς ἐχωρήθη εἰς ἄνθρωπον; & Damascenus, qui ex antiquitate se accepisse fatetur. Irenæus autem vocem commixtio non opponit unioni περιχωρητικῇ, sed

φανταστικῇ & imaginariæ, qualem fingebant hæretici, contra quos disputat, asserentes Christum & Jesum esse duas distinctas personas inter sese non aliter unitas, ac Deus & homines fideles, in quibus gratiosè habitat ille. Chemnit. d. duab. nat. cap. IX. Etiamsi autem incommodiores phrases commodum admittere possint sensum, tamen cauti simus in verbis & phrasibus. Quare nec semper vitilitigatores sunt, qui de verbis disceptant, eo præsertim tempore, quo ab heterodoxis in favorem caussæ suæ abripiuntur. Igitur fruatur suo judicio Erasmus, quod l. c. subjunxit: *Solum autem uniendi verbum nunc placet scholis, quum nulla vox sit magis impia, nisi benignè interpretemur. Hæc ob eos commemoro, qui miras concitant tragœdias ob voculas, quarum emphasin interdum non intelligunt.*

§. 39. *Communio* mutua est inter duas in Christo naturas uni- (5.) Com-
tas. Colligitur ex verbis Justini Apol. II. f. 40. *Ingeniti namq; & in-* munio.
effabilis Dei rationem ac verbum secundum Deum adoramus & complectimur, quoniam nostri caussa homo factum est, ὅπως καὶ τῶν παθῶν τῶν ἡμετέρων συμμέτοχος γενόμενος, *ut perpessionum nostrarum participatione medicinam nobis faceret.* Verbum ait esse hominem factum, & particeps redditum passionum istarum quæ hominis sunt: oportet igitur inter humanam & divinam naturam fuisse mutuam περιχώρησιν, cujus virtute passiones humanæ naturæ factæ sunt passiones λόγου. Irenæus lib. 3. c. 18. *Primogenitus in omni conditione Filius Dei, hominis filius factus, ut per eum adoptationem percipiamus, portante homine, & capiente, & complectente Filium Dei.* Capere & complecti λόγον est χωρῆσαι, uti Theodoretus dial. 1. loquitur, non quasi divinitas concludatur ab humana natura, sed propter mutuam περιχώρησιν hinc passivam, inde activam. Confer lib. III. c. 20. l. IV. c. 34 *Per unionem,* inquit, *facta est communio Dei & hominis:* Non personæ ad personam, sed naturæ cum natura.

§. 40. *Communicatio idiomatum.* Explicatur distinctè secun- (6.) Attri-
dum tria genera prædicationum. I. Quando attributa alterutrius tributorum
naturæ prædicantur de concreto personæ, vel naturarum. E. g. hu- Communicatio
mana de verbo, Hoc fine enim homo factum est, *ut perpessionum no-* 1. genus.
strarum participatione medicinam nobis faceret, censente Justino. Hinc dico: *Filius Dei natus est ex virgine.* Irenæ. libr. III. cap. 18. *invisibilis visibilis factus, & incomprehensus factus comprehensibilis, &*

impas-

impaßibilis paßibilis, & verbum homo. f. 177. Mysterium hoc est, ut mirum non sit Tryphonem Judæum non potuisse comprehendere, ὅτι θεὸς ὑπέμεινε γεννηθῆναι, καὶ ἄνθρωπος γενέσθαι, *quod Deus sit natus, & homo fieri sustinuerit.* dial. Justin. f. 228. Verum nihilominus est enunciatum: Deus est natus; Deus est homo factus: *In principio verbum existens apud Deum per quem omnia facta sunt, qui & semper aderat generi humano, hunc novißimis temporibus secundum præfinitum tempus à Patre unitum suo plasmati paßibilem hominem factum.* Iren. libr. 3. c. 20. Multus est in hoc fidei capite. Nam res ei erat cum hæreticis, qui geminam ex Christo faciebant personam, quare unitas omnibus modis propugnanda erat lib. II. c. 18. Sunt autem notandæ *particulæ distinctivæ*, ut appareat, juxta quam naturam prædicatum de concreto personæ, vel naturæ enuncietur. καταλλήλως μέριζε ταῖς φύσεσι τὰ λεγόμενα i.e. *distribue ea, quæ dicuntur, inter naturas, ut cuiq; id quod proprium ejus est, aßignetur.* Just. d. Trinit. libr. 3. c. 17. citante Leontio contra Monophysitas. *Homo erat, ut tentaretur, & verbum, ut glorificaretur*, ait Iren. l. 3. c. 21. *requiescente quidem verbo, ut posset tentari, & inhonorari, & crucifigi, & mori, absorpto autem homine in eo, quod vincit, & sustinet, & resurgit, & assumitur. Hic igitur filius Dei Dominus noster existens, verbum Patris, & Filius hominis, quoniam ex Maria, quæ ex hominibus habebat genus, quæ & ipsa homo erat, habuit secundum hominem generationem.* Græca verba habes apud Theodoret. dial. 3.

2. Genus. §. 41. II. Cum attributa divinæ naturæ prædicantur de humana in abstracto. Fundamentum est facta unio, communicatio, & operatio. *Divina* enim *potentia in assumpta natura Christi operatur, quæ sunt supra naturam,* ait Justin. quæst. orth. 117. Probatur ex unctione facta. Nam *secundum id, quod verbum Dei homo erat ex radice Jessæ, & filius Abrahæ, secundum hoc requiescebat Spiritus Dei super eum, & ungebatur ad Evangelizandum humilibus.* Iren. libr. 3. c. 10. Vide Marbach. d. Maj. Christi. p. 197.

3. Genus. §. 42. III. Cum prædicantur opera officii, in quibus unaquæque naturarum operatur, quod suum est, cum communicatione alterius. *Si enim homo non vicisset inimicum hominis, non justè victus esset inimicus; Rursus autem nisi Deus donasset salutem, non firmiter haberemus eam, & nisi homo conjunctus fuisset Deo nostro, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis.* Iren. l. 3. c. 20. Adde §. 37. allegatum ex libr. 3. c. 21. &

Justin.

Theodoret. dial. 3. locum; Et testimonia superius §. 33. allegata ex Justin. Apol. II. f. 40. Irenæ. l. 3. c. 21. l. 5. f. 315. *Memor igitur dilectissime, quoniam carne Domini redemptus es, & sanguine ejus.* fol. 312. confer lib. IV. c. 37. f. 240. 241. Probat ex S. literis *Christum passum, & ipsum esse Filium Dei, qui pro nobis mortuus, & sanguine suo redemit nos:* l. III. c. 18. Et 23. *Quoniam neq; homo tantum erit, qui salvabit nos; neq; sine carne: sine carne enim Angeli sunt. Prædicavit enim dicens, neq; Senior, neq; Angelus, sed ipse Dominus salvabit eos, quoniam diligit eos, & parcet eis, ipse liberavit eos.*

(7.) Officia 1. Propheticum.

§. 43. Officium Christi triplex est (1.) *Propheticum.* Nam teste Justino dial. f. 235. *Esaias eum magni consilij Angelum appellans eorum præceptorum, quæ, cum advenisset, tradidit, doctorem esse* διδάσκαλον αὐτοῦ γενομένου προεκήρυσσε *prædixit.* Prolixè hoc agit Iren. lib. IV. c. 14. 15. &c. ex occasione dicti: Nemo cognoscit Patrem, nisi Filius, & lib. V. f. 292. Jam in V. T. prælusit huic officio in tempore futuro, dum per prophetas locutus est. Hic enim existens Spiritus Dei, principium, & sapientia, altissimaque potentia κατήρχετο εἰς τοὺς προφήτας καὶ δι' αὐτῶν ἐλάλει, *descendit in prophetas, & per ipsos loquutus est de mundi creatione & reliquis:* ait Theophil. l. 2. contra Autolyc. f. 302. Neque tamen adhuc fuit propriè propheta, ut in N. T. postquam Pater per ipsum ad nos locutus est. Ebr. I. 1. vide Dn. D. Dorsch. Apol. pro judic. contra Laterm. sect. 3. c. 2. §. 33. p. 99. Referri huc potest controversia *de apparitione Filij Dei in V. T.* Patres hujus seculi unanimi consensu docent: Filium Dei in V. T. sub variis formis apparuisse. Justinus Martyr, in dialogo cumprimis, ex professo contra Judæum Tryphonem disputat pro apparitione Filii Dei in V. T. Apparuisse enim dicit Abrahamo in iliceto Mamre, Jacobo in reditu ex Mesopotamia, colluctatum cum ipso, Mosi ex rubo, Israëlitis in monte Sinai, &c. Dial fol. 278. seqq. Probat ex nomine Dei, & attributis, quæ apparenti tribuuntur, incogruis scilicet Angelo creato, soli increato congruis, *qui juxta consilium Dei, & voluntatem, & Deus est, & filius ejus, & Angelus, ex eo, quod sententiæ illius est administer.* fol. 280. & largitur Calixt. dis. de Myst. Trinit. §. 46. subscribit Theophil. l. 2. contra Autolyc. fol. 312. *Sermo Dei,* inquiens, *per quem omnia creavit, existens potentia & sapientia Patris, assumit faciem, seu personam Patris, & Domini universorum. Is venit in paradisum sub persona Dei, & colloquebatur cum Adamo.* Irenæus libr. IV. c. 17. sententiam horum confirmat,

Apparitio Filij in V.T.

ſcribens, *eum, qui in figura loquutus eſt humana ad Abrahamum, & Aaronem, & ad Moyſen, dicentem: videns vidi venationem populi mei in Aegypto, & deſcendi liberare eos, fuiſſe Dei Filium. Hic enim Filius, qui & verbum Dei, ab initio præſtruebat, non indigente Patre Angelis, uti faceret conditionem* &c. c. 23. *Inſeminatus eſt ubiq; in ſcripturis Dei Filius, aliquaudo quidem cum Abrahamo loquens, aliquando cum eodem comeſurus, aliquando autem Sodomitis inducens judicium, & rurſus cum videtur & in viam dirigit Jacob, & de rubo loquitur cum Moyſe, & non eſt numerus dicere in quibus à Moyſe oſtenditur Filius Dei &c.* l. 4. c. 1. Baſilidem refutat, quod dixiſſet Angelum, legis promulgatorem, fuiſſe creatum Contra Dionyſ. Petav. lib. 1. de Trin. c. 3. §. 2. vide Gerh. Loc. II. d. Nat. Dei. §. 36. & Loc. III. §. 155. Exegeſ. Dn. D. Calov. harm. Calixt. Armin. p. 957.

2. Sacerdotale conſiſtẽs in (I.) Obedientia activa

§. 44. (2.) *Sacerdotale.* Juſtinus vocat αἰώνιον ἱερέα *æternum ſacerdotem.* dial. f. 183. ſecundum ordinem Melchiſedech. f. 194 241. 253. 266. Ἐξαίρετος ἱερεὺς *eximius ſacerdos* fol. 271. appellatur. Abſolvitur duabus partibus. 1. *Obedientia* eaque cum activa, tum paſſiva. *Activa,* Nam *venerat legem implere.* Irenæ. l. 4. c. 5. & revera implevit noſtri cauſſa: *Luctatus eſt enim, & vicit; Erat enim homo pro patribus certans, & per obaudientiam inobaudientiam perſolvens.* Irenæ. l. III. c. 20. *Quemadmodum enim per inobedientiam unius hominis, qui primus de terra rudi plaſmatus eſt, peccatores facti ſunt multi, & amiſerunt vitam: ita oportuit & per obedientiam unius hominis, qui primus de virgine natus eſt, juſtificari multos, & percipere ſalutem.* l. c. Et lib. 5. c. 18. *Soluta eſt ea, quæ fuerat in Adam, præcepti Dei prævaricatio per præceptum legis, quod ſervavit filius hominis non transgrediens præcepta Dei.*

& paſſiva.

Huic ſubjungit paſſivam: lib. 5. fol. 320. 324. explicans dictum Gen. III. 15. & in eo inimicitiam inter ſemen mulieris & ſerpentem. Concernit enim hæc obedientia paſſiva omnes eas paſſiones, cruciatus, & mortem, quæ ſuſtinuit Chriſtus in ſtatu exinanitionis. Verè paſſus eſt, quod apparet ex agone in horto, *ut ſciremus Patrem in tantis perpeſsionibus Filium ſuum verè noſtri cauſſa verſari voluiſſe, & non diceremus, illum ipſum filium Dei non excepiſſe & ſenſiſſe eorum quidquam, quæ illi illata ſunt & acciderunt.* Juſtin. dial. f. 259. Multus eſt in hoc confirmando Irenæus contra hæreticos, qui negabant Chriſtum verè paſſum & mortuum eſſe. l. I. c. 1. 23. Ille enim contra fatetur *ex virgine generationem, & paſsionem & reſurrectionem à mortuis.* l. 1. c. 2. Nomen hinc Chriſtus accepit *Martyris*; quod appa-

apparet ex literis Ecclesiæ Gallicanæ, dum refert, confessores, in carceribus detentos, recusasse titulum Martyrum, si forte salutarentur, addita caussa, quod *libenter hanc Martyris appellationem Christo fideli & vero Martyri, primogenito mortuorum, duci & cultori vitæ, quæ est ex Deo, concederent.* Euseb. l. V. hist. c. 2. Vicaria est hæc obedientia sufficiens, & ex asse satisfaciens justitiæ Dei vindicativæ: *Deus rerum universarum parens Christum suum ex omni mortalium genere* πάντων κατάρας ἀναδέξασθαι ἐβουλήθη, *omnium maledictiones excipere voluit.* Justin. dial. f. 252. ut adeo & misericordiæ divinæ sit satisfactum: *Quantum attinet quidem ad apostasiam juste suo sanguine nos redimens ab ea, quantum autem ad nos, qui redempti sumus, benigne.* Iren. l. V. f. 294.

§. 45. *Effectus* obedientiæ utriusque sunt vel *privativi*, abolitio nempe malorum, quæ lapsum sunt consecuta, ut sunt peccatum, maledictio legis, ira divina, potestas diaboli, mors, & æterna damnatio: *Nos gravissimis peccatis, quæ in nos admisimus, baptizatos atque submersos* διὰ τοῦ σταυρωθῆναι ἐπὶ τοῦ ξύλου, καὶ δι᾽ ὕδατος ἁγνίσας *per supplicium capitale crucis in ligno, & per purificationem aquæ Christus noster redemit.* Justin. dial. f. 245. & f. 252. *Deus per Christum omnes salvat, qui maledictione digna in se admiserunt. Nam genus humanum omne maledictioni obnoxium esse invenietur.* & f. 265. *Credentes* ῥύσεται ἐκ θανάτου τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, *liberabit à morte sanguis Christi.* Iren. l. V. f. 320. *Omnia ergo recapitulans recapitulatus est, & adversum inimicum nostrum bellum provocans, & elidens eum: qui initio in Adam captivos duxerat nos, & calcans ejus caput:* Et lib. II. c. 36. *Dominus per passionem mortem destruxit, & solvit errorem, corruptionemque exterminavit, & ignorantiam destruxit;* & l. 5. f. 321. *Apostata Dei Angelus per illam destruitur vocem, traductus qui sit, & victus à filio hominis servante Dei præceptum.* Prædictum hoc est in paradiso, cum protevangelium promulgaretur, allegante id Irenæo lib. 3. c. 38. his verbis: *Quapropter inimicitiam posuit inter serpentem, & semen ejus, observantes invicem, illo quidem, cui mordetur planta, & potente calcare caput inimici; altero vero mordente, & occidente, & interpediente ingressus hominis, quoad usque venit semen prædestinatum calcare caput ejus, quod fuit partus Mariæ.* Hæc ille, conculcationem capitis serpentini tribuens non Mariæ Virgini, sed Virginis Filio Chisto. Unde Erasmus in argumento ad l. III. Iren. observat: *capite 38. recitat ex Genesi: Et ipse conteret caput tuum; ut, ipse, non referatur ad mulierem, sed ad semen mulieris, quod*

Cujus effectus (1.) Privativi

est Christus, hoc ipso pungens perversionem vulgatæ, quæ *Ipsa* vertit, vel potius pervertit: Contra Bell. lib. II. de V.D. c.12.

(2.) Positivi §. 46. Effectus meriti Christi *positivi* sunt: Reconciliatio cum Deo: *Nam propterea benigne effudit seipse, ut nos colligeret in sinu Patris.* Irenæ. lib. V. f. 294. Restauratio imaginis amissæ: *Nam quando incarnatus & homo factus longam hominum expositionem in seipso recapitulavit, in compendio nobis salutem præstans, ut, quod perdideramus in Adam, id est, secundum imaginem & similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus.* Irenæ. libr.3.cap. 20. Vulneribus ejus sanati sumus. Justin. dial. f. 252. Restitutio libertatis. *Illius enim colligatio solutio facta est hominis.* Iren. l. V. f. 322.

(II.) Intercessione. §. 47. II. *Intercessione.* Nam Justin. dial. fol. 197. docet Christum passione & morte defunctum *fore æternum regem & sacerdotem s. Pontificem*, Iren. l. 3. 21. Christum dicit in cœlos exaltatum *contulisse & commendasse Deo* hominem, quem secum adduxerat ex resurrectione καὶ αἰώνιος βασιλεὺς καὶ ἱερεὺς γενησόμενος: Non autem Pontifex erat semetipsum offerendo, sed intercedendo pro suis. Confer 253. 271.

(III) Benedictione. III. *Benedictione.* Hoc fine Justinus fol. 194. dial. Christum comparat Melchisedecho, docens, eodem modo sempiternum Sacerdotem à se ordinatum, & Dominum à Spiritu S. vocatum, illum *Deus eorum, qui in præputio sunt, fore, eosq; simul, qui in circumcisione ad ipsum accessuri, i. e. ei credituri, atq; benedictionem ab eo petituri essent, suscepturum, illisq; benedicturum esse, significavit*: Respicit autem Ps. CX.

(3.) Regium. §. 48. (3.) *Regium.* Non loquor jam de exercitio regii muneris plenissimo; de quo in statu exaltationis, sed de officio ipso: *Iste enim est eximius præcipuusq; sacerdos*, καὶ αἰώνιος βασιλεὺς, *& æternus Rex.* Justin. dial. f. 271. Irenæus laudat *incarnatum & ipsum, ut in omnibus manifestus fieret rex eorum.* lib. 3. c. 9.

(8.) Status 1. Exinanitionis. §. 49. Status (1.) *Exinanitionis.* Hunc describit Justin. Apol. II. f. 75. *Pro salute hominum in se credentium* καὶ ἐξουθενηθῆναι καὶ παθεῖν ὑπομεῖναι, *& nullificari & passionem subire sustinuit.* & lib. 3. de Trinit. c. 17. *Filius, cum sit unus, & duæ naturæ, altera quidem divina miracula peregit*, καθ' ἄλλην δὲ τὰ ταπεινὰ παρεδέξατο, *altera verò ea, quæ humilitatis sunt, excepit*, citante Leontio contra Monophysitas. f. 24. b. Eundem Justinus in hoc statu versantem vocat παθητὸν, καὶ ἄδοξον, καὶ ἄτιμον, *passioni subjectum, inglorium, & ignobilem.* dial. cum Tryph. f. 263. Probat ex Ps. CX. 7.

bibet

bibet de torrente in via &c. quo dicit oſtendi, ὅτι ταπεινὸς ἔσται πρῶτον ἄνθρωπος, *quod humilis prius homo futurus eſſet.* & agnoſcit Trypho: *Veſter ſic dictus Chriſtus* ἄτιμος καὶ ἄδοξος γέγονεν, *inhonoratus & inglorius, at in extremam legis Dei inciderit exſecrationem. Nam in crucem eſt actus.* f. 191 Ad hunc ſpectat conceptio, nativitas, educatio, vita, ſimiliter humanæ geſta, γεννηθῆναι σαρκοποιηθεὶς ὑπέμεινεν, *ſuſtinuit caro fieri.* dial. f. 204. *Chriſtus Dei filius, eam, quæ eſt ex virgine, generationem ſuſtinuit, ipſe per ſe hominem adunans Deo.* Iren. l. 3. c. 4. Nam opifex ipſe fuit ille cœli terræq; opifex, ταῦτα γὰρ τὰ τεκτονικὰ ἔργα εἰργάζετο ἐν ἀνθρώποις ὢν ἄροτρα καὶ ζυγά; *Fabrilia namq;, cùm in hominibus eſſet, faciebat opera, aratra & juga conficiens.* f. 247 Si genuinus eſſet Anacletus in epiſt. f. m. 16. t. 1. concil. referremus huc verba, quæ ſtatum exinanitionis illuſtrarent, ſed quia ſuppoſititius eſt auctor omittimus: Sicut & Hygini epiſtolam fol. 24. 2. Sed genuina excutiamus. In hoc ſtatu Chriſtus ſecundum humanam naturam verè neſcivit ut alia, ita diem judicii extremi: teſte Iren. lib. 2. cap. 49 notante Eraſmo in argumento libri ſecundi. Voluntaria fuit illa ignorantia, ſicut & reliquarum dignitatum divinarum evacuatio, quod uſum attinet. Id quod Eccleſia Lugdunenſis in literis ad Ponticas haud obſcurè innuit, inſtituta collatione inter Chriſtum exinanitum, & ſuos martyres honore hujus nominis ſeſe ultro abdicantes. Euſeb. lib V. c. 2.

§. 50. (2.) *Intermedius.* Ad hunc ſpectat Chriſti vivificatio, 2. Intermedius
& hanc conſecutus *deſcenſus ad inferos.* Sic enim Iren. l. 5. f. 335. *Dominus in medio umbræ mortis abiit, ubi animæ mortuorum erant; poſt deinde corporaliter reſurrexit, & poſt reſurrectionem aſſumptus eſt.* Dictum hoc à Maſſonii exceptionibus liberat Dn. D. Dannhavver. Chriſteid. pag 948. 949.

§. 51. (3.) *Exaltationis.* Allegavimus modo ex Juſtino f. 194. 3. Exaltationis.
duplicem ſtatum, alterum, in quo humiliatus eſt, alter in quo ὑψωθήσεται *exaltabitur* Meſſias & probat ex Pſ. 72. f. 195. contra Judæos, qui de Salomone Pſalmum intelligebant: illuſtrat f. 193. 197. à dextra divina, ad quam conſedit exaltatus. *Formale* hujus exaltationis eſt collatio plenarii exercitii, quod attinet divinam majeſtatem; ut Chriſto exaltato *omne genu curvetur, cœleſtium, terreſtrium, & inferorum, & omnis lingua confiteatur ei, & juſtum judicium in omnibus faciat* Iren. libr. 1. cap. 2. Eſt enim Rex omnium conſtitutus, juxta prophetas,

 quos

quos Justinus fol. 62. Apol. 1. dicit prædixisse, ὅτι μετὰ τὸ σταυρωθῆναι βασιλεύσῃ ὁ χριστός, *quod post crucis supplicium regnaturus sit Christus*; allegatis Psal. 1 2.96. Subscribit Irenæus lib. III. c. 18. & c. 21. ubi *glorificationem* appellat exaltationem. *Objectum* hujus potestatis sunt etiam dæmones: Nam ex genuflexione etiam inferorum patet *Patrem ei tantam dedisse potestatem & virtutem, ut & dæmonia nomini ipsius & passionis ejus obitæ subjecta sint.* Justin. dial. f. 191. & quidquid in terra est; f. 234. *Exercitium* hoc apparebit in *die extremo*, cum se judicem præbebit in nubibus conspiciendum filius hominis: ὡς υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπάνω νεφελῶν ἐπελεύσεται: *Nam tanquam filius hominis super nubibus venturus est*, uti loquitur Justin. dial. f. 191. ex Daniele, cujus cap. VII. 9. allegat. Observa secundum quam naturam sit judex, nempe humanam, quod ipse Trypho Judæus ex verbis Justini colligit: *O homo, hæ atq; similes scripturæ nos illustrem & magnum exspectare cogunt, qui ab antiquo dierum*, ὡς υἱὸν ἀνθρώπου παραλαμβάνοντα τὴν αἰώνιον βασιλείαν, *tanquam filius hominis accepturus est regnum sempiternum.* Et Iren. l. III. cap. 18. *Omnis*, inquit, *qui credit, quia Jesus est Christus, ex Deo natus est, unum & eundem sciens Jesum Christum, cui apertæ sunt portæ cœli, propter carnalem ejus assumptionem, qui etiam in eadem carne, in qua passus est, veniet, gloriam revelans Patris.*

Sectionis V. Argumentum.

Ἀνθρωπολογία. Homo in statu (1.) institutionis: seu in imagine Dei. (2.) Destitutionis: lapsu Adami, caussis, effectis: (3.) Restitutionis: hujus caussis, & effectis: (4.) Glorificationis: de morte, resurrectione, judicio extremo, mundi consummatione, & æterna vita. Damnatio ejusdem.

V. Ἀνθρωπολογία *Homo.* in statu (1.) *Institutionis*

§. 52. V. Ἀνθρωπολογία. Consideratur homo (1.) *In statu institutionis*: in quo *factus & plasmatus homo secundum imaginem & similitudinem constituitur in fecti Dei. Patre quidem bene sentiente, Filio ei ministrante & formante, spiritu verò nutriente & augente, homine vero paulatim proficiente.* Iren. lib. IV. c. 75. Unde patet *Efficientem* imaginis esse S. Trinitatem. *Per manus enim Patris, id est, per Filium & Spiritum fit homo secundum similitudinem Dei, sed non pars hominis. Anima autem & spiritus pars hominis esse possunt, homo autem nequaquam: Perfectus autem homo commixtio & adunitio est animæ assumentis Spiritum Patris, & admixtæ in carne,*

qua

quæ est plasma secundum imaginem Dei. Irenæ. libr. V. f. 298. Est autem imago εἰκὼν ἧς ἡ γένεσις διὰ μιμήσεως, cujus generatio per imitationem: Ait author q. & R. ad Græc. fol. 146. opp. Justin. *Subjectum* imaginis hujus est totus homo: λέγω δὲ ἄνθρωπον, οὐχὶ τὸν ὅμοια τοῖς ζώοις πράττοντα, ἀλλὰ τὸν πόῤῥω μὲν ἀνθρωπότητος, πρὸς αὐτὸν δὲ τὸν θεὸν κεχωρηκότα, *hominem accipio, non qui similiter cæteris animantibus vivat, sed qui longe supra humanam naturam ad ipsum Deum accesserit.* Tatian. contra Græc. fol. 201. Homo igitur est imago Dei non secundum essentiam, sed secundum qualitates, secundum quas Deo assimilatur: Ut sunt *liberum arbitrium,* Deus enim ipsos creavit ἐν ἐλευθέρᾳ προαιρέσει καὶ αὐτεξουσίους γενομένους, *in libera electione, & propria voluntate.* Justin. dial. f. 247. *Liberæ sententiæ ab initio est homo, & liberæ sententiæ est Deus, cujus ad similitudinem factus est: semper consilium datur ei continere bonum, quod perficitur ex ea, quæ est ad Deum, sapientia.* Iren. lib. IV. c. 72. Unde simul patet, quod sit factus *bonus.* Nam ex professo disputat Irenæus contra hæreticos, qui asserebant; *naturaliter quosdam bonos, quosdam vero malos factos esse.* Justinus eadem docuit ante ipsum: *Ab initio* enim, scribit, *Deus genus humanum ita creavit,* νοερὸν καὶ δυνάμενον αἱρεῖσθαι τἀληθῆ, καὶ εὖ πράττειν, *ut intelligentia præditum esset, & arbitrij liberi potestate delectum tum vera consectandi, tum bene agendi obtineret.* Apol. II. f. 55. subscribit Athenagoras orat. d. resur. f. 363. *Anima,* inquiens, *est genita, ut moderaretur affectibus corporis, ac quidquid inciderit decentibus judiciis æstimet, & mensuris congruis demetiatur.* Adde sequentia: Nam prolixiora sunt, ut huc referantur. Theophil. l. 2. contra Autolyc. f. 315. dicit, ἐν ἁπλότητι καὶ ἀκακίᾳ, *in simplicitate & puritate esse conditum hominem.* Quod si boni, etiam immortales. Nam mors est stipendium peccati. Hinc merito Justin. Apol. II. *Condidit Deus homines, ut, si vitam illius voluntati attemperarent, cum illo degerent, regnarentq; immortales.* Et Tatianus, *Verbum,* inquit, κατὰ τὴν τοῦ γεννήσαντος αὐτὸν πατρὸς μίμησιν εἰκόνα τῆς ἀθανασίας τὸν ἄνθρωπον ἐποίησεν, *hominem immortalitatis imaginem fecit ad imitationem sui Genitoris.* f. 195. orth. Patr. idque mera arbitrii libertate. Iren. l. 2. c. 65. Distinguendum tamen est inter καθαρῶς ἄφθαρτα καὶ ἀθάνατα, *pure incorruptibilia & immortalia,* (ut Athenagoras d. ref. mort. fol. 366. de Spiritibus loquitur,) & secundum quid sic dicta. Non dicimus eam immortalitatis rationem fuisse in homine primævo, quæ est in Deo, vel in Angelis: Alia enim est

ratio

Imaginis Divinæ *Efficiens.* Descriptio. Subjectum. *quidditas.* ut libertas.

Bonitas.

Sapientia.

Pietas.

Immortalitas.

ratio entium plane immaterialium & materialium; Homo habuit corpus, quod, supposito peccato, poterat recipere corruptionem & mortalitatem, sine supernaturali Dei operatione: qualis potentia in spiritibus non est. Deus est immortalis per essentiam, homo per gratiam. Iren. lib. 2. c. 64. Theoph. l. 2. contra Autol. f. 316. optimè rem declarat, ne homo primævus vel immortalis per essentiam sit Deus, vel mortalis per naturam, ut homines lapsi, existimetur: *Apparet*, inquiens, *quod homo*, οὔτε φύσει θνητὸς ἐγένετο, οὔτε ἀθάνατος, *neq; naturâ mortalis sit factus, neq; immortalis, sed utriusq; quodammodo particeps, ut reperet ad immortalitatem servans mandatum Dei.* Rationes præmiserat: *Si immortalem ab initio eum fecisset, Deum eum constituisset: Si mortalem eum formasset ab initio, Deus sane posset auctor hominum mortis videri.* Vid. Dn. D. Calov. harm. Calixt. hæret. p. 251. Idem dixerat f. 314. addens, quo tandem? nempe *ut declaratus tandem Deus in astra ascenderet.* Mortuus E. non fuisset. Eadem docet & urget Athenagoras pro resurrectione mortuorum fol. 362. 363. συνδιαιωνίζουσαν ἀπόνως *in æternitate perennem:* ait. Nempe, quia homo propter nullam aliam creaturam, omnes autem creaturæ propter hominem factæ sint, hinc patere contendit, οὐδεμίαν οὐδέποτε δέξαιτ' ἂν τὸ εἶναι παντελῶς ἀφανίζουσαν αἰτίαν, quod fieri non possit, *ut unquam in se ullam vim admittant, qua prorsus extinguantur.* Non loquitur de solo actu secundo, sed & primo, dum οὐδεμίαν αἰτίαν mortis inesse per naturam docet. E. nec ex conditione materiæ fluentem.

(II.) *Destitutionis*
(1.) Auctor diabolus:

53. (II.) *In statu destitutionis.* 1. *Auctor* non est Deus, sed diabolus seducens, & homo seductus. Justinus Apol. II. f. 55. describit liberum primævi hominis arbitrium, & subjicit: *Quocirca excusatione nulla defendi possunt mortales omnes apud Deum:* possent autem, si fatali necessitate ad peccandum adigerentur. Ex professo hoc egit Irenæus in libro de monarchia, sive, *quod Deus non sit auctor & fabricator mali,* contra quendam Florinum, qui contrarium tenebat. Euseb. V. 19. Et Bardesanes in libro de fato, quod refutavit. Vide Euseb. de præparat. Evang. lib. VI. c. 8. Hier. d. script. Eccles. tit. Bardesanes. confer Justin. dial. cum Tryph. sub fin. orat. 1. ad Gentil. qu. 58. Theoph. Antioch. l. 2. Tatian. orat. contra Græc. Iren. l. 1. c. 29. Justinus Dial. cum Tryph. f. 246. docet *humanum genus per Adamum in mortem & fraudem seductionemq; serpentis concidisse.* Iren. l. V. f. 320. prolixè

lixè hoc ipsum ostendit, suffragatur Theophil. lib. 2. contra Autol. f. 317. Serpens igitur diabolus seduxit Adamum, & per hunc in exitium abripuit universum genus humanum. Permittente tamen Deo homo est seductus: *Dominus universorum* ἐντρυφᾶν εἴασε *permisit eos (diabolos) hominibus illudere.* Tatian. contra Græc. f. 199. & Iren. l. III. c. 22. *Ab initio fuit patiens Deus hominem absorberi à magno ceto, qui fuit auctor prævaricationis*: & prævidente; *Qui abstinuerunt à paterno lumine, & transgressi sunt legem libertatis, per suam culpam, liberi arbitrij & suæ potestatis facti.* *Deus autem omnia præsciens.* Irenæ. l. 4. c. 76. At posuit Deus arborem scientiæ boni & mali? ἠβούλετο δοκιμάσαι αὐτὸν, εἰ ὑπήκοος γίνεται τῇ ἐντολῇ αὐτοῦ: *Volebat* (Deus) *probare ipsum* (hominem) *an obedire vellet mandato ipsius?* Theophil. l. 2. contra Autolyc. f. 315. Primum peccatum fuit infidelitas, & inobedientia. Innuit hoc Iren. lib. 1. cap. 4. ubi disserit de *transgressorum Angelorum apostasia, & inobedientia hominum.* & Justin. dial. f. 256. *Eva, cum virgo esset, & incorrupta, serpentis verbo concepto* παρακοὴν καὶ θάνατον ἔτεκε: subscribit Theophil. l. 2. contra Autol. f. 315. ἡ παρακοὴ αὐτὸν ἐκ τοῦ παραδείσου &c. *Protoplastum nostrum inobedientia ex paradiso expulit.* Iren. l. 3. c. 33. *quod alligavit Virgo Eva per incredulitatem, hoc Virgo Maria solvit per fidem.* Repetit lib. 5. f. 587. Alterum peccatum erat superbia. *Etenim per stultitiam suam vana gloria impulsi* πρὸς τὸ κενοδοξεῖν τραπέντες *& effrenes facti, latrones divinitatis fieri sibi proposuerunt.* Tatian. contra Græc. f. 198.

Permissio Dei, *& prævisio.*

(2.) *Forma* est peccatum infidelitatis

& superbiæ.

§. 54. (2.) *Effectus.* Est amissio imaginis divinæ. Nam *in Adam perdidimus secundum imaginem & similitudinem esse Dei.* Iren. libr. 3. c. 20. Ita ut *oporteat nos id nunc inquirendo repetere,* ὅπερ ἔχοντες ἀπολωλέκαμεν, *quod olim habuimus, sed amisimus.* Tatian. contra Græc. fol. 200. Et Spiritus Sancti gratiose inhabitantis. Ex professo hac de quæstione disputat Iren. lib. 1. c. 1. contra Valentinianos, qui contendebant τὸ πνευματικὸν *spirituale, in quibuscunque facinoribus versetur, corruptionem non posse admittere.* Malum. 1. *culpæ*; nempe *peccatum originale.* Protoplasti ex peccato commisso contraxerunt sibi luem peccaminosam, unde, qui per traducem ex ipsis nascuntur, & ipsi sunt illa lue infecti: *Quandoquidem priorem nativitatem ignorantes, necessitate quadam* γεγενήμεθα ἐξ ὑγρᾶς σπορᾶς κατὰ μίξιν τὴν τῶν γονέων πρὸς ἀλλήλους *generati sumus mutua parentum mixtione intercedente, & in malis moribus pravaque consuetudine educati, ut ne necessitatis & ignorantiæ liberi permaneamus, sed de-*

(3.) *Effectus* malum *culpæ* peccatum originale per traducem propagatur.

lectus & scientiæ filij fiamus, ac remissionem ante commissorum peccatorum consequamur in aqua &c. Justin. Apol. II. f. 74. Repetit in dial. fol. 246. 247. docens per baptismum abluenda esse ista peccata, innuitque traducem. Dicis: Si anima traducitur, est mortalis, vel corruptibilis & annihilabilis. R. N.C. voluit enim Deus eam superesse post fata hominis. Iren. l. 2. c. 64. Adde, quod non tam anima generetur, quam animatum: *Non anima animam gignit, ut inde sibi vindicet nomen parentis; sed homo hominem,* ait Athenagoras pro resurrectione mort. sicut & idem in Apolog. fol. 127. Mediante hoc traducitur *antiqua serpentis plaga,* uti loquitur Irenæ. lib IV. c. 5. i. e. peccatum originale; explicante Augus. lib. 1. contra Julian. c. 2. Vi hujus contagii homo exuitur libero arbitrio in rebus bonis: *Perdidit enim nos libera voluntas;* δοῦλοι γεγόναμεν οἱ ἐλεύθεροι *& servi evasimus ex liberis.* Tatian. contra Græ. f. 197. *Amissa vera ratione, & illius usu rectum quoq; judicium & liberam electionem esse amissam contendit* Iren. l. 4. c. 9. *Neq; enim Patrem cognoscere quis potest, nisi verbo Dei, i. e. nisi Filio revelante, neq; Filium, nisi Patris beneplacito.* c. 14. Theoph. libr. 1. ad Autolyc. *O homo: animi tui oculis offusa est caligo, cujus caussam nullam aliam, quam tua scelera & peccata dicito.* Quod tamen testimonium etiam de peccatis actualibus & ex προαιρέσει facta excœcatione potest intelligi. Intelligenda hæc sunt de supernaturalibus: Nam quædam φυσικαὶ ἔννοιαι *notitiæ naturales* supersunt. Just. dial. f. 250. cum in theoreticis, tum in practicis. In illis: Nam sunt quædam communia demonstrationum principia, de quibus accuratissimus Christianorum philosophus Athenagoras de resurrect. mort. f. 364. disserit: *Demonstratio,* inquiens, *illa minimè erroneam dictis fidem adstruit, quæ non forinsecus aliunde exordium habet, aut ex aliquorum opinionibus & placitis cooritur,* ἀλλ᾽ ἐκ τῆς κοινῆς καὶ φυσικῆς ἐννοίας, *sed quæ ex communi intellectu surgit, aut ex posteriorum ad priora consequio elicitur.* &c. In his, ut esse Deum, & hunc providere rebus hominum, & justum exercere judicium. &c. f. 370. seq. Dicitur hæc ὁ τῆς φύσεως νόμος *lex naturæ* fol. 375. De qua vide infra Justinum, & Irenæum §. 53. Superest quoque libertas in actionibus civilibus. *Illa quippe ortæ cujusq; rei natura est, ut virtutis & vitij sit capax, neq; quidquam eorum, quæ creata sunt, laude dignum esset, nisi vim ac potestatem alterversum se convertendi obtineret. Ostenderunt hoc etiam homines illi, qui passim cum ratione recta leges tulerunt & philosophiam tradiderunt, ex-*

Amissio liberi arbitrii.

Lumen naturæ.

Libertas in civilibus.

petenda

petenda & fugienda præcipientes. Justin. Apolog. lib. 4. c. 36. Ex professo de hac controversia disputat Bardesanes in præstantissimo libro de fato, quod apparet ex fragmento apud Euseb. libr. VI. de præp. Evang. c. 8. *Deus homini illud dedit eximium* (ita inquit) *ut libertate voluntatis atq; judicio uteretur.* Sed in rebus divinis humana *caro sine spiritu Dei mortua est, non habens visum, regnum Dei possidere non potest.* Irenæ. l. 5. f. 303. A quô malo nemo mortalium hominum est exemptus. Nam *genus humanum omne maledictioni obnoxium esse invenietur, juxta legem Mose. Maledictus enim quisq; dictus est, qui non permanet in eis, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Nemo certè exactè omnia præstitit. Id neq; ipsi* (Judæi) *adversandi studio negare audebitis, sed sunt, qui alij aliis plus, & minus mandata servaverunt. Quod si legi subditos maledictioni obnoxios esse constat, propterea quod non omnes sanctiones servent, quanto magis gentes omnes sub maledictionis exsecratione esse patebit, quæ simulacra colunt, & pueros imminuunt, & alia perpetrant mala?* Hæc Justinus cum Tryphone Judæo διαλέγεται f. 252. Ex his apparet πανωλεθρία generis humani in Judæos & gentiles divisi, & adeo per peccatum corrupti, ut nullus hominum legem impleat, id est, peccato & maledictioni obnoxius non sit. Quare ne B. quidem Virginem Mariam à peccato liberam possumus pronunciare.

Πανωλεθρία.

§. 55. *Pœna.* Potissima pœnarum est mors corporalis, spiritualis, & æterna. Eva enim *serpentis verbo concepto, inobedientiam* καὶ θάνατον ἔτεκε *& mortem peperit.* Justin. dialog. fol. 256. & epistola ad Diogn. f. 386. dicit *mercedem peccati esse supplicium & mortem*, quæ exspectabatur. οὐκ ἐγενόμεθα πρὸς τὸ ἀποθνήσκειν, ἀποθνήσκομεν δὲ δι' ἑαυτούς. *Non nati sumus, ut moreremur, morimur autem nostra culpa.* Tatian. contra Græc. f. 197. *Et qui ad imaginem Dei factus erat homo, potentiore spiritu jam exutus* θνητὸς γίνεται *mortalis evadit.* f. 194. *Per priorem generationem mortem hæreditavimus.* Iren. libr. 5. f. 297. *in animali omnes mortui sumus.* l. c. Neque tamen hoc accipiendum est absolutè, quasi & anima hominis morti sit obnoxia. Nam, ait Justinus ad Tryphonem, *animam vivere nemo inficias iverit.* & Theophil. lib. 2. contra Autolyc. *Anima à pluribus immortalis dicitur.* Athenag. de resur. *Homines,* inquit, *secundam animam ex creatione habent, ut sine ulla vicissitudine variationis perdurent.* Iren. libr. 5. c. 7. *incorruptibiles* laudat *animas*; & addit rationem: *incom-*

& pœna, mors corporalis, spiritualis & æterna.

Anima immortali manente.

com-

compositus est enim & simplex spiritus, qui resolvi non potest, & ipse est vita eorum, qui percipiunt illam.

III. Restitutionis (1.) *Efficiens* principalis est *gratia* Dei.

§. 56. (III.) *Restitutionis.* Efficiens. 1. *Principalis* non est nostrum aliquod meritum, sed benevola Dei voluntas & misericordia. Justinus vel quisquis auctor, certè ἀποστόλων γενόμενος μαθητὴς *Apostolorum discipulus*; in epist. ad Diogn. f. 386. opp. *Cum ad cumulum malitia nostra pervenisset, & plene manifestum foret, mercedem peccati esse supplicium, & mors exspectaretur; advenissetq́; tempus à Deo præstitum* φανερῶσαι τὴν αὐτοῦ χρηστότητα καὶ δύναμιν *ad suam deinceps benignitatem ac potentiam declarandam, & quomodo* ὑπερβαλλούσης φιλανθρωπίας μιᾷ ἀγάπῃ *præ immenso, quo homines prosequitur, amore, nos odio non habuerit, neq́; rejecerit, neq́; improbitatis nostræ memorem se ostenderit, sed patienter eam tulerit, peccata nostra susceperit, proprium ipse filium pretium redemptionis pro nobis dedit. &c.* Hæc ille. Subscribit ei Lugdunensis Martyr & Episcopus Irenæus lib. III. c. 22. Agit enim de caussa permissi à Deo lapsus, *ut evomitus* (ex rictu ceti) *magis subigeretur Deo, & plus glorificaret Deum, qui insperabilem* ἀνέλπιστον (pro inseparabilem, vide, post veterem interpretem Erasmi, Jac. Bill. observ. sacr. libr. 2. c. 5.) *salutem ei donasset. Qui enim ante captivus ductus fuerat homo, extractus est à possessoris potestate secundum misericordiam Dei Patris, qui miseratus est plasmati suo, & dedit salutem ei per verbum, id est, per Christum redintegrans.* Iren. 5. f. 322. *Præstruxit & præparavit adinventionem salutis, quæ facta est à verbo per signum Jonæ.* libr. III. cap. 22. Idem operatur in homine fidem: *Ut ab initio existeremus, non nostrum id fuit. Itidem vero ut delectu adhibito ea sectemur, quæ grata illi sunt, per donatas nobis ab eo rationis virtutes* (ἐδωρήσατο λογικῶν δυνάμεων, πείθει τε καὶ εἰς πίστιν ἄγει ἡμᾶς *persuasione ipsius id fit ad fidem nos adducentis.* Justin. Apol. II. f. 45. Et studium pietatis: *Quod enim* (homo) *sibi per injuriam & inobedientiam accersiverat, id ei nunc donat Deus & misericordiam faciens homines sibi obedientes.* Theophil. l. 2. contra Autolyc. f. 316. Exemplo Protoplastorum & Caini fratricidæ, sed revocati declarat f. 317. Nam mittit Deus, qui impœnitentes vocent. fol. 322. Confer Irenæ. lib. III. c. 11. 19. 20. 21. 22. 78. Atque hæc Dei salvandi

Universalis. voluntas est universalis. Nam *conclusit omnia in incredulitatem, ut universis misereatur*; lib. 1. cap. 4. *Deus rerum universarum parens Christum suum* πάντων κατάρας ἀναδέξασθαι ἐβουλήθη *omnium maledictiones excipere voluit.* Justin. dial. f. 252.

Meritoria. 2. *Meritoria* est Christus incarnatus, pas-

sus,

ſus, & mortuus. Homo enim factus eſt ὑπὲρ τῶν πιςευόντων ἀνθρώπων, καὶ καταλύσει τῶν δαιμόνων *cum ad fidelium hominum ſalutem, tum ad dæmonum everſionem,* Juſtin. Apol. I. f. 35. *Noſtri cauſſa homo factus eſt, ut perpeſſionum noſtrarum participatione* ἴασιν ποιήσηται *medicinam nobis faceret.* f. 40. repetit dial. f. 201. 256. *Uti, quemadmodum per priorem generationem mortem hæreditavimus, ſic per generationem hæreditemus vitam.* Irenæ. l. V. f. 293. Hoc Chriſti meritum eſt *univerſale.* Nam per Chriſtum σώζει πάντας τοὺς κατάρας ἄξια πράττοντας *ſalvat omnes, qui maledictione digna admiſerunt.* Juſt. dial f. 252. Non igitur excluſivè intelligendum eſt, ſed ἐξοχικῶς, quando f. 35. *fidelium* tantum ſalutis fecit mentionem. Subſcribit Iren. libr. V. f. 293. *Quemadmodum in animali omnes mortui ſumus, ſic in ſpirituali omnes vivificemur.* & f. 330. *Venit verbum Dei omnibus aptam habitationem inferens, his quidem, qui in lumine ſunt, ut fruantur eo, & iis, quæ in eo ſunt, bonis; iis autem, qui in tenebris ſunt, ut participetur eis calamitas, quæ in eis eſt.* Et lib. III. c. 33. *Omnes gentes exinde ab Adam diſperſas, & univerſas linguas, & generationem hominum cum ipſo Adam in ſemetipſo recapitulatus eſt.* Confer l. III. c. 20. Homo igitur ſe ipſe reſtituere non potuit, Deo opus erat & Salvatore. Juſtinus in epiſtola ad Diognetum præclarè hac de re diſſerit. Enarrans enim tempora ante Chriſtum natum & revelatum ignorantiæ, ideo Deum ea permiſiſſe putat, ut *cum eo tempore convicti eſſemus è propriis operibus, vita eſſe indigni, nunc Dei benignitas nos ea dignaretur; & cum manifeſtum feciſſemus,* ἀδύνατον εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασίλειαν τοῦ θεοῦ, τῇ δυνάμει τοῦ θεοῦ δυνατοὶ γενηθῶμεν *non poſſe ex eo, quod in nobis ſitum eſt, in regnum Dei ingredi, per potentiam Dei nobis id poſſe daretur.* f. 386. & paulo poſt: Cum *conviciſſet nos* τὸ ἀδύνατον τῆς ἡμετέρας φύσεως εἰς τὸ τυχεῖν ζωῆς, νῦν δὲ τὸν σωτῆρα δείξας, δυνατὸν σώζειν καὶ τὰ ἀδύνατα: *non poſſe noſtram naturam vitam conſequi: Nunc autem ſervatorem oſtendiſſe, qui ſervare poſſet ea etiam, quæ ſervari non poterant, utrinq; nos benignitati ſuæ fidem habere voluit.*

Universalis.

Non nostra opera.

§. 57. 3. *Inſtrumentales* ex parte Dei ſunt verbum & ſacramenta. (1.) *Verbum. Sicut* enim *ſol creatura Dei in univerſo mundo unus & idem eſt, ſic & lumen, prædicatio veritatis, ubiq; lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire.* Iren. l. 1. c 3. Duplex eſt, legis & Evangelii. Differunt enim ob *differentias utriusq; teſtamenti.* Iren. libr. III. c. 12. f. 165. *Pater enim familias Dominus eſt, qui univerſæ domui paternæ dominatur, ſervis quidem & adhuc indiſciplinatis condignam tradens*

Inſtrumentalis

(1.) Verbum *legis & Evangelii* quæ differunt.

legem, liberis autem; & fide justificatis congruentia dans præcepta, filiis adaperiens suam hæreditatem. libr. 4. cap. 21. Lex igitur disciplinæ ergo data est; Evangelium vero hæreditatis: *nobis in novitate restituit libertatem, & multiplicavit eam, quæ est ab ipso, gratiam.* l. c. & cap. 22. *Major est legisdatio, quæ data est in libertatem, quam quæ data est in servitutem.* & cap. 67. dicitur Novum Testamentum *ad pacem reconcilians, & vivificatrix lex* (id est, Evangelium) *in universam exivisse terram.* Vi igitur oppositionis lex est mortificatrix, adeoque non salvat, nec salvare potest: Unde legi subditi ὑπὸ κατάραν φαίνονται εἶναι, διὰ τὸ μὴ πάντα φυλάξαι *sub maledictione videntur esse, quia non omnia servant.* Justin. dialog. f. 252. Præclarè in hanc sententiam Iren. III. c. 20. *Veniens autem lex, quæ data est per Mosen, & testificans de peccato, quoniam peccatum est, regnum quidem ejus abstulit, latronem & non regem eum detegens, & homicidam eum ostendit. Oneravit ante hominem, qui habebat peccatum in se, reum mortis ostendens eum. Spiritalis enim cum lex esset, manifestavit tantummodo peccatum, non autem interemit, dominabatur peccatum, sed homini. Oportebat enim eum, qui inciperet occidere peccatum, & mortis reum redimere hominem, idipsum fieri, quod erat ille, id est, hominem, qui à peccato quidem in servitium tractus fuerat, à morte vero tenebatur, ut peccatum ab homine interficeretur, & homo exiret à morte.* Ex his luculentum utriusque discrimen patet, nempe quod lex quidem revelet peccata, & hominem mortis damnet; non autem possit à peccatis eorumque pœnis liberare; Contra Evangelium ostendat Christum in suo merito, qui, quod legi impossibile, passione & morte præstitisset. Unde benigne explicandum est, quod lib. 1. c. 4. videtur statuere, quod incognitum sit, *quis sit uniuscujusque testamentorum character.* Aliud enim est nosse accuratam differentiam: aliud aliquam. Sed nec hostilem pugnam inter legem & Evangelium statuimus: Vide Gerh. Loc. de Evang. §. 53. *Distinguitur* lex in naturalem & positivam: Illa concernit tabulam decalogi vel primam vel secundam. *Primam* περὶ εὐσεβεῖν, uti Theoph. lib. 334. *de pietate,* scilicet erga Deum cognoscendum, diligendum, metuendum, colendum. Colligitur ex Justin. dial. f. 204. ubi de præstantia legis Mosaicæ agit: Nam *in ea lege* τὰ φύσει καλὰ, καὶ εὐσεβῆ, καὶ δίκαια νομοθέτηται *quæ natura pulchra, quæ pia, quæ justa sunt, ut ea illi morigeri faciant, sancitæ sunt.* His verbis meminit *pietatis* i. e. officii erga Deum,

Legis diviso in moralem.

& ju-

chras; adeoque non ſunt opinione tantum tales: *Nihil eſſe neque virtutem, neq; vitium,* ἀλλὰ δόξῃ μόνον ἢ ἀγαθὰ ἢ κακὰ *ſed opinione tantum vel bona vel mala exiſtimari, hæc profecto, ut vera declarat ratio,* μεγίστη ἀσέβεια καὶ ἀδικία ἐστὶν *maxima eſt impietas & injuſtitia.* Apol. II. fol. 63. ſubſcribit Irenæ. libr. 2. c. 57 ſub finem. libr. 4. c. 31. *Secundam,* quam Theophilus l. c. dividit in duas partes καλοποιεῖν i. e. *benefacere*, ſcilicet parentibus obedientia; & δικαιοπραγεῖν *juſtitiam excolere, non mœchando, non occidendo, non furando, non mentiendo, non concupiſcendo domum proximi, nec deſiderando ejus uxorem* & reliqua. Tabula ſecunda cedit primæ, quia hæc potior. *Si enim liberos parentibus ſubjectos eſſe oportet, quanto magis convenit, ut Deo Patri omnium pareamus.* Idem concludit lib. 2. f. 315. Et cæremonialis utrique. *Manifeſtum enim eſt*, ex S. literis, *quod Deus non ſacrificia & holocauſtomata quæſierit ab iis, ſed fidem & obedientiam & juſtitiam*, ait Irenæus l. IV. 32. Unde non ſufficit opus operatum, ſed requiritur ante omnia fides, & ex hac fluens charitas i. e. ſinceritas animi, & carentia vel pravorum affectuum. *Docemur divinis oraculis non ſolum opere non peccare,* ἀλλὰ καὶ μέχρις ἐννοίας, καὶ μηδὲ τῇ καρδίᾳ ἐννοηθῆναι περί τινος κακοῦ, *ſed ne mente quidem, nec vel cogitare licet de malo, aut videndo alienam uxorem concupiſcere.* Theophil. l. 3. f. 337. *Poſitiva* eſt vel cæremonialis vel Forenſis. Illa dicitur *levitica lex*, & complectitur circumciſionem, ſacrificia, &c. quæ per ſe non placent Deo, niſi fiant ex fide & dilectione: Unde cedunt operibus moralibus; ut ex profeſſo diſputat Iren. lib. IV. c. 32. Cujus verba paulo ante allegata habes. Moralis lex abſolutè neceſſaria eſt, cæremonialis non item, uti oſtendit Juſtin. dial. cum Tryph. f. 182. & Irenæ. lib. III. c. 30. Illa eſt perpetua, hæc abrogata. *A Moſe lex inchoavit, conſequenter in Johanne deſivit, ad impletionem ejus venerat Chriſtus, & propter hoc lex & prophetæ apud eos usq; ad Johannem.* Irenæ. l. IV. c. 8. confer Juſtin. dial. f. 183. imprimis f. 176. ubi præclarè diſputat, quomodo promulgato Evangelio, & in eo juſtitia per fidem capeſſenda, lex ceſſare debuerit, *jam non lex, non præceptum, non mandatum erit ullum.* Et fol. 186. ſic colligit: Ante Abrahamum lex Levitica non fuit neceſſaria ad juſtificationem & ſalutem. E. nec in N. Teſtamento. Dicis: ſi lex cæremonialis & forenſis fuerunt abrogatæ, cur igitur Sulpitius Sever. libr. 2. hiſt. p. m. 98, 99. ſcribit de Ec-

Ceremonialem & forenſem.

Differentia legum.

de Ecclesia Hierosolymitana sub Hadriano, quod *tum pene omnes Christum Deum sub legis observatione crediderint*, adeo, ut neminem, nisi circumcisum, constitueret sibi Episcopum. Resp. (1.) Idem tamen mox subjungit, quod pro nobis est: *Nimirum id Domino ordinante dispositum, ut legis servitus à libertate fidei atq; Ecclesiæ tolleretur*: Scilicet constituto Episcopo Marco, qui non erat circumcisus. (2.) Dist. inter necessitatem & libertatem; observabant quidem legales quosdam ritus, sed liberè, docentibus ita Apostolis Actor. XV. vide Baron. ann. 138. §. 2.

Summa. Summa legis consistit in dilectione Dei & proximi: Irenæ. libr. IV. c. 26. vel, ut Theoph. l. c. f. 334. docet: Deus *docet nos* δικαιοπραγεῖν, καὶ εὐσεβεῖν, καὶ καλοποιεῖν: *juste, pie, & honestè agere.*

Promissiones. *Promissiones* non meræ carnales, sed & spirituales & æternæ sunt per carnalia indicatæ: *per ea, quæ erant secunda, ad prima advocans, h. e. per typica ad vera, & per temporalia ad æterna, & per carnalia ad spiritualia, & per terrena ad cœlestia.* c. 28. & 31.

(2.) Sacramenta

§. 58. (2.) *Sacramenta*. Sunt *duo* tantum proprie sic dicta:

Vet. Test. In V. T. erat *circumcisio*, quæ Judæos distinguebat à gentilibus. Justin. in dial. f. 180. Irenæ. libr. 4. c. 30. & præfigurabat circumcisionem cordis in N. T. futuram. Justin. f. 201. Alterum erat *agnus paschalis*. Justin. f. 200. *Mysterium arcanumq; agni, quem pascha immolare Deus mandavit, typus & figura erat Christi, cujus sanguinem juxta rationem nostræ in illum fidei, ædes suas h. e. seipsos aspergunt in eum credentes.*

Nov. Test. Baptismus & Eucharistia: *Hæc enim numerat & explicat Justinus in Apologia II. ubi describit ritus Ecclesiæ sive in Palæstina, ubi natus fuit, sive in Italia, Romæ enim Apologiam scripsit. Horum meminit Irenæus* &c. Chemnitii part. 2. Exam. Trident. p. m. 8. observatio est. Excipit Bell. lib. 2. de Sacram. c. 27. *Justini* scopum non fuisse omnia sacramenta explicare, sed ea tantum, in quibus calumniam patiebantur Christiani, ut est Eucharistia. Irenæum dicit hinc inde de sacramentis agere, sed pluribus, etiam de pœnitentia & confessione. ℞. 1. Justinus etiam baptismum l. c. describit, cujus tamen gratia Christiani non male audiebant. Regerit Bell. l. c. *obiter meminit baptismi, ut doceat solis baptizatis licere interesse.* ℞. Falsum est *obiter meminisse*. Ex professo enim describere voluit sacramentum initiationis, & non ex occasione Eucharistiæ. Multo enim ante, & quidem pluribus verbis, egerat de baptismo, quam cœna; &, ne divinatione opus sit, ipse exprimit impulsi-

pulsivam descriptionis factæ caussam: *Quo verò modo*, inquiens, *Deo quoq; nos dicaverimus* ἀνεθήκαμεν, *per Christum renovati, jam exponemus: Ne, si hoc prætereamus, malignè quidquam & dissimulanter agere in hac oratione videamur. Quicunq; persuasi fuerint, & crediderint vera esse, quæ nobis traduntur & dicuntur, ac vivere se ita posse receperint, orare jejunantes, & petere à Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobis cum illis una & orantibus & jejunantibus: Deinde eo adducuntur à nobis ubi aqua est, atq; eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur.* His per aliquot paginas explicatis tum demum descendit ad alterum sacramentum, nempe Eucharistiam: ut appareat non propter Cœnam, sed initiationem Christianam, & plenam fidei expositionem baptismi ipsum meminisse. Irenæus in nullo alio ritu, quam baptismi & Eucharistiæ laudat materiam & fructum sacramentorum, Ergò sola hæc pro sacramentis habuit. Sit igitur (1.) *Baptismus*. (1.) *Baptismus* & ejus
Nomen est λουτρὸν παλιγγενεσίας *lavacrum regenerationis:* appellante Theophil. libr. 2. fol. 308. *Illuminatio:* Καλεῖται δὲ τοῦτο τὸ λουτρὸν φωτισμὸς, ὡς φωτιζομένων τὴν διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανόντων, *vocatur vero lavacrum hoc illuminatio, quod eorum, qui hæc discunt, mentes illuminentur.* Justin. Apol. II. f. 74. Nomen.
innuit *objectum* idoneum, puta inter adultos, illos Objectum.
esse, qui capita fidei prius edocti essent, quam ad lavacrum istud admitterentur, ut l. c. ipse explicat. Et Irenæ. libr. 1. c. 1. sub fin. innuit, cum meminit *regulæ veritatis*, quam dicit per *baptismum* esse *acceptam*. Nam per regulam illam intelligere videtur symbolum; uti sese explicat. cap. 19. *Minister* ordinarius est Pastor Ecclesiæ. Sed in Minister.
casu necessitatis etiam Laici baptizabant; ut patet ex comitibus cujusdam Judæi, qui, Laici licet existentes, ipsum tamen baptizarunt: referente Niceph. Callist. libr. 5. c. 37. & probante Jod. Coc. thes. l. 5. f. 2. art. 7. *Formam* idem exprimit: Nam *in nomine rerum* Forma.
cunctarum parentis & Domini Dei, & servatoris nostri Jesu Christi, & Spiritus Sancti lavabantur, Observa silentium cæremoniarum Papisticarum; Neque enim Justinus vel alii meminerunt ullo verbo. Catal. test. ver. libr. 2. pag. 66. *Materia* erat aqua. Adducebantur enim *Materia*
catechumeni ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ *intus, ubi aqua est:* καὶ ἐν τῷ ὕδατι τότε λουτρὸν ex qua
ποιοῦνται *aqua baptismum faciunt*. l. c. Aquæ additur verbum, & quidem in lingua vulgari. Nam reprehendit Irenæus lib. 1. c. 18. Valentinianos, quod in hebraica i. e. ignota lingua baptismum celebrarint.

brarint. Verbum autem institutionis: *Parentis rerum omnium & Domini Dei nomen nominatur* αὐτὸ τοῦτο μόνον ἐπιλέγοντες, *& hoc solum, lavaturum istum & lavacrum ducentes invocamus*; ait l. c. f. 74. Hinc judicari potest de aqua sale conspersa, & benedictione addita, de quibus nugatur Pseudo-Alexander apud Cocc. thes. 2. t. l. 5. art. 8. & precationis. fol. 76. *Materia circa* quam sunt homines cum infantes, tum

& Circa quam: adulti, quorum hi prius credere tenebantur præmissa informatione; id quod Just. dial. p. 204. docet: *Operam navare vos oportet, ut cognoscatis, qua via vobis remissio peccatorum contingere queat, & spes bonorum annunciatorum hæreditate consequendorum. Est autem non alia quam hæc, ut* τοῦτον τὸν Χριστὸν ἐπιγνόντες *Christum hunc agnoscentes, quod ab Isaia promulgatum est, propter remissionem peccatorum lavacro abluti sine peccato de cætero vivamus.* Vult prius Christum agnosci, quam baptisma suscipiatur. Clarius hæc exprimit Apol. II f. 78. *Quicunq;*, inquiens, *persuasi fuerint & crediderint vera esse, quæ à nobis traduntur, & dicuntur, ac vivere se ita posse receperint, orare jejunantes & petere à Deo priorum peccatorum veniam docentur.* Hi demum idonei ad baptismum habebantur. Unde simul elucent actiones præparatoriæ ad sacramentum, nempe jejunium, orationes, & pœnitentia. Sed & infantes esse baptizandos docet Justin. q. 56. *Infantes digni sunt baptismi commodis, fide eorum, qui illos ad baptismum offerunt.* Sed quia testimonium hoc ex suspecto est libro, accipe ex probato Iren. l. 2. c. 39. *omnes venit Christus per semetipsum salvare, omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes & parvulos, pueros & juvenes, & seniores. Effectus est* remissio pec-

Effectus est remissio peccatorum. catorum; Ideo enim baptizamur, ait idem, προαιρέσεως καὶ ἐπιστήμης ἀφέσεώς τε ἁμαρτιῶν, ὑπὲρ ὧν προημάρτομεν, τύχωμεν ἐν τῷ ὕδατι, *ut necessitatis & ignorantiæ liberi permaneamus, sed delectus & scientiæ (filij fiamus) ac remissionem ante commissorum peccatorum consequamur in aqua.* & f. 76. appellat ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρόν, *propter remissionem peccatorum, & regenerationem lavacrum,* confer Theoph. l. 2. contra Autolyc. f. 308. Cujus notanda sunt verba: *Notum sit mortalibus, fore, ut pœnitentiam apprehendant, & peccatorum remissionem nanciscantur* διὰ ὕδατος καὶ λουτροῦ παλιγγενεσίας πάντας τοὺς προσιόντας τῇ ἀληθείᾳ, *per aquam & lavacrum regenerationis omnes accedentes in veritate & regenerantur accipientes benedictionem à Deo.* Duo extrema docet cavenda, Pontificiorum alterum, qui ex opere operato sacramentis vim adscribunt;

scribunt; Bellarm. libr. 2. de sacram. in gen. c. 3. Dicit enim regenerari accedentes non quosvis, sed τῇ ἀληθείᾳ sine fuco & hypocrisi; i. e. *vera fide*; alterum Calvinianorum, qui ad absolutum prædestinationis decretum vim sacramentorum alligant: At hujus non meminit Theophilus, sed contrarii πάντας τοὺς προσιόντας *omnium accedentium*. Et Just. dial. f. 178. laudat baptisma τὸ μόνον καθαρίσαι τοὺς μετανοήσαντας δυνάμενον, *tanquam unicè potens purificare pœnitentes.* f. 190. f. 245. Sanguini Christi jungit aquam baptismi: *Nos*, inquit, *gravissimis peccatis, quæ in nos admisimus, baptizatos atq; submersos, per supplicium capitale crucis in ligno,* καὶ δι' ὕδατος *& per aquæ purificationem Christus noster redemit.* Spiritu se sancto baptizatum profitetur fol. 202. circumcisum sese, corde scil. gloriatur per baptismum: *Eam* (circumcisionem) *nos per baptismum, quandoquidem peccatores fueramus, propter misericordiam ipsius Dei, accepimus.* Irenæus l. c. 18. nuncupat βάπτισμα τῆς εἰς θεὸν ἀναγεννήσεως *baptisma divinæ regenerationis.* l. III. 19. appellat regenerationem: *Potestatem regenerationis demandans discipulis dicebat eis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti.* Addit. *Necessitatem*: Sic enim inquit: *Sicut de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neq; unus panis; ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus, sine aqua quæ de cœlo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat; sic & nos lignum aridum existentes primum, nunquam fructificaremus vitam, sine superna voluntaria pluvia. Corpora enim nostra per lavacrum illud, quod est ad incorruptionem, unitatem acceperunt, animæ autem per spiritum, unde & utraq; necessaria, cum utraq; proficiunt in vitam Dei.* Dissimulat vim argumenti Cham. t. 4. Panstr. Cath. lib. V. c. 9. §. 65. *Ego me Davum*, inquiens, *profiteor, non œdipum; certè obtusiorem, quam ut videam vim Sophismatis:* Sic autem vocat ille necessitatem baptismi, quam ex loco allegato deducebat Fevardentius: Etiamsi autem immanem Pontificiorum rigorem de absoluta baptismi necessitate, de qua Bell. lib. 1. de sacr. bapt. c. 4. non probemus, probamus tamen hinc necessitatem saltem conditionatam, quam bene videre potuisset Chamier, *dum utraq;* & corporis ablutionem, & animæ unitatem dicit esse *necessaria*; Quid autem sit *corpus unitatem accipere* discere potuisset Chamier ex ipso Irenæo, qui *multos unum fieri in Christo Jesu* ait per aquam baptismi, respiciente ad dictum Gal. III. 27. 28. Nec *disparat Irenæus*

Collatio Spiritus Sancti.

Necessitas.

vim aquæ à vi spiritus, eo quidem sensu, quo Calvinista intelligit. Dum enim corpora nostra incorruptionem & unitatem cum Christo & fidelibus per aquam accipere asserit, utique aquam non merum statuit signum, sed efficax organum Spiritus Sancti, etiam quoad corpus, quod ab aqua immediatè tangitur, æquè ac quoad animam, quam & spiritus tangit immediatè. Valentiniani distinguebant inter baptismum Johannis, qui εἰς μετάνοιαν; & Christi εἰς τελείωσιν *ad perfectionem*; sed hanc sententiam inter eorum errores computat Iren. lib. 1. c. 18.

Circumstantiæ *loci*

Circumstantiæ *loci*, ut baptisteriorum notatæ sunt à Platina in vita Pii I. quem refert baptisteria instituisse: Et susceptorum, Patrimi & Matrimæ in Hygino meminit idem; Coc. th. t. 2. lib. 5. art. 12. In casu autem necessitatis licebat ubivis locorum baptizare: Sic enim Victor P. R. dicitur à Baron. an. 203. §. 1. constituisse, *ut necessitate urgente, ubicunq; inventus fuisset quicunq; hominum ex gentibus veniens, sive in flumine, sie in mari, sive in fonte, sive in stagno baptizaretur (tantummodo Christianæ credulitatis confessione declarata) integre efficeretur Christianus*. Sic refert liber de Romanis Pontificibus.

susceptorum:

(2.) *Eucharistia* ejus 1. Nomen.

§. 59. (2.) *Eucharistia*. Hoc *nomine* appellatur à Justino Apol. II. f. 76. 77. ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία, *cibus hic vocatur apud nos Eucharistia*: i. e. *gratiarum actio*: Et Irenæ. l. 4. c. 34. *Panis percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed* εὐχαριστία. Quam nimirum antistes persolvit Deo pro insigni hoc beneficio; uti ipse sese Justinus explicat. Seu, ut ipse dial. fol. 201. loquitur: *ut gratias ageremus, Deo cum pro eo, quod mundum cum universis, quas complectitur, rebus, hominis gratia crearit, tum ob id etiam, quod ab omni, in qua fuimus, malitia nos liberarit &c.* De missa autem & sacrificio propriè sic dicto altum est apud genuinos auctores silentium. Pamelius t. 1. Liturgic. sub fin. sec. 1. p. 129. 130. citat ex Hinc. Rhemens. Epis. de gestis D. Dion. ad Carol. Imp. MS. quod *quidam per D. Sanctinum offerentes Domino sacrificium laudis, Eucharistiæ corporis & sanguinis Christi participati sunt*. Ponamus genuina hæc esse gesta, citatum tamen testimonium favet nostræ caussæ, qui fatemur Eucharistiam esse sacrificium, sed laudis, propter preces adjunctas; nec solis sacrificulis institutum, sed omnibus, ut corpore & sanguine Christi fruantur.

2. *Efficiens* principalis.

Instituta est à Christo Jesu: *Nam Apostoli in suis commentariis à se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt* ἐντετάλθαι αὐτοῖς τὸν Ἰησοῦν *præcepisse sibi Jesum*: Hujus

enim

enim unius est sacramenta instituere, & verbum scriptum nobis revelare: ut sacramentum non sit, nisi immediatè à Deo institutum, & in S. literis consignatum. *Ministri* hujus sacramenti duorum erant generum: Justinus enim nominat unum προεστῶτα, qui precibus fusis elementa proposita à profano usu separat, & futuræ præparat distributioni: προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος, καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος, καὶ οὗτος λαβὼν &c. *Et, qui fratribus præest, affertur panis & poculum aquæ & vini, quibus ille acceptis laudem & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filij & Spiritus S. offert, & Eucharistiam sive gratiarum actionem pro eo, quod nos donis hisce suis dignatus sit, prolixe exsequitur.* Hunc actum vocant consecrationem; & Antistitis ille est; Exemplum recitat Irenæus in epistola ad Victorem: Nam refert, quod Anicetus Papa R. *ritus, qui in Eucharistia peragi solent, Polycarpo, ob reverentiam videlicet, quam erga illum habebat, obeundi potestatem concesserit*; Erat autem Polycarpus Episcopus Smyrnensis. Euseb. l. V. c. 24. *Diaconi* vero panem & vinum ita præparata accipiunt, & vel coram in Ecclesia, vel deportata in domos distribuunt: οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσιν. i. e. *Qui apud nos vocantur Diaconi distribuunt unicuiq; præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt.* Ex dictis apparet *Materia* Eucharistiæ *terrestris*, nempe panis & vinum aqua permixtum: Nam Justinus l. c. memorat ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος: *poculum & aqua mixtum.* Iren. lib. 1. cap 9. meminit ποτηρίων οἴνῳ κεκερασμένων *poculorum vino mixtorum.* Sed hinc nihil lucrantur Pontificii. Nec enim hi Patres necessariam esse mixturam aquæ dicunt, sicut Bellarm. 4. de S. Euch. c. 10. Greg. de Valent. t. 4. disp. 6. qu. 2. contendunt: Generosa sunt in oriente vina, quare aquis temperabantur, ne in Eucharistia & Agapis suis Christiani viderentur crapulari & inebriari. Excipit Gretser. def. Bell. de V. D. l. 4. c. 7. f. 1664. parum vini generosioris sumptum non inebriare. E. aliam caussam subesse, nempe institutum Christi. ℞. Mixtura igitur illa non fuit necessitatis, sed libertatis, quæ tamen ansam sumpsit ex more gentis, & fuga ebrietatis subindicanda. Neque tamen ea sola est; nam & cœlestis accedit, corpus & sanguis Christi. οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα, *neq; enim ut communem panem, neq; com-*

& Ministeriales ut Antistites

& Diaconi.

3. *Materia* terrestris

& cœlestis.

munem potum ista sumimus; sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus Servator noster & carnem & sanguinem salutis nostræ caussa habuit; ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Dei, carnem & sanguinem esse edocti sumus ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. f. 76. 77. Illustris locus est pro orthodoxis. Docet autem, contra μετουσίαν, panem & vinum, etiam facta consecratione, retinere tamen suas essentias, & *nutrire*; sicut facta jam unione personali humana natura vera fuit, ut ante unionem; & mansit; Et facta communione substantia nostra non mutatur. Mutuatus à Justino simile hoc videtur Gelasius, P. R. cum adversus Eutychem & Nestorium scriberet in hunc modum: *Certa sacramenta, quæ sumimus corporis & sanguinis Christi, divina res est, propter quod & per eadem divinæ efficimur consortes naturæ, & tamen esse non desinit substantia panis & vini.* hæres. f. 689. adeo hoc est perspicuè dictum, ut Contarenus Cardinalis olim Anno 1541. in Colloquio Ratisbonensi de eo obmutuerit. Quæ Bellarminus regerit diluit Gerh. Loc. de Euchar. §. 231. Porrò contra ἀπουσίαν docet corpus & sanguinem realiter præsentia esse in, cum, & sub pane & vino, sicut caro & sanguis realiter præsentia erant λόγῳ in cujus ὑπόστασιν erant assumpta. Sculteti Calviniani exceptiones diluit Dn. D. Dannhavv. Christeid. p. 300. 301. Confirmatur sententia suffragio B. Irenæi lib. IV. c. 34. *Quemadmodum enim*, inquit, *qui est à terra panis percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans terrena & cœlesti; Sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* Ecce Eucharistiam dicit constare *ex duabus rebus, terrena & cœlesti* etiam postquam *panis vocationem Dei percepit.* i. e. consecratus fuerit: Non igitur est transsubstantiatus, sicut nec corpora nostra percepta carne & sanguine Christi, & contra, transsubstantiantur, etsi arctissimè uniantur. Adsunt adhuc accidentia E. & subjectum proprium. τὸ γὰρ συμβεβηκὸς οὐ καθ' αὑτὸ πέφυκεν ἀλλ' ἔν τισι περὶ ὑποκειμένοις ὑπάρχει, Just. in expos. fid. f. 303. Et confirmat Apol. II. fol. 76. *Non ut communem panem, neq; communem potum ista sumimus*: Ecce vocat adhuc panẽ, & potum postquam consecrata sunt. Depravat auctoris mentem Jodoc. Coccius t. 2. thesaur. Cath. l. 6. art. 1. quasi *desineret esse communis*

munis ipsa natura & substantia panis, quæ antea sub suis accidentibus latebat, transeatq; in immortalem, cœlestem, & Deo junctum Christi carnem &c. Unde hæc explicatio? Ex Irenæo ait. Ubi verò Irenæus ita explicet, non addit, quasi sufficeret Coccium dixisse. Irenæus sibi injuriam fieri diceret, si hæc legeret: Nam verbis immediatè sequentibus exprimit rem non unam in Eucharistia, sed geminam *terrenam & cœlestem*; qui igitur terrenus panis transierit in Christi carnem? Et, ne calicis oblitus videatur, porro sic scribit lib. IV. c. 32. *Eum, qui ex creatura panis est, accepit & gratias agit, dicens hoc est corpus meum: Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est.* & lib. V. f. 295. *Calix Eucharistiæ est communicatio sanguinis ejus, & panis, quem frangimus, communicatio corporis ejus.* Disputat autem contra Marcionitas & alios, qui veram Christi humanam naturam negabant, & eos deducit ad absurdum: Scilic. si Christus veram humanam naturam non habuit, etiam non verum corpus edendum, & verum sanguinem bibendum dabit, at hoc absurdum. Referri huc potest calumnia gentilium πασῶν σαρκῶν ἀνθρωπίνων ἐσθίειν Christianos *quibusvis carnibus humanis vesci*: Theoph. l. 3. contra Autolyc. fol. 331. Euseb. V. 1. Ansam enim calumniandi ex S. Cœna arripuerunt, in qua Christiani profitebantur sese carne & sanguine Christi hominis vesci. *Sane, nisi Christiani tum credidissent, veram manducationem carnis Christi, in ἀνθρωποφαγίας suspicionem non venissent*; ait Dn. D. Dannhavv. Christeid. p. 301. post Gerh. Loc. de Eucharist. §. 103. Ex his omnibus patet Patres hujus seculi τὸ ῥητὸν non neglexisse, sed literæ tenaciter inhæsisse. Nempe *is sanus sensus & sine periculo est, qui aperte & sine ambiguo dictionibus ipsis in scriptrra ponitur.* Censente Irenæo libr. 2. c. 46. Ut non opus habeamus confugere ad fictitia miracula, quale refert Paulus Diaconus in vitis SS. Syri & Juventii. c. 8. citante Jod. Coccio thes. fid. t. 2. lib. VI. art. 8. ut probemus corpus & sanguinem Christi in Eucharistia exhiberi.

§. 60. *Actiones* in Eucharistia usurpandæ aliæ sunt anteceden- 4. *Forma*: Actiones: antecedētes: *consecratio*:
tes, aliæ concomitantes. Omnes tamen simplices, adeò ut pompa missatica prorsus incognita & inusitata tum fuerit. Antecedit *consecratio*, ut communiter vocant, rectius εὐλογίαν vel εὐχαριστίαν dixeris; Nam vox καθιέρωσις Patribus hujus seculi ignota est. Vide Gallas. not. ad Iren. lib. IV. c. 32. f. 392. Peragebatur precibus ab antistite

fusis;

ſuſis; ille enim pane & calice acceptis αἶνον καὶ δόξαν τῷ πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου ἀναπέμπει, *laudem & gloriam rerum univerſarum Patri per nomen Filij & Spiritus S. offert & Euchariſtiam ſive gratiarum actionem, pro eo, quod nos donis hiſce ſuis dignatus ſit prolixe exſequitur,* καὶ εὐχαριστίαν ὑπὲρ τοῦ κατηξιῶσθαι τούτων παρ' αὐτοῦ ἐπὶ πολὺ ποιεῖται; Juſtin. f. 76. obſerva finem precum, qui non eſt transſubſtanciatio præſentium elementorum, vel ſacrificium propriè dictum; ſed gratiarum actio Deo perſoluta, quod in gratiam noſtri S. Cœna inſtituta & alimonia illa corporis & ſanguinis Chriſti donata ſit. Has gratias peragebat verbis ab ipſo Chriſto in S. Evangeliſtarũ literis mutuatus Antiſtes: δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν *eam, in qua per preces verbi ejus ab ipſo profecti gratiæ ſunt actæ, alimoniam, unde ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur, incarnati illius Jeſus carnem & ſanguinem eſſe edocti ſumus.* Et ſubjicit Evangeliſtarum verba, innuens recitata fuiſſe verba inſtitutionis cœnæ; explicante B. Chemnit. part. II. exam. p. m. 120. Cham. t. 4. Panſtr. lib. VI. c. 6. §. 42. 48. Irenæus lib. I. c. 9. vocat λόγον ἐπικλήσεως *ſermonem invocationis.* In eandem ſententiam loco ex lib. IV. 34. ſuperius citato ſcribit panem *percipere vocationem Dei,* nempe *verbum* inſtitutionis *hoc eſt corpus meum,* ut idem Chemnitius l. c. evidenter oſtendit. l. 5. c. 4. dicit mixtum calicem, & fractum panem *percipere verbum Dei.* Nec hoc prætereundum, quod Juſtinus l. c. memorat precibus finitis populum fauſtè acclamaſſe: *Amen!* Nam hinc facile colligitur lingua vulgari, & palam recitata fuiſſe verba conſecrationis ſeu benedictionis, nequaquam confuſo murmure & lingua vulgo barbara. Platina in Sixto I. refert, quod ſolum *Pater noſter* &c. in conſecratione Euchariſtiæ fuerit recitatum. Quod confirmat Walefridus Strabo d. offic. div. c. 22. *Apoſtolos,* inquiens, *& qui proxime eos ſunt ſecuti, præmiſſa oratione Dominica, quam ipſe Dominus præcepit, commemoratione paßionis ejus adhibita, corpori Dominico communicaſſe & ſanguini;* quod ipſum fatetur Durandus in rat. div. offic. libr. IV. cap. 1. Obſervandum eſt contra alterum extremum Calvinianorum, qui elementa à benedictione excludunt. Sic enim Gallaſ. in not. ad l. 5. Irenæ. c. 4. n. 3. *Non ſunt hæc ita accipienda, ac ſi verbum ad panem aut vinum dirigatur, quæ per ſe mortua ſunt elementa.* Atqui mortuum elementum eſt & calix, nihilominus Paulus dicit: ποτήριον ᾧ εὐλογοῦμεν,

pocu-

poculum, cui benedicimus. Vid. Dn. D. Dannh. Christeid. p. 323. Gerh. Loc. d. Euchar. §. 153.

§. 61. Consecrationem sequitur ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις, i.e. *datio & acceptio.* Neque enim, ut in missis privatis solent Pontificii, solus sacrificulus edebat & bibebat, sed elementa consecrata sub utraque specie distribuebantur præsentibus fidelibus, qui & recipiebant: Justin. Apol. II. f. 77. Καὶ ἡ διάδοσις, καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται, i. e. *Et distributio communicatioq; fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ, cuiq; præsenti; absentibus autem per diaconos mittitur.* Loquitur de pane & vino consecratis, dicta gratiarum actione; & hunc ipsum panem & hoc ipsum vinum dicit, non sacrificari, non reponi, circumgestari, adorari, sed distribui, non solis clericis, sed *peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus,* scribit Anacletus P.R. epist. 1. citante ut genuinam Pamel. t. 1. Liturg. p. 131. 132. Justinus addit solita esse sacra symbola, ἑκάστῳ *unicuiq;* præsentium, adeoq; & Laicis, distribui & deferri absque tamen pompa, ad absentes, non clericos tantum, sed & Laicos. Confirmatur ex historia Sixti Papæ & Laurentii Diaconi, cui *ille commendavit Dominici sanguinis dispensationem:* referente Eccio homil. 13. & ita legente Garretio; alia tamen exemplaria apud Ambros. libr. 1. de offic. c. 41. legunt *consecrationem*; Eligant utrum velint Pontificii. Nobis placet ingenua Tiletani confessio: *Manifestum est ætate Sixti utriusq; speciei usum omnibus dispensatum fuisse.* Nec aliter Soter d. consecr. dist. 3. *Etiam pœnitentes,* ait, *eodem die ad percipienda corporis & sanguinis sacramenta reconciliantur.* Nullum facit discrimen inter Laicos & Clerum, quare & utriusque speciei communione neminem excludit. Ritus est non arbitrii humani, sed mandati divini; id quod idem fol. 77. clarè docet; *Nam,* inquiens, *Apostoli in commentariis à se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt, præcepisse sibi Jesum. Eum enim pane accepto, cum gratias egisset, dixisse: hoc facite in mei recordationem: hoc est corpus meum: Et poculo similiter accepto, & gratiis actis dixisse: Hoc est sanguis meus:* Excipit Bellarm. lib. IV. de Euchar. c. 26. verba hæc *non pertinere ad communionem, sed ad consecrationem*; Probatumq; vult ex connexione cum præcedentibus, in quibus actum de consecratione. ℞. disparata sibi opponit: Agit enim de utroque actu Justi-

Ingredientes Distributio & acceptio.

nus. *Non enim*, inquit, *ut communem panem, neq; communem potum ista sumimus:* Et utrumque, cum sumptionem, tum sumpta probat ex verbis institutionis. Manet ergo Laicos quoque admittendos esse ad calicem, vide Gerh. Loc. de Euchar. §. 43. & §. 198. Cham. Panstr. Cath. t. 4. lib. 8. c. 9. § 13. & c. 11. §. 97. 98. Cadit etiam Pontificiorum pro una specie argumentum, quod à communione ægrotantium desumunt. Nam Justinus clare dicit, quod absentibus per diaconos missus fuerit panis & vinum benedictum. Nec aliud misisse, quam panem & vinum Eucharisticum, sibi invicem Episcopos, vox *Eucharistia* innuit, quam usurpat Irenæus in literis ad Victorem apud Euseb. lib. V. c. 24. hist. Dummodo fideles sint. Nec enim cuivis sive sacerdoti sive laico dabatur, sed illi solùm, qui suscepto baptismo visibili saltem Ecclesiæ nomen dedisset: ἧς (τροφῆς) οὐδενὶ ἄλλῳ μεταχεῖν ἐξόν ἐστιν ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ διδαγμένα ὑφ' ἡμῶν, καὶ λουσαμένῳ τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρὸν, καὶ οὕτως βιοῦντι ὡς ὁ Χριστὸς παρέδωκεν: *Isto* (cibo seu alimento) *nulli alij participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita, ut Christus tradidit, viventi.* Tria igitur erant admittendi requisita (1.) *orthodoxia*: Hæretici enim ad S. Cœnam orthodoxorum non admittebantur. Id quod hodie ab Ecclesia nostra γνησίως Lutherana observatur contra Syncretistas, qui ad S. Cœnam admittunt & admitti volunt non credentes ἀληθῆ εἶναι τὰ διδαγμένα ὑφ' ἡμῶν *vera esse, quæ nos docemus*, ut sunt Papistæ & Calviniani. (2.) *Baptismus*. Paganis igitur, Judæis, & adhuc Catechumenis non patebat aditus ad mensam Domini; sicut nec hodie apud nos, nisi prius baptizatis, & satis idonee informatis. (3.) *Vita honesta*. Quare qui scandalis Ecclesiam offendebant, & sese prostituebant, his denegabatur Eucharistiæ usus, donec pœnitentia decenti Ecclesiæ offensæ satisfecissent. Dignam igitur præparationem ad Eucharistiam non repudiamus, sed commendamus.

Vasa. §. 62. Quo vase symbola terrena fuerint distributa, quæris? Calicis meminit Irenæus, lib. V. c. 2. nullius alterius; ut non satis commodè Jodoc. Coc. thes. l. 6. t. 2. art. 10. adducat hoc testimonium, probaturus *sacra vasa, calices, patinas* &c. in Eucharistia usurpata. Quærendum porro, quo *organo* fiat illa comestio corporis & bibitio san-

Organum.

guinis

guinis Christi ex allegatis facile colligi potest, nempe organo oris, quo edimus, & bibimus. Illustrationis ergo subjiciamus locum ex Irenæo lib. IV. 34. *Quomodo dicunt carnem in corruptionem venire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur?* Si igitur corpus s. caro nostra corpore & sanguine Dominii alitur. E. percipit. Et V. 4. *Quando ergo, scribis, & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia Sanguinis & Corporis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia, quomodo carnem negant capacem esse donis Dei?* id est, *Vitæ æternæ, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum ejus est? Quemadmodum Apostolus ait ad Ephesios, quoniam membra sumus corporis ejus, & de ossibus: Non de spirituali aliquo & invisibili homine dicens hæc. Spiritus enim neque ossa, neq; carnes habet, sed de ea dispositione, quæ est secundum hominem, qui ex carnibus & nervis, & ossibus consistit, quæ de calice qui est sanguis ejus, nutritur, & de pane, qui est corpus ejus augetur.* Dicit carnem nostram nutriri sanguine & corpore Christi: Si nutritur. E. percipit; quo organo? fide? non. Nam caro hoc ore caret; ore igitur physico percipit sacramentalem illam corporis & sanguinis Christi alimoniam. Neque hoc leviculum videbatur Irenæo credere, vel non; Nam acerrimè disputat contra hæreticos contrarium sentientes de carne & sanguine Christi, quorum veritatem probat ex præsentia & fruitione sacramentali. Libr. IV. c. 74. eleganti similitudine infantium μαμμοτρέπτων illustrat, quod velut ab uberibus Christi in S. Cœna edentes & bibentes pendeamus.

§. 63. *Fructus* & effectus Eucharistiæ perceptæ est (1.) *Unio* 5. **Effectus**
substantiæ corporis & sanguinis Christi cum nostra carne & san- (1.) ***unio.***
guine. Nam *membra sumus de corpore ejus, & de ossibus.* Irenæ. libr. 4. (2.) ***Nutritio***
cap. 34. Quam unionem sequitur (2.) *alimentatio.* Est enim corpus & sanguis Christi τροφὴ, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν *nutrimentum, ex quo sanguis & carnes nostræ nutriuntur per mutationem.* Justin. Apolog. II. fol. 77. seu, ut Irenæus libr. 5. cap. 4. loquitur, *de calice, qui est sanguis ejus, nutriuntur, & de pane, qui est corpus ejus, augentur.* Non igitur otiosa est in nobis caro Christi, sed communicat sese nostræ carni per modum cibi, eamque mutat, non quidem in aliam essentiam, in aliam tamen conditionem, ut fiat inter ipsam & carnem Christi unio mystica, quæ ante usum sacramenti non fuit. Obiter nota vocabulum μεταβολὴ, quo utitur Justinus, cum describit mysticam unionẽ inter substantiam corporis & sanguinis

guinis Christi & nostram: contra Pontificiorum paralogismum, cum legunt in Patribus antiquis panem & vinum in corpus & sanguinem Christi *mutari*, quasi hinc transsubstantiatio possit concludi. Nam & nostra caro dicitur mutari in carnem Christi, neque tamen transsubstantiari. Vide Dn. D. Dannh. Christeid. pag. 626.

(3) *Mortuorum resurrectio.* (3.) *Mortuorum resurrectio.* Nam *quomodo negant carnem capacem esse donationis Dei, id est, vitæ æternæ, quæ sanguine & corpore Christi nutritur & membrum ejus est?* Irenæus quærit lib. III. c. 19. Eleganti & suavissima similitudine idem mysterium illustrat: *Quemadmodum lignum vitis depositum in terra suo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram & dissolutum multiplex surgit per spiritum Dei, qui continet omnia, quæ deinde per sapientiam in usum hominibus veniunt & sanguis Christi: Sic & corpora nostra ex ea nutrita & reposita in terram & resoluta in ea resurgent in suo tempore verbo Dei resurrectionem eis donante in gloriam Dei Patris, qui huic mortalitati immortalitatem circumdat.* l. 5. c. 4.

Circumstantiæ *Loci* *Locus* erat vel publicus, vel privatus. Uterque clarè colligitur ex celebri Justini loco. Nam non tantum in Ecclesia distributam dicit S. cœnam, sed & delatam esse in ædes privatas. Vide Gerh. de Euchar. §. 256.

& Temporis. *Tempus.* Dabatur Catechumenis accepto baptismo. Id quod idem Justinus haud obscurè innuit.

Formales §. 64. *Formales actiones*, restituentes hominem pristinæ gratiæ

(1) Vocatio & virtuti, plures sunt. (1.) *Vocatio.* Est opus Dei. Sicut enim ille *Abrahamum vocavit*, καὶ ἡμᾶς τοὺς ἅπαντας δι' ἐκείνης τῆς φωνῆς ἐκάλεσε *ita & nos omnes eadem voce vocavit.* Justin. dial. cum Tryph. f. 272. Vel immediatum, quale Abrahami vocatio; vel mediatum, per ministerium verbi: *Qui enim nos per Apostolos undique vocavit Dominus, hic per Prophetas vocabat eos, qui olim fuerunt.* Iren. lib. IV. 70. Justinus in eandem sententiam inquit Apol. II. f. 69. διὰ τῆς παρὰ τῶν ἀποστόλων αὐτοῦ διδαχῆς πεισθέντας homines, *per Apostolorum doctrinam ad fidem esse adductos.*

Universalis. Hinc disce effectum vocationis per verbum, nempe fidem. *Universalis* est omnium temporum, ἀεὶ τοῦ θεοῦ βουλομένου ἐπιστρέφειν τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων ἀπὸ πασῶν τῶν ἁμαρτιῶν; *Nam Deus semper voluit reverti genus humanum ab omnibus peccatis.* Theoph. lib. 3. contra Autol. f. 336. Loquitur autem de scriptura sacra, docens per ejus verbum homines ad pœnitentiam evocari: Et quidem non tantum de generibus singulorum, ut vocaverit ἐκ παντὸς ἔθνους ἀνθρώπων *ex omni gente hominum* sive

Judæos

Judæos sive gentiles, Justin. Apol. II. f. 69. sed & singulis generum: Nam sonus Apostolorum veluti tintinnabulorum exivit in omnem terram. dialog. fol. 202. *Omnibus igitur revelavit se Pater, omnibus verbum suum visibile faciens, & rursus verbum omnibus ostendebat Patrem & Filium, cum ab omnibus videretur.* Irenæ. lib. IV. c. 14. Omnibus autem æquè efficaciter: *Et ideo,* addit Irenæus, *justum judicium Dei super eos, qui similiter quidem viderunt, non autem similiter crediderunt.* Dicis: Evangelium tamen non omnibus coram esse annuntiatũ. R. Deus vocat vel per naturam, vel per verbum revelatum: Illam, qui non excusserit, hoc quoque potitur; *Etenim per ipsam conditionem revelat verbum conditorem Deum, & per mundum fabricatorem mundi Dominum, & per plasma eum, qui plasmaverit artificem, & per filium eum Patrem, qui generavit Filium: & hæc omnes similiter quidem colloquuntur, non autem similiter credunt, sed per legem & Prophetas similiter verbum & semetipsum & Patrem prædicabat.* Hæc idem. Ex quibus apparet vocationis distinctio in naturalem, & supernaturalem, sed utramque in eo parem, quod efficax sit in se, adeoque non in caussa, quo minus increduli sibi proposita persuaderi patiantur. Alia est simplex vocatio, alia revocatio. Quam distinctionem suam fecit Ecclesia Lugdunensis & Viennensis in recipiendis lapsis, sicut apparet ex literis ipsarum Euseb. lib. V. c. 1. in quibus nituntur misericordia Dei, qui non velit mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Duplex.

§. 65. Vocationis effectus est (2.) *illuminatio & conversio.* Est opus Dei; *Deum scire nemo potest, nisi Deo docente h. e. sine Deo non cognosci Deum.* Iren. l. 4. c. 14. *Sequi Salvatorem participare est salutem, & sequi lumen participare est lumen: qui autem in lumine sunt, non sibi ipsi lumen illuminant, sed illuminantur, & illustrantur ab eo, ipsi quidem ei nihil præstantes, beneficium autem percipientes illuminantur à lumine.* c. 28. adumbratum in opere quarti diei creationis, quo Deus creavit luminaria Solem & Lunam: *Qartus dies est typus hominis ὁ προσδεὴς τοῦ φωτὸς, qui lumine indiget, nempe ut sit Deus sermo sapientia homo.* Theoph. l. 2. f. 309. Imprimis Filii Dei. Iren. l. 3. c. 11. & l. 4. c. 14. operantis per ministerium. Justin. Apol. II. f. 66 *Qui ex gentibus fuere, cum nihil unquam de Christo audivissent, quoadusq; à Hierusalem progressi Apostoli ejus res ipsius promulgarunt, & prophetias tradiderunt, gaudio & fide repleti πληρωθέντες χαρᾶς καὶ πίστεως, cum simulacris nuncium remiserunt, tum ingenito Deo per Christum* (2.) Illuminatio & Conversio à Deo. per ministerium.

& verbum. *seipsos consecrarunt.* Organum igitur conversionis erat verbum, quod fidem & gaudium accendebat in animis gentium pridem infidelium. Iren. lib. 1. cap. 3. agens de Ecclesia in universo orbe diffusa organi quoque meminit Ecclesiæ collectæ, *sicut sol creatura Dei in universo mundo unus & idem est, sic & lumen, prædicatio veritatis, ubiq; lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire.* Et 5. contra hæres. fol. 292. *Quoniam & in administratione sermonis positi sumus, & omni modo elaboramus secundum nostram virtutem plurima tibi quidem in subsidium præstare adversus contradictiones hæreticorum, errantes autem retrahere & convertere ad Ecclesiam Dei.* Et exempla cape. *Hæc me ceperunt,* ait Justinus conversus, *& doctrinæ vis enthea : & sermonis efficacia.* Apol. II. f. 31. Et Tatianus orat. ad Græc. fol. 210. 211. narrat, quod incidens in scripturam sacram, eamque legens conversus sit. Et Euseb. libr. III. hist. c. 31. *Frequens,* inquit, *hominum multitudo ipsa prima prædicationis auditione persuasa* ἀπὸ πρώτης ἀκροάσεως, vertēte Christophorsono, *propenso studio pietatem & cultum, qui Deo omnium rerum opifici soli debetur, animis excepit & amplexa est.* Verbo accedunt interdum *miracula,* ut Euseb. l. c. meminit: Constantia Martyrum in cruciatibus; Sanctitas vitæ Christianorum, & si quæ alia inductiva fuerunt ad conversionem: Verbum tamen Dei ultima fuit ratio, quæ proximè fidem produxit. Nam conversio est eorum *qui persuasi sunt & credunt vera esse, quæ à nobis traduntur & dicuntur, ac vivere se ita posse receperint.* i. e. qui credunt. f. 73. *Audientes prædicationem homines credunt & acceptabiles Domino fiunt, qui se ei copulant.* Iren. l. 2. c. 38. Nec violenta est, sed moralis, *quemadmodum decebat Deum suadentem, & non vim inferentem accipere, quæ vellet, ut neq;, quod est justum, confringeretur, neq; antiqua plasmatio Dei deperiret.* libr. 5. fol. 292. paulo ante dixerat: *Non eum vi &c. sed secundum suadelam.* & libr. 4. c. 76. Neque lumen cum magna necessitate subjiciet sibi quenquam, neque Deus cogit eum, qui nolit continere ejus artem: *Qui igitur,* addit, *abstiterunt à paterno lumine, & transgressi sunt legem libertatis, per suam abstiterunt culpam, liberi arbitrij & suæ potestatis facti.* Et ne de solo ante lapsum homine intellexisse videretur, præmiserat in genere: *Ille* (Deus) *misit, qui vocarent ad nuptias, qui autem non obedierunt ei, semetipsos privaverunt regia cœna. Sed ille, qui non consequitur eam, sibimet suæ imperfectionis est caussa. Nec enim lumen deficit propter eos, qui semetipsos excæcaverunt;*

sed

ſed illo perſeverante, quale & eſt, excæcati per ſuam culpam in caligine conſti-tuuntur. Verbum igitur Dei non eſt in culpa, quod quidam non il-luminentur & convertantur; lucidum illud eſt & manet; ſed ho-mines, qui illabentes ejus radios admittere recuſant. Illuſtrat hæc c. 48. cujus hæc eſt inſcriptio; *ſecundum quid induravit Deus cor Pha-raonis & famulorum ejus:* Nempe permittendo eos ſuæ infidelitati: *Quotquot ſcit non credituros Deus, cum ſit omnium præcognitor, tradidit eos in-fidelitati eorum, & avertit faciem ab hujusmodi, relinquens eos in tenebris, quas ipſi ſibi elegerunt; quid mirum, ſi & tunc nunquam crediturum Pharaonem cum his, qui cum eo erant, tradidit eos ſuæ infidelitati.* Diſputat hæc con-tra Florinum, cenſente H. Grotio ad Luc. 22. p. 805.

§. 66. (3.) *Juſtificatio.* Vox eſt forenſis. Deus enim pecca- (3.) *Juſtifi-*
torem ὡς δίκαιον καὶ ἀναμάρτητον ἔχει *pro juſto & ſine peccato habet.* Juſtin. *catio*
dial. 207. *Juſtitia unius facit, ut multi injuſti pro juſtis habeantur.* epiſt. ad à Deo.
Diognetum. Eſt opus Dei. *Quomodo enim rectè remiſſa ſunt peccata, niſi ille ipſe, in quem peccavimus, donavit remiſſionem?* Iren. l. 5. f. 338. Et qui-dem in ſpecie divinæ miſericordiæ propter Chriſtum per fidem nobis remittentis peccata. *Nam & ipſe Abraham in præputio adhuc cum eſſet,* διὰ τὴν πίστιν *propter fidem, qua Deo credidit, juſtificatus eſt, & be-nedictione auctus, prout ſcriptura indicat.* Juſtin. f. 186. Eſt igitur fides or- per *fidem*
ganum, quo juſtificamur. Rotunde Iren. lib. IV. c. 16. *Fides, quæ eſt ad Deum, juſtificat hominem.* Et Juſtin. dial. fol. 177. *Expiati ſunt* πίστει διὰ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ καὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ *fide per ſanguinem Chriſti & mortis ejus:* Exprimens cauſſam juſtificationis & meritoriam, & or-ganicam. Neceſſarium eſt hoc organum: *Eos, enim, qui ex ſemine Abrahæ ex præſcripto legis vivunt, atq; in Chriſtum hunc non credunt ad vitæ ſuæ finem,* οὐ σωθήσεσθαι ὁμοίως ἀποφαίνομαι *ſalvos non fore judico.* f. 207. Pro-prium ſit cujusvis organum: *ſecundum fidem tuam fiat tibi, propriam ho-minis fidem oſtendens, quoniam ſuam habet eſſentiam.* Iren. lib. IV. cap. 72. cujus
Objectum ejus Chriſtus crucifixus, ἐπ' ἄνθρωπον σταυρωθέντα τὰς ἐλπί- *objectum* eſt
δας ποιούμενοι *in homine crucifixo ſpem ponimus.* fol. 175. *cujus vibicibus ſa-* Chriſtus.
nitas eis provenit, qui per ipſum ad Patrem adeunt f. 181. *Cujus ſanguine ab-luuntur credentes in eum.* f. 212. Si placet Pontificiis Evariſtus Papa, audiant quid ille, vel alius, ſub illius nomine, ſcribat in epiſt. 2. t. 1. concil. *Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim agnitio peccati. Nunc autem ſine lege juſtitia Dei manifeſtata eſt & teſti-*

ficata

ficata à lege & Prophetis. Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi super omnes, qui credunt &c. Et hoc tam in V. T. quam in N. T. Nam Israëlitis, contra serpentes, morsu perimentes, statua apparet esse facta ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν πιστευόντων *propter credentium salutem, quoniam inde ab eo tempore per eum, qui crucis supplicium pertulit, serpenti mors præsagio sit denunciata, salus autem his, qui ab ipso morsu læsi ad eum confugiunt, à quo Christus crucifixus in mundum est missus: Non enim in serpentem credere nos docuit Moses.* f. 249. & 250. Una eademq; est: *Una & eadem est Abrahæ & nostra fides, illo quidem credente futuris, quasi jam factis, propter repromissionem Dei, nobis quoq; similiter per fidem speculantibus eam, quæ est in regno, hæreditatem propter repromissionem Dei.* l. IV. c. 38. Filius igitur objectum est fidei, & quidem sub utroque Testamento; non tamen solus, sed &

& Pater

Pater: *Sicut enim in Filium fidem nostram dirigimus, sic & in Patrem dilectionem firmam, & immobilem habere debemus.* Iren. libr. IV. c. 14. Adeoque non in unam tantum personam fuit credendum, neque alia fuit ratio salutis in V. T. quam est in N. T. Id quod Exemplo Abrahami evidenter ostensum est. Et pluribus videre est apud Iren. l. 4. c.

effectus. est remissio peccatorum

45. *Forma* est remissio peccatorum, seu, non imputatio. *Bonitas namq; & humanitas Dei, & immensitas divitiarum ejus, pœnitentiam agentem resipiscentemq; à peccatis, prout Ezechiel indicat,* ὡς δίκαιον καὶ ἀναμάρτητον ἔχει *perinde atq; justum, qui peccatum non admiserit, habet.* Justin. dialog. f. 207. confer Iren. l. 4. c. 45. Habet autem non absolutè, sed respectu justitiæ Christi imputatæ peccatori, in epist. ad Diognetum: *Quid aliud potuit peccata nostra* καλύψαι *legere* ἢ ἐκείνου δικαιοσύνη: ἐν τίνι δικαιωθῆναι δυνατὸν τοὺς ἀνόμους ἡμᾶς καὶ ἀσεβεῖς, ἢ ἐν μόνῳ τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ &c. *quam ejus justitia? in quo alio nos justificari erat possibile, qui legem transgressi eramus & impii, nisi in solo filio Dei? O dulcem permutationem! O imperscrutabilem dispositionem! O beneficia inexspectata!* ἵνα ἀνομία μὲν πολλῶν ἐν δικαίῳ ἑνὶ κρυβῇ, δικαιοσύνη δὲ ἑνὸς πολλοὺς δικαιώσῃ, ut peccatum *multorum in justo uno abscondatur, justitia verò unius multos justificet.* f. 386. Justitia igitur non infunditur, sed imputatur. Alius fidei effectus est

& regeneratio.

Regeneratio. Iren. l. 4. 59. Composita fides cum contritione dicitur pœnitentia. Hujus enim duæ sunt partes contritio & fides. *Agnitio salutis agnitio Filii Dei, qui & salus, & Salvator, & salutare, hanc agnitionem salutis sciebat Johannes pœnitentiam agentibus & credentibus in agnum Dei, qui tollit peccatum mundi.* Iren. l. 3. c. 11. Non potest separari

à bonis

à bonis operibus, etsi non justificet per bona opera. *Credere enim est facere Dei voluntatem.* Iren. libr. 4. c. 14. Ergo quisquis credit, Dei facit voluntatem. i. e. à dilectione Dei quâ talis separari nequit.

§. 67. (4.) *Renovatio.* Homo justificatus ad studium bonorum operum renovatur. Prolixè urgent Patres hoc argumentum contra Gentiles & Judæos, qui Christianam religionem calumniabantur. (4.) Renovatio à Deo. Nam contra illi ostenderunt pietatem & honestatem, quam, Christo vocante & docente, sequerentur Christiani: *Innumerabilem eorum multitudinem, ostendit* Justinus, *qui ex intemperanti luxuria ad frugem bonam conversi essent, & instituta Christianorum perdidicissent.* Apol. II. f. 47. 48. Imò eo usq; progreditur, ut f. 50. ad Cæsares scribat: *Eos, qui minus consentaneam præceptis* (Christi) *agunt vitam, Christianiq; tantummodo dicuntur, à vobis quoq; puniri rogamus.* Per renovationem magis magisq; recipit homo imaginem Dei olim amissam. Nam *Christus in compendio salutem nobis præstitit, ut, quod perdideramus in Adam i. e. secundum imaginem & similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus.* Iren. lib. III. c. 20. Opus est Spiritus Sancti: *Ubi enim Spiritus Patris, ibi homo vivens, sanguis rationalis ad ultionem à Deo constitutus, caro à spiritu possessa &c. sicut igitur sine spiritu cœlesti conversati sumus aliquando in vetustate carnis, non obedientes Deo; sic nunc accipientes spiritum in novitate vitæ ambulemus.* l. 5. f. 303. Verè autem quoad substantiam, & non tantum quoad virtutes, dona, & efficaciam, ut sentit Gallas. not. ad Iren. l. 5. c. 11. unitur Spiritus S. cum renovatis, qui inde *Spirituales* dicantur; Neque tamen essentia nostra in essentiam spiritus mutatur: Spiritus Dei habitat in vobis: *Hoc non secundum jacturam carnis, sed secundum communionem spiritus fit,* ait l. c. Irenæus. Docentis per verbum. *Nobis enim assiduè præest sermo divinus, & regis nostri tessera circa divinas actiones, utpote vi sermonis in animam pervadente, tibia pacifica, dum animæ bellū movetur.* Justin. Apol. II. f. 31. Et ducentis: λόγος ἅγιος ὁδηγεῖ *Verbum sanctum viam monstrat,* ait Theoph. l. c. f. 338. Per fidem, quæ radix est operum bonorū. per fidem. *Si in hunc modum fueris, ô homo, institutus, & eadem sapis, castè sanctèq; vivens, profecto Deum videre quibis.* Πρὸ παντὸς δὲ προηγείσθω σοῦ ἐν τῇ καρδίᾳ πίστις καὶ φόβος ὁ τοῦ θεοῦ, *ante omnia autem præcedat in corde tuo fides & timor Dei.* Theophil. l. 1. fol. 289. Et Justin. epist. ad Zen. & Seren. f. 390. πρακτέον δὲ πᾶν τὸ κατὰ πίστιν ὀρθῷ κανόνι, *omnia, quæ fidei sunt, rectâ certâq; agemus regula.* Norma est vita Christi sanctissima & dilectione

plena: *Quum diligere cœperis, imitator benignitatis eris. Ac ne mireris* εἰ δύναται μιμηθὴς ἄνθρωπος γενέσθαι θεοῦ *posse hominem esse imitatorem Dei. Potest, eo volente.* Justin. in epist. ad Diogn. f. 387. Iren. lib. III. c. 20. & qui *provocavit* abjecto peccato *in similitudinem suam hominem, imitatorem eum assignans Deo, & in paternam imponens regulam,* & lib. V. f. 292. *Imitatores operum, factores* autem *sermonum* Christi reddamur. *Non autem* est norma natura cujusvis. *Nam etiamsi secundum naturam vivas* οὐδέπω πεπιστευκότος ἐστὶ *nondum tamen id credentis est.* Scribit Justin. ad Zen. & Seren. f. 389. Impulsiva caussa est benignitas Dei: *Inseparabilem homo à Deo percipiens salutem, resurgat à mortuis, & clarificet Deum.* l. c. Efficiens secundaria est homo Deo reconciliatus, Vel, ut Irenæus l. 5. c. 11. loquitur, homo spiritualis, *pignus spiritus habet,* & *subjicit semetipsum spiritui.* Hinc *igitur non sacrificia sanctificant hominem; Non enim indiget sacrificio Deus, sed conscientia ejus, qui offert, sanctificat sacrificium puta existens, & præstat acceptare Deum, quasi ab amico. Peccator autem, inquit, qui occidit mihi vitulum, quasi occidat canem.* lib. IV. c. 34. *Unde & illud est, quod Dominus ad munera Abel respexit, & non ad Cain, quia magis intendit ad offerentis animum, quam ad ea, quæ offeruntur,* ait Alexander Papa, vel quisquis est auctor epistolæ t. 1. concil. Gentiles igitur, & quotquot verè fideles non sunt, bona præstare opera nequeunt.

In justificatis.

Imperfecta.

Pii præstant quidem opera, sed non perfectè bona; si ad rigorem legis examinentur: *Extra omnem profecto concupiscentiam & appetitum carnalem constitutum oportet esse fidelem,* ait Justin. ad Zen. & Seren. fol. 390. At quotusquisque est, qui hoc possit? Nemo: *Caro enim,* ut mox idem subjungit, *prorsus sumus, neq; quicquam in nobis habitat boni.* οὐδεὶς ἀκριβῶς πάντα ἐποίησεν *nemo,* ne quidem Judæorum circumcisorum etiam in V. T. fidelium, *exactè omnia præstitit.* Justin. dial. f. 252. *Spiritualis enim cum lex esset, manifestavit tantummodo peccatum, non interemit.* Iren. l. 3. c. 20. Caussa est residua concupiscentia; Iren. libr. 5. hæres. Dicis: Zacharias & Elisabetha irreprehensibiles in lege ambulaverunt. ℞. Justin. quæst. orth. 141. *Aliud est esse irreprehensibilem, & aliud peccato immunem. Immunis namq; peccato prorsus est irreprehensibilis, irreprehensibilis autem necessario peccato immunis non est &c. Unus Christus peccati expers dicitur.* Necessarium tamen est, Deo ita volente, virtutibus studere. *Nam, qui non ita vivere comperiuntur, sicut ille docuit, certum id documentum est, non esse Christianos, quamvis doctrinam Christi lin-*

Necessaria.

sti lingua profiteantur. Justin. Apol. II. fol. 49. Dionysius Corinthius missa ad Athenienses epistola ipsos hortatur *ad vitam ex Evangelij præscripto piè degendam.* Euseb. l. IV. p. 22. Melito scripsit librum: *de recta vitæ Christianæ institutione.* c. 25. Errant igitur, qui putant sola opinione, non ex rei natura, esse virtutes & vitia. Justinus Apolog II. f. 63. hunc errorem vocat, μεγίστην ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν *maximam impietatem & injustitiam.* Iren. l. 2. c. 5. deducit ad absurdum, quod nulla futura sint piorum præmia, aut impiorum supplicia, salvo indifferentismo, seu ἀδιαφορία actionum humanarum. Sunt autem virtutum, juxta Pontificios, aliæ præcepti, aliæ consilii. Præcepti nos omnes esse statuimus. Nam Irenæ. l. 4. c. 24. dicam scribit *fingentibus plus quam, quæ dicta sunt, observare, tanquam diligentiam suam ipsi etiam Deo præferentibus, intus autem plenis hypocrisi & cupiditate, & omni hypocrisi, & cupiditate, & omni malitia,* & Justinus in epist. ad Zenam fol. 389. reprehendit eos, *qui suo ipsorum suffragio ad ea se offerunt & ingerunt, ad quæ Salvator credentes non vocavit.* Nec potuit Coc. thes. l. 4. art. 1. fol. 2. invenire pro se ex hoc seculo testimonium. Objicis ex Matth. XIX. 21. ℞. Iren. c. 26. *Forte non fecerat: Nam utiq; non diceret ei, custodi præcepta, arguens Dominus cupiditatem ejus, qui dixit ei; si vis perfectus esse, vade, vende omnia.*

§ 68. *Virtutes*, in quibus sese homo renovatus exercere potest, debet, & solet, spectant ad tabulam decalogi vel primam, vel secundam. Quæ a. præcepta ad primam vel secundam tabulam spectent, non adeo videtur liquidum. Iren. l. 2. c. 42. *Unaquæq; tabula,* inquit, *quam Moses accepit à Deo, præcepta habebat quinq;.* Gallasius not. ad Iren. l. 2. c. 16. f. 372. notat traditionem hac in parte Judæorum ipsum sequi. Putat Jos. l. 3. antiq. c. 6. & Philonem d. decal. f. 477. vide Gerh. Loc. d. leg. §. 38. Vulgata ea non fuit, vel certè non diu duravit sententia, cum Augustin⁹ qu. in Exod. c. 72. recensens varias divisiones hujus non meminerit. *Ad primam, fides* in Deum, quam Theophilus lib. 1. contra Autolyc. f. 289, vult antecedere in corde fidelium; Et Dionysius Corinthiacus Athenienses hortatur ad eandem in epistola ad ipsos perscripta apud Euseb. lib. IV. c. 22. *De obedientia fidei* librum scripsit Melito. c. 25. item *de fide.* l. c. Consistit autem fides ex tribus actibus (1.) *notitia* rerum credendarum in thesi & in antithesi, diverso tamen necessitatis gradu. Nam magis necessa-

Virtutes Tabulæ primæ

(1.) Fides.

rium eſt noſſe veritatem, quam falſitatem. Diſputat hac de re Athenagoras in oratione de reſurrect. mort. f. 351. & 390. 361. orth. Patr. diſtinguens inter diſputationes ὑπὲρ τῆς ἀληθείας *pro veritate*, ſcil. ἀνασκευαστικῶς; & περὶ τῆς ἀληθείας *de veritate*, ſcilicet κατασκευαστικῶς; Et dicit: *Iſta neceſſaria eſt omnibus credentibus, iisq; qui veritatis propriæq; ſalutis curam gerunt; Illa nonnunquam quibusdam in rebus, & apud quosdam fructuoſior eſt:* Oportet igitur noſſe fidei articulos, ſi velis ſalvari. (2.) *Aſſenſu*, ut vera credas eſſe, quæ Deus revelavit. Sic enim Juſtin. dialog. cum Tryph. f. 173: *Et quæ* (à prophetis prædicta) *evenerunt, & quæ eveniunt,* ἐξαναγκάζει συντίθεσθαι *cogunt nos aſſentiri iis, quæ ab illis dicta ſunt.* Agit autem de fide S. literis habenda. (3.) *Fiducia. Sicut enim in Filium fidem noſtram dirigimus, ſic & in Patrem dilectionem firmam*
(2.) Dilectio. *& immobilem habere debemus.* Iren. lib. IV. cap. 14. *Dilectio* Dei, quæ ſequitur ex dilectione Dei erga nos: *poſtquam cognoveris* (beneficia Dei erga te) *quanta te impletum iri lætitia exiſtimas? aut quantum diliges eum, qui prior te ita dilexerit. Cum autem diligere cœperis, imitator benigni-*
(3.) Timor. *tatis ejus eris.* Juſtin. ad Diognet. f. 386. 387. *Timor Dei.* Hanc virtutem inter primas refert Theophilus l. c. Sequitur ex dilectione. Nam *qui majore Dei timore minorem hominum timorem abolet, caritate Dei id facit,* Ait Juſtin. quæſt. ad orthod. 98. Debet eſſe timor ſuper omnia: Unde optimè Polycrates ad Victorem P. R. ſcribit: *quæ nobis ad terrorem objiciuntur, minimè conturbor. Mei enim majores dixerunt: magis Deo, quam hominibus, obtemperandum.* Euſeb. libr. V. c. 23. Erat autem Victor Pontifex Romanus, quare non eſt vel novum, vel piaculum ejus ſeſe decretis opponere: Et Tatianus in orat. ad Gent. *hominem quidem humano more decet honorare,* φοβητέον δὲ μόνον τὸν θεόν, *ſed ſolum Deum*
(4.) Cultus. *timere.* Loquitur autem de reliquiis Martyrum. *Cultus religioſus ſoli Deo debitus.* Nam θεὸν μόνον δεῖ προσκυνεῖν *Deum ſolum oportet adorare.* Juſtin. Apol. II. fol. 49. Deum *laudamus* μόνην ἀξίαν αὐτοῦ τιμὴν ταύτην παραλαβόντες *ſolum hunc honorem illo dignum eſſe perſuaſum habemus.* f. 46. Eccleſia Smyrnenſis, ubi refert de morte Polycapi, & vana Judæorum ſolicitudine, ne Deum ipſum, ſublato Chriſto, facerent, præclarè reſpondet: *Nimirum nos non aliquando in animum poſſe inducere, ut vel Chriſtum deſeramus, qui pro ſalute omnium, qui in toto mundo ſalvi ſunt futuri, crucis tormenta perpeſſus ſit; vel alium quemquam aliquando colamus, ut Deum. Illum enim, qui verè Dei filius eſt, adoramus. Martyres autem ut*

diſci-

discipulos & imitatores Domini, propter incredibilem eorum benevolentiam, quam in proprium Regem ac Magistrum declaraverunt, merito amplexamur. Euseb. l. IV. c. 14. Dicis: Apoc. V. 8. seqq. orationes sanctorum allegantur. Rx. Iren. lib. 4. c. 33. explicat de precibus Ecclesiæ militantis; quem sequitur Blasius Viega in comm. ad l. c. Apoc. contra Becan. manual. d. invoc. sanct. pag. 54. Baronius an. 102. §. 20. ex concilio Antiocheno ab Apostolis (scil. mortuis jam) habito, citat canonem 7. de pingendis imaginibus, & probat ex Concilio Nicæno. II. in quo citatur à Gregorio Pessinuntis Episcopo, scilicet ut obtineat cultum imaginum; At plus non probaret, si quidem genuinus esset canon, quam pingi posse imagines; *pingant ex opposito divinam humanamq; manu factam &c.* non autem adorent. Jodocus Coccius. t. 1. thes. l. V. art. 15. nullum invenire potuit ex hoc seculo testimonium pro cultu imaginum. scilicet quia nullum suppetebat. Confer quæ supra §. 29. dicta sunt. *Celebratio nominis divini.* Nam, juxta Justin. Apol. II. f. 47. *propter eam, quæ nobis in illum est, fidem & persuasionem, vota & preces profundimus.* (5.) Laus. preces: Quare in quem non credimus, eum nec invocemus. Unde nesciunt Patres hujus seculi invocationem sanctorum: Id quod non obscurè fatetur Jod. Coccius t. 1. thes. lib. V. art. 6. dum nullum ex hoc seculo testimonium producit; sicut nec. art. 8. pro notitia nostrum in terris constitutorum. & quid multis, Peresius de div. Eccles. Tradit. p. 105. ingenuè fatetur, *ante tempora Cornelij Martyris invocationem sanctorum non fuisse in usu.* Easque Christo Magistro. Præclare Polycarpus, cum juberetur Deo maledicere: *Octoginta sex annos,* inquit, *illi jam inservivi, & nullo me hactenus affecit incommodo, quomodo igitur regem meum, qui me ad hoc usque tempus servavit incolumem, contumeliosis verbis possum afficere?* Euseb. l. IV. c. 14. hist. *Confessio fidei,* quæ edenda est, necessitate urgente: (6.) Confessio. *Qui enim negat, quia professionem damnet, id faciat; vel quia indignum se & alienum à re tanta esse sciat, non profiteatur.* ὧν οὐδὲν πρόσεστι τῷ ἀληθινῷ χριστιανῷ *neutrum veri Christiani est.* Justin. Apol. I. f. 31. *Sanctitas juramentorum.* (7.) Iuramenta. *Ne omnino juremus, & vera semper loquamur,* præcipiente Christo apud Justin. Apol. II. f. 49. *si quis est perjurus, aut fraudator, peccare desinat.* dial. f. 177. Citat Turrianus contra Cent. libr. 1. c. 25. canonem 5 ex Concilio Antiocheno ab Apostolis habito anno 102. juxta Baronium, *de abstinendo à juramento.* Sed videtur esse suppositititius.

Quia nulli tum amplius vivebant Apoſtoli, Johanne inter illos ultimo jam defuncto anno 101. juxta Baronium. Et quidam Judæus dicitur *jurejurando* Chriſtianos adegiſſe, ut ſe baptizarent à Niceph. lib. III. hiſt. c. 37. Sanctificatio Sabbathi, ſive diei dominicæ. *Solis*

(8.) Tempora ſacra. *die communiter omnes conventum agimus, quandoquidem primus dies eſt, quo Deus tenebris & materia, quam prius creaverat, verſa mundum effecit, & Jeſus Chriſtus ſervator noſter eo ipſo die à mortuis reſurrexit.* Juſtin. Apolog. f. 77. Melito integrum *de die dominico* librum conſcripſit Euſeb. lib. IV. cap. 25? hiſt. De *paſchate* admodum fuere ſoliciti Orientales & Occidentales. Celebrandum eſſe omnes cenſebant, ſed quando die 14. an. 15? in hoc diſcrepabant. Orientales diem 14; Occidentales diem 15. obſervabant; Convenerat inter Anicetum P. R. & Polycarpum, ſuum cuique tempus liberum debere relinqui; ſed Victor P. R. ea æquitate non contentus Orientales excommunicabat: ſecus Irenæus, Polycrates & alii ſentiebant, nempe libertatem Chriſtianam non eſſe violandam. Euſeb. V. 23. ſeqq. Baronius tamen ann. 159. §. 3. Irenæum & Polycratem mendacii vel erroris poſtulat, quod contra Victorem aſſeruerint Johannem Apoſtolum celebraſſe diem paſchalem cum Judæis; aut Johannem Apoſtolum non fore auctorem Apocalypſeos, quod *horreat piorũ auditus.* Nititur loco Apocal. I 10. ubi mentio fit ἡμέρας κυριακῆς quæ dicta eſſet à reſurrectione Domini eo die facta. At (1.) Dionyſius non horruit negare Apoſtolum eſſe authorem. Euſeb. VII. 20. & alii, fatente Bell. d. V. D. lib. I. c. 19. (2.) N. C. Eſt ἡμέρα κυριακή. E. decima quinta. Potuit Johannes 10. quartam intellexiſſe. Gretſer. def. Bell. lib. IV. V. D. cap. 7. f. 1663. 166. exagitat hanc Witakeri conſequentiam: *In Apocalypſi fit mentio diei dominicæ. E. ſcriptura jubet, ut diem dominicum feſtivè celebremus:* Vocat *ſtultitiam:* Stultus E. fuerit Baronius quoque, qui ſimiliter concludit. Ex his virtutibus contexi-

Pietas. tur pietas in Deum, quam in ſuis Chriſtianis laudat Theophilus l. c. θεοσέβεια, inquit, πράσσεται, θεὸς ὁμολογεῖται, ἀλήθεια βραβεύει, χάρις συντηρεῖ, εἰρήνη περισκέπει, λόγος ἅγιος ὁδηγεῖ, σοφία διδάσκει, ζωὴ βραβεύει, θεὸς βασιλεύει, i. e. *Pietas exercetur, Deum fatemur*; i. e. *Religio tractatur vera, veritas gubernat, gratia ſervat, pax circumſpicit, divinum verbum ducit, ſapientia docet, vita regit, Deus regnat.*

§. 69. Se-

§. 69. Secundam tabulam concernunt. 1. *Reverentia & obedientia erga parentes & Magistratum.* Athenag. d. resur. f. 374. Sæpius hanc virtutem inculcant Christiani doctores, quia seditionis & inobedientiæ erga Magistratus à malevolis insimulabantur: *Proinde nos solum Deum adoramus; imperatores ac principes hominum esse profitentes, & simul precantes, ut cum imperiali potestate sanam quoq; mentem obtinere comperiamini.* Justin. Apol II. f 50. Additque hujus observantiæ declarationem: *Vectigalia sanè & collationes eis, qui à vobis sunt ordinati, exactoribus præ omnibus ubiq; inferre contendimus* ὡς ἐδιδάχθημεν παρ' αὐτοῦ *ut edocti sumus ab illo* (Christo.) Præclarè Polycarpus coram Proconsule profitetur: *Magistratibus & potestatibus à Deo constitutis eum honorem, qui nostrorum animorum saluti nostræq; religioni nihil affert detrimenti, pro dignitate tribuere docemur.* Euseb. lib. IV. cap. 14. hist. Jussus erat jurare per Cæsaris fortunam; hoc ideo ex Christianis requirebant gentiles, quod suspicarentur Christianos in Christum suum regem ejusdemque aliquando gloriosum adventum credentes, seditiones moliri contra Cæsares: At Polycarpus diluit hanc suspicionem ingenua confessione. Vide Baron. an. 169. §. 9. Et Tatianus: προστάττει φόρους τελεῖν ὁ βασιλεύς; ἕτοιμος παρέχειν, δουλεύειν ὁ δεσπότης καὶ ὑπηρετεῖν, τὴν δουλείαν γινώσκω &c. *Rex si jubeat tributum pendere, paratus sum; si Dominus inservire & ministrare, servitutem agnosco; quandoquidem homo humano more colendus est; Timendus autem solus Deus;* citante Stephano in Eclogis Tatiani. Et Theophilus Antiochenus libr. 3. contra Autolyc. f. 291. præclarè scribit: *Honorabo regem sive Cæsarem, non tamen eum adorabo, verum pro eo orabo. Deum, qui verus Deus est, adorabo, sciens Cæsarem ab ipso esse ordinatum.* & fol. 292. *Regem honora, honora, inquam, magna cum benevolentia, subjectus ei existens, & orans pro eo. Hæc faciens Dei voluntatem exequeris. Nam divinæ legis hic tenor est: Honora Fili mi Deum & regem, nec unquam eorum inobediens sis.* & f. 337. 338. orth. Patr. *Etiam Magistratibus & potestatibus ut pareamus, divina scriptura monet, præcepit quoq;, ut pro his preces fundamus ad Dominum, ut tranquillam & quietam transigamus vitam.* Eleutherius Papa in literis ad Lucium Angliæ Regem agnoscit majestatem divinitus concessam Magistratui: *Vicarius*, scribit, *Dei estis in regno.* Subjungit de officio Regis in re sacra curanda: *Gentes regni Britanniæ & populi vestri sunt, & quos divisos debetis in unum ad concordiam, & pacem, & ad fidem, & ad legem Christi, & ad*

Tabulæ *secundæ.*

(1.) Obedientia erga superiores.

ad sanctam Ecclesiam congregare, revocare, fovere, manutenere, protegere, regere, ut possitis cum eo regnare in æternum, cujus Vicarius estis in regno prædicto. citante Joh. Dajo in antiqq. Eccl. Britan. f. 5. Prolixè de eodem capite agit Iren. l. V. c. 24. & ostendit Magistratus politici *auctorem*, nempe Deum (ex Proverb. VIII. XXI. Rom. XIII.) & *obedientiam* etiam ab ordine sacro ei debitam. Nam ipsum Christum ait denarium exigentibus Magistratus ministris solvisse; Matth. XVII. & se quoque Episcopum subjicit tributo pendendo. Nam *secundum hoc ministri Dei sunt, qui tributa exigunt à nobis, in hoc ipsum servientes, quæ sunt potestates à Deo ordinatæ sunt.* Sequitur autem de Magistratu politico *Regibus, principibus* &c. Non autem de *Ecclesiastico*, quod tamen Jod. Coccius t. 1. thesaur. artic. 1. libr. VII. falso contendit. Desinat igitur Clerus sese eximere à potestate Magistratus politici, & Papa superiorem sese summis Magistratibus jactare; Nullum habent in hoc seculo qui fictititiæ isti exemptioni & potestati superiori suffragetur. Unde nec ullum pro se adducere potuit Coccius t. 1. lib. 7. art. 22. Est & *parentum* officium, nempe educare liberos in pietate & φιλοπονίᾳ. Sic enim laudat Tatianus orat. contr. Græc. f. 214. Christianos: *Nostræ* (fœmellæ) *omnes pudicæ sunt, & intentæ lanificio, virgines divinos sermones edisserunt, multo honestiore, quam vestræ puellæ, studio.* Hoc fine Episcopi & Doctores Ecclesiæ epistolas, ut Dionysius ad Chrysophoram, scribebant instituendis virginibus & fœminis aliis accommodatas. Euseb. l. IV. c. 22. (2.) *Abstinentia à cæde & pravis affectibus homogeneis.* Justinus Apol. I. f. 39. disputans contra ἀνθρωποθυσίαν scribit: *Disciplinam ejusmodi improbamus, & qui talia faciunt & æmulantur, fugere suademus.* In tantum autem fugiebant, ut ne *monomachias* quidem Christianis spectare liceret. Theoph. l. c. f. 338. Athenag. in Apologia; sed nec inimicos oderint *pro iisdem orantes.* Justin. Apol. II. fol. 47. 196. & amore complectentes. Theoph. fol. 337. Irenæ. lib. 2. cap. 57. Nec licebat hostem ad tribunal in die dominico invitare. Justin. epist. ad Zen. & Seren. f. 393. (3.) *Castitas.* Frequentes sunt in hac virtute laudanda Patres, ut abstergant calumniam stuprorum clandestinorum, quæ ab Ethnicis impingebatur. Vide Justin. Apol. II. fol. 47. 48. Potest & hæc caussa fuisse, quod quidam Elxai hæreticus sub Trajano *adversaretur virginitati & cogeret ad nuptias*, referente Epiph. lib. 1. de hæres. c. 29. & 30. sicut & alii

2. Abstinentia à cæde.

3. Castitas.

alii hæretici, Gnostici cumprimis & Carpocratiani, quorum gratia male Christiani audiebant, ut ex Justini, Athenagoræ, Theophili Apologiis docet Baron. ann. 120. §. 29. 30. Nam *procul lascivia relegabatur*, teste Tatiano orat. contra Græc. f. 213. orth. Patr. Dionysius Corinth. epist. ad Ecclesias Ponticas *multa de nuptiis & castitate ipsas hortabatur*. Euseb. lib. IV. 22. histor. Est autem castitas non tantum corporis, sed & oculorum; Nam Christianis non licebat interesse gẽtilium vel spectaculis, *ἵνα μὴ μολύνωνται ἡμῶν οἱ ὀφθαλμοὶ ne inquinentur nostri oculi*; *Nec fas est nobis audire adulteria Deorum hominumque, &c.* Fœminis interdicuntur cincinni, stibium, pigmenta, & similia accendendæ libidinis media, à Justin. epistol. ad Zen. & Seren. f. 396. 397. Ipse Plinius in literis ad Trajanum laudat Christianos, quod *adulterium, homicidium, & alia nefanda peccata, quæ sunt cum his aliqua quasi cognatione conjuncta, vetent*, citante Euseb. libr. III. hist. c. 27. Neque externa tantum peccata, sed & ipsos animi motus, adeo ut vel adspiciendo & concupiscendo adulterium possit committi; ut pluribus disserit Justin. Apol. II. f. 47. Theoph. l. 3. contra Autolyc. f. 337. *Conjugium* tamen in suo nihilominus vigore manebat. Finis ejus est procreatio liberorum: *Matrimonium non aliter contrahimus, nisi liberorum creandorum atq; educandorum gratia; vel conjugium detrectantes, perpetuo nos continemus.* Justin. Apol. II. fol. 55. confer Athenagoræ Apologiam: qui sic loquitur: *Uxorem, quam secundum approbatas nobis leges sibi quisq; duxerit, reputat non in alium, quam in procreandæ sobolis finem. Quemadmodum enim agricola, postquam semina terræ mandavit, messis tempus exspectat, nec alia supermiscit: sic nobis etiam concupiscentiæ modus liberorum procreatione definitur. Invenias multos ex nostris in utroq; sexu, qui in cœlibatu consenescant, quod in hoc statu Deo conjunctiores se futuros sperent.* Laudat *approbatas leges*, intelligens forsan leges consanguinitatis, quæ uxores non quasvis permittebãt; Nec enim licebat matres, sorores, aut alias ducere, uti l. 3. contra Autol. Theophilus haud obscurè testatur. Duos igitur Christianorum ordines facit, alterum cõjugatorum, alterum cœlibum, utrumq; statum licitum ait, nec alterum alteri opponit, aut præfert; aut cœlibatum facit opus meritorium, aut necessarium. Idem scribit Theoph. l. 3. contr. Autol. f. 338. *Apud Christianos modestia & temperantia florent, continentia viget, μονογαμία τηρεῖται, ἁγνεία φυλάσσεται, uxoris matrimonium servatur, castitas custoditur.* Conjugium

Et Justin. dial. cum Tryph. f. 263. *Tanquam agricolæ*, inquit de Christianis, *exercemus veram pietatem, justitiam, humanitatem, fidem, spem de Patre ipso per crucifixum conceptam; sub vite quisq; sua sedens, hoc est, sola nupta contentus. Nam, quod sermo propheticus dicit: Et uxor ejus veluti vitis exuberans, scitis.* Iren. lib. 1. cap. 32. reprehendit, *qui multas nuptias induxerunt.* Polygamia E. vetita. At Patriarchæ fuerunt polygami? ℞. Justin. dial. f. 291. *œconomia quædam id atq; dispositio fuit.* Sæpius autem dignitatem conjugii laudant hujus seculi patres, quia sanctuli quidam Encratitæ, Basilides, Saturnini, Marciones cœlibatum tanquam meliorem, & sanctiorem, & perfectiorem extollebant Iren. l. 1. c. 22. 30. vide Sander. de visib. Monarch. f. 239. Nec tamē evadunt Pontificii censuram Pauli 1. Tim. IV. 3. caussantes hæresin Tatianorum, & aliorum, qui nuptias omnino damnabant, notari: se autem ex studio perfectionis à nuptiis abstinere. Tatianus enim sub eodem prætextu à nuptiis abhorrebat. Librum enim scripsit de castitate, cujus erat titulus: *De perfectione secundum Servatorem*, quasi Christus perfectiorem vivendi regulam, cœlibatum, tradidisset. Refutatur autem à Clemente Alexandrino libr. 3. Stromat. videatur Chemnit. part. III. exam. p. m. 8. seqq. Galiaf. not. ad Iren. libr. 1. c. 31. Baronium an. 175. §. 15. eodem effugio utentem refutat Dionysius Corinthius, quem tamen ipse plurimum laudat. Nam cum Pinytus cœlibatum suis imperaret, ille vetuit, caussatus, non Montanistas, ut Baronius, sed *multitudinis imbecillitatem*, quæ *grave* cœlibatus *onus* ferre non posset. Euseb. IV. 22. Extat sub nomine Evaristi P. R. constitutio, *de conjugio legitimo* f. 1. concil. in qua *jubet uxorem legitimè viro jungi*; Eam autem legitimè jungi dicit, quæ ex consensu parentum nubit, & *suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur, & à paranymphis, ut consuetudo docet, custodita, & sociata à proximis tēpore congruo petita legibus detur, & solenniter accipiatur, & (conjuges) biduo vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant, ut bonæ soboles generentur, & Domino in actibus suis placeant.* Hæc ille, quisquis sit auctor. Ut autem castitas eo facilius servari possit, media debita sunt observanda, e. g. studium sacrarum literarum, & φιλοπονία, quæ duo in virginibus Christianorum laudat Tatianus contra Græc. fol. 214. Accedat fuga ebrietatis, & pravorum sodalitiorum, colloquiorum, vestimentorum. Jejunia. *Jejunia*, temperantiæ

ana-

analoga, in hoc quoque seculo observata: Præsertim tempore paschatis; diversimode tamen: *Quidam enim unum diem se jejunare oportere existimant, alii duos, non pauci plures, multi quadraginta; atque diurnis nocturnisque horis omnibus numeratis diem suum metiuntur ac statuunt: Atque ejusmodi eorum, qui hæc observabant jejunia, varietas ac discrepantia non jam nostra ætate cœpta est, verum etiam longè ante apud majores nostros, qui, ut conjectura assequi licet, non accuratè consuetudinem eorum, qui vel simplicitate quadam, vel privata auctoritate aliquid in posterum tempus statuissent, observarunt &c.* Ita Irenæus perscripsit ad Victorem P. R. citante Euseb. lib. V. 24. hist. & vertente Christophorsono. Hinc constat in hoc seculo nondum fuisse fixas & certas de jejunio leges; imò non legis, sed συνηθείας *consuetudinis* eum ritum fuisse, ejusque non Apostolicæ, aut publicæ, sed privatæ, hominum scilicet simplicium, & privatorum, unde nec æqualitas fuit in observantia, *καὶ ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι, sicque varia ac discrepans jejunii ratio concordiam fidei plurimum commendat.* Chemnit. part. 4. Conc. Trident. p. 212. Nebulas, quas luci offundit Bellarminus, discussit Cham. t. 3. lib. XIX. c. 7. §. 17. Panstrat. Cath. Illustre est exemplum Alcibiadis, de quo refert Ecclesia Gallicana in suis literis, quod austeræ vitæ assuetus abstinerit à reliquo victu, nisi à pane & aqua, quibus utebatur, forsan Montani errore imbutus. Cum autem, in carcere detentus, in rigore contra legem corporis fovendi pergeret, revelatum est cuidam Attalo, quod male faceret à creaturis Dei abstinendo, & scandalum aliis præbendo. Euseb. libr. V. 3. histor. imò Eleutherus P.R. consultus de eo casu, respondit, nullam esse escam repudiandam, utpote à Deo creatam: fatente Baron. an. 187. §. 1. De Montani adulterinis jejuniis inferius erit dicendi locus. Licet igitur vesci creaturis Dei, si præsertim necessitas corporis efflagitat, nec inter cibos discrimen constituere, quo aliis scandalum præbeatur. Excipit quidem Bellarminus & Baronius an. 179. §. 33. ideo reprehensum fuisse Alcibiadem, quod videretur *hæresi damnantium cibos, ut immundos, infectus esse*; sed neque Gallicanæ Ecclesiæ in literis, neque Eusebius ejus suspicionis meminerunt; Neque Deum, unde revelatio erat, latebat, qua fide id fecisset Alcibiades. Vide Dallæ. d. jej. & quadrag. lib. II. c. 7. Sicut autem licet uti cibis quibusvis, ita & vino: *οἴνῳ δὲ χρηστέον vino utendum est, cum jam lectioni non incumbamus,* scri-

bit Justin. ad Zen. & Seren. f. 392. Imo jubet exsibilare ἐσκληραγωγημένες, *qui duriori vitæ assuevere*; & ipsorum δύς τροπον *tetricos mores salibus abstergere.* Contrarium conjugio est *divortium*, quod in casu adulterii est licitum; alias non: *quicunque repudiaverit uxorem suam, nisi caussa stupri, efficit, ut illa sit adultera*: Theophilus l. c. Passivè autem loquendo persona innocens se abstinere potest à conjuge sævo, vel alio enormi scelere grassante. E. g. Mulier ad Christianismum conversa cum marito uteretur, παρὰ τὸ τῆς φύσεως νόμον καὶ παρὰ τὸ δίκαιον πόρους ἡδονῆς &c. *præter naturæ legem & justitiam libidinoso*; & in dies pejorem fieri animadverteret, se ab eo dato libello repudii separavit, ut refert, nec improbat Justin. Apol. I. f. 32. citante Euseb. l. IV. c. 16. hist. *Incestus* committitur cum persona sanguine juncta E. g. matre, sorore; cujus reum sceleris Epicurum arguit Theophil. lib. 3. ad Autolyc.

Divortium.

Justitia.

§. 70. *Justitia & beneficentia in proximum.* Illa suum cuique tribuit, *Justitia expellitur, peccatum eradicatur, justitia exercetur* inter Christianos, Theoph. l. c. & furtum vitatur. Athenag. de resurrect. f. 374. Hæc de suo aliis largitur. Laudat hoc nomine Christianos Justinus Apol. II. f. 74. quod, pridem avaritiæ dediti, postea, Christiani facti, de suis facultatibus aliis communicarint, & probat ex verbis Christi, Matth. V. 42. &c. f. 48. Irenæus ex Malachiæ III. vocat sacrificium l. IV. c. 32. vide Gallas. not. ad l. c. Irenæi: Et Christo, quidquid egentibus, tribui docet l. 4. c. 49. Solebant eo fine in celebratione S. cœnæ, facta communione, Symbola conferre, & tradere Antistiti sacrorum, ut ab eo inter egenos distribuerentur collata. f. 77. Justini verba sunt: οἱ εὐποροῦντες καὶ βουλόμενοι κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ, ὃ βούλεται, δίδωσι καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται &c. *Qui copiosiores sunt, & volunt, pro arbitrio quisque suo, quod visum est, contribuunt, &, quod ita colligitur, apud Præpositum deponitur, atque ille inde opitulatur pupillis, & viduis, & his, qui propter morbum, aut aliquam aliam caussam egent, quique in vinculis sunt, & peregrè advenientibus hospitibus, &, ut simpliciter dicam, indigentium is omnium curator est.* Observa fuisse inter Christianos εὐποροῦντας *opulentos* καὶ τοὺς ἐν χρείᾳ ὄντας *pauperes.* Non igitur erat communio bonorum omnium, ita ut nemo quicquam boni obtineret; Sic enim omnes fuissent divites; Nec dicit inter Monachos claustrales fuisse illam communionem, quasi illi

vert-

ventres otiosi inde alerentur, sed pupillos narrat, & viduas, & captivos, & similes miseros & indigentes alios, hos ait inde fuisse sustentatos, nec ex voto, vel alio necessitatis modo ait fuisse adactos, sed sponte contulisse, quodcunque liberet. Vide Salmasium in notis ad Lactant. l. V. §. 15. citante Servatio Gallæo. Et Nicolaum Gallasium in notis ad Iren. lib. IV. c. 32. Quod charitatis officium in Romana præsertim Ecclesia commendat Dionysius Corinthius in epistola ad Soterem. Euseb. libr. IV. c. 22. hist. Hinc tamen nulla peculiaris prærogativa extorqueri potest pro Romano Pontifice, ut facit Sanderus, quævis in gloriam Papæ sui convertens, lib. VII. de visib. Monarch. f. 242. §. 15. Nam idem apud alias quoque Ecclesias fieri debebat, & solebat, dummodo facultates suppeterent, ut Romanæ. Irenæus Episcopus Lugdunensis in Gallia lib. II. cap. 57. suam quoque suorumque hanc laudem facit, sic scribens: *In Ecclesia miseratio & misericordia, & fraternitas, & veritas ad opitulationem hominum, non solum sine mercede & gratis impertiatur, sed & nobis ipsis, quæ sunt nostra, erogantibus pro salute hominum, & ea, quibus hi, qui curantur, indigent, sæpißimè non habentes, à nobis accipiunt.* Hæc ille, qui tamen non fuit Papa Romanus. Melito *de hospitalitate* librum exaravit, citante Eusebio lib. IV. cap. 25. Apollonius reprehendit Montani Prophetissas, quod aurum, & argentum, & vestes pretiosas sibi vaticinando comparavissent, à quibus genuini Prophetæ abstinerent, item quod *fœnus* exercuerint. Euseb. V. 27.

§. 71. (5.) *Veritas in dictis & factis*. Theophilus l. c. describens Christianorum mores, inter alios etiam veritatis meminit: *ἀλήθεια βραβεύει veritas gubernat.* Melito etiam de *veritate* librum scripsit. Euseb. IV. 25. Plinius, Christianorum licet hostis, testimonium tamen honorificum præbet iisdem, *quod sacramento sese obstrinxerint, ne furta, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum, appellati, abnegarent.* Non distinguit fora, nec retentiones excipit mentales. Veritas.

§. 72. (6.) *Concupiscentiæ cum originalis tum actualis fuga.* Nam *docemur divinis literis,* τὸ μὴ ἁμαρτάνειν ἔργῳ, ἀλλὰ καὶ μέχρις ἐννοίας, τὸ δὲ μὴ τῇ καρδίᾳ ἐννοηθῆναι περί τινος κακοῦ, *non solum opere non peccare, sed ne mente quidem; nec vel cogitare malum in corde,* ait Theophil. l. c. ἢ θεασόμενον τοῖς ὀφθαλμοῖς ἀλλοτρίαν γυναῖκα ἐπιθυμῆσαι: *sed nec alienam uxorem vel* Concupiscentiæ fuga

Charitas in proximum. *videndo concupiscere.* l. c. *Cardinalis virtus* est *charitas in proximum.* Referunt de Johanne Apostolo, qui hoc demum seculo mortuus est, juxta Baron. an. 101. §. 2. quod extremè senex *nihil aliud per singulas solitus sit proferre collectas, nisi hoc : Filioli alterutrum diligite : Tandem discipulos & fratres, qui aderant, tædio affectos, quod eadem semper audirent, dixisse : Magister, quare semper hoc loqueris? qui respondit dignam Johanne sententiam: quia præceptum Domini est, &, si solum fiat, sufficit :* Verba sunt Hieron. in epist. ad Gal. l. 3. c. 6.

V. Glorificationis status §. 73. (5.) *Glorificationis status.* Utitur hac voce Iren. libr. 4. c. 75. *oportuerat,* inquiens, *hominem primo fieri, & factum augeri, & auctum corroborari, & corroboratum multiplicari, & multiplicatum convalescere, convalescentem vero glorificari, & glorificatum videre suum Dominum.*

(1.) Antecedētia mors; Hujus consideranda sunt 1. *Antecedentia.* Ut sunt : *Mors*: quæ in piis est non pœna, sed via ad vitam æternam. *Deus* enim (ablata arbore vitæ) *prohibuit* (Adami) *transgressionem interponens mortem, & cessare faciens peccatum, finem inferens ei per carnis resolutionem, quæ fieret in terra, uti cessans aliquando homo vivere peccato, & moriens ei, inciperet vivere Deo.* Iren. l. 3. c. 37. *Post mortem non datur pœnitentiæ locus,* ut scribit ad Græcos in παραιν. Justinus; Et alibi: *Noster Dominus Jesus Christus dixit:* ἐν οἷς ἂν ὑμᾶς καταλάβω ἐν τούτοις καὶ κρινῶ, *in quibus vos deprehendo, in iisdem judicabo.* Just. dial. f. 207. Et q. & R. ad orth. q. 75. post exitum animarum è corpore εὐθὺς γίνεται διαστολή *statim justi ab injustis segregantur* &c.

Resurrectio mortuorum *Resurrectio mortuorum.* Esse possibilem & futuram aliquam mortuorum resurrectionem ex professo probavit, post Justinum Apol. II. 51. Athenagoras in oratione de mortuorum resurrectione. Solutis enim, quæ in contrarium objiciebantur, quatuor rationibus probavit ejus veritatem, nempe à fine hominis ad æternam vitam creati, ex communi hominum omnium natura, quæ duabus absolvitur partibus, ut homo non sit, nisi qui utraque gaudeat, ex judicio Dei futuro de toto homine, denique ex summo hominis bono, quod totum concernit non partem. Irenæus lib. II. fol. 194. probat eandem ex Eucharistia. *Quemadmodum enim lignum vitis depositum in terra suo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & dissolutum multiplex surgit, per spiritum Dei, qui continet omnia, quæ deinde per sapientiam in usum hominibus veniunt, & sanguis Christi : sic & nostra corpora ex ea nutrita, & reposita in terram, & resoluta in ea resur-*

gem

gent in suo tempore, verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris. Docet, quis excitaturus sit hominem, nempe Deus, ex gratia, eumq; virtute corporis & sanguinis Christi cum ipso conjuncti. Ex potentia Dei infinita occurrit dubio de impossibili. lib. 5. c. 5. Ex creatione colligit vires resuscitationis. l. c. *Subjectum*, quod resurget, est idem numero corpus, quod ante fuit. Ratio sumitur à justitia, ut idem recipiat vel præmia, vel pœnas, secundum ea, quæ olim egit. Iren. l. 2. c. 52. & 63. *Et ideo adimpleto numero, quem ipse apud se ante definit, omnes, quicunq; sunt descripti in vitam, resurgent, sua corpora, & suas habentes animas, & suos spiritus, in quibus placuerunt Deo.* Justinus ait: πάλιν ἀπολήψεσθαι ἑαυτῶν σώματα προσδοκῶμεν *nostra ipsorum corpora nos recepturos esse speramus:* Apol. II. f. 50. confer Theophil. l. 1. contra Autolyc. f. 292. Vapulat igitur delirium Pythagoricum de μετεμψυχώσει, Iren. l. 2. c. 59. seq. Resurrectionem mortuorum consequetur *consummatio seculi* eaque secundum substantiam: Unde Justin. Apol. I. f. 35. vocat σύγχυσιν καὶ κατάλυσιν τοῦ παντὸς κόσμου *confusionem, & dissolutionem totius mundi:* Alibi vocat ἐκπύρωσιν; sic enim pro ἐπικύρωσιν legit Jac. Bill. observ. sacr. lib. 2. c. 6. vide Gerh. Loc. de consumm. sec. c. 3. e. 7. seqq. Irenæus lib. IV. cap. 6. ex aliquot dictis scripturæ probatum illud dedit. Quando hæc futura sit, colligere voluit Iren. lib. V. cap. 23. ex tempore creationis: *Quotquot enim diebus, ait, hic factus est mundus, tot & millenis annis consummatur:* Probat ex 2. Pet. III. 8. quod *dies Domini sit quasi mille anni. In sex autem diebus consummata sunt, quæ facta sunt: Manifestum* (igitur) *est, quoniam consummatio ipsorum sextus millesimus annus est.* Sed liceat cum bona Irenæi venia dissentire. Salvator noster diei extremi tempora & momenta nos scire noluit Actor. I. 7. Judæis autem suas ex Elia, ut putant, traditiones & δευτερώσεις, unde illi 6000. anni manarunt, relinquamus. Vide Gerh. Loc. d. Extr. judic. §. 77. Cõsummatio seculi.

§. 74. *Judicium extremum.* De hoc articulo Christiani frequenter loquebantur, sed cum tædio & indignatione gentilium, ut docet in suo Philopatre Lucianus, & Julius Capitolinus in Marco; vide Baron. an. 178. §. 5. 6. Judex erit Christus secundum humanam naturam teste Irenæo. libr. 3. c. 18. quod Justinus Apol. II. fol. 67. probat ex dicto. *Ecce quomodo Filius hominis venit in nubibus cœli, & Angeli ejus cum eo.* Confer quæ superius allegata sunt §. 47. Sententia Judicium extremum.

Duo loca post mortē. tia lata alios æternæ vitæ, alios æternæ morti adjudicabit. Duo enim tantum, nec plura sunt loca, in quæ homines post mortem, aut post judicium, deferuntur, cœlum, & infernus. *Post exitum enim animarum è corpore, illico justi ab injustis segregantur: Abducuntur enim ab Angelis ad condigna sibi loca. Ac justorum quidem animæ in paradisum, ubi consuetudine, & aspectu fruuntur Angelorum, & Archangelorum &c. Injustorum autem animæ in ipsius orci loca.* Justin. quæst. 75. Hunc locum adducit Jod. Coccius thes. t. 1. lib. 5. art. 2. f. m. 447. ut probet: *Sanctos post discessum ex hac vita nullis amplius malis affici, comitantibus Angelis rectà in cœlum duci, Christi glorifica visione frui,* quem ipse titulum capiti inscripsit. Si igitur justi ex hac vita discedentes *nullis amplius malis afficiuntur,* sequitur nec malis purgatoriis affici. Distinctionem inter sanctos & non sanctos, quam habet Coccius §. 180. elidit imediata oppositio justorum & injustorum apud Justinum. Nam justorum animæ mox in paradisum deferuntur, injustorum in infernum. In eandem statuit sententiam Apol. I. f. 32. Et Athenagoras in Apologia: *Hac mortali defunctos vita, alteram hac terrestri longè meliorem, nempe cœlestem, nos victuros credimus.* Immediate huic mortali vitæ subjungit cœlestem: purgatorii nec vola nec vestigium apparet. Id quod tantum non totidem verbis fatetur Bernh. de Lucemb. d. purg. p. 2. caussatus tamen, *quod non necessaria fuerit purgatorii & indulgentiarum fides in primitiva Ecclesia.* Sed nec apparitionis ullius post mortem meminit vel Justinus, vel alii hujus seculi patres, ut videtur fateri ipse Coccius t. 1. thesaur. Cath. l. V. art. 9. dum neminem ex hoc seculo testem producit, quod fecisset, si potuisset. Caussam silentii reddunt Pontificii admodum frivolam. Bail. sum. contr. tr. 3. q. 13. *Primi Christiani variis severis pœnitentiis exercebantur, quo has pœnas evitarent.* Et Lucemburg. l. c. *adeo charitas ardebat, ut paratissimi fuissent singuli pro Christo mortem suscipere.* At N. C. quidam sic erant animati. E. omnes. Dabantur enim & maxima & frequentia scandala i. e. digna, quæ purgatorii metu reprimerentur. Vide de scandalis artic. 5. §. 13. quos sequitur Iren. l. 1. c. 2. Pseudhermenia Coccii l. c. nullam speciem habet ex Irenæo. Justum erit judicium: *Oportebat enim veritatem ab omnibus accipere testimonium, & esse judicium in salutem quidem credentium, in condemnationem autem non credentium, ut omnes justè judicentur.* Iren. l. 4. c. 14. Quare ut increduli condemnabuntur à justitia Dei; sic

Sic æternam vitam gratia Dei dabit credentibus. Iren. lib. 4. c. 41. *Eos* dicit *qui in eum credunt incorruptibiles & impaſſibiles futuros & percipere regnum cælorum.* l. 5. f. 330. *adventus* Filii dicitur *judicialis & diſcretor credentium, & non credentium; &c. & propter hoc Dominus dicebat: qui credit in me non judicatur, i. e. non ſeparatur à Deo; adunitus eſt enim per fidem Deo: Qui autem non credit, ait, jam judicatus eſt, quoniam non credidit in nomine unigeniti Filij Dei i. e. ſeparavit ſemetipſum à Deo voluntaria ſapientia.* Confer libr. III. 21. IV. 14. Tertius igitur locus non datur, ut purgatorium fingitur, in quo reſidua peccata expientur. *Juſtinus in Tryphone dicit, ſententiam doctrinæ Chriſti eſſe* ἐν οἷς ἂν ὑμᾶς καταλάβω, ἐν τούτοις καὶ κρινῶ, *in quibus vos deprehendero, in illis judicabo. Quam ſententiam Cyprianus ſerm. d. mortal. ita reddidit: Qualem te invenit Deus, cum de hoc mundo te evocat, & accerſit, talem pariter & judicat.* Chemnit. part 3. exam. p. 201. contra Bellarm. lib. 1. de purg. c. 9. Dilatus eſt hactenus dies judicii extremi, cur? *propter ſemen Chriſtianorum, quod naturæ rerum cauſſam eſſe novit.* Juſtin. Apol. 1. f. 35. *ſciens indies adhuc nonnullos diſciplinam ſuſcipere in nomen Chriſti & viam ſeductionis relinquere.* dial. f. 199.

§. 75. (2.) *Ingredientia* ſunt gloria, gaudium, & quidquid præterea hominem in æternum præſtat felicem. *Subjectum* hujus felicitatis eſt non anima tantum, ſed etiam corpus. Qua de re ex profeſſo diſputat Iren. lib. 2. c. 50. contra eos, qui animam, quâ ſubſtantiam, beatitudinis fore participem ſomniabant; quod ipſe negat, aſſerens per *fidem* in Chriſtum ſalvas fore; adeoque & corpora ſalvatum iri: vide Jacob. Bill. ſacr. obſerv. l. 1. c. 24. qui obſcurioribus locis facem præfert criticam. *Fide* autem *ſolâ* nos ſalvari Juſt. ep. ad. Diogn. f. 385. clarè docet: μόνῃ τῇ πίστει θεὸν ἰδεῖν συγκεχώρηται *ſoli fidei Deum videre conceſſum eſt.* Et Iren. l. 4. c. 5. *Non aliter ſalvantur homines ab antiqua ſerpentis plaga, niſi credant in eum, qui ſecundum ſimilitudinem carnis peccati in ligno martyrij exaltatur à terra.* confer l. 5. c. 22. ſubjectum quod ſunt *prædeſtinati* ad vitam æternam. Vide Iren. lib. 5. f. 292. Baptizati, credentes, & in vera fide ſtudioque pietatis ad finem perſeverantes. Pulchrè hæc eloquitur Juſtinus. Cum enim præmiſiſſet, *qua via Judæis remiſſio peccatorum contingere queat, & ſpes bonorum annunciatorum hæreditate conſequendorum;* ſubjungit: *Eſt autem non alia, quam hæc, ut Chriſto hoc agnito, quod ab Eſaia promulgatum eſt, propter remiſſionem peccatorum*

(II.) *Ingredientia*

Subjectum.

Prædeſtinati credentes:

torum, lavacro abluti, sine peccato de cætero vivamus. dial. fol. 204. confer fol. 188. ubi agit de gentilibus, vitæ æternæ *hæredibus.* Si ergo ex hæreditate est salus, non est ex operibus; *In ipsum credentes, in futuro ejus adventu glorioso salvabuntur.* f. 196. adeo, ut *exceptis iis, qui in animis suis fide Abrahæ exæquati fuerint, & mysteria omnia cognoverint,* nemo salvetur. fol. 203. (Non igitur bene aut congruè statuit, gentiles μετὰ λόγου viventes, E. g. Socratem, Aristidem &c. salvatos esse. Apol. II. vide Cocc. thes. t. 2. lib. 3. art. 1. *persuadebere aliquem, qui non custodierit aut feceriit æternas justificationes* σωθῆναι ἐκ παντὸς ἔχει *salvari omnino posse.* f. 205.) Per Christum *omnes salvat, qui maledictione digna in se admiserunt.* f. 152. Alibi ex S. literis docet, *in Deo, qui omnia condidit, ab omnibus, spem esse collocandam & apud illum solum salutem* σωτηρίαν καὶ βοήθειαν ζητεῖν *& opem quærendam. Neq; opinionem eam concipiendam, quam alij obtinent homines, propter genus, aut opes, aut potentiam, aut sapientiam, salutem contingere posse.* f. 257. Hæc igitur Benevolentia Dei nos salvantis non est absoluta, sed fundata in merito Christi: *Beati* quidem *sunt, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata; Beatus homo, cui non imputavit Dominus peccatum,* sed sciendum, quod *eam, quæ per adventum ejus* (Christi) *est remissio peccatorum, præmonstrarit, per quam delevit chirographum, debita nostra, & affixit cruci illud, uti, quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus nostri debiti remissionem.* Iren. l. V. f. m. 316. & l. 4. c. 47. *Mors Domini eorum quidem, qui cruci eum fixerunt, non crediderunt ejus adventum, damnatio est; Salvatio verò eorum, qui credunt in eum.* Hinc emergit vitam æternam dari, ut donum: Clare id dicit lib. 1. cap. 2. *quibusdam ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia* ζωὴν χαρισάμενος *vitam largiens, incorruptelam loco muneris conferat, & claritatem æternam circumdet,* τὴν ἀφθαρσίαν δωρήσηται καὶ δόξαν αἰώνιον περιποιήσῃ. Dicis: Denarius tamen i. e. vita æterna datur laborantibus in vinea. Matth. XX. ℞. (1.) *Quia parabolæ multas recipere possunt absolutiones, ex illis de inquisitione Dei affirmare delinquentes quod certum, indubitatum, verum est, valde præcipitantium se in periculum & irrationabilium esse, quis non amantium veritatem confitebitur?* Irenæ. lib. 2. c. 46. Ex clarioribus igitur locis explicandæ sunt. (2.) Irenæus *per imaginem inscriptionem Regis, agnitionem filij Dei, quæ est incorruptela,* intelligit. lib. 4. c. 70. Describit felicitatem Tatian. orat. contra Græc. fol. 205. *Est,* inquiens, *aliud ævum præstantius, cui nulla accidit partium muta-*

Organum Fides.

Principalis: Deus:

Meritoria Christus.

Descriptio.

mutatio, ex qua varij morbi naſcuntur, ſed jucundiſſima temperie præditum diem extendit perpetuum, & luce terrenis hominibus inacceſſa reſplendet. Iren: l. 1. c. 2. appellat *vitam, & incorruptelam, & claritatem æternam.* l 4. c. 37. *videbitur* (Deus) *in regno cœlorum paternaliter, ſpiritu quidem præparante hominem in Filium Dei, filio autem adducente ad Patrem, patre autem incorruptelam donante in æternam vitam, quæ unicuiq; evenit ex eo, quod videat Deum.* c. 57. *Viſio autem Dei efficax eſt incorruptela, incorruptela vero proximum faciet eſſe Deo.* Poteſt autem homo fidelis certus eſſe de hac ſua ſalute futura. Nam *undequaq; homines ſive ſervi ſive liberi credentes in Chriſtum, & veritatem, quæ in ipſius & prophetarum ejus oraculis eſt, cognitam habentes,* ἐπίστανται ἅμα αὐτῷ ἐν τῇ γῇ ἐκείνῃ ϗ τὰ αἰώνια ϗ ἄφθαρτα κληρονομήσειν, *ſciunt cum illo ſe in terrâ ea futuros, & hæreditatem ſempiternorum incorruptibiliumq; bonorum adituros eſſe.* Juſtin. dial. f. 289. Certitudo.

§. 76. Oppoſitum hujus eſt condemnatio & mors æterna. (3.) *Oppoſitũ.* Cauſſa eſt *incredulitas,* cujus gratia quidam reprobantur; Hæretici damnatio. *reſurgent in carne, licet nolint, uti agnoſcant virtutem ſuſcitantis eos à mortuis,* Cauſſa. *cum juſtis autem non annumerabuntur, propter incredulitatem ſuam.* Iren. l. 1. c. 19. *Ignorantes eum, qui ex virgine eſt, Immanuel, privantur munere ejus, quod eſt vita æterna; non recipientes autem verbum incorruptionis, perſeverant in carne mortali, & ſunt debitores mortis, antidotum vitæ non accipientes.* lib. III cap. 21. Nemo igitur gentilium, utut ſapientiſſimorum, & vita æterna honeſtiſſimorum; nec eorum, qui ſimplici ignorantia laborant, ſalvabitur. *Eos, qui non credunt, & propter hoc fugiunt lumen ejus, in tenebris, quas ipſi ſibi elegerunt, juſtè recludet.* l. IV. c. 14. Ratione *meriti* autem, omnia peccata hominem reum conſtituunt æternæ damnationis. Unde Athenagoràs in Apologia ſcribit: Oſculatio *ſi vel parum impura cogitatione inquinata fuerit, à vita æterna nos alienat.* Adeoque non ex abſoluto Dei decreto, ſed ſua culpa. *Ille enim miſit, qui vocarent ad nuptias, qui autem non obedium ei, ſemetipſos privaverunt regia cœna. Sed ille, qui non conſequitur eam, ſibimet ſuæ imperfectionis eſt cauſſa. Nec enim lumen deficit propter eos, qui ſemetipſos excœcaverunt. Sed* Objectum. *illo perſeverante, quale & eſt, excœcati per ſuam culpam in caligine conſtituuntur:* Iren. l. 4. c. 77. Objectiones fieri ſolitas ventilat c. 47. Duæ ſunt præcipuè, altera deſumpta ab Ægyptiis Iſraëlitarum gratia perditis, altera à Chriſti crucifixione: *Invenietur ſecundum illorum verba maximi peccati cauſſa factus iis, qui in eum manus miſerunt, & pupugerunt eum,*

Si enim non ita venisset, utiq; illi Domini sui interfectores facti non fuissent. Respondet, caussam damnationis esse ipsorum incredulitatem, dum non crediderunt in eum, quem crucifixerunt. *Qui enim sunt, qui & tunc semetipsos morti tradiderunt? hi scilicet, qui non credunt, neq; subjecti sunt Deo; Rursum autem, qui salvati sunt, & acceperunt hæreditatem? hi scilicet, qui credunt Deo, & eam, quæ est erga illum, dilectionem custodierunt.* Alii possent caussam prætexere defectum vocationis; Sed Rx. Iren. lib. IV. c. 7. citante Theodor. dial. II. Inconf. f. 87. *In universum terrarum orbem fructu eo* (Evangelio) *disseminato* εἰκότως ἐγκατελείφθη, καὶ ἐκ μέσου ἐγένετο *jure derelicti sunt, & è medio sublati, qui olim quidem bonos fructus tulerunt &c. nunc autem ad fructus edendos amplius apti non sunt.* Loquitur quidem de Judæis, sed liceat hypothesin transferre ad thesin, hominem, si gratiam Dei repulerit, ea deinceps indignum haberi.

Duratio. Vide quæ superius §. 60. hac de re dicta sunt. Erit pœna æterna; dum pœnitentiæ nullus futurus est locus in inferno; *Tunc per pœnitentiam resipiscent,* ὅτε οὐδὲν ὠφελήσουσι, *cum eis nihil proderit.* Justin. Apol. II. f. 68. dial. f. 204. Suffragatur Polycarpus in suo ad Proconsulem responso. Vocat enim *ignem futuri judicij ad perpetuum impiorum supplicium, & cruciatum reservatum.* Euseb. libr. IV. c. 14. hist. Irenæus eodem tendit lib. II. contra hæres. c. 57. IV. 47. V. 27. Theophil. libr. 1. contra Autol.

Locus. *Locus* est infernus, seu *gehenna, in quo torquebuntur injusti, & qui non crediderunt ea esse futura, quæ Deus per Christum futura prædixit.* Justin. Apol. II. f. 51.

§. 77. Hactenus doctrina de præcipuis fidei capitibus, ut est

VI. *Ecclesia.* nostræ Evangelicæ ὁμόλογος. Semen hoc est, ex quo nascitur *Ecclesia,*

Vox. quæ propositam credit. *Vox* est collectiva. *Et populus & Ecclesia permulti numero mortales perinde atq; una res forent, una voce vocantur & appellantur.* Justin. dial. f. 202. Quare absurde quidam Pontificiorum Pontificem. i. e. Unum hominem nomine Ecclesiæ intel-

Synonymũ. ligunt. *Synonymum* est Synagoga. Sic vocat eam Justin. dial. f. 223. Sic & Iren. libr. III. c. 6. ad illud Davidis: Deus stetit in Synagoga &c. annotat: *In medio Deos discernit, de Patre & Filio, & de his, qui adoptionem perceperunt, dicit. Hi autem sunt Ecclesia. Hæc est enim synagoga Dei, quam Deus h. e. Filius ipse per semetipsum collegit.* Loquitur autem de Ecclesia N. T. Nam hanc Filius Dei *collegit.* Suffragatur Theoph. lib. 2. contra Autolyc. f. 307. *Deus dedit mundo, qui peccatorum tempestatibus*

& nau-

& naufragiis jactatur, synagogas, τὰς συναγωγὰς λεγομένας ἐκκλησίας ἁγίας, *quas Ecclesias sanctas nominamus*; Et hic loquitur de Ecclesia in N. T. Vapulat ergo Bell. lib.3. de Eccles. milit. c.1. cum solis Israëlitis hoc nominis vindicat. Vide Dn. D. Dannh. hodos. p. 72. Justinus dial. Tryph. f. 225. *Filiam Dei* vocat, & Christi Sponsam. Irenæo lib. V. f. 319. eleganter dicitur ἑπτάμυχος *lucerna Christi bajulans lumen. Efficiens* est Deus, uti modo ex Irenæo ostensum. confer cap. 5. libr. 3. *Membra* genuina & vera sunt soli fideles & sancti: *In Ecclesia posuit Deus Apostolos, Prophetas, Doctores, & universam reliquam operationem spiritus, cujus non sunt participes omnes, qui non concurrunt ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant à vita per sententiam malam, & operationem pessimam.* c. 40. Qui igitur vel in fidem, vel in mores enormiter impingunt, non sunt membra Ecclesiæ. In genere dicuntur Christiani: nomine accepto à Christo suo uncto. Justin. dial. f. 223. Theophil. lib. I. contra Autolyc. vocat θεοφιλὲς ὄνομα *amicum Deo nomen.* f. 285. & defendit contra injurias Autolyci. f. 292. *Dividitur* in visibilem & invisibilem. *Sicut* enim *invisibilis anima in visibili corpore, tanquam in præsidio constituta est: Sic & Christiani cognoscuntur, dum in mundo commorantur;* ἀόρατος δὲ αὐτῶν ἡ θεοσέβεια μένει, *sed invisibilis est eorum cultus divinus.* Justin. ad Dioguet. f. 384. Non igitur hærendum est in externo cortice nominis, quasi illa statim sit Ecclesia, quæ sic dicitur: ὀνόματος προσωνυμία οὔτε ἀγαθὸν, οὔτε κακὸν κρίνεται ἄνευ τῶν ὑποπιπτουσῶν τῷ ὀνόματι πράξεων: Justin. Apol. II. f. 42. *Nominis sane appellatione neq; bonum quidquam, nec malum sine factis, sub nomen ipsum cadentibus, judicatur.* confer Iren. l. 1. c. 30. Sed videndum est an verbum Dei sequatur: *Columna* enim *& firmamentum Ecclesiæ est Evangelium & spiritus vitæ.* Irenæ. l. III. c. 11. f. m. 156. & c. 40. remittit nos *ad prædicationem Ecclesiæ undiq; constantem, & æqualiter perseverantem, testimonium habentem à Prophetis, & ab Apostolis, & ab omnibus discipulis.* Non est Ecclesia lux ipsa, sed ἑπτάμυχος q. d. candelabrum 7. caliculos habens; *lucerna Christi bajulans lumen.* Iren. l. 5. f. 319. vide Dn. D. Dannhavv. hodos. p. 71. Extra Ecclesiam, saltem invisibilem, non est salus. Disputat Irenæus l. c. contra *eos, qui ex quacunq; caussa schisma faciunt, &* excludit eos à beneficiis Evangelicis, quamdiu sunt ab Ecclesia separati: *Ubi enim Ecclesia, ibi & spiritus, & ubi spiritus Dei, illic & Ecclesia, & omnis gratia, spiritus autem veritas. Quapropter, qui non participant eum, neq; à mammillis*

Efficiens. Materia. Divisio. Necessitas.

matris nutriuntur in vitam, neq; percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem, sed effodiunt sibi lacus detritos de fossis terrenis, & de cœno putridam bibunt aquam, effugientes fidem Ecclesiæ, ne traducantur, rejicientes vero spiritum, ut non erudiantur. Et lib. 5. f. 319. *Huic enim creditum est lumen Dei, & propter hoc sapientiæ Dei, per quam salvat homines.* Et Theophil. lib. 2. f. 307. *In Ecclesiis veritatis doctrina fervet, ad quas confugiunt veritatis studiosi omnes, quotquot salvari, Deiq; judicium & iram vitare volunt.*

Notæ. Observa *Notas Ecclesiæ*, nempe verbum Dei, quod est *veritas* in libris Propheticis comprehensa, & administrationem sacramentorum legitimam, quæ sunt fontes ex latere Christi manantes, baptismus, & S. cœna. Idem tradit lib. III. c. 1. 4. 11. IV. c. 63. *Agnitio vera est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in universo mundo, & charactere corporis Christi secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoq; loco est, Ecclesiam tradiderunt, quæ pervenit usq; ad nos custodita sine fictione scripturarum tractatione plenissima, neq; ablationem recipiens lectio sine falsatione, & secundum scripturas expositio legitima, & diligens, & sine periculo, & sine blasphemia, & præcipuum dilectionis munus, quod est pretiosius, quam agnitio &c.* Basin constituit *Apostolorum doctrinam*, in S. literis contentam, & huic subordinat Episcoporum successiones, ut ea sit vera Ecclesia habens successionem Apostolicam, quæ retinet illibatam scripturam, nihil novi fingens, aut demens, aut sinistrè exponens; ea autem est *legitima expositio*, quæ est *secundum scripturas.* vide Dn. D. Gerh. Loc. d. Eccles. §. 138. Dn. D. Dannh. Christeid. p. 320. 321. Justinus Irenæo ὁμόψηφος in Apologia pro Christianis notas Ecclesiæ Christianæ præclarè exponit, nempe (1.) quod sequantur doctrinam Magistri Christi in S. literis contentam; (2.) quod administrent sacramenta baptismum & Eucharistiam; vitam denique ducant honestam.

Attributa (1.) Unitas. indivisa in se §. 78. *Attributa* Ecclesiæ sunt (1.) *Unitas.* Nam Justin. dialog. f. 113. comparat Ecclesiam *uni animæ, & uni synagogæ, & uni cætui.* Est ergo vera Ecclesia *indivisa in se*, utpote copulata fide & charitate mutua: Hanc *prædicationem cum acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia, & quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit,* ὡς ἕνα οἶκον οἰκοῦσα, καὶ ὁμοίως πιστεύει τούτοις, ὡς μίαν ψυχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν, καὶ συμφώνως ταῦτα κηρύσσει καὶ διδάσκει καὶ παραδίδωσιν, ὡς ἓν στόμα κεκτημένη, *quasi unam domum inhabitans & similiter credit iis, videli-*

cet

cet quasi unam animam habens, & unum cor, & consonanter hæc prædicat, & tradit, quasi unum possidens os. Iren. libr. 1. c. 3. & libr. 4. c. 69. castigata hæreticorum discordia, subdit: *Nos autem unum & solum verum Deum Doctorem sequentes, & regulam veritatis habentes ejus sermones, de iisdem semper eadem dicimus, omnes unum Deum scientes, factorem hujus universitatis.* Confer lib. V. f. 319. *Apud Ecclesiam una & eadem salutis via in universo mundo ostenditur.* Egesippus testabatur, *se in itinere Romam versus suscepto multis cum Episcopis sermonem contulisse, & unam eandemq; accepisse ab omnibus doctrinæ formam, & institutionem.* Notante Euseb. libr. IV. cap. 21. Dionysius Corinthiacus ad Lacedæmonios scripsit *de pace & unitate.* c. 22. *Divisa* à quovis alio cœtu, ut sunt *Hæretici.* Qua de divisione præclarè loquitur Justin. dial. cum Tryph. fol. 196. Cum enim Trypho ipsi objecisset edentes de Idolothytis, & hæreticos, respondet ille: ὧν ὐδὲν κοινωνῦμεν, *quorum nulli communicamus, atheos, atq; à Deo alienos, & impios, & injustos, & iniquos ipsos esse scientes.* Vocat atheos, qui tamen Deum sese credere profitebantur, sed quia verum Deum non cognoscebant, ipsum etiam Deum non credebant. Subscribit Iren. lib. 3. c. 15. Refert enim de Valentinianis eorumque querela: *queruntur de nobis, quod, cum similia nobiscum sentiant, sine caussa abstineamus nos à communicatione eorum, &, cum eadem dicant, & eandem habeant doctrinam, vocemus illos hæreticos.* Sed addit divisionis caussam, nempe fraudulentiam seducentium: *Cum dejecerint aliquos de fide per quæstiones, quæ fiunt ab eis, nec non contradicentes auditores suos fecerint, his separatim inenarrabile plenitudinis suæ enarrant mysterium;* Scilicet: *similia loquentes fidelibus, non solum dissimilia sapiunt, sed & contraria, & per omnia plena blasphemiis, per quæ interficiunt eos, qui per similitudinem verborum dissimile affectionis eorum in se attrahunt venenum.* l. 3. c. 19. vel, ut Justinus epist. ad Zen. & Seren. f. 392. eleganter loquitur: ὥσπερ αἱ βάκχαι διὰ σχήματος εἰρηνικῦ τὰς λόγχας ἐν τοῖς θύρσοις περιφέρυσιν, *sicut Bacchæ sub habitu pacifico hastas in thyrsis circumferunt.* Et Irenæus iterum lib. IV. 58. ex Homero allegat: -- ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ κ' εἴπῃ *aliud abscondit in corde suo, aliud vero enarrat.* Hæc caussa est, cur vitandi sint hæretici. Ex professo hoc ipsum tractat c. 40. *Ecclesiæ,* inquit, *non sunt participes omnes, qui non concurrunt ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant à vita per sententiam malam, & operationem pessimam.* Sicut igitur vera fides, & honesta vita Ecclesiæ hominem jungit; ita falsa fides-

Divisa à quovis alio cætu hæreticorum.

fides & ſcelerata vita eundem excludit. Sic vitavit Polycarpus, quem laudat eo nomine Irenæus, citante Euſeb. lib. IV. hiſt. cap. 13. Sic Germani noſtri, *ſi quis annunciaſſet ea, quæ ab hæreticis adinventa ſunt, proprio ſermone eorum collocutus, ſtatim concludentes aures longe longius fugiebant, ne audire quidem ſuſtinentes blaſphemum colloquium.* l. 3. c. 4. Congruit Pauli monito, quod ipſum allegat Irenæus: *Hæreticum hominem poſt unam & alteram admonitionem devita.* Quod ipſum Dionyſius Corinthiacus per ſcripſit ad Philippum Gorthynæ Epiſcopum, nempe, *ut nefariam hæreticorum perverſitatem omni cura & cogitatione declinet.* Euſeb. lib. IV. c. 22. Idem colligere licet ex receptione lapſorum & hæreticorum. Nam cogebantur prius confiteri ſuum lapſum, errores, & ſcelera, pœnitentiam deinde publicam ſubire, quam reciperentur; ut apparet ex literis Eccleſiæ Lugdunenſis apud Euſeb. V. 1. & invectiva Irenæi in Marcum hæreticum lib. 1. c. 9. Atque hic zelus adverſus heterodoxos tam erat fervidus, ut ne quidem perſecutionis tempore voluerint eos in communionem admittere. Id quod docemur ex literis cujusdam Mantaniſtarum Antagoniſtæ; Nam, ſcribit, *ſimulatq; viri verè Eccleſiaſtici & Catholici perſecutionis temporibus ad teſtimonium fidei, quæ eſt ex veritate, una cum quibusdam Cataphrygum hæreſi cœcatis (quos illi hæretici pro Martyribus habebant) eſſent forte vocati, ab illis plane diſſenſerunt plurimum, & ne cum veſano ac dementi Montani & mulierum ſibi in ſocietatem aſcitarum ſpiritu ulla ex parte conſentire viderentur, cum illis communicare ad extremum usq; ſpiritum prorſus recuſarunt.* Euſeb. V. 15. hiſt. Inſignis locus eſt adverſus hodiernos Syncretiſtas, qui putant in perſecutionibus præſertim communibus ſocietatem ineundam eſſe cum illis Eccleſiis, quarum membra non dubitant vitam profundere pro ſua religione: At primitiva Eccleſia, cum perſequutionem ſuſtineret gentilium, noluit tamen in communionem recipere Montaniſtas, etſi & hi ob idem nomen Chriſtianum ad ſupplicia raperentur: Nec abſtinuit propterea à ſcriptis elenchticis, ut videre eſt ex Miltiadis, Apollonii aliorumque contra Cataphrygas editis ſcriptis. Euſeb. l. V. c. 15. 16. 17.

Judæorum. §. 79. Diviſa quoque fuit à *Judæis*. Sunt alii Judæi, alii Judaizantes. Illos voco, qui in Chriſtum prorſus non credunt; Hos, qui quidem credunt, ſed præter Chriſtum Moſi quoque adhærent. Atque hi iterum vel neceſſarias, vel liberas ſtatuunt cæremonias: Illos ad commu-

communionem Eccleſia non admiſit; hos autem admiſit; utpote cohæredes vitæ æternæ. Qua de re inter ſeſe diſputant Trypho Judæus, & Juſtinus Chriſtianus philoſophus. Ut videre eſt dial. fol. 206. Excluſos autem fuiſſe Judæos à communione Chriſtianorum vel inde patet, quod non prius recepti fuerint in Eccleſiam, quam baptizarentur. Nicephor. III. 37. Quod refutati fuerint integris ſcriptis; ut ab Juſtino; Apollinario, Miltiade; quod denique in controverſia de paſchate non minima ratio fuerit contra Quartodecimanos, ea, quæ ipſos cum Judæis ſentire arguebat. Euſeb. V. 24. hiſt.

§. 80. *Diviſa ab Ethniciſmo.* Docet hoc Eccleſia cum verbis, Gentilium. tum exemplis. Verbis, Nam plurima extant contra gentiles ſcripta, quibus ipſorum deliria in ruborem dederunt, contra diſſentire ſeſe, & meliora docere oſtenderunt: ut Juſtinus, Apollinarius, Theophilus Antiochenus, Tatianus, Miltiades, Athenagoras, Irenæus, & alii. *Exemplis.* Nam non receperunt gentilem in communionem prius, quam Ethniciſmum ejeraſſet; Contra illi nolebant gentilibus ſeſe applicare, paratiores vel diriſſima ſupplicia & mortem ipſam ſubire: ut vel ex unius Polycarpi exemplo Euſeb. lib. IV. c. 14. apparet.

§. 81. II. *Sanctitas.* Aſſerit hoc axioma Eccleſiæ contra jactan- (II.) *Sanctitas.* tiam & invidiam Judæorum Juſtinus dial. cum Tryph. fol. 272. *Nos non modo populus*, inquiens, ἀλλὰ καὶ λαὸς ἅγιός ἐσμεν, *ſed & populus ſanctus ſumus.* Eſt autem ſanctitas (1.) *Doctrinæ* propheticæ & Apoſto- 1. Doctrinæ. licæ, qua præſente præſens eſt ſpiritus, qui eſt ſanctitas. Allegatus eſt §. 72. locus ex Iren. lib. 3. cap. 40. qui præclarè, quod diximus, expreſſit. Confer lib. IV. c. 53. 62. (2.) *Cultus externi.* De hoc ar- 2. Cultus externi. ticulo ſequente dicemus. (3.) *Virtutum.* De hac ſuperius. §. 62. 63. ſeqq. prolixe egimus. Et infra art. 4. §. 6. ſeqq. agetur. (4.) *Charis-* 3. Virtutum *matum.* Abundavit hoc ſeculum, ſi poſteriora conferas, donis va- 4. Charismatum. riis: *Eſt apud nos videre & fœminas, & maſculos* χαρίσματα *dona à ſpiritu Dei habentes.* Juſtin. dial. fol. 131. *Quemadmodum & multos audivimus fratres in Eccleſia prophetica habentes chariſmata & per ſpiritum univerſis linguis loquentes, & abſconſa hominum in manifeſtum producentes ad utilitatem, & myſteria Dei enarrantes, quos & ſpirituales Apoſtolus vocat.* Iren. libr. V. fol. 298. citat locum Euſeb. V. 7. Finis horum admirandorum eſt

conversio infidelium, quales tum plures supererant, ad veram fidem & Ecclesiam; vel certè confirmatio in eadem. *Qui enim verè sunt ejus* (Christi) *discipuli, in nomine illius per gratiam ab illo acceptam ejusmodi præstant, quo reliquis hominibus gratificentur, sicut quisq; eorum ab eo donum acceperit. Quidam enim dæmones sic pro certo & verè ejiciunt, ut non rarò hi, qui malis & nequam spiritibus purgati fuerint, tum fidem recipiant, tum in Ecclesia & fidelium hominum societate constanter perseverent. &c.* lib. 2. c. 57. citante Eusebio. l. c. Hæc θαυματουργήματα opponit spectris hæreticorum, qui *nec in virtute Dei, neq; in veritate, neq; in beneficiis hominibus facientes, quæ faciunt, sed in perniciem & errorem per magicas elusiones, & universa fraude plus lædentium, quam utilitatem præstantium iis, qui credunt eis in eo, quod seducant.* Illis igitur miraculis, quæ in perniciem & errorem seducunt credentes, deferendum non est; Sed dijudicandi sunt θαυματουργοὶ ex verbo Dei, num congruat ipsi illorum doctrina: quo lydio lapide Valentinianorum τέρατα probat Irenæus; & Montanistarum jactantiam confutavit Apollonius. Euseb. lib. V. 17. Premit autem ipsos & avaritiâ, quam exercebant, secus ac Christus præcepisset, gratis accepistis, gratis date; &, aurum & argentum non possideatis.

(III.) *Catholicismus* vox

§. 82. III. *Catholicismus.* Vox occurrit apud Euseb. libr. IV. c. 14. Ubi *Ecclesia Dei, quæ Smyrnam incolit, Ecclesiæ, quæ est Philomilij, & aliis omnibus* ταῖς κατὰ πάντα τόπον τῆς ἁγίας καθολικῆς Ἐκκλησίας παροικίαις, *sanctis & catholicis Ecclesiis, quæ ubiq; gentium sunt*, vertente Christophorsono Euseb. lib. IV. c. 14. Salva hac versione quælibet particularis, non sola E. Romana Ecclesia, est catholica, ut in Catholica Ecclesia non sit, qui in Romana non est. Cæterum videtur Smyrnensis Ecclesia distinguere inter Catholicam Ecclesiam, qua talem, & ejusdem παροικίας q. d. filias, seu Ecclesias particulares. Quo sensu eandem vocem accipit quidam Montanistarum adversarius, dum laudat τὴν καθόλου καὶ πᾶσαν τὴν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἐκκλησίαν *Catholicam, & universam sub cœlo Ecclesiam.* lib. V. Euseb. c. 15. Ab hac Ecclesia Catholica dicuntur *Ecclesiaistici & Catholici* viri, uti vertit Christophorsonus verba Eusebii: ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας. An hoc seculo Symbolo Apostolico inserta fuerit vox credo Ecclesiam *Catholicam*? incertum est: Nam Irenæus lib. 1. c. 2. & lib. 3. c. 4. Symbolum recitans, non meminit vocis. Minimum tamen circumscriptio habetur l. 1. c. 3. *Ecclesia in* uni-

universum mundum disseminata; Et libr. V. f. 319. *Apud Ecclesiam una & eadem salutis via in universo mundo ostenditur.* Et paulo ante laudatur: *Semita circumiens mundum universum.* Non improbabilis videtur opinio Baronii an. 146. §. 25. ex Paciano desumpta, quod propter grassantes diversas hæreses Ecclesia hoc charactere ab illis fuerit distingui cœpta. Consistit autem Catholicismus (1.) in *doctrina*, quæ fuit eadem Ecclesiæ omnium temporum, ut ea sit Ecclesia Catholica, quæ *habet prædicationem* Ecclesiæ *undiq; constantem, & æqualiter perseverantem, testimonium habentem à Prophetis, & ab Apostolis, & ab omnibus discipulis.* Iren. l. III. c. 40. (2.) *Tempore.* Fluit ex priore. Frequentes autem sunt Patres in hoc ostendendo, ὁρῶν ὅτι τὴν ἀρχαιότητα τῶν προφητικῶν γραμμάτων, καὶ τὴν θειότητα τοῦ παρ' ἡμῖν λόγου, *antiquitatem propheticarum literarum, & divinitatem nostri verbi, seu religionis, quod non sit vulgare, aut quæ nostra ex nobis nata,* ut quidam *putant, mendacia & fabulosa: sed antiquiora & veriora.* Theoph. l. III. f. 348. seqq. (3.) *Locis.* Nam dicitur *omnis Ecclesia, quæ sub cœlo est.* Euseb. IV. 15. *Ecclesia in universum mundum disseminata.* Iren. l. 1. c. 3. Explicante Justino dial. fol. 270. *Ne unum quidem est genus mortalium sive Barbarorum sive Græcorum, sive etiam aliorum omnium quocunq; appellentur nomine, vel Hamaxobiorum, vel Nomadum domo carentium, vel in tentoriis viventium Scenitarum, & pecoribus vitam tolerantium, inter quos per nomen crucifixi Jesu supplicationes & gratiarum actiones Patri & fabricatori rerum omnium non fiant.*

Doctrina. Temporis. Loci.

§. 87. *Accidentia* Ecclesiæ sunt (1.) *Corruptio* in doctrina, ita ut non sit eadem semper facies puritatis. Testatur hac de re Egesippus apud Euseb. lib. II. c. 26. Nempe quod *ad illa usq; tempora &c. Ecclesia integra & incorrupta permanserit: Cæterum postquam sacer Apostolorum chorus varium vitæ exitum, & diversa mortis genera pertulerat, præterieratq; illorum ætas, quibus à Christo donatum erat, ut auribus divinam ipsius sapientiam coram acciperent, tunc certè falsa & veteratoria impii erroris conspiratio exordium cœpit, idq; illorum fraude & astutia, qui doctrinam à veritate penitus alienam disseminare laborarent: quiq;, cum nemini Apostolorum amplius vita suppeteret, de cætero jam nudo capite, ut ajunt, sincero veritatis sermoni falsam & commentitiam doctrinam ex adverso opponere pro viribus niterentur.* Hactenus Egesippus. Videmus igitur quod Ecclesia saltem ex parte deficere possit. (2.) *Scandala morum*, quæ tamen in præjudicium doctrinæ ipsius non sunt abripienda: *Si quos inter nos*

Accidentia (1.) Corruptio in doctrina. (2.) Moribus.

tales (impios) *esse scitis, non continuo ea de caussa* τὰς γραφὰς καὶ τὸν χριστὸν διὰ τοὺς τοιούτους βλασφημεῖτε *scripturas & Christum propter tales maledictis proscindite* : ait Justin. ad Tryph. f. 241.

Contraria. Hæresis (1.) Nomen (2.) Auctor. (3.) Definitio. (4) Attributa ut pellacia

§. 84. *Contraria* Ecclesiæ sunt (1.) *hæresis*; quæ vox occurrit apud Theophil. l. 2. contra Autolyc. f. 307. unde dicuntur *hæretici*. Vox occurrit apud Iren. l. 3. c. 15. locus allegatus est §. 73. Dicuntur & ψευδοπροφῆται. Justin. dial. f. 240. ψευδόχριστοι. f. 241. *Auctor* est diabolus: Justino Apol. II. f. 54. teste, qui Simonem Magum, Menandrum, &c. dicit dæmonum opera fuisse excitatos. *Occasio*, quæ invitare solet, est vel *ignorantia*, uti notat Iren. l. 5 f. 318. & Danæ. ad VII. Aug. d. hæres. vel *ambitio*, ut in Montano; Euseb. lib. V. cap. 15. Sunt autem hæretici qui 1. quidem nomen Christi præ se ferunt, ut idola Dei; Justin. dial. f. 196. *Sed salubrem & sinceram salutaris prædicationis regulam depravare & corrumpere student*, describente Egesippo apud Euseb. lib. III. cap. 27. vel, ut Iren. l. 1. in præfat. loquitur: *Per eam, quæ est subdole exercita verisimilitudo, transducunt sensus eorum, qui sunt inexpertiores, & in captivitatem ducunt eos, falsantes verbum Domini, interpretatores mali eorum, quæ benedicta sunt, effecti.* & l. 3. c. 19. *qui quolibet modo depravant, quæ sunt Dei, & adulterant veritatem Dei.* Justin. dial. f. 241. *Impia, & blasphema, & injusta, sub nomine ejus adulterinis subintroductis doctrinis, docent.* 2. Qui sunt pellaces: seu, qui *fraude & astutia doctrinam à veritate penitus alienam disseminare laborant*; ut idem de iisdem loquitur.

Fraudes.

3. *Fraudibus dediti.* Dum aliud sentiunt, aliud loquuntur. Qua de πανουργίᾳ ipsorum sæpe conqueritur Irenæus. Lib. 1. c. 19. inquit: *Omnes ferè, quotquot sunt hæreses, Deum quidem unum dicunt, sed per sententiam malam immutant.* l. 3. c. 15. *Suasorius enim, & verisimilis est exquirens fucos error.* cap. 18. *Etsi lingua quidem confitentur unum Jesum Christum, semetipsos derident, aliud quidem sentientes, aliud vero dicentes.* Et paulo post: *Qui à foris quidem oves; per eam enim, quam habent extrinsecus, loquelam similes nobis apparent, eadem nobiscum loquentes; intrinsecus vero lupi.* & c. 19. subjungit monitum: *Unde & oportebat & se, & omnes, qui intendunt huic scripturæ, & soliciti sunt pro sua salute, non, quum audiunt forinsecus eorum sermones, sponte succumbere. Similia enim loquentes fidelibus, sicut prædiximus, non solum dissimilia sapiunt, sed & contraria, & per omnia plena blasphemiis, per quæ interficiunt eos, qui per similitudinem verborum dissimile affectionis eorum in se attrahunt venenum. Sicut quis aquæ mixtum*

mixtum gypſum dans pro lacte, ſeducat per ſimilitudinem coloris, ſicut quidam dixit ſuperior nobis de omnibus, qui quolibet modo depravant, quæ ſunt Dei, & adulterant veritatem Dei, lacte gypſum male miſcetur. Ex dictis apparet, quod diſcernendum ſit inter hæreticorum linguam & mentem, ne temere fidem habeamus, ſi mens diſſenſerit: Mentem autem tum demum denudant, cum deceptos & obnoxios ſibi reddiderunt incautiores. *Queruntur de nobis, quod, cum ſimilia nobiſcum ſentiant, ſine cauſſa abſtineamus nos à communicatione eorum, ut, cum eadem dicant, & eandem habeant doctrinam, vocemus illos hæreticos, & cum dejecerint aliquos à fide per quæſtiones, quæ fiunt ab eis, nec non contradicentes auditores ſuos fecerint, his ſeparatim inenarrabile plenitudinis ſuæ enarrant myſterium.* Irenæ. lib. 3. c. 15. Querelæ igitur heterodoxorum nos non moveant, ut aditum ipſis ad Eccleſiaſticam communionem faciamus: Etiamſi enim linguam noſtram imitentur aliquandiu, tandem tamen produnt, quod occultarunt, ſi fuerint recepti. Inter has fraudes eſt etiam fuga nominum diſcretivorum. Qua de re Iren. libr. 1. c. 30. *Quamvis non confiteantur nomen* (Simonis Magi) *Magiſtri ſui ad ſeductionem reliquorum, attamen illius ſententiam docent, Chriſti quidem Jeſu nomen tanquam irritamentum præferentes, Simonis autem impietatem varie introducentes mortificant multos per nomen bonum ſententiam ſuam malè diſperdentes, & per dulcedinem & decorem nominis amarum & malignum principis apoſtaſiæ ſerpentis venenum porrigentes eis.* Videndum igitur eſt, num quis cætus alicujus ſui primipili doctrinam ſectetur, quod ſi deprehendatur, appellandus erit ab illius nomine, ne ſpecioſo nomine adſcito incautis ille imponat. Nec moveamur ipſorum querelis vel proteſtationibus, ut abſtineamus, niſi velimus Eccleſiæ orthodoxæ periculum creare. Effectus hæreſeos eſt damnatio: ἐξαπολλύουσι τοὺς προσιόντας αὐτοῖς *perdunt, qui illis ſeſe applicant.* Theophil. lib. 2. *Notæ* (5.) Notæ.
ſunt: Dubitationes perpetuæ & innovationes opinionum, uti docet Iren. lib. III. c. 40. Origo mali eſt, quod ſcripturis rejectis vel in dubium vocatis ſuas traditiones, & revelationes, & inventa ſubſtituant; Hinc non habent, ubi pedem figant ſtabilem: Et multiplices inter ipſos ſunt ſectæ, & *diſcordiæ: inconſonanter & inconſequenter diſperſa ſunt veſtigia doctrinæ ipſorum* Iren. l. 5. f. 319. *Mores pravi.* Vel palam, ut Gnoſticorum; vel clam, ut hypocritarum. De quibus infra, art. 6. *Finis* diaboli eſt veram Eccleſiam in ſuſpicionem vo- (6.) Finis.

 care:

vocare: *Nam ad detractionem nominis divini & Ecclesiæ, quemadmodum & gentes, à Satana præmissi sunt, uti secundum alium modum quæ sunt illorum audientes homines, & putantes nos omnes tales esse, avertant aures suas à præconio veritatis. Aut, ut videntes, quæ sunt illorum, omnes nos blasphement, in nullo eis communicantes neq; in doctrina, neq; in moribus, neq; in quotidiana conversatione.* Iren. l. 1. c. 24. Epiph. contra hæres. libr. 1. t. 2. cap. 27. Euseb. lib. IV. hist. c. 7.

(2.) *Antichristus.* Vox. descriptio.

§. 85. (2.) Communis Ecclesiæ hostis est *Antichristus*: Vox legitur apud Irenæum lib. V. c. 25. Qui alias quasi *Synonymas* addit, nempe ex Apoc. XIII. 18. format vocem *Evan*, quam, ait, continere numerum dictum *666*. At non continet ea vox totidem, nisi legas ἕφαξ. Commodior igitur est vox τεῖταν; quæ numerum illum adæquat, commodissimum omnium est vocabulum λατεῖνος; *Et valde verisimile est*, ait ipse *Irenæus, quoniam verissimum regnum hoc habet vocabulum. Latini enim sunt, qui nunc regnant.* Luserunt quidam in his verbis & ex numero isto fecerunt rem clariorem: Ἐκκλησία Ἰτάλικα *Ecclesia Italica*; memorante Gallas. not. ad l. c. Irenæi. Bell. libr. III. de Antich. c. 10. & Gretser. def. f. *969*. multum sudat in hoc loco eludendo. 1. Vocat *opinionem prorsus temerariam.* Temerarius igitur fuit Irenæus, cujus ea est. Nam ipse Bellarminus l. c. fatetur: *Irenæus dicit quidem, nomen* λατεῖνος *probabiliter posse accommodari Antichristo*: imo: *valde verisimile esse* ait. 2. excipit: *Conjectura Irenæi, quæ tunc aliqua erat, modo nulla est.* Tempus rem ipsam mutare non potest. Quod hodie nullum est, quomodo olim *aliquod* esse potuit? Si Irenæus Antichristum nominavit à Latinis, qui tum erant, sensit igitur jam tum natum esse Antichristum; At hoc repugnat alteri opinioni de Antichristo finem mundi antegressuro; nisi dicas Irenæum in Victore P. R. Antichristi semina jam tum deprehendisse & notasse. Sin ad nostra tempora respexit; erravit; juxta Bellarminum. E. nec ejus conjectura, utpote de nostris temporibus, ulla fuit, sed nulla. 3. Accusat Irenæum erroris, quod Latinus dicatur; & non λατεῖνος. Videmus igitur quam reverenter habeant Patres Pontificii, si quid ipsis ingratum scripserint. Bellarminus potius suam prodit ignorantiam, nescius veteris scribendi moris, queis pro quibus, captivei pro captivi, preimus pro primus; Et ipse Irenæus eo digitum intendit, cum resolvit τεῖταν in E. & I. quale quid

le quid de Latεῖνος non notat. vide Scalig. ad Chron. Euſeb. f. 106. Lipſ. d. recta pronunc. c. 8. Dn. D. Dannhavver. Chriſteid. pag. 315. Deſcriptio. Fatetur Juſtin. dialog. cum Tryph. 193. quod *ſit is, qui impiè & temerariè maledicta in altiſſimum prolocuturus eſt* & f. 263. appellatur: ὁ τῆς ἀποστασίας ἄνθρωπος, ὁ καὶ εἰς τὸν ὕψιστον ἔξαλλα λαλῶν, *Defectionis homo, qui & contra Altiſſimum grandia locuturus, iniqua contra nos Chriſtianos committere audebit.* Reſpicit ad 2. Theſſ. II. 3. ſeqq. Irenæus lib. V. c. 23. adducit etiam Apoc. XIII. 2. ſeqq. in quo capite vivis coloribus depingitur Antichriſtus. *Tempus*, quo futurus erat, varium tempus. traditur à Patribus. Juſtinus dial. cum Tryph. f. 193. vicinum jam tum fuiſſe exiſtimavit: *Is*, inquiens, *qui impiè & temerarie maledicta in altiſſimum prolocuturus eſt* ἤδη ἐπὶ θύραις *jam præ foribus eſt, quem tempus, & tempora, & dimidium temporis detenturum eſſe Daniel demonſtravit.* Suſpicatur & aſſerit jam *præ foribus eſſe*, edoctus forſan à Paulo 2. Theſſ. II. 7. qui myſterium iniquitatis Antichriſtianæ jam tum operari docebat. Quid autem ſibi *tempus* illud, & *tempora*, & *dimidium temporis* velint, non explicat, niſi ſententiam Judæorum, qui per tempus centum annos, adeoque ſummatim 350. annos computabant, nec refutat ſententiam. Irenæus lib. V. c. 25. dicit venturum eſſe Antichriſtum *diviſione regni in decem facta*, & ulterius progreditur, putans regnaturum eſſe Antichriſtum *annis tribus, & menſibus ſex*: At debuiſſet Irenæus obſervare ipſe, quod alios monuit: *Certius & ſine periculo eſt ſubſtinere ad impletionem prophetiæ, quam ſuſpicari & divinare nomina* (tempora) *quælibet.* Sed de his infra pluribus. art. 7. §. 20.

Articulus IV.

De

FORMA EXTERNA.

Argumentum.

Forma externa & ritus in prædicatione verbi, & lectione ſcripturæ etiam aliorum ſcriptorum; muſica vocali, non inſtrumentali; locis ſacris, non tamen templis & baſilicis, adminiſtrando baptiſmo, ſine luxu ceremoniarum, in locis vel ordinariis, vel extraordinariis; Euchariſtia celebranda, etiam per Epiſcopos pere-

peregrinos: clavibus ligante & solvente usurpandis; pœnitentia publica facienda; externo regimine, allegantur Pontificum constitutiones; ut novitas rituum appareat; Conciliis convocandis & habendis, literis Catholicis scribendis; potestate æquali; Etiam Laicis competente: Moribus tabulæ primæ & secundæ. Communione mutua.

§. I.

Forma externa. *(1.) Prædicatio verbi.* Tempus.

FOrma externa, quâ in oculos incurrit Ecclesia, concernit (1.) *prædicationem verbi.* Est enim Ecclesia communio sanctorum non tantum interna; sed etiam externa, dum ad eadem sacra coit, & sese erudiri sustinet. Ritum describit Justinus Apol. II. f. 77. seqq. dum imperatores docet modum habendi apud Christianos sacra. *Tempus* enim notat, quo celebrarent, nempe τῦ ἡλίε ἡμέραν *solis diem*; *hoc*, inquit, συνέλευσιν ποιέμεθα *convenimus*; Non autem ad flagitia exercenda, ut gentiles mentiebantur malevoli, sed erat ἀναγινώσκων *lector*, qui legeret καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποσόλων ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν *commentarios Apostolorum, aut scripta Prophetarum* μέχρις συγχωρεῖ *quousque concessum*; Accedebant S. literis *alia* quoque *scripta*, quæ in Ecclesia æstimabantur. Scribit enim Dionysius Corinthiorum Episcopus ad Ecclesiam Romanam de epistola Clementis & Soteris in hunc modum: *Hodie sacrum diem dominicum celebravimus, in quo vestram epistolam, quo vos ad studium pietatis cohortaremur legimus, quam semper, sicut etiam priorem nobis à Clemente missam, ad nostram institutionem legere solemus.* Euseb. lib. IV. cap. 22. Meminit etiam Gregor. Turonens. de glor. martyr. c. 89. quod epistola Ecclesiæ Smyrnensis de martyrio Polycarpi sui Episcopi solita fuerit legi in cœtu publico; citante Baron. an. 169. §. 17. Conveniebant ad hæc sacra *quotquot vel in oppidis, vel rure degebant in eundem locum*; quo facto Antistes Ecclesiæ διὰ λόγε τὴν νεθεσίαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τέτων μιμήσεως ποιεῖται: *orationem, qua populum instruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur, habet.* Deinde ἀνίσαμεθα κοινῇ πάντες, καὶ εὐχὰς πέμπομεν, *consurgimus omnes communiter, & precationes profundimus.* Materia precum erat cum agnitio veritatis, tum profectus in bonis operibus, *ut digni idoneique simus, qui veritate agnita per opera etiam ipsa boni atque officiosi rerum administratores, & datorum nobis mandatorum custodes inveniamur, atque ut salute salvemur sempiterna.* f. 76. Et his peractis ἀλλήλες φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν *mutuo nos osculo salutamus*

finitis

finitis precibus. Plinius in eandem sententiam ad Trajanum perscribit, *quod essent* (Christiani) *soliti stato die ante lucem convenire, carmenq; Christo, quasi Deo, dicere secum invicem, seq; sacramento non in scelus obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum, appellati, abnegarent; quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse rursusq; coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium.* Et sub finem epistolæ scribit, Christianos *conventus facere desiisse post edictum suum, quo secundum mandata Cæsaris hetærias esse vetuisset.* Sunt autem hetæriæ, juxta Suidam, conventicula eorum, qui veræ sapientiæ sunt studiosi. Plinius quidam laudatur, quod *conciones ad dicendum accommodatas* habuerit. Euseb. IV. 14. Soteri Episcopi Romani eadem cura fuit; Nam *ad se venientes tanquam pater indulgens & clemens in liberos beato ac pio sermone ad virtutem cohortabatur.* c. 22. *Locus,* ubi convenerunt, apud genuinos scriptores expresse non nominatur. Imo Justinus martyr, si vera narrant Metaphrastes die 1. Jun. & Lipom. & Surius eodem die, citati à Baron. annal. 165. §. 3. interrogatus à Rustico: *Quem in locum Christiani convenirent? Respondit, eo unumquemq; convenire, quo vellet, ac posset. &c.* ratione addita: *quoniam Christianorum Deus loco non circumscribitur, cœlum & terram implet, atq; ubiq; à fidelibus adoratur, & eius gloria collaudatur.* J. Coccius thes. libr. 5. t. 1. art. 17. nullum invenire potuit locum, ex quo probaret, hoc seculo Christianos ad loca sanctorum orationis gratia peregrinatos esse. Ett. 2. lib. 3. art. 5. iterum testimonio destituitur. *Locum* tamen Baronius ann. 112. §. 4. *titulum* ait appellatum esse, & probat ex epistola Pii ad Justum Episcopum Viennensem. At Bellarminus hanc Pii epistolam non audet *inter indubitatas* referre. Idem ex literis cujusdam Timothei meminit templi & baptisterii à Pio dedicati. Sed & illius scripti fides vacillat. Locus.

§. 2. *Baptismi* celebrandi ritus hic erat: Si quis Christianus fieri secum decrevisset, ante omnia docebatur præcipua fidei Christianæ capita à catecheta: Edoctus ista, & approbans jubebatur orare & jejunare, & ea ratione veniam peccatorum à Deo impetrare. Orabant autem pro ipso & jejunabant una cum ipso reliqui fideles. His ritibus præmissis deducebatur ad baptisterium, seu eo, ubi aqua erat; & in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti abluebatur. Baptismo recepto deducebatur novus Christianus in (2.) Administratione *baptismi.*

cœtum credentium ſeu Eccleſiam, ut in ea reliquis aggregatus precibusque Deo commendatus acciperet S. Euchariſtiam. Vide Juſtin. Apolog. II. f. 73. ſeqq. Obſerva ſilentium cæremoniarum reliquarum, ut olei, conſignationis ſeptiformis temporis paſchatis, baptiſterii conſecrati, & ſimilium: Id quod colligas ex ſilentio Jodoc. Coccii t. 2. theſ. l. 5. ubi nullum ullius patris ex hoc ſeculo teſtimonium adducere potuit pro iis, quas ſequior ætas addidit, & hodie papatus uſurpat, cæremoniis, quas diligentiſſimus ſcriptor non omiſiſſet, ſi vel uſurpatæ, vel neceſſariæ fuiſſent.

Euchariſtia. §. 3. *Euchariſtiæ* celebrandæ ritus hic erat: Peracta concione & precibus panis & vinum Eccleſiæ Antiſtiti offerebantur; quæ ſymbola fuſis ad Deum precibus ille à profano uſu ſeparabat; populus autem gratiarum actioni Amen ſubjiciebat. Deinceps diaconi panem & vinum ita præparata inter præſentes diſtribuebant; Quod ſi qui abſentes eſſent, ad hos domum deferebant illum ipſum panem & vinum conſecratum. Ditiores autem, ſi qui aderant, offerebant varia in uſum Eccleſiæ, quę antiſtites ad ſeſe recipiebat diſtribuenda inter pupillos, viduas, ægrotos, captivos, hoſpites, & quidquid deniq; egenorum erat. Juſtin. Apol. II. f. 77. Quod ſi ex peregrinis adeſſet Epiſcopus vel ſacerdos, huic celebrandæ cœnæ facultatem faciebant, ut Anicetus Polycarpo, teſtandæ concordiæ ergo. Vide Cham. t. 4. Panſtr. lib. VII. c. 9. §. 5. Imò ejuſdem declarandæ & conſervandæ gratia mittebant ad abſentes quoque Euchariſtiam, ut Romani Epiſcopi ad alios, teſte Irenæo in literis ad Victorem apud Euſeb. lib. V. hiſt. c. 4.

Clavium. §. 4. *Clavium adminiſtratio* religioſè obſervabatur. Si quis enim vel in fidem, vel in bonos mores impegiſſet, impune non ferebat; Sed privatim monebatur, etiam literis ſcriptis, ut vitium vel errorē corrigeret; Nolēs id facere è cœtu fidelium ejiciebatur; ut Marcion. Tert. d. præſc. c. 30. & 51. & Aquila Ponticus, ſuperſtitioſæ Aſtrologiæ addictior Epiph. d. menſ. & ponder. Epiph. l. 1. t. 3. hær. 42. ſin Clericus ille ipſe, gradu quoq; ſuo dejiciebatur. Ejectus & dejectus habebatur indignus, quo cum alii Chriſtianorum verſarentur. Exemplo ſit iterū Marcion. Cum enim à Patre ſuo Epiſcopo excom̄unicatus Romam veniſſet, petens recipi, Epiſcopus Romanus ipſum recipere noluit ἄνευ ἐπιτροπῆς τοῦ ἰδίου πατρὸς καὶ ἐπισκόπου *ſine venia parentis & Epiſcopi.* Epiph. lib. 1.

l. 1. t. 3. hæres. 42. Id enim olim juris erat, ne quis, ab alio Episcopo excomunicatus, sine ejus nutu reciperetur. Rufino l. 1. c. 6. hist. Eccl. teste. Exspirat E. iterum auctoritas Papæ Romani ἀνυπεύθυνος. Recipiendus jubebatur nonnihil temporis in luctu versari & pœnitentia & confessione, quam exomologesin vocabant; Sic enim probatus & exploratus dignus demum habebatur, qui in sinum Ecclesiæ rediret. Iren. libr. 1. cap. 9. Interea Ecclesia pro ipso lacrymas ad Deum fundebat, ut veniam peccatorum & salutem consequeretur: ut ex Gallicanæ Ecclesiæ literis refert Euseb. libr. V. c. 2. Hæretici ea conditione recipiebantur, si seductos à sese restituerent Ecclesiæ, ut denuò apparet exemplo Marcionis, etsi, quo minus id faceret, morte fuerit præventus.

§. 5. *Potestas externa* competebat Episcopis, qui leges bono ordini congruas suis præscribebant, & ad alios quoque propagabant. Si quid Romanorum Pontificum monumentis & decretis tribuendum, referri huc possent ipsorum constitutiones. E g. Alexander *passionem Domini miscuit in precatione sacerdotum, & constituit aquam aspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum.* Baron. an. 132. §. 3. Aquam vino in S. Cœna miscendam esse idem statuit testibus Microl. Eccles. obs. c. 10. Sig. Chron. ad an. 688. Mart. Polon. Chron. an. 132. idem juxta Polonum l. c. & Radulphum ordinavit panes azymos. Pamel. Liturg. t. 1. p. 136. Sixtus formatas literas à sede Romana referendas ordinavit. an. 142. §. 6. constituit, *ut missarum actionem sacerdote incipiente, populus hymnum decantaret:* sanctus &c. §. 12. Telesphorus *constituit, ut septem hebdomadas ante jejunium celebretur.* ann. 154. §. 2. *ut in natali Domini nostri Jesu Christi noctu missæ celebrentur.* §. 10. ut *ante sacrificium dicatur Angelicus hymnus* gloria &c. l. c. Hyginus *Clerum composuit, & distribuit gradus.* an. 158. §. 2. Pius *decretum edidit de celebrando paschate die dominico.* an. 159. §. 1 constituit, *ne prædia divinis usibus tradita humanis inserviant.* an. 167. §. 3. Anicetus, *ut Clericus comam non nutriat* 175. §. 3. Soter, *ne ulla diaconissa pallam sacram contingat, nec incensum ponat in S. Ecclesia.* an. 179. §. 51. Has & similes constitutiones alias, quæ hinc inde etiam in corpore canonico tribuuntur Pontificibus Romanis, supponamus genuinas ipsorum esse, (quæ tamen non sunt) ut saltem appareat, quod non sint illæ traditiones Apostolicæ, ut jactant aliàs Pontificii. Nec va-

Potestas externa.

let perpetua Baronii & aliorum exceptio: constitutiones illas non esse novas, sed restaurationes veterum. Nam quâ facilitate Baronius id asserit, eadem nos negamus. Imo optimo jure negamus, quod ille nullo probat. Nam liber Pontificum simpliciter loquitur E. g. de Alexandro, quod addiderit in canone missatico: *qui pridie, quam pateretur:* Chemnit. p. II. exam. p. m. 291. Sigeb. ad ann. 688. *Sixtus*, inquit, *primus hymnum instituit*, ita & Radulphus. Et de Pio, quod *auctor* extiterit decreti de paschate, fatente ipso Baron. ann. 159. §. 1. *Septimam hebdomadam Telesphorus quadragesimæ addidit.* ait Gratianus in decr. dist. IV. cap. 104. ex Ambros. libr. sermon. 1. Si qui tamen leges æquitatis & modestiæ excedebant, monebantur ab aliis, & contrariis editis decretis coërcebantur. Illustre exemplum præbet controversia Paschalis. Cum enim Victor dissentientes à suo more Ecclesias Asiæ excommunicatum iret, inventus est Irenæus, qui scriptis ad Papam literis propositum improbaret, & Asiæ Episcopi qui collecta Synodo satis acriter corriperent rigorosam Pontificis Romani ambitionem. Vide Catal. test. verit. l. 2. p. m. 61. seqq. *Concilia* huc spectant. Convocabantur ab Episcopis imprimis autem iis, qui celebriores erant. Ita Polycrates Ephesinus Episcopus rogante Papa Romano convocavit concilium in controversia paschali decidenda. Euseb. libr. V. c. 24. Mentitur igitur Baron. an. 173. §. 19. cum scribit: *Quippiam de iisdem definire haud fuisse liberum absq; Romani Pontificis auctoritate (neq; enim soliti erant) vel si quid definivissent, illius auctoritate probari, solenne semper in Ecclesia fuit.* At definiverunt Asiatici Episcopi pascha esse celebrandum die 14; Palæstini contra, & Pontici, & Galli, & Corinthi definiverunt die 15. habendum esse; sine auctoritate Pontificis R. quam aut non requirebant, aut spernebant. Vide Niceph. lib. IV; 35. Cautius igitur mercatur Coccius t. 1. thes. lib. VII. art. 21. qui nullum ex hoc seculo pro Papa testimonium adducit. Objectiones inferius solventur. *Præsides* erant ipsi Episcopi, unus, vel plures. E. g. in Synodo Palæstina præsidebant Theophilus Cæsareensis, & Narcissus Hierosolymorum Episcopi; Palmas in Pontica; Irenæus in Gallicana; Polycrates in Asiatica; Euseb. libr. V. c. 22. 23. Nec legitur Pontificem Romanum vel ipsum vel per legatos præsedisse. Excipit Gretser. def. Bell. de V. D. f. 1323. *Præfuerunt non sine P. R. nutu & asse-*

Limitata.

Concilia.

Præsides.

affectu & jussu, teste Beda. At unde Beda id scivit? *Ex actis Synodalibus.* Forsan, quæ recitat Eusebius? At Eusebius non meminit ullius vel nutus, vel assensus, vel jussus. Refert quidem Polycratis verba ad Victorem P. R. οὓς ἠξιώσατε μετακληθῆναι ὑπ᾽ ἐμοῦ, καὶ μετεκαλεσάμην, *quos dignitati estis à me convocari, & convocavi.* At non dicit: nisi annuente, assentiente, jubente Papa nil fecisse Polycratem, ita ut non ausus se fuisset id facere, nisi illo jubente; Victor putabat *æquum esse* (ea est vis vocis ἀξιοῦν cum infinitivo) convocari Asiæ Episcopos, quod putare potest etiam ille, qui non jubet. *Materia*, de qua disputabatur, concernebat vel dogmata fidei, vel ritus, vel mores. Montano grassante hinc inde concilia per Asiam & Græciam sunt habita. Baron. an. 173. §. 19. Paschate controverso in Asia & Europa Synodi coiverunt. Euseb. l. c. Decretum ab omnibus promulgabatur Episcopis, illudque non uni tantum, sed & omnibus Ecclesiis reliquis mittebatur Niceph. IV. 36. Huc pertinet *literæ catholicæ*, quas ad universam Ecclesiam perscribebant non Romani tantum Episcopi, sed & alii, fatente vel ipso Baronio an. 142. § 8. *Si* (literæ) *scriptæ essent ad omnes Christi fideles sive à Synodo, vel à summo Pontifice, vel aliis alia darentur occasione, dicebantur Encyclicæ h. e. circulares. Rursum vero eædem epistolæ dicebantur Catholicæ, non ea ratione, quod fidem Catholicam continerent, sed quod ad universam Ecclesiam datæ essent. Hinc Apollonius apud Eusebium hæc de Themisonte: Audebat, Apostolum imitando, Catholicam ad omnes Ecclesias epistolam contexere. Insuper de Dionysio Corinthiorum Episcopo tradit Eusebius, Catholicas ad Ecclesias scripsisse epistolas.* Hæc Baronius. Licuit igitur encyclicas scribere literas non Pontificibus tantum Romanis, sed etiam *aliis*; *Et catholicas* scripsit Dionysius, qui tamen non Romanus, sed Corinthiacus erat Episcopus. Omnes sunt Ecclesiæ ministri, nec inter eos discrimen, quare cuivis legitimam vocationem habenti licet curam ejus gerere. Sic enim ipse Eleutherus P. R. scribit ad Episcopos Galliæ: *Hujus rei gratia universalis vobis à Christo Jesu commissa est Ecclesia, ut pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis.* Excipit Baron. an. 187. §. 2. (1.) *Suspicionem* esse & *videri* epistolam esse corruptam. (2.) in caussa necessitatis id valere. ℞. ad. 1. suspicionis suæ Baronius nullam adfert caussam, quod tamen conductitius sedis Romanæ scriptor debuisset facere, ne videretur temere Pontificis epistolam erroris seu corruptio-

Materia.

ruptionis arguere. Sed ita amant homines, quibus auctoritas patrum est instar latrunculorum, negare, affirmare, reprehendere, defendere veterum scripta, prout vident caussæ suæ inservire vel derogare. Ad (2.) R. distinctionis fundamentum in literis Eleutheri & statu Ecclesiæ nullum comparet, sed esto; sufficit tamen nobis, quod in periculo versante Ecclesia *non modo Episcopis, sed unicuiq; Christiano veritatis defendendæ studium sit imperatum: Pro veritate enim atq; justitia usq; ad mortem certandum omnibus fidem sectatibus est à divina scriptura* (Eccl. 4.) *mandatum*, ut ipse Baronius loquitur. E. desinant Pontificii succensere vel Luthero, vel Lutheri parastatis, Magistratibus, & Ecclesiis integris, quod corrupta Ecclesia visibili ipsi scriptis & reformatione caussam egerint, inconsulta Pontificis R. authoritate. Nec prætereundum est monitum Pii Papæ in 2. ad Justum Viennensem Episcopum epistola, sic enim scribit: *Presbyteri & Diaconi, non ut majorem, sed ut ministrum Christi te observent.* Citante Baron. an. 166. §. 3. ex t. 1. conciliorum. Simile de membris humani corporis, quo Baron. an. 187. §. 2. utitur, rem non conficit. Nam ut nihil dicam de petitione principii, pontificem esse caput, reliquos autem Episcopos membra, solum perpendamus testimonia, quæ ipse subjungit: Dum dicuntur *attendere universo gregi* & Ecclesiæ; *Episcopatum universalem* habere concreditum; & *totius orbis præfecturam, universi occidentis, imò & orientis, meridiei, & septentrionis:* quis enim digito tribuat attentionẽ universi corporis: curam universalem ejusdem, & præfecturam omnium partium etiam principalium? nugæ!

Virtutes tabulæ primæ.

§. 6. *Virtutes* hoc seculo præclarè florebant. Breviter tamen de illis; quia superius art. 3. §. 63. seqq. cum describerentur, nonnihil exemplorum ex occasione allatum est. In compendio vitam Christianorum referunt Justin. Apolog. 11. fol. 47. epistol. ad Diognet. f. 383. 384. Tatianus orat. ad Græc. f. 213. Theophilus lib. 3. contra Autolyc. fol. 337. 338. Athenagoras in Apologia: Eusebius l. IV. c. 7. *Veneranda*, inquiens, *sincera, libera, modesta, & pura divinæ vivendi rationis Christianæq; pietatis institutio per universum cum Græcorum tum Barbarorum genus, claritate quadam eximia & decore enituit, atq; etiam deformis Ecclesiæ labes, quæ à malevolis nostræ religioni aspersa fuerat, simul cum tempore deleta, prorsus in nihilum recidet.* Exemplum sistit quendam Vetium Epagathum; quippe *qui non modo ad omne officium erga proxi-*

mum

mum sedulo exequendum impiger & propensus erat; verum etiam flagranti Dei amore, & sacrosancto Spiritus instinctu exardescens in omnibus Domini præceptis, & justitiæ æquitatisq; institutis integrè incessit, & adeo sane accuratè vitam instituit, ut quamvis esset adolescens, eodem tamen testimonio, quod scriptura seni sacerdoti Zachariæ tribuit, dignus videretur. Euseb. l. V. c. 1. Ex his apparet non tantum idea virtutum, sed & divisio in eas, quæ concernunt amorem Dei, & proximi. In specie de singulis tabulis decalogi agamus. Ad primam spectat Timor, dilectio, & fiducia in Deum super omnia. Colebant Deum ex animo sincero & (1.)
religioso; Nam malebant extremas ferre calamitates & pœnas, quam abnegato suo Deo idola colere. Illustre exemplũ præbet grandævus Smyrnensium Antistes Polycarpus. Cum enim juberetur per Cæsaris jurare fortunam, noluit id facere, quod *Christianus esset.* Euseb. lib. IV. c. 14. hist. Nomen Dei sanctificabant. Id quod ille (2.)
ipse Polycarpus suo exemplo declaravit. Cum enim juberetur conviciis Christum afficere, respondit: *Octoginta sex annos illi jam inservivi, & nullo me hactenus affecit incommodo: quomodo igitur Regem meum, qui me ad hoc usq; tempus servavit incolumem, contumeliosis verbis possum afficere?* Euseb. l. c. Atque hoc ipsum est, quod in Christianis vel hostis Plinius laudavit, nempe *Deos appellare, & imaginibus & simulacris thure ac vino supplicare, Christo maledicere, horum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera Christiani*; Sic ille ad Trajanum. In calamitatibus constituti *preces* ad Deum fundebant, ut Polycarpus jamjam exurendus devote ad Deum oravit, orationem recitat Ecclesia Smyrnensis in epistola ad Ponticas, quam conservavit Euseb. lib. IV. c. 14. An ad orientem conversi? affirmat auctor q. & R. orth. 118. Sacra celebrantes, vel sacramenta precibus etiam operam dabant, quæ ut essent calidiores & attentiores, *jejuniis quasi condiebantur*, ut ex Justini Apol. II. elucescit. Nec erant frustra. Iren. lib. 2. c. 59. notat: *Sæpissimè propter aliquod necessarium ea, quæ est in quoque loco, Ecclesia universa postulante per jejunium & supplicationem multam, reversus est spiritus mortui, & donatus est homo orationibus sanctorum.* Qui *situs* precantium fuerit apparet ex verbis Justini, quæ adducit Cocc. thes. t. 2. lib. 3. art. 4. *Quis vestrum ignorat precationem eam maxime flectere Deum, quæ ad commiserationem movendam lachrymis est comparata ab eo, qui supinus provolvitur, & in genua procumbit?* ex dial. cum Tryph. Ab inimicis exagitati patien-

tien-

tienter injurias ferebant, & preces pro illis ipsis ad Deum fundebant. Euseb. lib. V. c. 2. A magia abstinebant *Qui magicis artibus utebamur, bono & æterno nos consecramus dicamusq; Deo:* ait Just. Apol. II. f. 47. Juramenta, saltẽ analoga, non erant insolita; Nam Plinius idem refert, quod *sacramento* sese ad vitiorum fugam *obstringere* sint soliti. Tempo-
(3.) ra sacra observabant. Nam *stato die*, ut Plinius scribit, nempe *die solis*, uti Justinus refert, *die dominico*, ut Dionysio vocatur apud Euseb. lib. IV. c. 22. soliti sunt convenire ad sacra celebranda. Imprimis autem religiosè observabant paschalem solennitatem cum in oriente, tum in occidente, etsi diverso tempore.

Secunda. §. 7. Magistratui debitam obedientiam præstabant, ut ex Justino, Theophilo Antiocheno, Eusebio & aliis artic. 3. §. 64. superius est ostensum. Addo Plinii testimonium; fatetur enim Christianos conventus suos *facere desiisse post edictum suum, quo, secundum mandata* Trajani, *& hæterias esse vetuisset.* Athenagoræ jungamus suffragium: *Nos pro vestro* (Imperatores) *imperio preces ad Deum fundimus, & ut filius (quod justissimum est) in regno olim parenti succedat, atque imperium vestrum magis magisq; semper augeatur, deniq; omnia ex animi sententia vobis eveniant, oramus,* in Apol. Adde, quod Barchochab Judæorum signifer Christianos ideo dirissimè sit persecutus, quia nolebant hi ipsum juvare in oppugnandis Romanis, quibus erant subjecti. Vide Genebr. Chron. an. 129. Juventutem ad verbum Dei & domesticos labores assuefaciebant, ita ut vel virgines lanificio assuetæ de rebus divinis disseruerint. Tatian. f. 214. orth. Patr. Anthia mater filium Eleutherio erudiendum tradidit. Nam, ut supra ostensum, habebant Episcopi suas hinc inde scholas, in quibus juventus bonis, imprims autem sacris, literis imbuebatur: de quibus supra. Quidam Peon à Rustico interrogatus, quis ipsum Christianismum docuisset? respondit: *A parentibus bonam hanc ego confessionem accepi.* Et alius Evelpistus: *Ego quidem Justini sermones magna cum voluptate audiebam, sed à parentibus & ipse tamen Christianus esse didici,* uti refert Metaphrastes, Surius, Lipomannus ad 1. Jun. Felicitas septem filiorum mater *in persecutionis labore deprehensa filiorum corda in amore supernæ patriæ prædicando roboravit; & parturivit spiritu, quos carne pepererat, ut prædicatione pareret Deo, quos carne pepererat mundo,* ὁμιλ. ϛ̃ Gregor. 3. in Joh.

§. 8. Ne-

§ 8. Neminem Christiani lædebant armis aut alia vi. Etiamsi enim à suis persecutoribus vim paterentur ipsi, nullas tamen turbas, aut seditiones violentas excitabant. Contra mutuas sibi operas præstabant, easque amicis, ut in persecutionibus, in quibus patroni assistebant ad tribunalia, & reorum caussam agebat. Quo in officio egregia laus est cujusdam Vetii Epagathi. Cum enim sub Antonino Vero Ecclesia Gallicana gravissima persecutione exagitaretur, motus ille injuria judiciorum Advocatum sese pro illis caussam dicturum obtulit, & calumniis, quibus gravabantur, strenuè contradixit; Unde & *Christianorum Advocatus* κατ' ἐξοχὴν dictus est; Referente Ecclesia Viennensi & Lugdunensi in literis ad Ecclesias Asiæ & Phrygiæ apud Euseb. lib. V. cap. 1. hist. Et cap. 2. alios complexa, scribit: *Dum in vita manebant* (martyres) *defendere omnes, neminem accusare, omnes è vinculis eripere, colligare neminem conabantur.* Simile exemplum refert Justin. Apol. 1. f. 33. de quodam Lucio, quod, audito Urbici iniquo contra Ptolemæum judicio, protestatus fuerit. In carceribus conclusos visitabant. Laudatur hoc nomine quidam Pronius, *cujus confessiones sigillatim habitas, cujus ingenuam sermonis libertatem, cujus Apologias pro fide coram populo & magistratibus recitatas, cujus conciones ad docendum accommodatas, cujus benigna his, qui præ persecutionis acerbitate animis omnino ceciderant, humanitatis officia attributa, cujus jucundas ac gratas consolationes, quas in carcere fratribus, qui ad eum ingrediebantur, adhibuit &c. in libello à nobis de veterum sanctorum martyriis explicatum est*, ait Eusebus libr. IV. 14. Erant qui Pronium in carcere detentum visitarent. Fiebat autem hæc visitatio vel coram, vel per literas ab absentibus missas. Nam Ecclesia Gallicana laudat modestiam confessorum, quod *sive per literas, sive coram martyres salutati*, id tamen nominis recusarint. Euseb. V. 2. Ductos ad mortem comitabantur. Ita Polycarpus habuit fideles quosdam sibi præsentes. l. c. Alexander Medicus, *cum adstaret tribunali, fratres nutu ad fidei confessionem hortabatur*. Euseb. lib. V. cap. 1. Et in ipsis tormentis aderant: *Martyribus in acerbissimo cujusq; generis cruciatu jacentibus præsto semper aderant, nec eos desertos patiebantur*. Euseb. V. 1. Ægros curabant & servitiis sublevabant. Innuit hoc Plinius in epistola ad Trajanum, in qua meminit *ancillarum* inter Christianos, quas *ministras* vocat. Diaconissas videtur intelligere, quæ cu- Charitas.

randis ægris erant destinatæ. Defunctos honoricè sepeliebant, si quid furor hostium fecisset reliquum. Refert enim Ecclesia Smyrnensis, quod Polycarpi *ossa, potiora lapillis pretiosis, auroq; puriora, ex cineribus selecta, eo loco reposuisset, qui illis erat decorus, consentaneusq;*. Euseb. l. IV. c. 14. Observa σκελετομανίαν Pontificiorum tum temporis in usu non fuisse; Neque enim ossa ista religioso ullo cultu prosequebantur, aut adoranda proponebant, aut amuleta jactabant. Atque hæc erga amicos & ὁμοψήφους. Sed non negligebant inimicos. Nam injuria ab ipsis affecti, orabant pro illis ipsis à quibus accipiebant, uti de suis martyribus refert Ecclesia Gallicana Euseb. libr. 5. cap. 2. Et Justinus Antoninis inculcat Apolog. II. fol. 47. 54. 60. nec non Tryphoni Judæo. f. 169. 253. 262. 285. Theophilus suffragatur lib. III. contra Autolyc. f. 337. Justini f. 47. verba sunt: *Qui odiis & cædibus mutuis inter nos grassabamur, & pro consuetudine recepta cum eis, qui tribules nostri non essent, communem focum non habebamus, nunc à Christi apparitione familiariter simul vivimus, & pro inimicis oramus, & qui nos iniquo persequuntur odio, suasione flectere conamur, ut secundum honesta Christi præcepta vitam agentes bonam spem habeant vitæ* Conjugia. æternæ.

§. 9. *Conjugia* sanctè colebantur. Justinus ad Diognetum de suis Christianis scribit: *Uxores ducunt, ut omnes, & liberos procreant,* Cœlibatus. *sed non abjiciunt fœtus.* f. 384 Si qui continere se poterant, abstinebant à nuptiis: *Permulti profecto sexus utriusq; & 60. & 70. nati annos apud nos,* Castitas. *qui à pueris disciplinam Christi sunt edocti,* ἄφθοροι διαμένουσιν: *incorrupti permanent,* ait idem Apol. II. f. 84. Et à stupris: *Qui olim stupris lætabamur, nunc castitatem solam complectimur.* Exemplum sistit quandam conversam mulierem Apol. I. f. 32. citante Euseb. l. IV. hist. c. 16. Illa enim ἀκολασταίνουσα *libidini pridem dedicata, ubi mysticam arcanamq; Christi professionem didicit,* ἐσωφρονίσθη, καὶ τὸν ἄνδρα ὁμοίως σωφρονεῖν πείθειν ἐπειρᾶτο *cum ipsa moderatam continentemq; vitam est amplexa, tum idem quoq; ut faceret, marito suasit:* Cumque hic à libidinibus contra naturæ leges commissis non abstineret, abstinuit ipsa semet ab illo. Tatian. contra Gent. f. 214. scribit: *vestras est meretricia muliercula Sappho,* Temperantia. *quæ insano amore capta suam ipsa lasciviam cantat;* πᾶσαι δὲ αἱ παρ' ἡμῖν σωφρονοῦσι, *omnes verò apud nos pudicæ sunt.* Medium castitatis fovendæ est *temperantia* in cibo & potu. Exemplum recitat Ecclesia Gallicana in literis, de quodam Alcibiade, qui ἄρτῳ μόνῳ καὶ ὕδατι, *pane solo & aqua*

& aqua vescebatur. Euseb. lib. V. c. 3. cum autem superstitio aliqua & opinio necessitatis accederet, revelatum est cuidam Attalo, male hoc ab illo fieri, *quod creaturis Dei nec ipse uteretur, & aliis scandalum præberet*; μὴ χρώμενος τοῖς κτίσμασι τοῦ θεοῦ, καὶ ἄλλοις τύπον σκανδάλου ὑπολειπόμενος; quo audito Alcibiades πάντων ἀνέδην μετελάμβανε καὶ ηὐχαρίστει τῷ θεῷ *cœpit omnia cum gratiarum actione accipere.*

§. 10. Abstinebant à furtis, & aliis alienorum occupandorum mediis illicitis, contra de suo bene proximo faciebant: *Qui pecuniarum & possessionum fructus ac proventus præ rebus omnibus adamabamus, nunc etiam ea, quæ habemus, in commune conferimus, & cum indigentibus quibusque communicamus,* scribit Justin. Apol. II. f. 47. Fiebat hoc potissimum in celebratione S. cœnæ; Nam copiosiores de suo conferre solebant, & deponere sacrorum Antistiti, ut pupilli, viduæ, hospites, ægroti, captivi, & miseri alii inde subsidia vitæ acciperent, ut idem refert f. 77. verba citata sunt supra art. 3. §. 65. Quo nomine Dionysius Ecclesiam Romanam laudat in literis ad ipsam perscriptis: *Apud vos, inquit, is mos jam inveteravit, ut omnes fratres variis afficeretis beneficiis, & Ecclesiis permultis, quæ in quaque civitate sunt, vitæ mitteretis subsidia. Sic plane non solum egentium sublevatis inopiam, verum etjam fratribus, qui sunt ad metalla damnati, opem fertis: sicque per ea beneficentiæ subsidia, quæ jam à primis Ecclesiæ vestræ jactis fundamentis passim mittere consuevistis, cum sitis Romani, Romanorum consuetudinem à Patribus traditam sedulo observatis; quam quidem certè beatus Soter vester Episcopus & hactenus custodivit diligenter, & mirum in modum suo propenso studio adauxit, idque non modo opes in sanctos reficiendos delegatas benignè subministrando, verum etiam fratres adhortando.* Euseb. lib. IV. c. 22. Eadem laus est Ecclesiæ Gallicanæ apud Iren. l. 2. c. 57. verba habes supra art. 3. §. 95. Irenæus lib. IV. 32. eodem digitum intendit, juxta Gallasium in notis ad l. citatum. Abertius quidam θαυματοῦργος impetravit Ecclesiæ Hierapolitanæ congiarium lautum ab Antonino & Faustina imperatoribus. Baron. an. 165. §. 14. Fuga injustitiæ.

§. 11. Vitabant mendacia, perjuria; veritatis studiosi. Quod ex Theophilo & Plinio superius art. 3. §. 66. ostensum est. Adde Justinum Apol. II. f. 49. ubi refert occasiones conversorum gentilium, inter eas & hanc refert, quod συμπραγματευομένων *fidem eorum in contractibus fuerint experti.* Vetius Epagathus & Christianorum Mendaciorum.

advocatus, cum illi calumniis onerarentur, nihil sceleris, nihilque impietatis in ipsis reperiri posse ostendit. Euseb. V. 1. Plinius refert in epistola ad Trajanum, quod ex *duabus Christianorum ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset veri & per tormenta quæsierit; sed nihil aliud invenisset, quam* (scilicet) *superstitionem pravam & immodicam.* Mentiri igitur de Christianis nolebant, vel tormentis subjectæ.

Communio in doctrina. §. 12. *Communio mutua.* Ex hactenus dictis, & adhuc dicendis facilis est collectu. Erat (1.) *in doctrina.* Nam communicabant inter sese vel Episcopi, vel Ecclesiæ ipsæ. Episcopi & alii doctores. Nam refert Euseb. libr. IV. c. 21. Episcopi verba, dicentis: *De religione nostra* (cum primo Episcopo Corinthiorum) *communicavi, & Corinthi non paucis diebus commoratus sum, in quibus, dum inter nos de doctrina Christiana multa conferebamus, non parum uterq; ab alterius consuetudine cœpit oblectationis.* Dionysius Corinthi ejusdem Episcopus Catholicas ad alios cum singulos, & singulas, tum in Ecclesia collectos, scripsit epistolas, quibus & in orthodoxa fide, & in moribus eas informavit. c. 22. Polycrates Ephesiorum Episcopus gloriatur: *Ego multis cum fratribus per orbem terrarum dispersis de fide communicavi.* lib. V. c. 23. Erat ergo alia communicatio per colloquia, ut Polycarpi cum Aniceto; c. 24. & Hegesippi cum Corinthiis. l. IV. c. 21; alia per literas: ut Dionysii, & Polycratis: Quæ literæ legebantur in publicis Ecclesiarum cætibus, ut Clementis, & Soteris, quod eandem & orthodoxam doctrinam crederentur continere. Sed & cum Ecclesiis suis doctores commuicabant in doctrina. Nam, uti refert Justinus Apol. II. lecta pericope ex S. literis antistes ad populū

Sacramentis habebat concionem finem; Vide §. 1. (2.) In *sacramentis* iterum erat comunio vel Episcoporū inter se, ut Polycarpi & Aniceti, qui istum ad administrationem cœnæ admittebat. Euseb. V. 24. vel cum auditoribus, quibus distribuebant. (3.) *In conversatione.* Nam mutuas

Conversatione. scribebant literas commendatitias, ut Galli suo Irenæo ad Eleutherum lib. V. c. 4. Exorto inter Ecclesias dissidio conveniebant Synodi nationales vel provinciales, & collatis consiliis de re controversa deliberabant, decretum per literas ad alias Ecclesias omnes mittebant, uti factum in controversia paschali: Euseb. V. 22. Quod si quis Episcopus vel Ecclesia rigorosior æquo erat, eum vel eam scriptis ex concilio, vel privatis literis rectius informabant, dehorta-

ban-

bantur, vel etiam redarguebant, ut Patres ex concilio Asiatico, & Irenæus cum Gallicana cap. 23. & 24. Compendium facturi vel ipsi ibant Episcopi ad alios, ut Polycarpus ad Anicetum; vel mittebant legatos, ut Irenæum Gallicani; vel literas scribebant, ut de unitate Dionysius, & contra schisma Irenæus. Exortis hæreticis *Ecclesiarum ubiq; pastores illos tanquam immanes quasdam & agrestes belluas à Christi ovibus arcere, & à præda depellere laborabant, interdum fratres admonendo, cohortandoq;, non raro ipsos hæreticos aperto marte adoriendo.* Euseb. IV. 23. Sævientibus persecutionibus mutua sibi præstabant officia, de quibus infra art. 5. §. 20. Et scribebant literas e. g. Smyrnenses ad Ponticas. l. IV. 14. & Lugdunenses & Viennenses ad Phrygias lib. V. 1. seqq. quibus sua ipsas martyria edocebant.

Articulus V.

De

ECCLESIAE AMPLITUDINE, DONIS, ET BONIS; MALIS.

Argumentum.

Ecclesiæ amplitudo per orbem dispersæ; charismata, visiones, virtutes; Bona externa; scandala doctrinæ, cultus, & morum contra tabulam primam & secundam; Remedia. Persecutiones sub Trajano; Hadriano, & Antoninis.

§. 1.

Ecclesia hoc seculo latissimè sese diffuderat, adeo ut *ne unum quidem genus mortalium sive Barbarorum sive Græcorum, sive etiam aliorum omnium, quocunq; appellatur nomine, fuerit,* quod Jesu nomen non audivisset. Justin. dialog. f. 270. Inter remotiores regiones erat tum Germania & tamen Ecclesiæ nomen suum dederat. Sic enim Iren. lib. I. c. 3. *Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una & eadem est. Et neq; hæ, quæ in Germania fundatæ sunt, Ecclesiæ aliter credunt, neq; hæ, quæ in Celtis, neq; hæ, quæ in oriente, neq; hæ, quæ in Aegypto, neq; hæ, quæ in Lybia, neq; hæ, quæ in medio mundi sunt constitutæ; sed sicut sol creatura Dei in universo mundo unus & idem, sic & lumen prædica-* Ecclesiæ (1.) Amplitudo.

tio veritatis, ubiq; lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Describit universam terram ab extremis suis terminis septentrione, meridie, oriente, & occidente, ipsoque etiam medio i. e. regionibus intra ipsos terminos comprehensis, dicitque Evangelica luce fuisse collustratas omnes. In illis regionibus etjam Iberiam nominat, quam à Clemente Romæ à Trajano expulso conversam suspicatur Baron. an. 100. §. 11. Testem habemus vel ipsum Plinium, qui lib. X. ep. 97. ad Trajanum scribit: *Multi* (Christianorum) *omnis ætatis, omnis ordinis, utrius sexus etiam, vocantur in periculum, & vocabuntur. Neq; enim civitates tantum, sed vicos etiam atq; agros superstitionis* (Christianismi) *contagio pervagata est.* Sin malis Christianum, accipe Bardesanem, virum hujus seculi clarissimum, qui in libro de fato, cujus fragmentum nobis conservavit Euseb. lib. VI. de præp. Evang. c. 8. ita scribit: *Christiani in omni parte orbis, imò verò in omni civitate inveniuntur.* Et Euseb. l. V. c. 20. qui, de temporibus sub Commodo pacatis loquens, religionem ait Christianam *omnes Ecclesias in toto terrarum orbe occupasse.* Imprimis autem celebris est propagatio Christianismi in Angliam facta Lucio Rege Christo semet applicante. Vide Dajum in antiquitatibus Ecclesiastico-Britannicis mox ab initio. & Baron. ann. 183. §. 4. seq. Hanc exceperunt Halcyonia sub Severo recens electo. Nam refert Niceph. l. 5. c. 26. quod Ecclesia Christiana mirum in modum aucta & amplificata sit. Confer quæ superius art. 3. §. 77. dicta sunt. Usus insignis est contra Pontificios, qui negant Antichristum venisse, ideo, quod Evangelium in toto orbe non sit prædicatum: At prædicatum est. Gerh. d. extr. judic. §. 90.

§. 2. Degenerare quidem cœpit Ecclesia hujus seculi à pristina puritate, hæreticis grassantibus, & Antichristo sese exserente per Victoris ambitionem, Euseb. III. 26. Virgo tamen adhuc fuit, si

(2.) Charismata.

compares cum subsecuta ætate. *Charismata* erant frequentiora, dum erant qui linguis loquerentur, occulta revelarent, futura prædicerent, dæmones ejicerent, pluvias & fulmina à cœlo exorarent; *Multos audivimus fratres in Ecclesia prophetica habentes charismata, & per spiritum universis linguis loquentes, & absconsa hominum in manifestum producentes, ad utilitatem, & mysteria Dei enarrantes, quos & spirituales Apostolus vocat:* Iren. lib. V. f. 295. Justin. dialog. f. 131. 191. 199. 200.

235.

235. 243. Iren. l. 2. c. 57. 58. l. Euſeb. V. 5. Chron. an. 174. Imprimis
illud memorabile, quod invaleſcente Chriſtianiſmo Gentilium ora-
cula obmutuerint, ut teſtatur Plutarchi libellus de defectu ora-
culorum, & Juvenalis Satyra. 6. Quæ forſan & cauſſa eſt, cur Im-
peratores Ethnici legibus latis prophetias (Chriſtianorum) inhi-
berent. Vide Baron. an. 178. §. 5. *Viſiones* habebant & ſomnia prophe- Viſiones.
tica. Polycarpus enim triduo antequam comprehenderetur per
quietem vidit cervical ſuum ſubita flamma correptum conflagrare;
quod ipſe ſomno excuſſo mox explicuit de incendio ſibi à perſecu-
toribus imminente, quod & factum. Euſeb. IV. hiſt. c. 14. Attalus
confeſſor in viſione monitus eſt de Alcibiade, quod rigoroſiore
ἀσκήσει uteretur Euſeb. lib. 5. hiſt. c. 3. *Virtutes & mores* colligi poſ-
ſunt ex iis, quæ artic. IV. §. 6. ſeqq. dicta ſunt.

§. 3. *Bona externa* Eccleſiæ. Bona ſunt vel immobilia, ut vo- (3.) Bona
cant, vel mobilia. An Eccleſia hujus ſeculi poſſederit domos, agros, externa.
fundos, prædia, & ſimilia? Affirmat Baron. an. 57. §. 82. & an. 167.
§. 3. Et probare vult ex epiſt. 2. Pii, qua *conſtitutum de Eccleſia fuit, ne
prædia, divinis uſibus tradita, humanis inſervirent.* At (1.) Pii epiſtola eſt
inter eas, quas Bellarminus ipſe non audet indubitatas affirmare.
(2.) Pius ſub M. Aurelio & L. Vero, crudeliſſimis Chriſtianorum
hoſtibus, vixit, ut non videatur fide dignum, quod Chriſtiani præ-
dia Eccleſiis poſſidenda legarint, & hæc poſſederit. (3.) Phraſes
recentiorem olent ætatem. Solicitus enim eſt auctor de papali
potiſſimum auctoritate: *De cætero,* inquiens, *ſalva in omnibus Apoſto-
lica auctoritate, quæcunque ſunt ad religionis obſervantiam pertinentia, locis ſuis,
& ſuæ diœceſeos Synodis audiantur.* Hæc ſapiunt faſtum, non humili-
tatem, quæ ſæviente perſecutione inter Chriſtianos obſervabatur.
Mobilia bona non denegamus Eccleſiæ. Nam ex Juſtino ſuperius
docuimus collationes bonorum à ditioribus celebrata Euchariſtia
factas. Marcion ducenta ſeſtertia Eccleſiæ intuliſſe dicitur à Tert.
d. præſc. c. 30. ſubjungit Baron. an. 167. §. 7. *Si peregrinus homo à pa-
rente domo pulſus ac undique pene profugus* (Marcion) *tanta contulit in Eccle-
ſiam, quid putandum, feciſſe cives, eosdemque plurimos, divitiis & nobilitate
præſtantes?*

§. 4. *Mala* ſunt vel moralia vel phyſica. Illa dici poſſunt *ſcan-* (4.) Mala
dala, & revocari ad tria capita. 1. *Doctrinam.* Cœpit enim inimicus hoc 1. Doctrinæ.

quo-

quoq; seculo dormientibus hominibus Zizania disseminare. Deprehendimus ea in patrum scriptis, qui interdum saltem incautius locuti sunt, dum ad Christianismum recens conversi, nec fideliter pristinos errores exuerunt, nec Christianorum mysteria satis accuratè intellexerunt, vel certe animo in adversarios toti defixi incommodius quædam disputarunt. Ex Platonis pleriq; aut aliorum philosophorum scholis prodierant, nec poterant statim, quem semel imbiberant recentes odorem, abjicere; Ad hoc in convertendis gentilibus occupati multa ex ipsorum scriptis probabant incautius, solum, ut ipsos convincere viderentur. Ingenuè fatetur Dionys. Petavius Jesuita præfat. t. 2. de dog. Theol. c. 3. §. 3. *illos, cum adversus gentiles doctos, & philosophiæ deditos pro Christiana fide disceptarent, quo eam vendibiliorem facerent, ac magis persuaderent, minus accuratè & subtiliter illius intima & arcana commisisse libris istis, quos emanare in vulgus cuperent: atq; ad Platonis decreta, eamq;, quam illi combiberant, Theologiæ formulam, Christianum illud confirmasse mysterium.* Nec inter minimas errandi occasiones fuit nimium studium traditionum. Supererant tum adhuc ex iis, qui cum Apostolis erant conversati; Ex quibus curiosius audita vel scripta perquirebant, nec raro decipiebantur. Vide Euseb. libr. 3. c. 33. lib. VI. c. 10. Iren. l. 4. c. 45. Dum vero hæc patrum παροράματα producimus & annotamus; Videmur forsan facere contra interdictum Irenæi lib. IV. c. 50. *nos non oportere exprobare eis, neq; fieri similes Cham, qui irrisit turpitudinem Patris sui, & in maledictionem decidit.* At non irridendi gratia producimus, sed cavendi, & docendi, quod & illi homines fuerint erroribus suis obnoxii; nec proinde nimium ipsorum auctoritati tribuamus, sed in sola scriptura requiescamus.

Nævi (1.) De *scriptura.*

§. 5. Cum varia sint Patrum παροράματα, digeramus ea, ne confusè congesta fastidium legentibus præbeant. 1. *De principio fidei scriptura* non ita bene meritus est Papias ille ὁ σμικρὸς τὸν νοῦν *vir pertenuis judicij.* Nam referente Euseb. lib. III. hist. c. 33. *scriptor ille* ὡς ἐκ παραδόσεως ἀγράφου εἰς αὐτὸν ἥκοντα παρατέθειται, ξένας τέ τινας παραβολὰς τοῦ Σωτῆρος καὶ διδασκαλίας αὐτοῦ, καί τινα ἄλλα μυθικώτερα, *quasi traditione non scripta ad se pervenisse commonstrat, quæ peregrinas quasdam servatoris parabolas, & novas ejus doctrinas, aliaq; non nulla commentitiis fabulis referta continent.* Subjungit de chiliasmo, quem ex ipso Irenæus & alii acce-

Traditiones

cepe-

ceperunt errorem. Haud obſcurè idem indicat Serapion in epiſtola ad Roſſenſes, ubi meminit Evangelii Petri, quod hæretici Eccleſiæ ſuppoſuiſſent, & ipſe incautius commendaſſet. Euſeb. VI. 10. Ignoſcendum forſan Serapioni, ſed quid fiet de Pio P. R? Nam & ipſe ſibi à quodam Hermete traditionario paſſus eſt imponi per Angelorum viſiones. Catal teſt. verit. libr. 2. p. 60. Aliud vitium obrepſerat Eccleſiæ per Tatianum. Hic enim ex IV. Evangeliis harmoniam aliquam compoſuit *amputatis genealogiis, & aliis omnibus, quæ dominum ex ſemine David ſecundum carnem natum oſtendunt.* Theod. d. fat. hæret. lib. 1. hæreſ. 20. Eoque uſi ſunt, non modo qui ejus erant ſectæ, ἀλλὰ καὶ οἱ τοῖς Ἀποστολικοῖς ἑπόμενοι δόγμασι τὴν τῆς συνθήκης κακουργίαν οὐκ ἐγνωκότες, ἀλλ' ἁπλούστερον ὡς συντόμῳ τῷ βιβλίῳ χρησάμενοι, i.e. Corruptio.
ſed iÿ etiam, qui Apoſtolica dogmata ſequebantur, compoſitionis fraudem non cognoſcentes, ſed ſimplicius tamen commentario libro utentes. Ducentos ad ſe perveniſſe ait Theodoretus, quos ſepoſuiſſet. Ex hoc fonte hæretici ſuos deinde hortos irrigarunt, dum ſacris ſcripturæ teſtimoniis deſtituti ad traditionẽ confugerunt. Iren. l. 4. c. 69. Qui ſacras literas conſignarunt fuerunt in N. T. divinitus inſpirati. At his non contenti veteres, etjam *Sibyllas* addiderunt, quaſi ἐκ πνευμάτων δυνατοῦ ἐπιπνοίας διὰ χρησμῶν, *ex* Sibyllæ.
afflatu quodam mirifico per ſortes ac reſponſa gentiles docuerint. Juſtin. Paræ. f. 27. & 28. Propheticum ipſis ſpiritum attribuit Apolog. II. f. 64. Materia, de qua vaticinatæ, non tantum eſt Dei unitas, omnipotentia, inviſibilitas &c. f. 13. ſed etiam περὶ τῆς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μελλούσης ἔσεσθαι παρουσίας, καὶ περὶ πάντων τῶν ὑπ' αὐτοῦ γίνεσθαι μελλόντων σαφῶς καὶ φανερῶς; *de futuro Servatoris noſtri Jeſu Chriſti adventu, ac de rebus ab eo gerendis, liquido & aperte.* f. 28. de conflagratione mundi Apol. II. & de impiorum ſupplicio. q. & R. ad orthod. 74. f. 338. Hinc factum, ait Apol. II. f. 64. ut prohiberetur lectio illorum librorum. At nimia hæc eſſe cenſet haud immerito Dn. D. Dannh. Chriſteid. p. 309. ratione reddita, quod nemo ſibi facile *perſuadeat, myſterium æternis temporibus tacitum* τοὺς ἔξω *plenius intellexiſſe, quam prophetarum illuminatiſſimos:* Præmiſerat judicium, quod & noſtrum facimus: *Quæ de Chriſto in Sibyllinis inveniuntur, vel naſcituro priora fuerunt, vel poſteriora nato: illa à canonica ſcriptura plagio corrupta; hæc Chriſtianorum nimis diligentium, ubi non oportuit, interpolationes dicas licet. Interitus ſcripturæ* Interitus.
aſſeritur ab Irenæo lib. 3. c. 25. Aſſerit enim tempore captivitatis

Babylonicæ *ſcripturas penitus interiiſſe*, & Eſdram divino afflatu eam *de integro conſcripſiſſe*: Sed refutat hanc ſententiam ipſe Baron. an. 180. §. 14. *Verſio* LXX. Interpretum dicitur à Juſt. Apolog. II. elaborata eſſe ſub rege Herode, quæ eſt inſignis ἀνιστορησία & ἀναχρονισμὸς, cenſente Scalig. not ad Euſeb. f. 123. Eadem in ſingulis ſingulorum ædiculis dicitur eſſe confecta, referente eodem Juſtino l. c. & Irenæo lib. 3. c. 25. Sed Hieronymus *fabulam* vocat. *Neſcio*, inquiens, *quis primus auctor* 70. *cellulas Alexandriæ mendacio ſuo exſtruxerit*. Præfat. in Pentat. Nec diſſentit Bell. lib. 2. de V. D. c. 6. Gravior eſt error de *auctoritate* verſionis iſtius, quam *divinam* faciunt obſcurius Juſt. Paræn. 1. ad Græc. f. 11. clarius Irenæ. lib. 3. c. 25. *ut non tam interpretes, quam Prophetæ videantur*, uti loquitur Bell. l. c. Sed contra eſt Hieronymus in præfat. Pentat. ſentiens *non vates, ſed interpretes fuiſſe*; Nec juvat emplaſtrum Bellarmini, fuiſſe eos *non propriè prophetas, ſed tantum Spiritu Sancto peculiariter illuſtratos*: Nam Hieronymus peculiarem illam illuſtrationem neſcit; *Niſi forte putandus eſt*, inquiens, *Tullius œconomicum Xenophontis, & Platonis Protagoram, & Demoſthenis pro Cteſiphonte afflatus rhetorico ſpiritu tranſtuliſſe*. Idem epiſt. 3. Pammach. de optimo genere interp. errorem eorum notans ſcribit: *Num omnino repudiandi ſunt, quia iſtum locum, qui ad Chriſti maximè pertinet ſacramentum, aliter tranſtulerant? an danda potius venia, ut hominibus, juxta Jacobi ſententiam, dicentis; multa peccamus omnes?* Quare nulla eſt Bellarmini exceptio: *Cum reprehendit verſionem LXX, non reprehendere ipſam, ſed vitia, quæ in eam poſtea irrepſerunt negligentia, vel malitia, aut etiam ignorantia aliorum* Nam Hieronymus loquebatur non de iis, qui corruperunt, ſed qui *tranſtulerunt*: intelligit igitur ipſos interpretes, non interpretum corruptores. Hieronymo ſubſcribit Rupert. in Joh. XIX. *Non ſic ſe habet litera Hebraicæ veritatis, quomodo LXX. tranſtulerunt; quippe qui non ſenſum Dei perfectè habuerunt; nec enim vátes, ſed interpretes erant; unde & hæc, ſicut cætera multa, non ſatis integrè tranſtulerunt.*

(II.) De *Dei* nomine. §. 6. *De Deo* quoad (1.) *Nomen*; an aliquod proprium Deus habeat? Negat Juſtin. parænes. f. 14 15. Attalus apud Euſeb. libr. V. hiſt. c. 1. Malè; niſi benigniore addita excuſatione, vel explicatione: Gerh. Exeg. Loc. II. §. 18. Varia ſunt nomina Dei, ſed *parum grammatice* explicantur ab Irenæo lib. II. c. 67. judice Chemn. d. Lect. Patr. t. 1. opp. (2.) *Eſſentiam*. Deus eſt ſpiritus; ſed Melito librum

Eſſentia.

librum scripsit; *περὶ ἐνσωμάτε θεῦ* de *Deo corporeo*; notatus à Dionys. Petav. t. 1. Theol. dog. l. 2. c. 1. §. 4. (3.) *Trinitatem personarum.* Incommodis non raro phrasibus & similibus hæc obnubilabatur, cum dæmonium Africanum, Arius, nondum prodiisset, ut sequiorum seculorum *θεομάχοι* & *χειστομάχοι* non sine specie eadem pro sese allegarint; vide Dn. D. Dannh. Christeid. p. 312. (4.) *Attributa* divina minus sincerè tractavit Athenagoras, castigatus à Petav. t. 1. Theol. dogm. lib. 1. c. 12. f. 83. (5.) *Opera* Dei nobiliora sunt creatio & gubernatio. *Creatio* produxit Angelos, de quibus *ἀλόγως* philosophatur Athenagoras notatus à Lips. lib. 1. Physiol. Stoic. dissert. 20. *Gubernatio* specialis non Deo, sed Angelis adscribitur ab eodem in Apologia: Idcirco, ait, Angelos Deus creavit, ut rebus à se digestis providerent. *Quamvis* enim *ipse universali sua, & communi providentia omnibus prospiciat, particularem tamen rerum singularum, quæ cuiq; fuerint commissæ, Angelis imposuit.* Hæc ille. (6.) *Cultus religiosus.* Soli debetur Deo; sed incommodæ quædam phrases. E. g. Maria advocata apud Irenæ. libr. 5. & curiosa Martyrum post mortem asservatio, & natalium celebratio ansam posteris dederunt errandi.

Personis.

Attributis.

Operibus.

Cultu.

§. 7. III De *Christo* non semper congrue loquebantur: 1. Quoad *naturas*, & in iis *divinam*, quæ inter alia argumenta etiam ex filiatione æterna probatur. At Theoph. Antioch. libr. 2. contra Autolyc. videtur sentire, genitum esse Christum tum demum, cum mundum Deus vellet creare: *Cum jam condere, quæ deliberaverat, constituisset, hunc sermonem genuit prolatum, primogenitum universæ creaturæ.* Vide Cent. Magd. c. 4. f. 45. Periculosa est phrasis Irenæi libr. 3. c. 21. de *adoptione* Christi facta in incarnatione. Nam & secundum naturam humanam Christus est Filius Dei naturalis, quanto magis divinam. vide Petav. t. 1. Theol. dogm. lib. 1. c. 5. Etiam hoc derogat naturæ Christi divinæ quod l. 2. c. 49. deneget Christo *omniscientiam*, quam habet Pater. *Etenim Pater major me est, & secundum agnitionem; itaq; præpositus esse Pater annunciatus est à Domino nostro.* Nisi dixeris ipsum loqui de Christo secundum humanam naturam in statu exinationis omniscientiæ usu destitutam, quod tamen in textu non comparet. Nec infrequens est vox *minister*, quâ Christum vocant in opere creationis constitutum; Eadem autem aliquanto post abusi sunt Ariani. Justin. dial. f. 218. Iren. libr. 2. c. 47. libr. 4. cap. 17.

(III.) De *Christi* divinitate.

Humanitate *Humanam* naturam quod concernit, in ætatem Christi impingit Irenæus lib. II. c. 39. dum 50. ætatis annum attigisse memorat; notatus propterea à Casaub. exerc. Anti-Baron. p. 582. Gallas. ad Irenæ. f. 399. Excusationes Baronii diluit Dn. D. Dannhavver. Christeid. p. 127. Ille ipse tamen Baronius ann. 174. §. 5. sugillat Tatianum, quod in sua harmonia omiserit loca, in quibus agatur de carne

unione. Christi. (2.) *Naturarum unionem*, quam termino minus commodo vocat *commixtionem* Irenæus l. 3. c. 21. qua de re disputavimus supra art. III. §. 38.

(IV.) De *homine* in *statu* institutionis: §. 8. IV. De *hominis* in statu (1.) *institutionis* perfectione tenuiter loquitur Irenæus libr. 4. c. 74. *Deus ipse quidem potens fuit homini præstare perfectionem ab initio, homo autem impotens percipere illam; infans enim fuit.* Et Tatianus mortalitatem animæ statuit; notante D. Calov. harm. Calixt. Papist. pag. 469. nec procul abest Irenæus l. 2. c. 64. statuens animam non naturâ, sed sola voluntate & gratia Dei esse immortalem, vid. Dn. D. Dannh. Christeid. p. 326. Idem libr. V. f. 298. distinguens inter imaginem & similitudinem Dei, ait, animam & spiritum partes esse hominis, ut imperfectus sit homo sine spiritu; quod falsum est, si de substantia accipias. (2.)

Destitutionis. *Destitutionis.* Hujus *auctor* est diabolus. Cujus lapsus factus est ante, quam hominem seduceret: At Iren. lib. 4. c. 78. statuit tum demum esse lapsum, cum hominem seduceret. Alius est error de commixtione Angelorum cum filiabus hominum, unde gigantes nati; in quo hæserunt Justin. Apol. I. & Irenæ. libr. 4. c. 70. Potestas diaboli magna quidem est, sed tamen non tanta, ut ei sanctorum animæ ante Christi incarnationem fuerint obnoxiæ: quod tamen statuit in dial. Justinus. Idem errorem errore cumulat, statuens diabolos ante Christi adventum suas nescivisse pœnas, adeoque nec Deum blasphemasse, quam sententiam Justino tribuit Oecumenius ad. 1. Petr. 5. notante Bened. Justin. ad 1. Pet. V p. 398. Justinum sequitur Irenæus l. 5. observante Erasmo in argumento ad lib. 5. Cum quo errore coincidit, quod dæmones ante diem extremum nondum sint infernalibus pœnis obnoxii, quo in errore Justin. Apol. I. & Iren. l. 5. versantur: vide Gerh. Loc. de extr. judic. §. 46. *Profunditatem* lapsus humani & peccati originis non satis exhauriunt, qui liberum homini arbitrium quoad bona Theologica super-

superesse dicebant. At hoc statuit Justinus Apolog. 1. p. 38. *quicunq; cum ratione & verbo vixere, Christiani sunt, quamvis ἄθεοι & nullius Numinis cultores habiti sint; Quales inter Græcos fuere Socrates, & Heraclitus, atq; iis similes.* Ex hoc fonte alius error manavit, nempe communio inter Christianos & Ethnicos, quod attinet mysteria divina. Apol. II. Hinc Aug. lib. IV. contra Julian. c. 3. & lib. 2. contra Pelag. & cœlest. c. 24. sententiam Justini, etsi suppresso nomine, refutat. Irenæus nec ipse satis purè loquitur, cum libr. IV. c. 72. scribit: quod homines lapso commisso arbitrium habeant liberum, sicut Protoplasti, *quoniam omnes ejusdem sunt naturæ, & potentes retinere, operari bonum & potens rursum amittere id* &c. vid. Dn. D. Dannhavver. Christeid. pag. 319.

§. 9. (3.) *Restitutionis.* Ministerialis caussa restituendi hominem sunt ministri Ecclesiæ: Habent illi sua charismata quidem, sed quædam, Apostolica puto, exspirarunt in seculis sequioribus, vel certè minus erant & sunt illustria & frequentia. Quare infirmius ducit argumentum contra Cataphrygas Apollinarius, à successione sumptum prophetarum, quam hi numerare non possent. Euseb. lib. V. c. 16. censente Dn. D. Dannh. Christeid. pag. 609. *Objectum* autem ipsorum sunt homines, non Angeli. Errat igitur Iren. l. 4. c. 30. *Enoch*, inquens, *sine circumcisione placens Deo, cum esset homo, Dei legatione ad Angelos fungebatur.* Hæc ille ex communi patrum errore, quasi *Filij Dei* Genes. VI. sint Angeli. *Instrumentalis* caussæ sunt verbum, & sacramenta. *Verbum* vel legis vel Evangelii. *Legi* morali obnoxii erant Patres etiam antediluvium, & Mosen: At negat hoc Iren. lib. 4. c. 30. Quærit enim: *quare Deus Patribus non disposuerit testamentum?* Respondet: *Quia lex non est posita justis, justi autem Patres, virtutem decalogi conscriptam habentes in cordibus & animabus suis, diligentes scil. Deum, qui fecit eos, & abstinentes erga proximum ab injustitia, propter quod non fuit necesse admonere eos correptoriis literis, quia habebant in semetipsis justitiam legis.* Scriptam habemus legem naturæ omnes in cordibus, & tamen nobis lata est lex decalogi. E. hæc caussa esse non potest: Nec minoribus peccatis obnoxii erant Patres ante Mosen, quam sub eo & postea. Huc spectat, quod Irenæus libr. IV. c. 27. disputans contra Marcionitas legis Mosaicæ hostes statuat Christum Matth. V. legem veterem dilatasse, superextensis novis, nempe

De (3.) *Restitutionis* ministris.

& Caussis instrumentalibus. Lege

pe de fugienda etiam concupiscentia; quæ tamen jam in decalogi præcepto. 9. & 10. prohibita erat in V. T. Abrogata est *lex cæremonialis* in Nov. T. quod docet Christus Matth. IX. 16. seqq. cujus tamen dicti interpretationem neque textui, neque antiquitati, neque ipsis Pontificiis congruam dederunt Presbyteri Romani, cum Marcion de explicatione ejus interrogaret, referente Epiphanio l. 1. t. 3. hæres. 42. Explicuerunt enim utres veteres de cordibus Pharisæorum inveteratis in peccatis: cum alii explicent de veteri lege, ut Tertullianus libr. III. & IV. contra Marc. Ambros. in Luc. VIII. alii de discipulis Christi, ut Euthymius & Theophylactus; quorum sententiam laudat Maldonatus comment. ad l. c. & præfert sententiæ Hilarii, Hieronymi, Chrysostomi, Bedæ, adeoque etiam, etsi suppresso nomine, Romanorum interpretum. Divisio decalogi est in tabulam primam & secundam, quarum illa agit de dilectione Dei; hæc proximi: At Irenæus, secutus Josephum & Philonem, in duas æquales partes dividit decalogum, ita ut præceptum de honorandis parentibus cedat tabulæ primæ; *quod falsum est*, judice Chemnit. part. 2. de Leg. *Et potest*, addit, *inde colligi, quam miserè extincta fuerit lux doctrinæ apud Judæos etiam in parvis rebus.* Christiani ex Ephes. VI. 2. colligunt præceptum de colendis parentibus esse *primum* scil. in tabula secunda: Erravit igitur Irenæus, qui in primâ locavit.

Evangelio. *Evangelium* mox à lapsu commisso sonuit in auribus Protoplastorum; quare cum grano salis accipiendum est, cum Irenæ. l. III. c. 11. testamentum, quod ante diluvium Deus fecit cum Adamo, diversum ait esse ab Evangelico. Objectum hujus Evangelii sunt homines vivi; Errat igitur Iren. libr. 4. c. 45. cum persuasus ab aliquo Presbytero traditionario scribit: *Dominum in ea, quæ sunt sub terra, descendisse, Evangelizantem & illis adventum suum, remissæ peccatorum existentem iis, qui credunt in eum.* vide Marc. Ant. de Dom. part. 2. reip. Eccles. p. 384.

Objecto. §. 10. Restituendus est *homo*, quem videtur Iren. l. 5. cap. 8. componere ex tribus partibus essentialibus anima, spiritu, & corpore; sed explicatur à Gerh. Loc. mort. §. 76. omnibus in bono supernaturali faciendo viribus destitutus. Sed Patres nonnulli in scholis philosophorum αὐθεξουσίῳ assueti, & contra fatum Stoicum disputantes nimium tribuebant viribus liberi arbitrii, ita ut

Pela-

Pelagius deinde Augustino permolestus fuerit allegatis illis Pa-
trum incautius dictis. Loquuntur quidem utplurimum de libero
ante lapsum arbitrio, & de eodem post lapsum, sed quoad opera
externa moralia; interea argumentis utebantur iis, quæ quis et-
jam ad opera pietatis interna Deo placentia applicare posset, imò
disertè Justinus gentiles in cœlo locat, quod superius est §.4. osten-
sum. Vide Gallas. not. ad Iren. lib. IV. c.71. seqq. Restituitur autem
homo per *pœnitentiam & justificationem*; Periculose loquitur Iren. lib. Medio & modo; justi-
IV. cap. 30. Cum scribit: *Patres ante legem promulgatam justos fuisse lege* ficatione.
naturæ: Quia enim lex naturæ nihil novit de Christo, extra quem
salus non est, etiam nihil novit de vera ratione salutis, nec justificat.
Renovatio concernit bona opera. Ex operibus indifferentibus renovatione
E. g. conjugio, faciebant opera mala. Conjuge defuncto, vel per
adulterium ritè separato licet alteri nubere alii. At sinistre loquun- e. g.
tur de digamia; Ut Justinus Apol. II. & Athenagoras, cui secundæ castitate.
nuptiæ sunt εὐπρεπὴς μοιχεῖα *honestum adulterium.* Idem in Apol. non
concedit marito, post dimissam adulteram, *ducere alteram.* Ita Victor
P. R. ex paschate, libera cæremonia, fecit necessarium, ut dissen- Festis. Cibis.
tientes excommunicaret. Sanguine vesci Apostolorum tempore non
licebat, ob Judæos, qui scandalum inde capiebant; At propagatum
est interdictum etiam in hoc usque seculum, ut illicitum putarent
sanguine vesci, quod patet ex literis Ecclesiæ Gallicanæ apud Eu-
seb. lib. V. c. 1. Apostolus Paulus noluit quidem cum scandalo alio-
rum idolothytis vesci, at simpliciter ea videtur prohibere Justinus
dial. cum Tryph. f. 195. Et contra indifferentibus quibusdam ni-
mium laudis tribuebant. Est virginitas insigne Dei χάρισμα in iis, Cœlibatu.
qui sibi continere possunt; sed erant, qui & non continentibus ob-
trudere satagebant, ut Pinythus Episcopus Gnosiorum, Euseb. lib.
IV. c. 22. reprehensus eo nomine à Dionysio Corinthiorum. Justi-
nus Apolog. II. 48. commendat plurimum virgines, & qui sese ca-
strant propter regnum cœlorum. Tatianus eo usque progressus est
in laudibus castitatis, ut conjugium stuprum appellaret. Euseb. lib.
IV. c. 27. scilicet, quasi cœlibatus esset perfectio secundum Salvato-
rem; de qua librum idem scripserat. Citante Baron. an. 174. §. 10.
& explicante Chemnit. part. 3. exam. p. 8. Quos vero fructus tu-
lerit ille intempestivus amor cœlibatus ex Marcione patet, *qui pri-*
ma

ma vita sua virginitatem exercuit ; solitarius enim vixit, & Episcopi Sanctæ nostræ Ecclesiæ Catholicæ filius fuit ; progressu vero temporis circa virginem quandam corrumpitur, & decepta virgine se ipsum atq; illam à spe detraxit : verba repeto Epiph. hæres. 42. Libidinosi erant quidam hæretici, ita ut propter eos veri Christiani suspicionem & odium apud gentiles incurrerent; Dum igitur sese defendere & immunes præstare allaborabant, in alterum extremum inclinantia verba ipsis exciderunt. Contra ex peccatis faciebant non peccata. Grande peccatum fuit, quod Lothus cum filiabus commisit, Irenæus tamen libr. IV. c. 50. & 51. excusat & defendit idem, quod in scripturis sit *inaccusabile* positum, & typus in Christum : *Etenim Loth non ex sua voluntate, neq; ex sua concupiscentia carnali, neq; sensum, neq; cogitationem hujusmodi operationis accipiens, sed consummavit typum.* Addit de filiabus : *Et ipsæ excusabiles sunt, arbitrantes se solas relictas cum Patre suo ad conservationem generis humani.* Vitam hominis claudit mors. Animæ post mortem sunt in statu vel felici in cœlo, vel infelici in inferno : tertius sive status, sive locus non datur. At tertium tradit auctor q. & R. à

Visione Dei. gentibus positarum. q. 76. Et Iren. libr. 5. c. 26. *Discipulorum Christi &c. animæ abibunt in invisibilem locum definitum eis à Deo, & ibi usq; ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem : post recipientes corpora, & perfectè resurgentes h. e. corporaliter, quemadmodum & Dominus resurrexit, sic venient ad conspectum Dei.* Discipuli Christi fuerunt omnes martyres, quare vel ex Pontificiorum sententia rectà in cœlum animæ defunctorum ascendebant, & vel Papistis judicibus in alium, quam cœlum, locum non sunt translatæ ; Præterea ex hac sententia sequitur animas ante diem extremum non frui gloriosa Dei visione, quod ipsum Pontificii improbant. vide Cham. t. 2. Panst. lib. 5. c. 9. §. 9. Dn. D. Dannh. Christeid. p. 328. scribit : *In altero loco videtur* (Irenæus) *sentire animas exutas corpore non statim frui glorificante visione Dei, sed abditas servari in diem resurrectionis ; De purgatorio nulla mentio, quin potius videtur sentire duplicem resurrectionem, primam animarum, mox corporum &c. In quo errore fuisse videtur Joannes Pontifex R. ejus nominis XX, coactus opera Theologorum Parisiorum ad palinodiam coram Galliarum rege Philippo, non sine buccina, quod indicat Joannes Gerson in sermone de pascha.* Hæc ille. Quorsum respicit Sander. l. 7. Monarch. Eccles. dicens Joannem suam sententiam ex multis patribus Græcis & Lati-

Latinis probasse. Excusare & defendere Justinum Bell. d. beat. sanct. c. 4. 5. Irenæum conatur Jod. Cocc. t. 1. thesaur. lib. 5. art. 2. f. 447. distinctione inter beatitudinem perfectam, quæ futura sit in cœlis; & imperfectam, quæ resurrectione nondum facta animabus competat. At neutram Irenæus largitur animabus: Nam *cum ait: sic venient ante conspectum Dei, significat animas non recipi in gloriam cœlestem ante resurrectionem corporum*: Judicat l.c. Erasmus. At 1. extraxit, juxta illũ, animas ex inferno. E. non amplius sunt ibi. ℞. non loquitur de discipulis, sed fidelibus in V. T. ante discipulos defunctis. At 2. *salvavit eas.* E. *Vident Deum.* ℞. salvavit, sed eos, qui ante discipulos fuerunt in inferiore loco; ut non essent amplius in eodem; at N. C. ergo discipulos prorsus immunes ab inferno præstitit, quippe quib⁹ mors ad huc erat reservata. At 3. non dicit discipulorum animas in infernum descendere, sed in *invisibilem locum: Per invisibilem locum quid prohibet intelligere cœlum, ubi est lux inaccessibilis*? Resp. prohibet id collatio inter Christum & discipulos; quia iste descendit in infernum. E. & discipulos magistro non meliores descensuros esse contendit idem. Quare post Alphonsum à Castro ingenuè fatetur Sixtus Senens. lib. VI. Bibl. annot. 145. hanc Irenæi aliorumque *sententiam esse damnatam.* Errorem hunc suum fecerunt Patrum nostrorum memoria Anabaptistæ, qui tamen veterum sententiis sese defendere non possunt. Quæ enim in illis fuerunt stipulæ, mysterio nondum satis dilucidato, eadem in Anabaptistis fiunt hæresis *post inspirationem & revelationem veritatis factam*, ut Cyprianus loquitur ad Jubajanum. Quod observandum contra Pontificios quoq; Patrum nævis suos pertinaces errores defendentes. Vide Gerh. Loc. d. Eccl. §. 168. f. 350. seq. & Loc. d. morte §. 180. f. 117. §. 302. fol. 209. Agmen claudat *Antichristus*; de quo erronea est Irenæi lib. V. c. 21. opinio, quod in templo Dei Hierosolymis sessurus sit per tres annos & dimidium; quem frustra probare vult ex Apoc. XII. 14. vide Gallas. not. ad l.c. Irenæi.

§. 11. (4.) *Glorificationis.* Hunc statum præcedet resurrectio mortuorum. An sit resurrectio aliqua futura? ex solis S. literis probari potest; Unde licet *philosophis etiam multis probata sit*, ut Athenagoras in Apologia contendit, non tamen ex naturæ principiis eam sciverunt. Gerh. d. resur. §. 42. *Medium gloriosæ* est fides; At Theophil. lib. 2. f. 322. utitur phrasi, quæ quidem commodam interpre- (4.) De *Glorificationis* Antecedentibus. Resurrectionis.

 tatio-

tationem admittit, ſed tamen periculoſa eſt: Ideo enim ait legem de juſtitia eſſe latam, *ut homo ad eum modum opera bona faciens pœnas ſempiternas effugiat, & dignus ſempiterna vita à Deo pronuncietur.* Deſcribit quidem ſubjectum ſalvandum, ſed ita, ut operum admirator ſalutis cauſſam innui arbitretur.

Subjecto.

Subjectum reſurrectionis eſt ſolum corpus, quo homo reſurget, non anima; At modo ex Irenæo audivimus etiam hanc eſſe reſurrecturam. Dum enim ait: *poſt recipientes* (animæ) *corpora, & perfectè reſurgentes ſubindicat aliquam animarum reſurrectionem imperfectam ante recepta corpora*, concludit l. c. Eraſmus. Spiritus eſt anima, quare expers figuræ externæ; quam tamen ipſi tribuit Irenæ. lib. 2. c. 64. ſtatuens *habere hominis figuram, ut etiam cognoſcatur.*

Cōſummatione mūdi.

Facta reſurrectione conſummabuntur cœlum & terra: At videtur Irenæus ſtatuere renovationem tantum lib. V. *Non ſubſtantia, neq; materia conditionis exterminatur:* Cui ſubſcribit Athenagoras Apolog. pro Chriſt. *Hac ratione etiam Stoici conflagratura omnia, & denuo futura dicunt, & renovatum iri mundum:* & ſequetur æterna in cœlis felicitas, vel perpetua in inferno infelicitas.

Chiliaſmo.

At Patres hujus ſeculi communi errore intermedium credebant ſtatum, qui à mille annis nomen Chiliaſmi accepit. Papias à traditionariis & male intellecto loco Apocalyptico deceptus errorem primus arripuit & aliis tradidit, quem ſecuti ſunt Juſtinus dialog. cum Tryph. f. 239. ſeq. Irenæus l. 5. c. ult. notante Hieronymo d. ſcript. Eccleſ. tit. Papias: & comment. in Iſai. XVIII. fol. 242. in Ezech. cap. 36. Fatetur tamen Juſtinus multos ſincere & pie credentium Chriſtianorum τῆς γνώμης τοῦτο μὴ γνωρίζειν *dogma hoc non agnoſcere.* Et diſputant Gerh. Loc. d. conſumm. ſec. §. 3. & Gallaſ. notis ad Iren. V. c. 23. unde Irenæum ſic ſenſiſſe evinci poſſit? *quando* finis mundi futurus ſit, in S. literis non eſt revelatum; Irenæus tamen ſcire voluit ex tempore creationis: Cum enim hæc intra 6. dies fuerit perfecta, concludit ille 6000. annorum ſpatio exacto mundum eſſe interiturum, libr. 5. cap. 23. At mirum eſt Irenæum ſcire velle diem judicii extremi, cum tamen neget Chriſtum illud tempus ſcire. l. 2. c. 49. vide §. 68.

Ingredientibus.

Salvandi ſunt ſoli homines, & quidem verè credentes. Contra etiam Ethnicos cœlo adſcripſerunt in hoc ſeculo; Imo beſtias quoque reſtitutum iri Theophilus lib. 2. contra Autolyc. f. 309. opinatur: Ubi homo ad ſuam naturam, & priſtinum

ſtinum ingenium, nec non dignitatem redierit ceſſans malefacere *κἀκεῖνα ἀποκαταστασθήσεται εἰς τὴν ἀρχῆθεν ἡμερότητα, etiam illæ* (beſtiæ) *in primitivam reſtituentur manſuetudinem*, quod nullo nititur ſcripturæ fundamento. Locus, qui ſalvandos recipit, eſt cœlum: At paradiſum putant Auctor R. ad quæſt. orthod. q. 75. ſeqq. Iren. l. 5. decepti ex Judæorum, & neſcio cujus Preſbyteri traditionibus apud Joſeph. l. 2. de bel. Jud. c. 7. vide Gerh. d. mort. §. 162. ſeq. *Status* erit feliciſſimus; Nam videbimus omnia coram: Deſinent igitur ſpes & fides 1. Cor. XIII. 13. At Iren. l. 4. inclinat in negativam, ſtatuens ſpem & fidem manſuram eſſe & perfectum iri; notatus, ſed & ſimul excuſatus propterea ab Pet. Martyre Comment. ad 1. Cor. XIII. *Pœnæ* futuræ *ſunt æternæ*: At Juſtinus ſtatuit finem eſſe habituras, ut ex dialogo deducit Grot. ad Matth. XXVI. 46.

Statu.

§. 12. II. *Cultus*: Ut eſt (1.) *Prædicatio verbi*. Præſtat legere & prædicare verbum Dei, quam hominum: Nihilominus in Eccleſia primitiva verbo Dei non contenti legebant etiam hominum, i. e. eorū, qui pluris æſtimabantur, ſcripta. Tolerandus fuiſſet mos, niſi interdum adulterina quoq; ſcripta irrepſiſſent. Operoſi erant hæretici in ſcriptis genuinis corrumpendis & adulterinis ſupponendis; Corrumpendis; Nam conqueritur apud Euſeb. libr. IV. 22. *de ſuis epiſtolis, tanquam à quibusdam depravatis & de induſtria corruptis*: Et ſupponendis; Nam conqueritur Serapion Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopus de neſcio quo Evangelio Petri, quod ipſo, licet imprudentius, permittente in Eccleſia Roſſenſi eſſet lectum. Euſeb. libr. VI. c. 10. (2.) *Adminiſtratio ſacramentum*, ut eſt *baptiſmus*. Elementum viſibile, & hoc unicum, eſt aqua, ut verus non ſit baptiſmus, niſi aqua perficiatur. At fuerunt, qui Judæum arena baptizarent, aqua deficiente; & Eccleſia dicitur approbaſſe; Niceph. lib. 3. c. 37. Alterum eſt *Euchariſtia*, quæ, facta benedictione, diſtribuenda ſtatim eſt. At mos inolevit, ut facta in loco ſacro εὐλογία deferretur à diaconis ad ægrotos; aut ad abſentes concordiæ teſtandæ ergo mitteretur; Juſtin. Apol. II. f. 77. Euſeb. lib. V. cap. 24. Ex quibus non adeo malis ritibus abuſus deinde varii irrepſerunt. (3.) *Uſus clavium* vigebat, ſed ita, ut ſequior ætas occaſionem ſumeret errandi cum legeret exomologeſes factas à pœnitentibus prius, quam in Eccleſiam reciperentur. Iren. l. 1. c. 9. Sicut & ex eo, quod vivi vi-

Nævi (III.) in *cultu* externo e. g. Prædicatione verbi:

Adminiſtratione Sacramentorum; *Baptiſmi &*

Euchariſtiæ:

& Clavium

vos martyres rogabant, ut preces pro se ad Deum funderent aliquando morituris, occasionem sumpserunt mortuos invocandi.

Cæremoniis

Vide Euseb. lib. V. c. 2. (4) *Observantia festorum, & aliorum adiaphororum, & sacrorum.* Videtur sibi Ecclesia Romana reliquarum caput & oculus; Et tamen vehementer hallucinabatur in controversia paschali, quod inter necessaria & adiaphora discrimen nescierit, discens id demum ex aliis, puta Irenæo, Polycrate, & aliis ipsorum parastatis. Vide Catal. test. verit. l. 2. p. m. 63. Introducebantur autem illa adiaphora interdum *vel simplicitate, vel privata auctoritate,* ut scribit ad Victorem Irenæus Euseb. l. 5. c. 24.

Nævi (III.) in *Moribus* contra 1. *Tabulam:*

§. 13. III. *Morum scandala.* Fuisse enim, qui aliis scandalum præberent, non diffitetur Justinus Apolog. II. fol. 42. male viventes nonnullos Christianorum occasionem præbuisse & innocentes insectandi; Referri possunt ordinis gratia ad decalogi. 1. *Tabulam:* In quam impingebant *Apostasiæ:* ut cujusdam Triephonis apud Lucianum in Philopatre; Citante Baron. an. 11. §. 2. Aliorum Romæ, seducente Marcellina Carpocratiana. Iren. lib. 1. cap. 4. Epiph. l. 1. contra hæres. t. 2. c. 27. Quinti Phrygis, de quo Smyrnenses in suis literis apud Euseb. l. IV. c. 14. Atheniensium, qui à verbo Dei penitus ferè ab eo tempore desciscere cœperant, ut literis eos in viâ reducere opus habuerit Dionysius. c. 22. Tatiani, qui à fide defecit. c. 27. Et alios desciscere fecit. Euseb. l. c. Lugdunensium quorundam; conquerente Ecclesia in epistola ad Ponticas. Euseb. V. 1. Domni, qui ad Judæos transiit, ut Serapion in ipsum exacueret stylum; lib. VI. c. 10. Aquilæ Pontici, pridem Gentilis; deinde Christiani, Judæi tandem; referente de mens. & ponder. Epiphanio. Valentini ex orthodoxo heterodoxi. Tert. contra Valent. c. 4. Marcionis; Tert. d. præsc. c. 30. & 51. Et seductorum ab his Romæ Iren. lib. 1. c. 9. & l. 3. c. 3. Luciani, docente Suida apud Baron. an. 171. §. 7. Consularis cujusdam, de quo Tert. in carm. ad Senat. an. 183. §. 7. Theodoti Tert. de præscr. c. ult. Theodotionis, qui Tatiani pridem auditor Marcionitis deinde sese & Ebionæis, tandem Judæis applicuit, teste Euthymio in Panoplia. Plurium aliorum, de quibus Plinius in epist. ad Trajan. 97. *Caussæ* apostasias fuerunt variæ. Alii enim defecerunt ex intuitu felicitatis inter gentiles. Innuit hoc Luciani Philopater, dum introducit quendam Christianum Triephonem,

qui

qui gentilem convertere allaborarat, sed postquam accepisset de rebus feliciter in oriente à Romanis gestis, mutata sententia recessit ad ignotum Deum Atheniensium; alii ex metu, ut Quintus, conspectis bestiis immittendis: Et commisso semel lapsu pertinaciter perseverarunt, ut Theodotus, qui *postquam Christi pro nomine comprehensus negavit, in Christum blasphemare non destitit.* Tert. d. præscript. c. ult. Et Lucianus, qui in atheismum prorsus degeneravit, ἐμπαίκτης Deorum & hominum; Aliis hypocritica sanctitas imposuit, ut Tatiano & Encratitis, dum perfectiores aliis esse allaborabant; Alios rigor censuræ Ecclesiasticæ avertit, ut Aquilam Ponticum & Marcionem; Alios ambitio evertit, ut Valentinum, cum Episcopatus spe excidisset; Alii in gratiam Principis Deum suum abnegarunt: ut quidam consularis sub Commodo. Cum enim hic Isidem superstitiosius coleret, fuit ex senatoribus, qui in gratiam Domini abjecto Christianismo Isidis se cultui manciparet; Refert Tertullianus, quod imaginem idoli accedens veniam delicti i.e. Christianismi petierit, dicens;

—— —— —— *Dea erravi, ignosce, redivi.*

Qui, quales, quanti fuerint apostatæ; nota; Viri nempe sanctitate; ut Tatianus; eruditione, ut Aquila, Lucianus, Valentinus, Marcion; Theodotion; Dignitate Ecclesiastica, ut Lucianus Antiochiæ concionator; vel politica, ut consul, illustres; imò plures simul, ut Lugdunenses, & integræ Ecclesiæ, ut Atheniensis: nihilominus abrepti sunt in hæreses, vel Judaismum, vel gentilismum: vel atheismum; vel certè syncretismum; *Pœnæ* tamen apostatas nonnullos manifestè afflixerunt; Referunt enim Lugdunensis & Viennensis Gallicanæ Ecclesiæ de suis apostatis, quod nihilominus suppliciis affecti fuerint; Euseb. V. 1. & Suidas de Luciano Apostata docet, quod à canibus perierit: Ut nihil dicam de pœnis Ecclesiasticis, dum à cœtu fidelium aridi rami fuerunt abscissi, & æternum damnati. (2.) *Hæretici*, vel alii impiis communicantes; Nam Trypho objicit Justino dial. f. 195. Plures, *qui se Jesum profiteri dicunt, & Christiani nominantur audio simulacris mactata manducare, & nihil se ex eo detrimenti capere, dicere.* Nec abnuit Justinus; *Ego quoq;*, inquiens, *quod ejusmodi exstent viri, qui se profitentur Christianos, atq; Jesum*

crucifixum, & Dominum & Christum laudant, sed non illius, verum seductionis spiritum doctrinas docent. &c.

Contra 2. *Tabulam.* §. 14. II. *Tabulam.* Ejusdemque (1.) *præceptum.* Nam Marcion Episcopi filius stupro virgini illato maculam parenti indelebilem inussit. Epiph. hæres. 42. (2.) *Schismata & discordiæ.* Quale fuit de paschate, quod exarsit Laodiceæ, referente Melitone apud Euseb. libr. IV. c. 22. Et conceptum est sub Aniceto & Polycarpo; sed in nervum erupit sub Victore P. R. ut oriens cum occidente graviter collideretur. lib. V. c. 24. Victor ep. 2. Et ante Pius P. R. in quadam decretalium innuit querelas Ecclesiæ contra suum decessorem, quasi veteres consuetudines attentasset, observante Catal. test. Verit. lib. 2. p. m. 60. Ecclesiæ Gallicanæ datis ad Eleutherum Papam literis, τ῀ τῆς ἐκκλησιῶν εἰρήνης ἕνεκα πρεσβεύοντες, *pro pace Ecclesiis restituenda legationem adornarunt*: ut appareat Ecclesiæ Gallicanæ jamtum cum Romana non semper convenisse. Nec sine caussa Irenæus librum de schismate scripsit. Victorem conatur defendere Gretser. def. Bell. d. V. D. libr. 3. cap. 6. f. 1321. quod Asiani, à Montanistis decepti, *pascha lunâ decima quarta cum Judæis celebrandum esse pertinaciter, (quasi necessario & ex præscripto legis divinæ) contenderent.* Hæc Gretserus asserit, sed nullo apice probat: Onus autem probandi rejicit in Baronium ann. 198. Baronius eadem quidem dicit, quæ Gretserus, sed nec ipse probat, quod Gretserus vult. Montanistas necessitatem paschatis Judaici ursisse verum est; At Ecclesias Asiaticas se Montanistis junxisse quoad necessitatem, falsum est. Nihil hujus rei vel Irenæus, vel Eusebius, vel Beda meminerunt. Unus Nicephorus lib. IV. c. 36. scribit: *Ecclesiæ Asianæ ex traditione vetusta, quæ ad eas usq; ad id tempus transmissa erat, 14. diem lunæ observandum esse necessario duxerunt.* Pergit: *Reliquæ vero per orientem & item per occidentem Ecclesiæ non licere id ita facere asseverabant*: At Irenæus fuit in occidentis Ecclesia, neque tamen *non licere* dixit; Licere utiq; dixit, per antiquam traditionem, quam ipse Polycarpus usurpasset, nec Episcopi Romani ante ipsum improbassent; Idem docet, cur Victor Asianos excommunicaverit, nempe *propter traditionis ex antiqua consuetudine inter illas observatæ usurpationem.* Non dicit, propter Montanistas. Martyres nimii interdum erant in accelebranda sibi morte; Refert enim Ecclesia Smyrnensis libr. IV. Euseb. c. 14.

de

de quodam Germanio, quod *bestias ad se attraxerit & prope vi in corporis sui laniatum impulerit*; Alii austeriore vivendi genere corpus debilitabant; ut quidam Alcibiades vel in carcere solo pane & aqua victitans: Euseb. libr. IV. cap. 3. *Castratio* huc spectat, cui ex nimio vel sui defendendi, vel castitatis amore, indulgebant quidam. Refert enim Justin. Apolog. II. fol. 55. de quodam juvene Christiano, quod oblato Præsidi libello petierit veniam pro medico τοὺς διδύμους αὐτοῦ ἀφελεῖν, *ut testes sibi abscinderet*. Ostensurus sibi promiscuam libidinem, cujus insimulabantur Christiani, non probari. (3.) Alii non quidem vi, medio tamen saltem analogo, sese castrabant, abstinentes à licitis etiam nuptiis; Non quidem omnibus continentiæ donum denegabimus, occasionem tamen ex hisce imprudentiores acceperunt affectandi ad quod donum divinitus concessum, aut promissionem non habebant! In defectu peccarunt, qui scortationibus & adulteriis operam dederunt. E. g. Marcion. *Prima* ille *vita sua virginitatem exercuit*; *solitarius enim vixit* (μονάζων) *Et Episcopi sanctæ nostræ Ecclesiæ Catholicæ filius fuit. Progressu verò temporis circa virginem quandam corrumpitur, & decepta virgine seipsum atque illam à spe detraxit.* Epiph. lib. 1. t. 3. hæres. 42. Observa Episcopos genuisse filios; nota etiam fructus fictitii cœlibatus; simul scandala in Ecclesiis orta: Nec enim dubium, quin hostes Ecclesiæ hinc ansam sumpserint orthodoxos traducendi. Ex his cum doctrinæ, tum cultus, & morum scandalis facile videas, quod verum scripserit Egesippus de Ecclesia hujus seculi non amplius virgine: *Triste quidem hoc admodum dictum est, sed tamen contra securos Papistas utile, qui post tot secula à passione Christi elapsa adhuc vociferari audent, nihil erroris in Ecclesia esse, nec Papam unquam errasse, aut etiam errare posse.* Catal. test. verit, l. 2. p. 59.

§. 15. Remedia contra scandala (1.) *Doctrinæ* erant scripta; Nam cum Dionysius Corinthius animadverteret Pinythum Gnossiorum Episcopum Cœlibatum Clericorum putare necessarium, datis ad eum literis meliora ipsum docuit. Ita cum Ecclesia Asiatica ab Italica dissentiret in Paschate, Polycarpus Romam ivit ad Anicetum, & concordiam stabilivit. Postea ubi Victor Romanus necessitatem paschatis die 15. celebrandi urgeret, restitit Irenæus, & docuit necessarium non esse. Imo conciliis hinc inde collectis idem decretum est. (2.) *Cultus*: erant contrariæ ordinationes. Nam

Remedia. 1. *Doctrinæ.*

2. Cultus.

Num cum Serapion animadvertisset suppositititium Petri Evangelium, scriptis ad Rossos literis librum abrogavit. (3.) Morum.
3. Morum. Erat disciplina Ecclesiastica, & pœnitentia, quam vocabant Exomologesin; Iren. libr. 1. cap. 9. contra dissidia erant literæ, quales Episcopi scribebant etiam ad Pontificem Romanum, ut Irenæus & Asiatici ad victorem; Etiam martyres suas addebant, ut Gallicani, *qui non modo fratribus in Asia & Phrygia, verum etiam Eleuthero Episcopo Romano, quem vehementer rogabant, ut pax & concordia in Ecclesiis constitueretur, literas exarabant:* Euseb. lib. V. c. 3. Quod si facultas daretur, coram veniebant, ut Polycarpus ad Anicetum, & collatis consiliis simultates componebant. Contra pravos aliorum mores protestabantur, ut Justinus Apolog. II. contra scelera Simonianorum, Marcionitarum &c. vel sanctissime viventes hoc ipso calumnias refutabant. Euseb. IV. 7.

Persecutiones (1.) Caussæ. §. 16. His malis Ecclesiæ internis accedebant *externa*, nempe *persecutiones*. In his nota (1.) *Caussas*, eamque *principalem* diabolum homicidam, qui homines, quibus dominatur, ad cædem innocentum impellit, ut magna παῤῥησίᾳ docet Justin. Apol. I. fol. 32. f. 35. f. 39. *Minus principalis* sunt *Magistratus*, ut Trajanus, Hadrianus, Antonini, quorum auspiciis crudelissimæ in Christianos persecutiones hoc seculo exarserunt. Proponebant enim edicta, in quibus peregrinas religiones & hetærias prohibebant, comminantes dira deliquentibus supplicia. Et horum *Ministri* Proconsules in in provinciis, & præfecti urbium & Tribuni plebis; E. g. Urbicius apud Justin. Apol. I. f. 33. Plinius apud Tertull. Apol. cap. 2. Euseb. hist. l. 3. c. 27. Atticus; c. 26. & alii lib. IV. c. 14. V. 1. Antistites sacrorum & philosophi, qualis erat Crescens Cynicus, cujus opera Justinus est occisus, ut ipse sibi prædixit. Apol. I. f. 36. & Tatianus in periculum adductus, quod ei exprobrat ipse in oratione ad Græcos. Promiscuus populus, ut docet Euseb. l. III. 27. IV. 14. V. 1. Neque soli *Gentiles* Christianos exagitabant, sed & *Judæi*, & Judæorum *Proselyti*, quod ipsis vitio dat Justin. dial. cum Tryph. f. 274. & 285. Et exemplis Simeonis Episcopi Hierosolymitani à Judæis cruciati; aliorum à Barchochabo cæsorum; Polycarpi ab iis vexati; illustrat Euseb. lib. III. 26. IV. 8. 14. V. 15, Nec solum *liberi*, sed etiam *servi*; ut Apollonius, à servo suo proditus, suo probat exemplo. Euseb. V. 20.

Inter-

Interdum ipsi *Christiani* caussa erant, ii nempe, qui se ipsi prodebant, & cœco impetu ad tribunalia ruebant, ut quidam Quintus Phryx, raro constantes. l. IV. 14.

§.17. *Impulsivæ caussæ* variæ fuerunt. Erat (1.) *Zelus pro religione avita,* quo Magistratus cumprimis custos sacrorum, & Pontifices Maximi cum reliquo superstitionis ministerio flagrabant. Ex veteri jure Romanorum peregrinæ religiones erant vetitæ, cui cum accederet imperatorum superstitio, interdum fictititia, ut favorem populi & pietatis opinionem sibi conciliarent, quæ insignis fuit in Marco Aurelio, mirum non est, si Christianis, *peregrinam quandam & novam* (sicut eorum verba refert Ecclesia Gallicana apud Euseb. lib. V. c. 1.) *religionem* introducentibus, ægre fecerunt. Vide Baron. an. 164. §. 5. (2.) *Suspiciones iniquæ,* quasi Christiani Christum regem colentes seditionem molirentur, aut pudenda remotis arbitris sacra celebrarent, scortantes, compotantes, mactantes & vescentes carnibus humanis; De his & similibus sceleribus, imprimis autem atheismo, juxta Just. Apol. II. f. 53. suspecti Christiani credebantur esse caussæ malorum publicorum, ut igitur ira Deorum placaretur, mala averruncarentur, & prosperè Romanis omnia cederent, Christiani ad necem deposcebantur. Illustre exemplum præbet M. Aurelius. Cum enim in Marcomannos Romani nominis hostes moveret, contra Christianos gravissimam prius persecutionem concitavit, ut Deos sibi conciliaret. Vide Baron. an. 169. §. 1. seq. Novum igitur non est, si hodie quoque Evangelici publicorum malorum caussæ prius è medio removendi censentur, quam adversus Turcas expeditiones suscipiantur: Olim enim jam ista calumnia Ecclesiam orthodoxam in discrimen adduxit. Christianis olim vel solum nomen vitio vertebatur, ut, qui Christianus vocaretur, hoc ipso omnium scelerum reus perageretur, quod queritur Justin. Apol. I. f. 33. II. 41. & 80. Theoph. III. contra Autolyc. f. 350. Euseb. lib. III. c. 27. lib. 5. c. 1. Ita Lutheranum esse, etsi nullius sis sceleris convictus, sufficit ut sis περικάθαρμα & περίψημα è medio tollendum. Non diffitendum tamen est, suspiciones istas & calumnias quandam olim habuisse speciem, si cogitamus scelera hæreticorum quorūdam, qui Christianorum nomine censebantur: Nam gentiles nolebant, aut non poterant facile discernere inter orthodoxos &

Caussæ Impulsivæ. 1.

2.

doxos, quare omnibus imputabant, quæ quidam perpetrarant. Vide Justin. dial. fol. 195. seq. confer Baron. an. 120. §. 27. an. 143. §. 4. an. 170. §. 4. an. 177. §. 4. an. 179. §. 2. 44.

Objectum. §. 18. *Objectum* generale erant Christiani. In *specie* autem petebantur (1.) *Ecclesiastæ*, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, & Ecclesiæ doctores reliqui. Simeon Episcopus Hierosolymitanus Euseb. lib. III. c. 26 Telesphorus R. P. lib. IV. c. 10. Justinus Martyr. c. 15. 16. Publius Corinthiacus. c. 22. Polycarpus Smyrnensis. c. 14. Pothenus Lugdunensis. V. 1. Thraseas. c. 22. Sanctus diaconus. c. 1. Clemens Romanus, juxta Eucharium ep. ad Valerianum; (2.) *Politici*; ut Apollonius Senator. Euseb. lib. V. c. 20. (3.) *Plebeij* utriusque sexus, & ætatis cujusvis; & conditionis. *Sexus*: Nec enim viri tantum, sed & fœminæ excruciabantur; *ætatis*; Nec enim adulti solum; sed & pueri; *conditionis*; nec ěnim liberi tantum, sed & servi. Caussam prodidit Justin. Apol. I. f. 59. *Ad tormenta protraxerunt nostrorum servos, aut pueros, aut mulierculas, ut per cruciatus horrendos & formidabiles, eorum, quæ sermonibus vanis atq; fabulosis feruntur, flagitiorum extorquerent confessionem.* Quæ ipsa est Gallicanæ Ecclesiæ querela apud Euseb. V. 1. Ex his alii erant confessores, alii martyres: *Confessores* dicebantur, qui dira quidem passi, vita tamen mulctati non essent, qua, qui mulctabantur, dicebantur *martyres*; quod innuunt Galli in literis suis apud Euseb. libr. V. cap. 2. Item *Biæthanati*, per contemptum, à violenta morte, quam subibant, ut ex Beda, Lampridio, & Tertulliano deducit Baron. an. 138. §. 4. seqq. *Catalogum* eorum, quorum nomina supersunt, ponamus: Etsi minima illi pars sint eorum, quos rabies hostium extinxit; Euseb. lib. III. 27. IV. 14. Afra Baron. Martyr. 24. Maji. Agapus 20. Septembris. Agathodorus. 13. Aprilis. Agathonica. 10. Aug. Alexander. 10. Mart. 24. Apr. Papa. 3. Maji. Lugdunensis. 2. Junii. Romanus. 10. Julii. Episcopus. 21. Septembris. Amantius. 10. Junii. Anicetus. 17. April. Anthia. 18. April. Anthimus. Sur. t. 1. in vita Concord. Antiochus 13. Decembris. Apollonius. 18. April. Ariadna. 17. Septembris. Astius. 7. Juli. Attalus. 2. Juni. Barbea. 29. Januar. Barsimæus. 30. Jan. Benignus 1. Novembris. Biblides. 2. Juni. Blanda. 2. Juni. Cærealis. 10. Juni. Cajus 10. Marti. Calocerus. 18. April. Carpus. 13. April. Charitas. 1. August. Clemens. 13. Novembris. Con-

Concordius. 1. Januar. Constantinus Episc. Perusinus. 29. Jan. Crebus. 18. April. Corona. 14 Maji. Crescens Episc. Galatiæ 27. Junii. Tiburtinus. 18. Juli. Cyriacus. 2. Maji. Eleusippus. 17. Jan. Eleutherius Episc. Illyrici. 18. April. Ennatha. 13. Novembris. Epipodius. 22. April. Evaristus. 26. Octobris. Eudocia. 1. Marti. Eventius. 3. Maj. Eugenius 18. Jul. Eupsychius 7. Septembris. Eusebius 25. Aug. Eustachius 20. Septembris. Eutyches. 15. April. Exuperius 2. Maj. Faustinus 15. Febr. Faustus 7. August. Felicitas 23. Novembr. Felix 10. Jul. Fides 1. August. Flocellus 17. Septembris. Germanicus 19. Jan. Germanus 7. Jul. & 13. Novembris. Getulius 10. Jun. Glyceria 13. Maj. Herculanus 25. Septembris. Hermias 31. Maj. Hermetis præfecti meminit Genebr. Chron. ann. 112. Hesychius 7. Jul. Hilarion 12. Juli. Hyacinthus 3. Jul. & 26. ejusd. Hyginus 11. Jan. Januarius 10. Jul. Ignatius 1. Febr. Jovita 15. Febr. Julianus 27. Jan. & Tiburtinus 18. Juli. Julius 19. Aug. Justinus 13. April. Laodicius. Baron. ann. 175. §. 7. Leonilla 17. Jan. Lucianus 17. Jul. Lucius 19. Octobris. Marcellus 4. Septembris. Marcus 24. Marcus 24. Mart. Episc. Hierosolymitanus 22. Octobris. Maria 1. Novembr. Marco 15. Apr. Martialis 10. Jun. Maturus 2. Jun. Maurus 27. Jul. Meleusippus 17. Januar. Montanus 17. Junii. Nemesius 18. Jul. Pantalemon 27. Jul. Papius 7. Jul. Parmenas 23. Januar. Pausilippus 15. Apr. Peregrinus 7. Jul. & 25. August. Philetus 28. Mart. Philippa 20. Septembris. Philippus 10. Jul. Phocas 14. Jul. Photinus Episc. 2. Junii Pinythus. 10. Octobris. Pronius 1. Febr. Pius papa 11. Jul. Polycarpus 26. Jan. Pompejus 7. Jul. Pontianus 25. August. Ponticus 2. Jun. Potitus 13. Jan. Primitivus 10. Jun. Proclus 12. Jul. Ptolemæus 19. Octobris. Quirinus 30. Mart. Sabina 29. Aug. Sanctus 2. Junii. Sarbellius 29. Januar. Silvanus 10. Jun. Serapia 3. Septembris Sergius 27. Jul. Servilianus 20. April. Simeon Episc. Hierosl. 18. Febr. Simitrius 26. Maji. Spes 1. August. Speusippus 7. Jan. Stacteus 18. Jul. Sulpitius 20. April. Symphorosa 18. Jul. Telesphorus 5. Januar. Thamel. 4. Septembris Theodora 1. April. Theodorus 15. April. & 20. Septembris. Theodulus 2. Maj. Theopistes & Theophistus 20. Septembris. Thraseas 5. Octobris. Timotheus 24. Mart. Veneranda 14. Novembris. Vetius 2. Jun. Victorinus 15. April. & 5. Septembris. Vincentius 25. August. Vitalis. 10. Jul. Xystus 6. April.

Zacharias 26. Maj. Zebina 13. Novembris. Zoë. 2. Maj. Habes nomina eorum, qui martyres fuerunt, vel certè feruntur. Nam non omnes fuerunt, ut de Pontificib⁹ Romanis, excepto Telesphoro, supra conjecturas non spernendas ex centuriatoribus nostris, & ipso Onuphrio Panvinio attulimus art. 2. Nec improbat Genebr. Chron. ann. 154. An omnes mortui sint pro veritate? dubitari potest, si cogitamus fuisse etiam hæreticos, qui id laudis sibi affectarunt, E. g. Metrodorus quidam Presbyter, sed Marcionita Martyr videbatur, apud Euseb. IV. 14. Et Alexander quidam Montanista hoc nomine gloriabatur, qui tamen ob scelera in discrimen vitæ inciderat. Euseb. lib. V. 17. ut ex scriptis Apollonii, quæ & Themisonis pseudo-martyris meminerunt, ad oculum patet.

Forma. §. 19. *Forma* persecutionis erat horrenda. Blandis equidem verbis initio animos confessorum tentabant persecutores, exemplo sint Herodes & Nicetes, qui Polycarpo verbis benevolis apostasiam persuadere conabantur, quasi sacrificare idolis res adeo mala non esset; Idem erat proconsulis consilium, qui ætatem decrepitam in argumentum convertebat. Sed cum nihil proficerent, tum vero contumeliosa, & minacia verba in venerandum senem conjecerunt; à quibus tandem ad verbera deventum est. Euseb. IV. 14. V. 1. Idem de aliis factum. Ordine autem videamus res gestas. (1.) *Conquisitio est.* Sic enim confusa plebs clamabat: *Tolle impios, Polycarpus quæratur!* Quod etiam factum, quærebatur, & tandem inveniebatur, postquam fuga arrepta aliquandiu in latebris delituisset. Euseb. IV. 14. Ejusdem inquisitionis meminit Trajanus in literis ad Plinium, citante Tertull. Apolog. c. 2. cum rescripsit: *Hoc genus inquirendum quidem non esse, oblatos verò puniri oportere.* Inquisitionem inventio sequebatur & hanc (2.) *Incarceratio, & Ductio:* Nam de suo Polycarpo eadem Smyrnensis Ecclesia refert, quod Satellites ipsum asino impositum versus urbem deduxerint. Euseb. IV. 14. Et de Urbicio urbis præfecto Justin. Apol. I. f. 33. refert, quod *duci* jusserit Ptolemæum & Lucium: Adductionem sequebatur (3.) *Examen.* Adducti enim examinabantur, qui essent? *Tune es Polycarpus?* quærit proconsul apud Euseb. IV. 14. Alii: Cujus essent religionis? ut Ptolemæus quidam coram Urbicio, referente Justin. Apolog. I. fol. 33. Confessi, qui, & quales essent, solicitabantur abnegare,

quod

quod confessi essent, ut Polycarpus Christianismum; abnuentes minis oppugnabantur: *Te ardentibus flammarum incendiis domitum & mansuetum reddam, si bestiarum laniatus contemnas, & non resipiscas ocyus*, sic Proconsul ad Polycarpum, l. c. sed cum hic minas contemneret, per præconem ille ter prædicari jussit: *Polycarpus confessus est se esse Christianum.* Hoc pronunciato plebs confusa solebat conclamare & pœnam confessori dictitare vel bestias, vel rogum, vel gladium, vel aliud supplicii genus, quod & irrogabatur. Sequebantur igitur (4.) *Ignominiæ, cruciatus & supplicia.* Illæ: Nam publicis locis indigni habebantur: *Non solum ædificiis publicis, balneis, & foro nobis interdictum est, sed etiam, ne quisquam nostrum usquam locorum in conspectum prodeat, ab illis vetitum*: conqueritur Ecclesia Galliarum Euseb. V. 1. Difficile est, non dicam omnia, sed præcipua genera suppliciorum & instrumentorum referre, adeo ingeniosa erat rabies carnificum in illis excogitandis & applicandis. Ecclesia Gallicana memorat: *Vociferationes, plagas, violentos tractus, lapidum projectiones, carceres*; *Compedes, cathedras ferreas, secures, trabes, tympana, gladios, retia, stigmata, laminas.* Euseb. V. 1. Smyrnensis l. 4. c. 14. producit *flagra, testas, lapides, bestias, rogos*; Alibi lib. III. c. 26. *legas cruces*; *Metallorum* mentio fit lib. IV. c. 22. *expilationum.* c. 25. *ergastulorum.* l. V. c. 4. *Exiliis* nihil erat frequentius. Justinus Martyr nonnulla complexus scribit, quales fuerint Christiani habiti: κεφαλοτομούμενοι γὰρ, καὶ σταυρούμενοι, καὶ θηρίοις παραβαλλόμενοι, καὶ δεσμοῖς, καὶ πυρὶ, καὶ πάσαις ταῖς ἄλλαις βασάνοις &c. *Capite plexi, & crucibus suffixi, & bestiis objecti, vinculis, & igne, & omnibus aliis tormentis excruciati.* Vide Stephanum in notis ad Justinum p. m. 86. seq. & quæ eruditè cecinit in carmine N. T. præfixo Parentis. Hæc & similia plura alia erant instrumenta, quibus miseros Christianos crudelissimè excruciabant, & interficiebant: *Januarius post verbera virgarum ac carceris macerationem plumbatis occisus, Felix & Philippus mactati*; *Sylvanus præcipitio interemptus, Alexander, & Vitalis, & Martialis capitali sententia puniti sunt*, ita Martyrologium Romanum de quibusdam hujus seculi Martyribus. Vexabantur tormentis *à primo mane ad vesperam*, ut Blandina; Et ne citius exspirarent, rejiciebantur in carceres, ut reciperent nonnihil virium, deinde renovabantur cruciatus, quod crudelitatis genus expertus est quidam Sanctus diaconus. Euseb. V. 1. Carceres, in quos compin-

gebantur, erant tenebricosi, fœtidi, squallentes, angusti, ut multi in illis exanimarentur; (5.) *Occisorum* cadavera vel in cineres redigebantur, qui deinde in aquas dispergebantur, vel canibus devoranda objiciebantur; vel sub dio feris præda relinquebantur, ut spem resurrectionis adimerent Christianis: *Ista eo consilio patrabant, quod Deum se posse vincere, & illis regenerationem corporum prorsus eripere arbitrati sunt, quo ne ulla quidem (sic enim dicebant) spes resurrectionis illis reliqua fieret; qua freti, inquiunt, non solum peregrinam quandam & novam nobis induxerunt religionem, verum etiam neglexerunt penitus tormenta, & prompto ac alacri animo ad mortem properarunt:* Ita Ecclesia Gallicana in literis apud Euseb. lib. V. c. 1.

Patrociniũ. §. 20. *Officium Christianorum* caussam strenuè agebat Martyrum. Nam (1.) in periculo constitutos jubebant fugere, aut occultabant studiose, ne in inquirentium manus inciderent, & fugientes prosequebantur. Cum enim Polycarpus ad necem quæreretur, familiares ei persuaserunt, ut sese subduceret, semel iterumque. Quod & factum: fugiebat, & apud fidos aliquandiu latitabat, ut non prius deprehenderetur, quam hostes puerum flagris cæsum coëgissent prodere, ubi ille versaretur. Euseb. IV. 14. (2.) Coram tribunalibus adhærebant eorum lateribus, & vel nutu, vel verbis ad constantiam animabant. Lato contra eos judicio contradicebant, ut supra exemplo Verii & Lucii docuimus art. 4. §. 8. (3.) Detentos in carceribus visitabant, consolabantur, medicamentis, cibo, potu, & aliis reficiebant; sed quia non cuivis nec statim id licebat per custodes, pecunia datâ aditum sibi emebant. (4.) Supplicio admotis aderant, & dictis solatiis erigebant, confirmabant, reficiebant, adeo, ut ipsi persæpe in vitæ discrimen inciderent. (5.) Defunctorum ossa honorifice collecta sepeliebant, ut Smyrnenses ossa Polycarpi; & fideles corpus Justini & Sociorum. Euseb. IV. 14. Baron. ann. 165. §. 6. (6.) Memorias eorum quotannis celebrabant. Sic enim Smyrnenses: *Nobis in unum aliquando coactis Dominus præstabit, ut celebrem ejus martyrij diem instar natalis festi cum exultatione & gaudio, quantum fieri potest, maximo recolamus.* Quo hoc fine? an ut martyres invocarentur? ut intercederent pro nobis? ut Deo commendarentur ad mitius judicium discussionis? Non: Sed *ad martyrum memoriam, qui antea tale certamen confecerunt, & ad eorum*

rum exercitationem, mentisq; ad talem constantiam præparationem, qui postea Christum eo genere mortis ingenuè confessuri sunt. Hactenus optimè Smyrnensis Ecclesia de suo Polycarpo & Martyribus aliis. Dicit igitur *ad memoriam* celebrari diem natalem, nullas autem ait ædes exstrui, quas memorias vocari Baronius ann. 106. §. 3. ex libro Pontificum Romanorum in Anacleto contendit. Utinam ex antiquiore & sinceriore monumento memorias illas exstruxisset. Solidiora sunt, quæ de epistolis, & precibus martyrum legimus. Magni æstimabantur martyres, quare solebant ex carceribus literas scribere ad alios, & rogare ipsos, quod è re Ecclesiæ vel proximi, cumprimis lapsorum, putabant. Ita Euseb. lib. V. c. 3. refert de Martyribus Gallis, quod ipsorum literas ad diversos præsertim ad Eleutherum scriptas suis Ecclesia addiderit, in quibus hunc *vehementer rogabant, ut pax & concordia in Ecclesiis constitueretur.* Solebant enim Ecclesiæ literas invicem scribere, in quibus de persecutionibus, & quid in iis gestum esset, accuratè alias docebant, ut patet ex literis Smyrnensium, & Gallorum Euseb. IV. 14. l. V. c. 1. Rogabantur etiam martyres, ut preces pro lapsis ad Deum funderent. c. 2.

§. 21. *Remedia* adversus persecutiones erant (1.) *Apologiæ*, quas Christiani vel coram habebant, vel scripto offerebant. Allegavimus supra Quadrati, Aristidis, Justini, Melitonis, Apollinarii, Athenagoræ, Bardesanis, & Miltiadis pro innocentia Christianorum scripta. Quid effecerint hisce Apologiis, saltem unus vel alter, declarat Hier. t. 3. opp. epist. ad orat. Mag. 48. *Quadratus Apostolorum discipulus & Atheniensis Pontifex Ecclesiæ nomine Hadriano Principi Eleusinæ sacra invisenti librum pro nostra religione tradidit; & tantæ admirationis omnibus fuit, ut persecutionem gravissimam illius excellens sedaret ingenium.* Et Euseb. lib. IV. hist. c. 3. ita loquitur: *Quadratus oratione coram habita* (Hadrianum) *compellat, & Apologiam &c. offert*, docens coram ipso Cæsare perorasse. Admiranda est quidem παῤῥησία, qua utebantur contra gentiles; Loca aliquot ex Justino collegit & illustravit H. Steph. in not. p. 85. seqq. Sed violenta remedia longe longius aberant. Præclarè Melito in Apologia ad Antoninum, cum prius de novis contra Christianos decretis dixisset, subjungit: *Si te præcipiente hoc fit (Justus enim Imperator & Rex non injusti quicquam aliquando statuit) sit sane rectè factum, atq; ejusmodi mortis præmium lubenti animo* Remedia.

animo perpetimur. Euseb. IV. 25. (2.) *Literæ* quasi *intercessionales* à præsidibus & judicibus ad imperatores perscriptæ. Exemplo sint literæ Plinii ad Trajanum, qui impetravit, ut Christiani non amplius quærerentur ad supplicia; Et Sereni Grannii, quas ad Hadrianum dedit, *iniquissimum esse dicentis, clamoribus vulgi innocentissimum hominum sanguinem concedi, & sine ullo crimine nominis tantum & sectæ reos fieri. Quibus commotus Hadrianus Minucio Fundano Proconsuli Asiæ scripsit; sine objectu criminum Christianos non condemnandos*, quæ sunt verba Eusebii in Chronico an. 127. Recitat eas literas in lib. IV. hist. c. 8. ex Justini Apologia ad Antoninum, II. f. 28. Oros. lib. VII. hist. c. 13. Sulpit. Sev. l. 2. p. m. 98. (3.) *Rescripta* Imperatorum ad Senatum. P. Q. R. Præsides Provinciarum & judices. Trajani ad Plinium, & Hadriani ad Fundanum mentionem jam fecimus. Citat Justinus l. c. aliud Antonini nempe Pii ad populos Asiæ: *nihil molestiæ facessendum esse talibus* (Christianis) *viris, nisi quid adversum R. Imperium moliti esse deprehenderentur:* Baron. ann. 154. §. 4. putat publicis malis grassantibus permotum esse Antoninum, ut literas scriberet. Marci ad Senatum Romanum, epistola laudabat Christianos Victoriæ contra hostem auctores. f. 79. (4.) *Arma spiritualia*, ut sunt fides, preces, patientia, fortitudo, pietas doctrinæ & morum. Hisce enim mediis vel auxilium impetrabant à Deo, ne succumberent doloribus, vel hostium animos expugnabant, ut ipsis sese Christianis aggregarent. (5.) *Mutuæ charitatis officia*; de quibus §. 20. præcedente est dictnm. Unicum adde Pii, ut fertur, monitum ad Justum Viennensem: *Cura sanctorum martyrum corpora, sicut membra Dei, quemadmodum curaverunt Apostoli Stephanum. Carceres sanctorum visita, ne aliquis tepescat in fide.* Nec prohibita fuit (6.) *Fuga.* Cujus rei exemplum habemus in Polycarpo. Cum enim personalis, ut vocant, persecutio contra ipsum exarsisset, fuga sese subduxit, & abdidit, donec à supervenientibus militibus deprehenderetur. Euseb. l. IV. 14. Montanistæ quidem vetabant fugam, sed ea propter exagitantur ab Antagonista Apollonio: lib. V. c. 17. Euseb.

Pœnæ: §. 22. *Pœnæ* persecutores manserunt debitæ. Moverat Trajanus persecutionem in Christianos, quæ & Ignatium Episcopum Antiochenum absumpsit; Sed *cum Antiochiæ Trajanus ageret atrox & funestus motus terræ accidit, vicinis urbibus atq; populis cladem etiam afferens,*

quam

quam ipsa Antiochia insigni & publica clade vastata fuit, scribit Dio in Trajano. Cladis causam putat Baroni⁹ fuisse necem Ignatii, an. CXI. § 1. Victorias quidem aliquot ille reportaverat ab Assyriis & Persis, sed Christianos persecutus felicitate sua excidit, quod illi prædixerant, ita ut posthac nihil memoriæ dignum gesserit; Testatur idem Dion: *Prodigia inibi multa sunt facta, tonitrua atq; fulgetra; arcus ingens in cœlo visus est, tempestas & grandines immensæ; præterea, quod monstro simile existimatum est, quoties Romanus cum hoste manus consereret, ictu fulminis avertebatur. Orta subito muscarum vis, edulis & poculis insidens, fœdo contactu cuncta Romano gravia & molesta faciebat. Digrediens inde Trajanus, morbo primum tentatur. &c.* Antoninus & ipse Christianis molestus fuit, sed quod præmium reportarit ex Julio Capitolino discas: Adversa hujus temporis hæc provenerunt: *fames, de qua diximus: Circi ruina, terræmotus, quo Rhodiorum & Asiæ oppida conciderunt; &c. & Romæ incendium, quod* 340. *insulas vel domos absumpsit; Narbonensis civitas, Antiochense oppidum, & Carthaginense forum arsit; fuit & Tiberis inundatio.* Intellexit fontem malorum ipse imperator, quare scriptis pro Christianis literis sævitiam compescuit. Baron. ann. 154. §. 4. seqq. M. Aurelius etiam Christianorum sanguine delectatus est, sed Deus crudelitatem tyranni dirissima peste ultus est: *Tanta enim pestilentia fuit, ut vehiculis cadavera sint exportata*; scribit Capitolinus. Et memorabile est, quod in L. Vero idem docet; *Nata fertur pestilentia in Babylonia, ubi de templo Apollinis, ex arcula aurea, quam miles forte inciderat, spiritus pestilens evasisse atq; inde Parthos, orbemq; complesse.* Scilicet Æsculapius idem, qui sanitatis auctor credebatur, pestilentiæ caussa extitit. Apollonio Senatore per vim sublato: *In capitolium fulmen ruit, & magna inflammatione facta, bibliotheca, & vicinæ quoq; ædes concrematæ.* Scribit in Chronico Eusebius: & paulo post: *Incendio Romæ facto, palatium & ædes vestæ, plurimaq; urbis pars solo æquatur.* Vide Baron. an. 193. §. 1. seqq.

Articulus VI.

De HÆRESIBUS.

Argumentum.

Hæretici manifeſtandi & arguendi ſunt. Carpocratiani, Adamiani, Valentiniani, ex his nati Secundiani, Ptolemæani, Marcitæ, Colorbaſiani, Heracleonitæ, Borboriani, Aſcodrutæ, Bardeſaniani, Florinus, Blaſtus, Archontici: Ophitæ, Cajani, Sethiani, Cerdoniani, Marcionitæ, Apelles, Hermogenes, Docetæ, Caßianus, Encratitæ, Severiani, Apoſtolici, Montaniſtæ, Alogi, Theotus & Artemonitæ. Expenduntur ſingulorum Nomina, auctores, Errores, mores, ſacra, aſſeclæ, fata, adverſarij; ſubjunguntur remedia alia molliora, alia ſeveriora, eliciuntur uſus. In compendio recitantur errores. Vindicantur orthodoxi contra adverſariorum calumnias. Retorquetur in adverſarios communio hæreticorum. Accedit deniq; faſciculus morum, accidentium, adverſariorum.

§. I.

Scite dictum eſt ab Epiphanio in panario de hæreſibus manifeſtandis: *Moſes actus Spiritu S ſcribit, quod, ubi quis viderit homicidium,* Hæretici ſunt deſcribendi. *neq; illud annunciarit, maledictus talis ſit,* διόπερ οὐ δύναμαι τοῦτον τὸν μέγαν φόνον καὶ τὴν μεγάλην ταύτην φονώδη ἐργασίαν παρελθεῖν καὶ οὐχὶ δῆλον δηλῶσαι, i. e. *Propterea non queo magnum iſtud homicidium* (de hæreſi loquitur) *lethalemq; operationem præterire, quin manifeſtam eam reddam.* Quare liceat & mihi de vetuſtioribus hæreticis dicere, ut appareat per quos prima quædam heterodoxiæ & abuſuum Zizania ſatan diſſeminarit. Diximus in primo ſeculo de quibusdam, quorum hæreſis hoc quoq; ſeculum fœdavit, quare eo lectorem benevolū remittimus; dicturi nunc de iis, qui hac potiſſimum ætate orti cœperunt inotceſcere. Cum autem veteres plurimum diſſentiant in ætatibus, quibus ſingulæ hæreſes natæ ſunt, ideoq; congruum omnibus ordinem à nobis ne requiras.

I. *Carpocratianorum.* (1.) Auctor. §. 2. Sint igitur (1.) *Carpocratiani.* Horum notandus eſt (1.) *Auctor*; nempe Carpocras, vel Carpocrates. Nodum in ſcirpo quærit Pamelius in not. ad Tert. d. præſcript. §. 48. hæreſ. 9. dum corrigit Epiphanium & Philaſtrium, quibus ille Carpocras dicitur; non Carpocrates, ut Irenæo, Clementi Alexandrino, Euſebio, Hierony-

nymo, Auguſtino, Rabano, &c. Vixit ſub finem Adriani, & initium Antonini Pii, circa annum Chriſti 109. juxta Danæum not. ad Aug. d. hæreſ. c. 7. vel juxta Baronium circa ann. 120. Si Danæo credimus fuit Carpocrates *genere Alexandrinus, ubi patre Aegyptio, & matre Alexandra Cephalenia natus eſt :* Sed videtur confundere Patrem cum filio Epiphane. Nam de hoc ſcribit Clem. Alex. lib. III. Strom. f. m. 428. Hic Epiphanes *filius erat Carpocratis, & matris Alexandriæ nomine, ex patre quidem Alexandrinus, ex matre vero Cephaleneus.* Viderit igitur Danæus unde ſuam ſententiam probet. *Profeſſione* pridem erat Platonicus; Nam Clemente l. c. teſte, Epiphanes à Patre didicit τήν τε ἐγκύκλιον παιδείαν, καὶ τὰ Πλάτωνος, *& orbem diſciplinarum, & Platonis philoſophiam.* Platonicus igitur Philoſophus fuerit neceſſe eſt; quod ipſum ex erroribus hominis colligas. (2.) *Nomen.* Eccleſia quidem ipſos appellavit Carpocratianos, ut nomine (2.) Nomen. iſto diſcretivo errones diſcerneret à ſuo ipſi⁹ cœtu; Ipſi vero ſpecioſis titulis ſemetipſi exornarunt. *Addiderunt enim ſibi ipſis cognomen Chri-* Chriſtianorum. *ſtianorum, ad hoc, ut gentes per ipſos offendantur, & ſanctæ Eccleſiæ Dei utilitatem, & veram prædicationem, propter illorum nefaria facta, & incomparabilem improbitatem averſentur, & ut gentes ipſorum aſſiduo nefaria opera conſiderantes, putent etiam ſanctas Dei Eccleſias tales eſſe & avertant.* Epiph. lib. 1. contra hæreſ. t. 2. hæreſ. 27. vide Irenæum l. c. Euſeb libr. IV. 7. Eadem hodie fraus eſt diaboli, ut ſpecioſis hæreticorum nominibus ſimpliciores decipiat, & avertat; quare non pendeamus ex nudis rerum nominibus, ſed examinemus, an res reſpondeat? Dicebant & *Gnoſticos* ſemetipſi; Iren. lib. 1. c. 24. i. e. *cognitores ac ſcientes; con-* Gnoſticorū. *demnabiles potius his moribus appellandi,* judice Epiphanio l. c. Forſan quod viderentur ſibi ſcire quæ, juxta ipſos, *Jeſus in myſterio diſcipulis ſuis & Apoſtolis ſeorſim locutus eſt, & illis expoſtulaverit, ut dignis & aſſentientibus ſeorſim hæc traderent,* referente l. c. Irenæo. Sed de hoc paulo poſt. (3.) *Errores,* qui varii & monſtroſi fuerunt. De principio fi- (3.) *Errores de ſcriptura:* dei *ſcriptura.* Nam rejiciebant totum Vet. Teſtam. juxta Alph. à Caſtr. lib. XIII. contra hæreſ. f. 950. quaſi non omnia complecteretur. Fingebant enim, ut modo Irenæus nos docuit, præter verbum ſcriptum etiam traditiones non ſcriptas, quas diſcipuli à Chriſto ſeorſim accepisſent. Sic enim ſolet diabolus verbum revelatum in dubium revocare, ne ejus virtute fraudes hæreticorum dete-

De *Dei* unitate, Trinitate. Attributis. Operibus. De *Christi* persona. Naturis. Officio. Statibus. De *hominis* operibus.

detegantur. De *Deo*; cujus destruebant *unitatem*, fingentes duos diversæ prorsus naturæ Deos; juxta Danæum. l. c. *Trinitatem*, dum *unam dicebant virtutem in superioribus principalem*; Tert. d. præscr. c. 48. nempe, explicante Epiphanio, *Patrem universorum & ignotum & innominatum.* l. c. Irenæus l. c. *Deum ingenitum* vocat: *Attributa*, ut sunt omniscientia, sapientia &c. ad quæ absurda ipsos deducit Epiphanius. Nec enim videndum est tantum quid dicant hæretici expressis verbis, sed & quid consequenter. *Opera*, ut est *creatio*; quam tribuebant Angelis malis, & Deo, inferioribus, teste Irenæo, Epiphanio, Philastrio, Augustino, Theodoreto: De angelis multa alia absurdè; de quibus vide auctores citatos. De *Christo* nihil sani docebant. *Personam* enim quæ similem non haberet, negabant, statuentes & alios posse esse, quis ipse esset, imo præstantiores, si *mundi fabricatores* Angelos, ut ipse, vel melius, possent superare. Irenæo, & alii ll. cit. *Naturis* derogabant. *Divinæ*, quam prorsus negabant; Irenæo, Tertulliano, Epiphanio, Philastrio, Augustino &c. testibus; An primus Carpocrates negaverit divinam Christi naturam? Sic videtur Philastrius statuere, ipsi subjungens Cerinthum & Ebionem. Vid. Alph. à Castr. libr. IV. contra hæres. fol. 259. *Humanæ*, quam ex Josepho & Maria naturali generatione, sine peculiari Spiritus S. operatione, acceptam esse mentiebantur. *Unde & earundem unionem, communionem, & idiomatum communicationem* tollebant. Somniabant enim propter rem inter Judæos bene gestam divinitus ipsum *virtutes accepisse, per quas evacuavit, quæ fuerunt in pejus, passiones, quæ erant hominibus.* Irenæus l. c. Atque has virtutes similes *accipere ad operandum similia eum, qui potest contemnere mundi fabricatores Archontas.* l. c. solus igitur non est mediator Dei & hominum. *Statum exaltationis* misere discerpebant. Negabant enim *resurrectionem* Christi à mortuis, somniantes solam ejus animam esse in cœlos receptam relicto in terris corpore; uti Tertullianus, & Philastrius annotarunt. Prius autem, quam reciperetur, per omnes actiones corporum transire opus habuisse, referente Epiphanio. De *homine* ollas lippiebant. Nam discrimen honestorum & turpium è medio tollebant; *In tantum insania effrænati erant, ut & omnia, quæcunq; sunt, irreligiosa & impia potestatem habere operandi se dicerent; sola enim humana opinione negotia mala & bona dicebant.* Iren. l. c. speciem sumebant à gratia divi-

na, quæ homines per fidem solum, & non per opera justificaret & salvaret, notante Danæo. Floruit igitur jam tum doctrina de salvatione gratuita, etsi diabolus per instrumenta eam malitiosè perverteret. *Resurrectionem* corporis negabant ut in Christo, ita in aliis hominibus, soli animæ cœlum promittentes, non corpori, quod istius esset ergastulum. Horrendum autem est, quod *illi medium salutis consequendæ* dicebant, nempe scelera perfectè adimpleta. Scelestissimi hominum docebant singulas animas debere omnes concupiscentiæ pruritus explere: adeo, ut neque dæmones effugere possint, nisi his expletis; neque in cœlum venire; sed abire in alia corpora per metempsychosin, donec fideliter omnes carnis libidines explerentur: Vide Irenæum, Tert. d. anima c.35. Eusebium lib. IV. hist. c. 7. Epiphanium, & reliquos. Ex dictis facile colligas (4.) *Mores.* Impingebant in tabulam primam *Idololatria.* Habebant enim imagines quasdam vel pictas, vel ex materia fictas, quas Christi esse, & sub Pilato formatas dicebant, quas veluti sacras coronabant, & cum Pythagoræ, Platonis, Aristotelis & aliorum imaginibus religiosè adorabant. His Cephalenii addiderunt Epiphanis post mortem idolum, utpote ex matre Cephalena ortum. Sanæ enim, quæ Cephaleniæ urbs est, *templum ex ingentibus lapidibus, altaria, delubra, museum, ædificatum est & consecratum, & cum est nova luna, convenientes Cephalenei, tempore, quo natus & in Deos relatus est Epiphanes, sacrificant libantq; & convivantur, & hymnos canunt.* Clem. Alexand. lib. III. Strom. fol. 428. Epiph. l. 1. t. 2. hæres. 32. Idolatriæ accedit *Magia; Artes enim magicas operantur & ipsi, & incantationes, philtra quoq; & charitesia, & paredros oniropompos, & reliquas malignationes, dicentes se potestatem habere ad dominandum jam principibus & fabricatoribus mundi hujus.* Irenæus l. c. Nimirum miraculis alios in suam sectam pertrahere allaborabant; quia autem charismate isto divinitus non erant instructi, acheronta movebant, & spiritus sibi familiares comparabant, ex quibus vim miranda præstandi acciperent; & somnia dæmonopneusta effingebant, ut prophetæ crederentur. Et ne quid mediorum deesset, *philtra* quoque miscebant, & *charitesia* parabant, quibus sui suorumq; errorum amorem incautis propinarent. Quale quid etiam nostro seculo factum esse audivimus, ut ea ratione fœmina quædam illustris de sua fidei constantia sit dejecta. Sed hæc

[Margin: Resurrectione. — Salute. — (4.) *Mores.* Idololatria. — Magia. — Philtra.]

nihil ſunt, ſi reliquas *contra 2. tabulam commiſſas* enormitates reſpicias. Horret Irenæus iſtas referre, adeo horrendæ erant; Epiphanius autem ſepoſito quaſi pudore recenſet. 26. 27. ut canes, ut ſues, & immaniſſimas beſtias potius, quam homines appellaveris; adeo luxui, & libidinibus nefandis indulgebant. Diabolus conjugii & humani generis hoſtis odium erga conjugium, & procreationem filiorum & moleſtam educationem ſceleratis illis infuderat, quare communes faciebant uxores, & unde liberi procreantur, execrabili malitia perdebant, & in ludibrium S. Euchariſtiæ convertebant. Nervoſe Tertul. d. anima c. 35. de Carpocrate ait: *pariter magus, pariter fornicarius.* Probabant autem ſcil. hæc ſua ſcelera ex Matth. V. 25. per adverſarium intelligentes dæmonem, qui non niſi obſequioſa voluptate placaretur.

(5.) *Aſſeclæ.* (5.) *Aſſeclæ.* Scelera iſta merito honeſtiſſimum quemque à communione horum canum debuiſſent abſterrere, ſed inventi tamen ſunt, qui ſeſe, voluptatibus credo allecti, cœtui ipſorum aggregarent. Parenti ſucceſſit filius, *Epiphanes, ſcriptis* clarus.

Epiphanes. (de quo in Adamianis) Prodicus. Marcellina.

Nam librum edidit, quem inſcripſit: ἠθικὰ; Citante Epiphanio & alium *de juſtita,* allegante Clemente Alexandrino lib. III. Strom. ſed hoc 17. ætatis anno ſublato, *Prodicus* quidam ſectæ auctor fuit. Imprimis celebratur Marcellina Carpocratis ſcortum, quæ Romæ Papa Aniceto ſedente *multos* ſeduxit, ſeu *exterminavit,* uti loquitur Irenæus; vide & Epiphanium, & Auguſtinum. *Nota* aſſeclarum erat cauterium *in poſterioribus partibus extantiæ dextræ auris,* uti loquitur l. c. Irenæus.

(6.) *Adverſarii.* (6.) *Adverſarij.* Refutavit eos Clemens Alexandrinus, & Epiphanius.

II. *Adamianorum.* §. 3. II. *Adamianorum.* Hoſce hæreticos Carpocratianis ſubjungit Theodoret. lib. 1. hæret. fab. c. 6. utpote infelicem ſurculum ex mala radice.

(1.) Auctor. (1.) *Auctor* enim fuit *Prodicus* quidam, Epiphanis in ſchola Carpocratiana ſucceſſor, juxta Theodoretum. Epiphanius tamen *à quodam Adam vivente* dicit nomen accepiſſe; Sed in ipſa explicatione hæreſ. 52. videntur ab Adamo protoplaſto, quod & probabilius, derivari.

(2.) Nomẽ. (2.) *Nomen* igitur eſt ab Adamo *cujus imitantur in paradiſo nuditatem, quæ fuit ante peccatum.* Auguſt. cap. 31. d. hæreſ.

(3.) Errores. (3.) *Errores.* De ſtatu integritatis ſomniant deliria, putantes ſeſe in eo verſari. Nam extra pravam concupiſcentiam ſeſe putant, ut nudi cum aliis converſari poſſint: *Unde & nuptias averſantur, quia nec*

prius

prius, quam peccasset Adam, nec prius, quam dimissus esset, de paradiso cognovit Uxorem. Credunt Ergo, quod nuptiæ futuræ non fuisset, si nemo peccasset: referente Augustino l. c. Et Epiph. l. c. *Sunt apud ipsos, qui videlicet continentes dicuntur & virgines se esse jactant.* At vanam fuisse jactantiam hanc testantur ipsorum (4.) *Sacra.* De quibus refert Epiphanius l. c. quod in hypocaustis convenire sint soliti, prius tamen, quam ingrederentur, vestes deposuerint viri & fœminæ, donec peractis sacris easdem receperint. *Nudi*, inquit Augustinus, *mares fœminæq; conveniunt, nudi lectiones audiunt, nudi orant, nudi celebrant sacramenta. Et ex hoc paradisum suam arbitrantur Ecclesiam.* Theodoretus l. c. addit, quorum neque Epiphanius neque Augustinus meminerunt, ex Clemente, quod remoto lumine soliti fuerint inter sese scortari, illudque scelus appellare mysticam communionem. Quod quidem verum est de aliis Gnosticis; an vero & de Adamianis? dubium videtur. Nam virginitatem affectabant, & hypocritæ erant, quare videntur corrigere voluisse aliorum impudentiam. (4.) Sacra.

§. 4. III. *Valentiniani.* Horum notandus (1.) *auctor*: qui fuit *Valentinus*: Cujas fuerit in obscuro est; *Nulli enim*, ait Epiphanius hæres. 31. lib. 1. t. 2. *scriptori curæ fuit hujus locum ostendere*: Ex traditione tamen ipse docet fuisse Ægyptium Phæboniten, ut ipse vocat; vel, ut rectius ex Plinio legit Danæus in notis ad Aug. d. hæres. c. 11. Pharbæbiten, ab oppido Pharbæbito, Grassatus est Hygino Pontificatum gerente, ut ex Irenæo III. 4. ostendit Euseb. lib. IV. histor. c. 10. & Chron. an. 141. vel, ut Theodoret. lib. I. de fab. hæret. c. 7. sentit, *tempore Antonini primi.* Studiis operam dedit Alexandriæ cum poëticis, ut Hesiodo cumprimis & Stesichoro, tum Philosophicis, nempe Platonicis, Aristotelicis, & Pythagoricis; qui tum cacoëthes erat Christianorum, ut nimium tribuerent in schola præsertim Alexandrina literis profanis. Quare Tert. d. præscript. cap. 7. scribit: *Ipsæ teniq; hæreses à philosophia subornantur. Inde Aeones & formæ, nescio quæ, & trinitas hominis apud Valent.* Præceptores habuit Theodatem quendam *Pauli familiarem*, ut jactant apud Clem. Alex. libr. VII. f. 764. Revera Gnosticos: *Ex horum enim hæresibus, occasione sumpta infinitas fabulas suas composuit*, scribit Theodoretus: Imo Matthiam se habuisse doctorem gloriatur apud Clem. l. c. fol. 765. Potuit equidem inter præceptores initio habuisse quosdam orthodoxos, III. *Valentinianorum.* (1.) Auctor.

sed

ſed deinde quosdam & ſeductores. Nam primum orthodoxæ religioni erat addictus, *in primis quidem fuit in Eccleſia, elatior autem factus poſtmodum errore non parvo deceptus eſt*, ſcribit de eo Philaſtrius. Confer Tertull. d. præſcript. cap. 30. contr. Valent. c. 4. de anima. c. 20. *Eruditio* viri non contemnenda erat. *Quia & ingenio poterat & eloquio.* Tert. contra Valent. cap. 4. Occaſionem ſumpſit ex ambitione; Nam cum ſpe Epiſcopatus obtinendi excidiſſet, ab orthodoxorum ſeſe cœtu & partibus ſejunxit, hæreticus factus, teſte Tertull. contr. Valent. c. 4. Superioribus ut aſtutior, ita nocentior. *Nam error per ſeipſum non oſtenditur, ut ne denudatus deprehendatur, ſed amiculo ſplendido callide ornatus, ut etiam ipſa veritate veriorem ſeipſum exhibere videatur imperitioribus per externam apparentiam*, bene judicat Epiphanius: Et talis fuit *verſipellis* ille Valentinus, judice Tertulliano. *Scriptis* errores declaravit ſuos & ſparſit, quorum meminit Clemens Alexandrinus; lib. II. f. 375. IV. VI. Strom. & integram epiſtolam recitat Epiphanius.

(2.) Aſſeclæ. (2.) *Aſſeclas* habuit inſignes & plures, in quibus celebriores ſunt Axionicus, & Secundus, & Heracleo, & Alexander, & Marcus, & Florinus, & Blaſtus Theodoret. libr. I. fab. hæret. cap. 23. Ptolemæus Tert. contr. Valent. cap. 33. *ſurculus ſcholæ Valentini*; juxta Epiphanium. Scholam igitur habuit, quam & Bardeſanes quidam frequentaverat. Euſeb. IV. 28. Media ſeducendi erant traditio Apoſtolica, quam jactabat ex Matthia, & quodam Theodade familiari Pauli; & mixtura Chriſtianiſmi cum fabulis poetarum & dogmatibus philoſophorum, quam impoſtor ſcitè faciebat. His artibus graſſatus eſt primum in Ægypto, *Arabite, & Proſepite, & Arſenoite, & Thebaide & inferioribus partibus regionis maritimæ, & Alexandriopolitæ præfectura*, teſte Epiphanio; poſtea Romam navigavit & venenum diffudit; migravit & in Gallias, & Rhodanuſias potiſſimum mulieres corrupit, ut refert Irenæus lib. 1. c. 1. Nec à Syria abſtinuit. Fidum Achaten habuit Marcum quendam, *magicæ impoſturæ peritiſſimum, per quem & viros multos, & non paucas fœminas ſeduxit.* c. 8. quod & alii ejus diſcipul fecerunt. cap. 9. Mulieres credo multas ſeduxiſſe per libidines, quas cum ipſis exercebant. cap. 1. Nam ut obtinerent eas philtra propinabant magica, quibus illæ accenſæ animo & corpore ſe illis obnoxias reddebant, referente Iren. lib. 1. c. 9. §. 2. Dicebantur Valentiniani, etſi eo dici nomine nollent.

Novi-

Novimus optimè originem quoq; ipsorum, & scimus cur Valentinianos appellemus, licet non esse videantur. Abscesserunt enim à conditore, sed minime origo deletur: & si forte mutatur, testatio est ipsa mutatio. ait Tert. c. 4. Malebant dici *Gnostici.* Nam *Gnosticorum nomen sibi ipsi imponebant:* referente Epiphanio; scilicet à cognitione, quam sibi insignem, & tantam arrogabant, ut sola ea sese salvandos crederent. (3.) *Errores* disseminavit plurimos, & obscuros, ut difficile sit omnes complecti & ordine recensere; Nam in plures sectas, Epiphanius decem nominat, hydra hæc fuit dissecta; ut nec Theodoretus omnes illius μυθοποιΐας enumerare voluerit vel potuerit. Tentabimus tamen, quousque licet. (1.) *Principium fidei* corrumpebant, verbo Dei, eoque revelato & scripto, non contenti. Jactabant enim traditiones non scriptas, & Clemens lib. VII. Strom. fol. 765. refert; *Ex hæresibus,* inquiens, *aliæ quidem appellantur ex nomine, ut quæ appellatæ sunt à Valentino, & Marcione, & Basilide,* κἂν τὴν Ματθίου αὐχῶσι προσάγεσθαι δόξαν, *quamvis glorientur Matthiæ se adducere opinionem.* Nec hoc contenti dicebant Valentinum Θεοδάδι ἀκηκοέναι; γνώριμος δ' οὗτος γεγόνει Παύλου, *Theodaden audivisse: qui Pauli familiaris fuerit.* fol. 764. omnium clarissimè Irenæus lib. 3. cap. 2. loquitur de Valentinianorum hoc errore: *Cum enim,* inquit, *ex scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum, quasi non rectè habeant, neq; sint ex auctoritate, & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex iis inveniri veritas ab iis, qui nesciant traditionem.* Vivæ traditioni addebant *scripta:* πρὸς δὲ τούτοις ἀμύθητον πλῆθος ἀποκρύφων καὶ νόθων γραφῶν, ἃς αὐτοὶ ἔπλασαν, παρεισφέρουσιν εἰς καταπληξιν τῶν ἀνοήτων καὶ τὰ τῆς ἀληθείας μὴ ἐπισταμένων γράμματα, id est, *super hæc autem inenarrabilem multitudinem Apocryphorum & perperam scripturarum, quas ipsi finxerunt, adferunt ad stuporem insensatorum, & quæ sunt veritatis non scientium literas.* Verba sunt Iren. l. I. c. 17. qui subjungit fabulosam ipsorum narrationem de Jesu puero adhuc alphabetico. Forsan haustam ex peregrino Valentini Evangelio, de quo Irenæus lib. 3. c. 11. Tertul. d. præscript. c. 49. Appellabant: de Infantia Jesu Salvatoris. Sixt. Sen. l. 2. Bibl. Alium citat idem Tert. c. 20. de anima, nempe *Psalmos*; & alium *Sophia* dictum: cujus meminit lib. contra Valent. c. 2. *Commentarios* discipulorum citat Iren. libr. I. præfat. Epistola Ptolemæi ad Floram recitatur ab Epiphan. l. 1. t. 3. hæres. 35. Scripturas quidem non omnino rejiciebant, eligebant

(3.) *Errores.*

De principio fidei.

tamen ex illis utplurimum obſcuras parabolas, quas ridiculis explicationibus veluti fidiculis ad deliria ſua torquebant: Iren. lib. III. c. 12. Vel colligebant undique dicta ſcripturæ, & ex iis centonem conſarcinantes volebant videri ſuos errores probaſſe. Perinde ex imagine regis, ſi reſolvas gemmarum ordinem, feceris ſuem, vel canem, quod facetè in ipſos ludit Iren. lib. I. c. 1: In ipſis etiam literis neſcio quæ myſteria quærebant. c. 13. 17. *Enthuſiaſmo* Marcus gloriabatur, quaſi *ſuprema Tetras ab iis, quæ neq; videri, neq; nominari poſſunt, veniſſet ad illum habitu muliebri, & indicaſſet illi, quænam ipſa eſſet & omnium generationem,* ἣν οὐδενὶ πώποτε οὔτε θεῶν οὔτε ἀνθρώπων ἀπεκάλυψε, *quam memini unquam neq; Deorum, neq; hominum revelaſſet.* Irenæ. lib. 1. c. 10. Et Tert. contra Valent. c. 4. *Si aliquid novi adſtruxerint, revelationem ſtatim appellant præſumptionem, & chariſma ingenium, nec unitatem, ſed diverſitatem.* Unde apparet, quæ cauſſa fuerit tantorum errorum, nempe quam Iren. libr. III. cap. 12. expreſſit: *Hæc omnia* (abſurda) *contulit eis ſcripturarum & diſpoſitionis Dei ignorantia.*

De *Deo* quoad eſſentiā.

§. 5. (2.) Θεολογία miſerrimè diſcerpebatur ab hæreticis. Nam (1.) *plures uno Deos* fingebant. Dum præter creatorem cœli & terræ fingebant neſcio quem Bythum, quem & propagatorem, προπάτορα, & προαρχὴν nuncupabant. Cui conjugem adjungebant Sigen, ſeu charin, ex quibus poſt longas Æonum generationes, tandem prodiiſſet Demiurgus, & Jeſus & Spiritus Sanctus. Iren. lib. 1. c. 1. Tertull. contra Valent. Auguſt. d. hæreſ. c. 11. &c.

Perſonas,

(2.) *De Spiritus S. generatione* apud Irenæ. libr. 1. c. 12. ſubjectione ſub æonibus. c. 34. Officio, apud Tert. c. 11. tam prodigioſa fingebant, ut pigeat referre.

Attributa,

(3.) *Attributa* divina evertebant, ut eſt præſcientia, & omniſcientia, teſte Epiphanio: Nec non

Opera,

(4.) *Opera,* quale eſt *Creatio.* Nam Sophiam neſcio quam Æonum ultimam, cum ad conſpectum Bythi non admitteretur, ex impatientia dicunt creaſſe hoc univerſum, uti refert epitome Theodoti annexa operibus Clementis. Effectus creationis ſunt Angeli & homines.

Angelis ſeu Aeonibus.

De Angelis, quos Æonas vocabant, miras nugas agebant. Supremum locum occupabant Bythus & Sige; ex his Nus & Alethea, ex his Logus & Zoë, ex his Anthropus & Eccleſia; Hæ potiores ſunt Syzygiæ, ex quibus inferiores prodierunt Æones, *Aeoniæ ſcrofæ examen,* ut Tertullianus vocat. Octo ex Mente & Veritate; Decem ex Verbo & Vita;

Duo-

Duodecim ex homine & Ecclesia; Singulorum nomina admodum barbara legas apud Irenæ. libr. 1. c. 1. & 5. Tertullianum contra Valentinianos, c. 7. 8. Epiphanium, Augustinum, Theodoretum l. c. In schematismo exhibet Danæus l. c. Rhenanus, & ex ipso Pamelius f. 305. opp. Tertul. Sine quo non facile intricatissima deliria distinctè intelligas. Deprehendas itidem Custodem Pleromatis, Ectroma, Æonas ex Æonibus, & similia febricitantium somnia, quæ lubens prætereo. οὐκ ἄμοιρον γὰρ οἶμαι μέμψεως τὰ πάντα λέγειν ὅσα ἐκεῖνοι μυθολογοῦσιν, i. e. *Non enim à reprehensione alienum duxerim omnia dicere, quæ illi fabulantur,* existimo cum Theodoreto. Unicum addo de Angelis Evæ amasiis, quos fingebant ex formosissima fœmina liberos suscepisse. Iren. lib. 1. c. 34.

§. 6. (3.) Χειστολογία. Christi corrumpebant (1.) *Nomina.* Dicebant enim ipsum & Crucem, & Traductorem, & Finitorem, & Terminum, referente Epiphanio. Sed & Jesu, & Christi nomen numeris superstitiosis vexabant apud Iren. lib. 1. c. 12. (2.) *Personam*, quam geminam faciebant, alium Jesum, alium Christum mentientes. Iren. lib. 1. c. 1. (3.) *Naturas*, ut divinam; Nam ex Æonibus prodiisse somniant: singulis sua conferentibus; quare per jocum Tertullianus vocat *graculum Aesopi, Pandoram Hesiodi, Acci Patinam, Nestoris Coceireinæos, Miscellaneum Ptolemæi, & Pancarpiam.* c. 12. contra Valent. confer c. 39. Et humanam, quam cœlo attulisse, non ex Maria, per quam, ut canalem ivisset, accepisse tradebant. Vide Iren. lib. 1. c. 1. & 7. Tertullianum & Epiphanium l. cit (4.) *Meritum.* Nam veram passionem & mortem totius Christi negabant, censentes ex Spiritali ipsum semine factum. *Non enim possibile erat ipsum pati, quum non apprehensibilis & visibilis esset, & propterea, cum adduceretur ipse ad Pilatum, depositum in ipsum Christi spiritum sublatum esse. Imo neq; semen à matre passum esse dicunt. Læsionis enim expers est, & invisibile, quod est spirituale, etiam ipsi opifici. Passus est igitur ex ipsorum sententia animalis Christus.* Epiphanii verba sunt. De fine passionis non saniora dicunt: *Dominum in novissimis mundi temporibus propter hoc venisse ad passionem dicunt, ut ostendat, quæ circa novissimum Aeonum facta est, passionem, & per hunc finem manifestet finem ejus, quæ est circa Aeonas, dispositionis.* Iren. lib. 1. c. 1.

De *Christo*, quoad nomen.

Personam:

Naturas:

Meritum

& passionē.

De *homine* in statu institutionis; §. 7. (4.) Ἀνθρωπολογία. De homine in statu (1.) *Institutionis* erronea statuerunt, quæ sic refert Epiphanius: *Fecisse Deum* (imò Angelos, juxta Iren. lib. I. c. 34.) *hominem ferreum, non ex hac terra, sed ab invisibili essentia, ex diffusili ac fluxili materia acceptum, & in hunc insufflasse animalem: Et hunc esse eum, qui ad imaginem ac similitudinem factus est. Juxta imaginem quidem materialem esse, similem quidem, sed non coessentialem Deo. Juxta similitudinem vero animalem.* Hæc ille. Confer Tertull. contra Valent. c. 29. **Destitutionis:** (2.) *Destitutionis.* Inaudiverant quidem impostores de homine per Evam, & hac per serpentem deceptis, sed nebulis suis miserrime obnubilarunt veritatem, ut prolixe refert Iren. lib. I. c. 34. mutatis scil. nominibus, serie historica, additis aliis factis oppido fabulosis. **Restitutionis.** (3.) *Restitutionis.* Somniabant Factorem seu Demiurgum reddidisse hominibus lapsis *odorem suavitatis, humectationis luminis,* uti loquitur Iren. l. I c. 34. Medium restituendi sunt sacramenta. Baptismus Johannis per ipsos specie differebat à baptismo Christi: *Baptisma enim à Johanne, dicebant, annunciatum in pœnitentia, redemptionem autem ejus, qui in eo est Christi positam esse ad perfectionem.* Iren. lib. 1. c. 18. Justificationem fieri per γνῶσιν, in imperfectis autem per opera, referente Epiphanio. **Renovationis.** *Renovationem* in sese perfectam somniabant cum quoad cognitionem, tum operationem. τελείους ἑαυτοὺς ἀναγορεύοντες, ὡς μηδενὸς δυναμένου ἐξισωθῆναι τῷ μεγέθει τῆς γνώσεως αὐτῶν, *perfectos semetipsos vocantes, quasi nemo possit exæquari magnitudini agnitionis ipsorum, nec si Paulum aut Petrum dicas, vel alterum quendam Apostolorum, sed plus omnibus se cognovisse, & magnitudinem agnitionis illius, quæ est inenarrabilis virtutis, solos ebibisse.* Iren. libr. I. c. 9. Ex hoc errore alius longe crassior est natus, nempe licentia faciendi, quodcunque liberet: *Esse enim se in altitudine super omnem virtutem,* pergit Irenæus, διὸ καὶ ἐλευθέρως πάντα πράσσειν, μηδένα ἐν μηδενὶ φόβον ἔχοντες, *quapropter & libere omnia agere nullum in ullo timorem habentes:* Et Epiphanius ulterius illustrat: *Quo enim modo aurum in cœno depositum non amittit pulchritudinem suam, sed propriam naturam conservat, cœno nullam injuriam auro inferente: sic etiam seipsos dicunt in quibuscunq; materialibus actionibus versentur, minimè lædi, neq; abjicere spiritualem substantiam. Quapropter sane etiam interdicta omnia intrepide, qui perfectissimi sunt, faciunt, de quibus scripturæ affirmant; quod facientes ipsa regnum Dei non possidebunt.* Malitiosa est depravatio verborum Christi Luc. XI. 41. Et

Et Pauli Tit. I. 15. 1. Cor. VIII. 1. seqq. XIII. 2. Optimum, quod in ipsis, est conjugii æstimium, ἐναρεστοῦντι γάμῳ, ait Clem. Alex. lib. III. *acceptum habent matrimonium :* Forsan ne suas Syzygias macula conspurcarent, si conjugio detraherent. Tertullianus in ipsis reprehendit c. 30. martyrii fugam; *Martyrij quoq;*, inquit, *eludentes necessitatem, qua volunt interpretatione.* Sed injusta est censura, & ex Montani schola profecta, qui martyrium esse necessarium tradebat. Gratiam semel acceptam amitti non posse iidem statuerunt, ut ex Iren. lib. I. c. 1. citat B. Gerh. Loc. d. Bon. oper. §. 142. Ecclesiam in his terris somniabant τινὸς ἐπουρανίου καὶ κρείττονος αἰῶνος ἀπόρροιαν εἶναι cujusdam cœlestis & melioris Æonis defluxum esse. Origen. libr. VI. contra Cels. p. m. 298. (4.) *Glorificationis.* Negabant resurrectionem imprimis imperfectorum, & ejusdem corporis, teste Epiphanio: Imo in animalibus, quos vocabant, animam quoque interire, eodem teste, delirabant. Objectum, quod salvandum, per ipsos sola est anima. *Animam solam salvari, corpus autem hominis non salvari arbitratur,* scribit Philastrius. Caussam salutis, quam putabant, refert Clem. Alex. lib. II. f. m. 363. *Valentiniani*, inquiens, *cum nobis quidem simplicibus fidem tribuerint, sibi* τοῖς φύσει σωζομένοις *qui naturâ salvi fiunt, volunt esse cognitionem ab excellentis abundantia seminis, dicentes, eam esse longè magis à fide separatam, quam spirituale ab animali.* Et Theodoretus: *Dicunt porro se quidem* ἀπὸ μόνης τῆς γνώσεως σώζεσθαι, ἡμᾶς δὲ ἀπὸ πίστεως καὶ πράξεως ἀγαθῆς, *ex sola cognitione salvari, nos verò ex fide & bona actione: se autem operibus non egere,* ἀρκούσης εἰς σωτηρίαν τῆς γνώσεως *cum ad salutem sufficiat cognitio.* Et Epiphanius: *Tres hominum ordines esse dicunt spiritualium, animalium, carnalium. Ordinem autem spiritualium seipsos dicunt, quemadmodum etiam Gnosticos, & neq; labore opus habentes aliquo, quam sola cognitione & arcanis mysteriorum suorum verbis. Quisq; vero ipsorum, quodcunq; voluerit, intrepidè facit, & nullius rei curiosus est. Omnino enim salvari suum ordinem dicunt, ut qui spiritualis existat. Alterum verò ordinem hominum in mundo, quem animalem vocant, à seipso salvari non posse, nisi labore & justa operatione seipsum salvaverit. Materialem autem ordinem hominum in vita cognitionem capere non posse asserunt, neq; suscipere hanc, etiamsi velit is, qui ex hoc ordine procedit, verum simul cum anima & corpore perire.* Hactenus Epiphanius. Ex quibus semina deprehendas Zizaniorum, quæ Satanas deinceps in ipsam intulit Ecclesiam de

Glorificationis.

statu perfectionis, & meritis operum, & discrimine spiritualium & animalium; confer Tert. contra Valent. c. 32. Iren. lib. I. cap. 1. Orig. l. 5. contra Cels. p. m. 271.

(4.) *Sacra* in administratione *baptismi.*

§. 8. (4.) *Sacra.* De his refert Iren. lib. I. c. 18. recensens ritum baptismi ab ipsis administrati, & initiationis. De initiatione ita: *Quidam ex ipsis sponsale cubiculum quoddam adaptantes, & quasi mysticum conficiunt, cum quibusdam profanis dictionibus, iis, qui consecrantur.* Mox subjungit de baptismo: *Alij autem adducunt ad aquam, & baptizantes ita dicunt: In nomine ignoti patris omnium, in veritate matris omnium, & in nomine descendentis Jesu ad unitionem & redemptionem, & communionem virtutum.* Eucharistiam addit cap. 9. Meminit enim Eucharistiæ à Marco quodam Valentini sectatore celebratæ; dum refert, quod infuso in poculum vino & precibus fusis nescio qua arte rubicundum fecerit vinum, quasi sanguis de cœlo in poculū destillasset. Poculum sic consecratum tradebat mulierculis præsentibus, ut ipsæ super illud preces funderent; Quo facto ex alio majore poculo infundebat minori vinum, ut exundaret, & ita miseræ mulierculæ miracula facere sibi viderentur. Addit de Enthusiasticis vaticiniis, quæ ipso inspirante eædem *cordibus palpitantibus*, καρδίας πλεῖον τοῦ δέοντος παλλούσης edebant. Verba, quibus in sacris utebantur, erant barbara: *Basyma Eacabasa Canaa, irraurista dyarbada caotaba fobor camelanthi:* In quem finem? *ut stupori essent, vel perterrerent eos, qui sacrantur.* Iren. l. 1. c. 18. vel, ut Theod. hæret. fab. lib. 1. cap. 13. loquitur: καταπλήττειν τοὺς ἁπλουστέρους πειρώμενοι *simpliciores obstupefacere conantes.*

& *Eucharistiæ.*

Enthusiasmus.

(5.) *Mores.* Scelerati.

§. 9. (5.) *Mores*, qui fuerint, ex doctrina §. 7. facile colligas; Et in Synopsi refert Theodoretus: *Qui apud illos sunt perfectissimi, quidquid divinis legibus est prohibitum, sine metu perpetrant. Nam & gentilium festa celebrant, & immolatis vescuntur, & voluptatibus serviunt,* καὶ πᾶν ὁτιοῦν πονηρὸν ἀδιακρίτως τολμῶσιν, *& scelera omnia indiscriminatim admittunt.* Irenæus lib. 1. c. 9. exemplo Marci cujusdam inter ipsos eximii doctoris illustrat. Refert enim ipsius fraudes in profanandis sacris mysteriis, decipiendis, & construpandis, & deprædandis mulierculis, & alia, quæ ibidem legas, & apud Epiphanium. lib. 1. t. 3. hæres. 34. ἀρκεῖ δὲ καὶ ἡ ἐπωνυμία τὸ παμμίαρον αὐτῶν ἐλέγξαι τόλμημα. Βορβοριανοὶ γὰρ τούτους χάριν ἐπονομάζονται, i. e. *Sufficit autem vel cognomen ipsum ad execrandam illorum audaciam judicandam. Borboriani enim propterea*

pterea cognominati sunt, ait Theodor. hæret. fab. libr. I. cap. 13. *Finis* erat miraculis quibusdam auctoritatem sibi conciliare.

§. 10. *Adjuncta* sunt (1.) *Sectæ* & discordiæ. Nunc *videamus*, scribit Irenæus, καὶ τὴν τούτων ἄστατον γνώμην, δύο που καὶ τριῶν, πῶς περὶ τῶν αὐτῶν οὐ τὰ αὐτὰ λέγουσιν, ἀλλὰ τοῖς πράγμασι καὶ τοῖς ὀνόμασιν ἐναντία ἀποφαίνονται, *& instabilem horum sententiam, qui cum duo sunt, aut tres solummodo, non eadem tamen de iisdem asserant, sed contraria & re & nominibus enunciant*, hæc ille lib. 1. c. 5. confer lib. IV. 69. Descendit deinceps ad sententiam aliam Valentini, aliam Secundi, aliam aliorum. Epiphanius numerat sectas, sic scribens: *Et horum quidem differentiæ sunt decem in una plaga somnij ipsorum & conjugationibus, & octonariis, ac masculorum ac fœminarum seculis vicissim æqualiter percussis.* In specie deinde tractat de *Secundianis*, & Ptolemæanis Valentinianorum surculis: Quorum illi *omnia quidem secundum Valentinum exposuerunt, verum ampliorem sonitum in aures attonitorum immiserunt*. c. 32. eorumque affinis fuit Epiphanes, Carpocratis filius; & quidam Isidorus. Hi vero duce *Ptolemæo*, adhuc majori experientia, quam Valentinus, *processerunt; ut qui ad illorum narrationem excelsius quosdam additionis ex cogitaverunt.* Inter præcipuos Ptolemæi errores fuit quidam de *lege*, quam negabat à Deo Patre esse latam; ut testatur in sua ad Floram epistola, quam nobis servavit Epiph. libr. 1. t. 2. hæres. 32. Saltem totum non esse à Deo latam sed à Mose, & à senioribus: & probabat ex libello repudii, dato non à Deo, sed à Mose: & ex traditionibus seniorum, quas Christus reprehendit. Illam Dei legem dicebat à Christo non esse solutam, nempe quæ in decalogo esset comprehensa; solutam autem esse, quæ agit de puniendis delictis & vindicandis: de umbris & imaginibus. Hoc quidem bene; sed illa male; ut merito refutetur ab Epiphanio l. cit. Affinitatem cum his habebant *Archontici*; Nam fuerunt *ultima Valentinianorum fæx, & postremus partus*; Danæ ad 20. c. Aug. de hæres. Nomen sortiti sunt ab ἄρχουσι *Principibus*, seu Angelis. *Universitatem* enim, *quam Deus condidit, opera esse principum dicunt*, juxta Aug. l. c. *Principium fidei* corrumpebant. *Libros enim quosdam à se confictos Prophetarum revelationes vocabant. Horum unum symphoniam appellarunt, in quo septem cœlos conscripserunt, & horum unum quodque Archontem, id est, principem unum habere, & supremam omnium Photinum quandam matrem esse*: juxta Theodor. lib. 1.

(6.) *Adjuncta secta* plurimæ.

ut Secundiani,

Ptolemæi,

Archontici.

libr. 1. de fab. hæret. c. 11. *De Deo* horrenda blaſphemarunt: Deum enim Sabaoth dicebant in cœlo Tyrannidem exercere. Cujus filius eſſet diabolus; & hujus Cainus & Abel; *De Christo* non minus blaſphemum; dicentes filium Sabaoth eſſe diabolum. De *Sacramentis*: Baptiſmum execrabantur. Reſurrectionem negabant, Scelerate vivebant. Nec ſubſtitit hic hæreſis, ſed veluti incendium

Marcitæ: plures ſubinde corripuit; in quibus eſt *Marcus quidam, à quo Marcoſii appellati, ab his progreſſus, & alia præter hoc auſus, mala in mundum evomuit.* Epiphan. libr. 1. t. 3. hæreſ. 34.

Colorbaſiani. *Poſt hos ſequitur Colorbaſus, qui de prædicti Marci collectionem fecit. Imo etiam à Ptolemæi radice inſtar ſpinoſi aculei exortus eſt, & alia rurſus præter hos, quibus velut aculeis mundum vexaret, excogitavit, nimirum majorem imaginationem velut ex ſupernis veniens commentus.* c. 35. Subjungit quædam deliria circa Æonas à Valen-

Heracleonitæ. tinianis diverſa, æquè tamen abſurda. *Heracleon quidam huic Colorbaſo ſucceßit, à quo Heracleonitæ appellati.* c. 36. &c. *Excellentius quædam ſuper illos in ſeipſo expreßit, & illos excedere conatus eſt, ut etiam ſibi ipſi collectionem ſeductorum faceret.* Subjungit quædam ſtulta de redemptione mortuorum Archonticis etiam uſitata Theodor. lib. I. de fab. hæret. c. 11. quam ipſi aqua & oleo procurare ſatagebant. Nondum finis eſt hæreticorum. Sunt enim ἐκ τῶν Βαλεντίνου σπερμάτων, *ex Valentini ſeminibus* Borboriani vel Barbeliothæ, vel Naaſini, vel Stratiotici, vel Phemionitæ, quas vocat Theod. libr. 1. hæret. fab. c. 13. Ad eosdem videntur referendi *Aſcadrutæ* vel Aſcadrupitæ, qui Symbola externa ſacramentorum E. g. aquam baptiſmi rejiciunt, ſola ἐπιγνώσει contenti. c. 10. Et *Bardeſaniani* à Bardeſane, de quo ſupra art. I. dictum eſt. Apocryphis utebatur libris; & reſurrectionem negavit: multa alia principia, & Æonas commentus eſt. Vide Epiphan. libr. 2. hæreſ. 56. t. 1. qui errores refutat. His annumerat

Florinus & Blaſtus. Euſeb. lib. V. hiſt. c. 14. Theod. d. fab. hæret. l. I. c. 23. *Florinum & Blaſtum.* Fuerunt autem Preſbyteri Romanæ Eccleſiæ, pridem orthodoxi, poſtea à Valentino ſeducti, & ſeductores deinde ipſi aliorum. Præcipuus Florini error fuit de cauſſa peccati, *quod Deus eſſet auctor & fabricator mali*; cujus gratia Irenæus librum adverſus ipſos ſcripſit de ogdoade. Fruſtra ſunt, qui aſſerentes aliquod in peccato poſitivum Florino aſſociant. Vide Dn. D. Calov. harm. Calixt. p. 372. §. 11. Blaſti autem errorem hunc refert Tert. d. præſcript. c. 53. *Eſt*

præterea

præterea his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter Judaismum vult introducere. Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Mosi, quarta decimâ mensis. Quis autem nesciat, quoniam Evangelica gratia evacuatur, si ad legem Christum redigit? Et concludit, & nos cum ipso: *Cæterum prudentes audita ampliori ipsorum nugacitate deriserint utiq; stolidam imitationis rationem, quomodo unusquisq; ipsorum alia ab alio sancit, prout vult, & ab audacia sua non desistit, sed quæcunq; potest quisquis excogitat. Et quum usq; in hunc gignatur apud ipsos & subnascantur, qui quotidie inveniunt quid novi, quod dicant, & illectos seducant, difficile est omnia ipsorum studia inquirere aut tradere.* Hæc ille. (2.(*Amplitudo.* Nam Tertull. contra Val. c. 1. *Valentiniani*, inquit, *frequentissimum plane collegium inter hæreticos, quia plurimum ex Apostatis veritatis, & ad fabulas facile est, & disciplina non tenetur.* Et Epiph. l. 1. t. 3. hæres. 34. post Irenæ. libr. 1. c. 9. refert mulieres præsertim ab ipsos seductas. (3.) *Hypocrisis & fraus.* Nam errores suos & scelera tegebant specioso titulo, & verbis; *Si subtiliter tentes, per ambiguitates bilingues communem fidem adfirmant &c.* Tert. c. 1. Et paulo ante: *Sanctis nominibus, & titulis, & argumentis veræ religionis vanissima atq; turpissima figmenta configurantes facili claritati, ex divinæ copiæ occasione, quia de multis multa succedere est, Eleusinia Valentiniana fecerant lenocinia, sancta silentio magno, sola taciturnitate cœlestia.* Quos egregio dicto refellit: *Nihil veritas erubescit, nisi solummodo abscondi.* c. 3. Eadem de fraude conquestus erat & Irenæus præfat. libri 1. *Similia quidem nobis loquentes, dissimilia vero sentientes,* & quæ sequuntur.

(2.) *Amplitudo.*

(3.) *Ingeniũ fraudulentũ*

§. 11. *Adversarij.* Alii sunt vetustiores, alii recentiores. Illos recenset Tert. contra Valent. c. 5. *Ut Justinus Philosophus & Martyr, ut Miltiades Ecclesiarum Sophista, ut Irenæus omnium doctrinarum curiosissimus explorator, ut Proculus nostræ virginis senectæ & Christianæ eloquentiæ dignitas.* Annumerandus his ipsis & Tertullianus peculiari libro contra Valentinianos, etsi à Montanista scripto; ut apparet ex loco modo allegato. Clementem Alexandrinum addit Epiphan. lib. I. t. 2. hæres. 32. accensendus & ipse; cum *Bardesane* apud Euseb. IV hist. cap. 28. *Egesippo*, quem refert Eusebius plures de schola Valentini Romæ convertisse; quale quid de nullo Papa Romano legitur. Vide Catal. test. vertit. libr. 2. pag. 59. Legitur autem simile de *Polycarpo*, quod idem Romæ fecerit, apud Irenæ. lib. III. cap. 3. Et de *Origene* Theod. d. fab. hæret. lib. 1. c. 19. Augustino, Theodoreto,

(7.) *Adversarii.*

Philastrio suffragantibus. Hi & similes alii refutarunt hæreticos istos, eosque ex necessitate. Nam deliria istorum nebulonum orthodoxæ Ecclesiæ imputabantur, ut à Celso, contra quem vide Orig. lib. VI. contra Cels. p. m. 298. Quare opus erat protestatione. Vide Justin. dial. cum Tryph. f. 196.

III. *Ophitarum.* (1.) Nomen. §. 12. *Ophitæ.* Horum (1.) *Nomen* manavit ex ὄφις serpens. Facit Clem. Alex. lib. VII. Strom. f. 765. aliquot classes nominum hæreticorum, inter alias & eorum, *qui ex positionibus & iis, quæ ipsi honorarunt, ut qui appellantur* καϊανισταὶ καὶ οἱ ὀφιανοὶ *Cajanistæ & Ophiani: Ophitæ à colubro nominati sunt. Coluber enim Græcè* ὄφις *dicitur* ait August. d. hæres. c. 17. Et Epiph. lib. 1. t. 3. hæres. 37. *Vocantur Ophitæ propter Ophim i. e. serpentem, quem glorificant.* Intelligunt autem serpentem, qui Protoplastos decepit.

(2.) Errores. (2.) *Errores* ferè Gnosticis similes sunt. Nam multa de Jaldabaoth, Prunico, & similibus monstris fabulantur, peculiaris ipsorum error erat de serpente Protoplastorum deceptore. Fingunt enim serpentem illum omnium sapientissimum dedisse Protoplastis illam ipsam sapientiam. *Hac de caussa serpentem quoq; adorant. Quem carminibus quibusdam delinitum in tenebris nutriunt, & in execrandorum mysteriorum suorum ritu in mensam inferunt, ubi autem ascenderit, panibus tanquam sanctificatis vescuntur* Verba sunt Theodoreti libr. 1. fab. hæret. hæres. 14. confer Epiphanium, & Augustinum. l. c.

V. *Cajanor.* (1.) Nomen. §. 13. *Cajani.* Horum (1. *Nomen* derivant à Caino, quem honorabant. Epiph. lib. 1. t. 3. hæres. 38. Aug. d. hæres. c. 18.

(2.) *Errores.* De Caino & Scripturis. (2.) *Error* præcipuus fuit de Caino, quem dicebant *à superiore principalitate; & Esau, & Core, & Sodomitas, & omnes tales cognatos suos confitentur, & propter hoc à factore impugnatos neminem ex eis male acceptos.* Irenæ. libr. I. c. 35. Addunt his Judam Ischkarioten, utpote virum præclarum, qui opus redemptionis promovisset. *Scripta* supposititia circumferebant, ut erat *Evangelium* Judæ. Sed & alia quædam eodem modo confingebant, ait l. c. Epiphanius, in quibus est *adscensus Pauli* dictus, *occasione inventa ab eo, quod Apostolus dicit, se ascendisse usq; ad tertium cœlum, ac audivisse verba arcana, quæ non licet homini loqui, & hæc, inquiunt, sunt arcana verba.* ejusdem sunt verba.

(3.) Mores. (3.) *Mores.* Scelerati fuerunt, ut aliorum Gnosticorum. Nam *cum ea faciunt, quæ sunt vetita, Angeli alicujus nomen invocant, tanquam illi videlicet intemperantiam* offe-

offerentes, atq; hoc in unaquaq; impudicitiæ specie faciunt. Esse enim pro variis impudicitiæ formis pari numero Angelos quosdam, qui operibus illis coluntur. Theodoret. libr. 1. fab. hæret. cap. 15. (4.) *Sectæ.* Divisi sunt in varias partes, & dicti *Antitactæ*, quod Deo sese opponerent: verba ipsorum horrenda refert Theodor. c. 16. *Quoniam ipse* (Deus) *dixit: non mœchaberis, nos,* dicebant, *mœchemur, ut ejus præceptum infringamus.* (4.) Sectæ.

§. 14. *Sethiani*: His (1.) *Nomen* dedit Seth filius Adami. Confundit ipsos cum Ophitis Theodoretus lib. 1. fab. hæret. c. 14. Alii distinguunt. (2.) *Errores* varii quidem fuerunt: Sed præcipuus de Setho, quem nugabantur esse natum *de superna matre, quæ cum superno Patre convenisset*, sicut ait Augustin. d. hæres. c. 19. imo eo absurditatis quidam venerunt, ut Sethum *ipsum Christum esse assererent & opinarentur*, teste Philastrio. Accedunt alii errores *de Angelis*, quod cum mulieribus congressi filios genuerint: De *resurrectione*, quam negant. *De creatione*, quam Angelis tribuebant: *Ex Angelis, inquiunt, facta sunt omnia, & non ex superna virtute.* Epiphan. lib. I. t. 3. hæres. 39. Minutiores errores lubens prætereo. (3.) *Scripta*: De his modo citatus Epiphanius: *Libros porro quosdam ex magnorum virorum nominibus conscribunt. Ex nomine quidem Seth septem libros esse dicentes: alios vero libros alienigenas, sic enim vocant. Alium autem ex nomine Abraam, quem & revelationem esse dicunt, omni malitia refertum: Alios item ex nomine Mosis, & alios aliorum.* Hæc ille. Subjungit refutationem errorum. (4.) *Locus.* Arbitratur Epiphanius in Ægypto se in hanc hæresin incidisse. Nec diu eam durasse.

VI. *Sethianorum* (1.) *Nomen.* (2.) *Errores* de Setho, Angelis, Resurrectione, Creatione. (3.) *Scripta.* (4.) *Locus.*

§. 15. *Cerdoniani.* Horum (1.) *nomen* est à quodam Cerdone, *qui temporibus Hygini Episcopi fuit*, uti scribit Epiphan. lib. 1. t. 3. hæres. 41. ex Iren. lib. I. c. 28. Euseb. hist. libr. IV. c. 10. Chron. 141. Fuit natione Syrus, & moribus versipellis: *Interdum clam & ex occulto docet, interdum denuo agnoscit errorem, nonnunquam de doctrinæ suæ institutis palam coarguitur refutaturq;, atq; adeo ex fratrum cœtu frequentiaq; excluditur.* ut Iren. l. 3. c. 4 & Euseb. lib. 4. c. 10. loquuntur. (2.) *Errores.* 1. *De Deo,* quem geminum statuebat. *Duo enim principia hic mundo prædicavit, & nimirum duos Deos. Unum bonum & omnibus incognitum, quem & Patrem Jesu vocavit, & alterum opificem, qui malus sit & cognitus, locutusq; sit in lege, & apparuerit in prophetis, sæpe visibilis conspectus.* Scribit

VII. *Cerdonianorum* (1.) *Nomen.* (2.) *Errores*

Epiphanius, verba fere mutuatus ex Irenæi libr. I. c. 28. & Tert. d. præscript. c. 51. confer. Theod. de fab. hæret. libr. I. c. 24. Unde apparet, quid senserit 2. *De scripturis*; Si enim illæ à Deo malo, erunt & ipsæ malæ. *Vetus autem Testamentum reprobat, tum quod à Mose, tum quod à Prophetis traditum est, velut à Deo alienum*: refert iterum Epiphanius. Et ante ipsum Tert. d. præscript. c. 51. *Hic prophetiam & leges repudiat*, qui addit: *Solum Evangelium Lucæ, nec tamen totum, recipit: Apostoli Pauli neque omnes, neque totas epistolas sumit. Acta Apostolorum & Apocalypsin quasi falsa rejicit.* 3. *De Christo* docebat: *Non esse genitum ex Maria, neque in carne apparuisse, sed in apparentia fuisse, & in opinione apparuisse, & in existimatione omnia fecisse.* Tert. l. c. Evertit igitur omne redemptionis nostræ solatium. 4. *De hominis resurrectione.* Nam Tertul. l. c. teste: *resurrectionem animæ tantummodo probabat, corporis negabat.* (3.) *Locus*, ubi grassabatur, Roma erat. Irenæ. lib. 3. cap. 4. Et Epiphanius: *Hic à Syria digressus, & Romam profectus corruptor & suiipsius & credentium ipsi miserrimus visus est.* (4.) *Fautores* sunt hodierni Sociniani, dum statuunt novas & alias leges esse latas in Nov. T. quam fuerunt in Vet. T. E. g. in V. T. sancitum esse: Oculum pro oculo, dentem pro dente; sed in N. T. præceptum esse, ut & altera maxilla colaphizanti præbeatur. In V. Test. inimicos odio fuisse habendos, sed in N. T. diligendos: qui ipsi Cerdonis errores fuerunt, teste Theodoreto.

Scripturis. Christo. Resurrectione. (3.) Locus. (4.) Fautores.

VIII. *Marcionitarum.* (1.) Nomen.

§. 16. *Marcionitæ.* Horum (1.) *Nomen* est à Marcione. De cujus *ætate* hæc notavit Irenæus lib. 3. c. 2. *Marcion* illi (Cerdoni) *succedens invaluit sub Aniceto, decimum locum Episcopatus continente*, & Tertul. d. præscript. c. 30. *Antonini ferè principatu fuisse dicit.* Et lib I. contra Marc. c. 19. vocat eundem *Antoninianum hæreticum sub Pio impium.* Patria fuit Ponticus. lib. I. c. 29. hinc dicitur *Ponticus Nauclerus* à Tertul. d. præscript. c. 30. *Stoicæ studiosus*, ab eodem. Errores attraxit ex Simone Mago, Valentinoque; Clem. Alex. l. VII. f. 764. Et teste Tert. libr. I. contra Marc. c. 3. Cerdone præceptore. Etsi de illorum nominibus appellari sectatores noluerint: *Quamvis non confiteantur nomen Magistri sui ad seductionem reliquorum, attamen illius sententiam docent, Christi quidem Jesu nomen tanquam irritamentum præferentes, Simonis autem variè introducentes mortificant multos, per nomen bonum sententiam suam male dispendentes, & per dulcedinem & decorem nominis amarum &*

rum & malignum principis Apostasiæ serpentis venenum porrigentes iis. Verba sunt Iren. l. 1. c. 30. Maluerunt autem dici *Christiani*, quod innuit Justin. Apol. II. f. 54. dial. cum Tryph. f. 196. Unde apparet, quam nec insolitum sit hæreticos elencho nominali notare, nec arbitrarium eos specioso nomine indicare. Alibi Irenæus argumentum ducit ex nomine: *Ante Valentinum enim non fuerunt, qui sunt à Valentino, neque ante Marcionem erant, qui sunt à Marcione, neq; omnino erant aliqui sensus maligni quos supra enumeravimus antequam initiatores & inventores perversitatis eorum fuerunt.* lib. III. c. 4. ut & Justin. dial. f. 196. Occasio erroris hæc narratur ab Epiphanio lib. 1. t. 3. hæres. 42. De peribat ipse, Episcopi venerandi senis fili⁹ & monasticam professus, virginem, qua corrupta excommunicatus est à proprio parente, nec, licet rogaret, receptus; Fugit igitur Romam, quærens in Ecclesiam recipi; sed & hic repellitur, quare Cerdoni sese aggregavit, & proposita prius quæstione novam in Ecclesia fissuram fecit. (2.) *Errores* varii fuerunt. Et quidem. (1.) *De scripturæ* V. Test. auctore Deo, quem dicebat esse malum, quare & scripta V. T. rejiciebat: nisi quantum ipsius caussæ favebant. Ex Evangelistis solum Lucam probabat, cæteris repudiatis. Iren. libr. III. c. 11. Tert. libr. IV. contra Marc. c. 2. Epiphan. l. c. Ex epistolis Paulinis recipiebat eam, quæ ad Galatas, duas ad Corinthios, ad Romanos, ad Thessalonicenses duas, ad Ephesios, ad Colossenses, ad Philemonem, ad Philippenses. Hoc enim ordine numerabat, memorante Epiphanio. Philastrius tamen scribit, repudiasse omnes Pauli epistolas, exceptis ad Timotheum & Titum. Mutilabat autem etiam hos, quos recipiebat, libros: Auferebat enim ex Luca *omnia, quæ sunt de generatione Domini conscripta, & de doctrina sermonum Domini multa auferens, in quibus manifestissimo conditorem hujus universitatis suum patrem confitens Dominus conscriptus est, &c. similiter autem & Apostoli Pauli epistolas abscidit, auferens, quæcunq; manifeste dicta sunt ab Apostolo de eo Deo, qui mundum fecit.* Nondum quievit; Nam loco Evangeliorum authenticorum ipse faciebat sibi Evangelium Apostolicum, citante Epiphanio, quem conferas: annotavit enim peculiari digressione corruptelas Marcionis. Quocum congruit, quod Clem. Alex. lib. VII. f. 765. de ipso scribit, jactasse traditiones ex Apostolis, Matthia præsertim, acceptas. Ad quas spectat epistola ad Laodicenses, de qua

(2.) *Errores* de scriptura.

idem gloriabatur. Veritatem & harmoniam ſcripturæ negavit Nam varias ex Vet. Teſtam. antitheſes collegit, ut obtineret falſam eſſe à falſo Deo inſpiratam. Tertullan. II. contra Marcion. c. 18. IV. 1. ſeqq. Qua de malitia hominis vide ex profeſſo diſputantem Epiphanium, qui prolixè adducit Marcionis ipſum Evangelium, & examinat.

2. De Deo. 2. *De Deo.* Impingebant in eſſentiæ unitatem, fingentes geminum Deum alterum bonum, alterum malum, ſeu, ut Iren. lib. I. c. 29. refert: *malorum factorem, & bellorum concupiſcentem.* Epiphanius tria ipſum ſtatuiſſe principia dicit; *ſed Euſebius Severum quendam, non Marcionem trium principiorum atq; naturarum ſcribit auctorem*; uti loquitur Auguſt. d. hæreſ. c. 22. Imo Theodor. lib. 1. de fab. hæret. c. 24. tradit, quod quatuor ſtatuerit principia. Sed communior & verior ſententia eſt, quæ duo ipſi principia tribuit. Licet ſectariis aliter viſum. Quid de *attributis* divinis ſenſerit, ex dictis colligas, nempe etiam malitiam eſſe Dei attributum; horrendum auditu! merito ſcribit Irenæus: *Impudoratè ſuper omnes obtrectavit Deum.* & Clem. Alex. lib. III. f. m. 435. dicit ἀχαριστεῖν τῷ δημιουργῷ, *ingratum eſſe erga creatorem.* Repetit f. 500. lib. IV. etiam mutabilitati obnoxium eundem blaſphemabat. Tert. II. contra Marc. cap. 23. 24. *Opera.* Deo bono & Chriſto denegabat creationem, tribuens eam ſoli malo illi & ſævo ſeu crudeli, quem blaſphemabat. Unde Theodoret. l. c. commemorat de quodam ſene Marcionita, quod manus ſputo, non aqua, laverit, ne creaturis mali Dei uteretur. Vide Tert. lib. 1. contra Marc. c. 15. *Cultum* uni Deo vero debitum tranſtulerunt in ſerpentem, qui Protoplaſtos ſeduxit. *Nonnulli eorum ſerpentem venerantur; & inveni ipſe apud illos ſerpentem æneum in arcula quadam cum execrandis eorum myſteriis reconditum, ſcribit* Theodoretus. Contra ademerunt cultum Deo, qui creavit cœlum & terram. Nam ideo Chriſtum veniſſe in mundum dicebant, ut à creatoris ſervitute homines liberaret, qui in ipſum credide-

3. De Christo. rint, eodem referente. 3. *De Chriſto.* Statuebant filium quidem Dei eſſe, ſed quem illi bonum appellabant, non ab eo, qui fabricator eſſet cœli & terræ. Contra quem errorem ex profeſſo diſputat Irenæ. libr. III. cap. 11. Juſtin. Apollog. II. fol. 71. Tertul. libr. III. c. 1. ſeqq. *Divinam* ipſius *naturam* negabant, ſaltem conſequenter, negantes Chriſtum eſſe creatorem cœli & terræ. *Hu-*

manam

manam vero naturam γυμνῇ κεφαλῇ negabant, mentientes, meram fuisse phantasiam, quidquid Christus egisset; quod impudens delirium falsè refutat Tert lib. III. cap.8. & objectionem solvit desumptam ab apparitionibus Angelorum in Vet. T. factis sub specie humana. c. 9. ab indignitate carnis humanæ c. 10. & aliis capp. seqq. *De homine ni statu Institutionis.*

(4.) *De homine* in statu *institutionis* somniabat, quod creator corpori ex materia formato inspiraverit animam ex sua substantia derivatam. Theodoret. l. c. ἐν τεῦθεν φησὶν ἡ διαμάχη τῆς ψυχῆς ἐστι καὶ τοῦ σώματος, τοῦ μὲν σώματος πρὸς τὴν ὕλην ἐκείνην κατασύρειν ταύτην φιλονεικοῦντος, τῆς δὲ ψυχῆς ἀνελκῦσαι πρὸς τὸν δημιουργὸν πειρωμένης τὸ σῶμα, i. e. *Hinc, ut ait, animæ corporisq; orta contentio, corpore animam ad materiam illam deprimere contendente, anima vero corpus ad creatorem extollere conante.* Ova hæc sunt, ex quibus deinde *pura naturalia*, ut vocant, scholastici excluserunt. *Destitutionis*; Stoicus ille Marcion sensit, quod fatalis fuerit lapsus, castigatus eo nomine à Tertul. II. contra Marcion. c. 5. Omisit hunc errorem Danæus in notis ad c. 22. forsan, quia eodem Calvinista morbo laborabat. In statu *restitutionis*. Restituit nos Christus redimendo; At hinc concludebat Marcion. E. prius non eramus Christi, alias nos non emisset: citante Epiphanio. De Instrumentis minus rectè senserunt. Nam *Legem* Mosaicam justam esse dicebant, non tamen, utpote latam à Deo non bono, sed justo: quare abrogandam esse. Patet ex quæstione, quam Presbyteris Ecclesiæ Romanæ solvendam proposuit: *Dicite mihi, quid est hoc: Non mittunt vinum in utres veteres: neq; assumentum panni rudis in veste veteri; alioquin & supplementum aufert, & veteri non conveniet, major enim fiet fissura?* Referente Epiphanio. Disputat contra hunc errorem Iren. l. IV. c. 27. ipse errabundus. Notati illi eo nomine à Clem. Alex. lib. II. f. 377. Tert. lib. IV. contra Marcion. c. 6. seqq. prolixè probat, nullam esse diversitatem inter legem & Evangelium, quod divinam attinet auctoritatem. *Baptismi Efficiens* caussa erant & mulieres: citante Epiphanio, quibus extra casum necessitatis vera Ecclesia baptizare non permittit. Objectum nemo erat *nisi virgo, nisi vidua, nisi cœlebs, nisi divortio baptisma mercata.* Uti loquitur Tert. lib. 1. contra Marc. c. 29. Sed & mortuorum gratia baptizabant Catechumenos, ut illi scilicet mortui salvi fiant. Repetebant baptismum in lapsis semel iterumque & tertium. In Eucharistia utebatur

Destitutionis.

Restitutionis.

tur

tur aqua; referente Epiphanio. Sanctuli erant hypocritæ. Nam nuptias damnabant apud Iren. libr. 1. cap. 30. dicit ſub ſpecie continentiæ id feciſſe. Idem & Tertull. d. præſcript. c. 30. Scilicet prius iſte ſcortator in unum, in alterum deinde extremum declinavit, *virginitatis prædicator* cum contumelia conjugii. Retinuit tamē quandam ſub uxoris nomine mulierem, quâ ad decipiendos homines, Hieronymo teſte, uteretur. Tert. I. contra Marcion. c. 29. & proinde divortia adornabant, quod idem l. c. notat. Sed nec carnibus per ipſos veſci licet; *jejunium enim ac ſabbathum* prædicabat. Epiphanio

Glorificationis. teſte. *In ſtatu glorificationis.* Negabant animas corporibus exutas ſtatim in cœlum vel infernum deferri; ſed in alia atque alia migrare corpora. Negabant corpora ex mortuis reſurgere, aut ſalvari. *Scilicet animam tenus ſalvos, carne deperditos, quæ apud illum non reſurgit.* Tertul. I. contra Marc. c. 24. Aſſerebant Chriſtum, ubi ad inferos deſcendiſſet, eduxiſſe ex inferno damnatos. Contra: *Abel & Henoch, & Noë, & reliquos juſtos, & eos, qui ſunt erga Abraham Patriarchas, cum omnibus Prophetis, & hi, qui placuerunt Deo, non participaſſe ſalutem, qui in Marcione fuit, ſerpens præconiavit.* Iren. libr. 1. c. 29. Epiph. l. c. (3.)

(3.) Mores. *Mores.* Videbantur virtutibus & pietati ſtudere. Nam propter nomen Chriſti martyria ſubibant. E. g. Metrodorus quidam Presbyter auctor erroris Marcionis invecti, de quo referunt Smyrnenin ſua ad Ponticas epiſtola apud Euſeb. lib. IV. c. 14. At orthodoxa Eccleſia hos ipſorum martyres pro veris agnoſcere noluit, utpote non pro veritate paſſos. *Qui primi & Marcionis hæreſi Marcioniſtæ vocati ſunt, per multis ſe Chriſti martyribus abundare prædicant; ſed tamen Chriſtum ipſum (uti veritas poſtulat) minimè confitentur.*

(4.) *Aſſeclæ.* multi. §. 17. *Aſſeclæ:* dicuntur Μαρκιωνισταὶ, Προϊστάμενοι μαρκίωνα, *Marcioniſtæ, ſectatores Marcionis,* vocante Orig. lib. V. contra Celſ. p. 272. Multi fuerunt, qui huic ſectæ nomen dederunt. Epiphanius ita re-

Præcipui; fert: *Hæreſis autem adhuc etiam nunc eſt Romæ, & in Italia in Aegyptoq́;, ac Palæſtina, & in Arabia ac Syria, in Cypro. item atq́; Thebaide. Quin & in Perſide, & aliis locis reperitur. Magnopere enim improbus ille fraude ſua prævaluit.* Et Theodor. lib. 5. hiſt. Eccleſ. c. 31. refert de Marcionitis ſuo tempore pagos aliquot occupantibus. Diu igitur duravit hæreſis. *Præcipui* nominis *Sectatores* fuerunt Lucianus, de quo vide Tert. d. Præſcr. c. 50. Epiphan. libr. 1. t. 3. hæreſ. 10. Philaſt. Cat.

hæret.

hæret. tit. Lucanus, Basiliscus, Blastus, Synerus, Prepo, Pithon, Hermogenes, Aser, Apelles, quos totidem sectarios dixeris, καὶ γὰρ οὗτος πάλιν ὁ σύλλογος εἰς πολλὰ τμήματα διῃρέθη *Nam hic quoque cœtus multas in partes divisus est.* Theod. de fab. hæret. lib. I. cap. 24. & c. 25. confer Tert. de præscript. c. 50. subscribit Rhodoni cuidam Tatiani discipulo, qui, teste Eusebio lib. V. c. 13. hist. docet sectam Marcionis suo tempore in varias & discrepantes sententias distractam fuisse. Subjicit de *Apelle*, sene admodum, severo, & gravi; quod *Apelles.*
deceptus fuerit à quadam Philumena Virgine δαιμονοπνεύστῳ. Sicut & in aliis hæresibus ejusmodi organa Satanæ deprehendimus. Qua de seductione Tertulliani verba sunt notanda d. præscript. cap. VI. *Nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed receptam à Christo disciplinam fideliter nationibus adsignarunt. Itaque etiamsi Angelus de cœlis aliter Evangelizaret, anathema diceretur à nobis. Providerat jam tunc Spiritus S. futurum in virgine quadam Philumene angelum seductionis, transfigurantem se in angelum lucis, cujus signis & præstigiis Apelles inductus novam hæresin induxit.* Miracula igitur & revelationes immediatæ principium fidei non sint, sed verbum Dei, judice Tertulliano, ne seducamur ut Apelles. Vide Hieron. ad Gal. I. Apelles amoribus Philumenæ implicitus & præstigiis infatuatus *scripsit* librum, quem *Philumenæ Prophetias & Phaneroses* appellabat. Tert. cap. 30. & 51. item librum *syllogismorum*, in quo probare voluit, quod omnia, quæcunque Moses de Deo scripserit, non vera, sed falsa sint. Ejus *errores* fuerunt I. *ejus errores*
de *scriptura* prophetica, esse *eam ex spiritu contrario & sibi repugnante editam*, imprimis scripta Mosis, in quibus de arca incredibilia scripsisset; *de scriptura.*
vide Lyser. in Noach. p. 77. Item: *Prophetias se inter ipsas refellere, & propterea nihil omnino vere prædixisse. Nam discrepant, inquit, inter se, commentitiæ sunt, & sibi ipsis repugnant*, ut l. c. refert Rhodon σύγχρονος; Contra principium fidei suam cuique rationem esse docebat: Eandem blasphemiam evomuit contra libros Mosaicos. Tertull. d. præscr. c. 51. de carne Christi c. 6. 2. *De Deo*: Duos statuit, ut Mar- *Deo.*
cion, bonum & malum, etsi unum essent principium, referente Tert. d. præscript. c. 50. Epiphan. lib. I. t. 3. hæres. 44. Augustin. d. hæres. c. 23. Atque hac in parte secessit à Marcione, qui duos æqua-

les Deos ſtatuit, hic vero unum tantum ſummum, à quo reliqui dependerent, in quibus quidam Pyrinus; juxta Theodor. 1. c. 25. vide Tert. d. carne Chriſti. c. 8. Et notas Pamelii ad fragmentum f. 654. opp. item ad Tert. d. præſcr. c. 7. §. 44. 3. De *Chriſto* delirabat carnem eum accepiſſe ex 4. mundi Elementis, quæ reſoluta fuiſſent in mundum, Chriſto cœlum ſuum repetente. Vide Tertul. d. carne Chriſti c. 6. Epiphan. Marcion autem dicebat ex cœlo attuliſſe. Hactenus E. diſſenſerunt. 4. De *ſalutis medio* ſtatuit οὐ δεῖν ὅλως ἐξετάζειν τὸν λόγον, ἀλλ' ἕκαστον, ὡς πεπίστευκε, διαμένειν. Σωθήσεσθαι γὰρ τοὺς ἐπὶ τὸν ἐσταυρωμένον ἠλπικότας ἀπεφαίνετο, μόνον ἐὰν ἐν ἔργοις ἀγαθοῖς εὑρίσκωνται. id eſt, *Non rationem fidei omnino quærere oportere, ſed unumquemque, ut credit, permanere debere, ſalvari enim omnes ſperantes in Chriſtum; modo in bonis operibus inveniantur.* Euſeb. lib. V. cap. 13. Habent igitur hodierni Syncretiſtæ majores ſuos, in quos intueantur. Cæteros errores, quos cum Præceptore communes habuit, nolumus repetere. *Mores* hominis erant doctrinæ congrui. Nam cum Philumena ſua prophetiſſa ſtrenuè ſcortabatur, cum prius cum alia ſcortatus à Marcione continentiæ doctore ſeſe ſeparaſſet. Tertull. de præſcript. c. 30. En tibi fructus fictitiæ continentiæ! *Aſſeclas* habuit, ſive, ut Tert. d. præſcr. c. 30. loquitur: diſcentes & ſucceſſores, quas alibi vocat Apelletianos. Epiphanius vocat Appellejanos.

[Margin: Chriſto. / Medio ſalutis. / *Mores.* / & Aſſeclæ.]

§. 18. Alterum inter Marcionitas celebre nomen fuit *Hermogenis.* Vixit Hermogenes ætate ferè Tertulliani, uti in l. contra Hermog. cap. 1. meminit: *Hermogenis doctrina tam novella eſt, deniq; ad hodiernum homo in ſeculo:* Paulo tamen ante, quod apparet ex Euſebio libr. IV. cap. 23. meminit enim cujusdam Theophili libri, quem in Hermogenem ſcripſiſſet: Ejusdem meminit & Hieronymus in Catal. & Theodoretus lib. I. fab. hæret. c. 19. Etſi à Baronio an. 170. §. 11. refutentur, quaſi ἀναχρονισμὸν commiſiſſent; Eſſe enim Tertulliano ætate æqualem. At N. C. Hermogenes vixit ætate Tertulliani. Ergo non Theophili Antiocheni. Vixit enim enim ille, juxta Baronium anno 170; Tertullianus autem anno 190. adhuc igitur novella fuit Hermogenis ſecta, & uterque hæreticum videre potuit. Fuit autem *Hermogenes* non ille *Paulinus*, uti c. 1. Tert. loquitur; ſed alius, profeſſione pictor; philoſophus deinde Stoicus. de præſcript. c. 7. contra Hermog. c. 1. tandem hæreticus. Ejus

[Margin: *Hermogenes;* ejus ætas.]

errores

errores recensuit & castigavit præcipuè Tertullianus. Docuit autem (1.) *Deum* mundum non creasse ex nihilo, sed ex materia sibi coæterna, mutuatus errorem ex Stoa. *A Christianis enim conversus ad Philosophos, de Ecclesia in Academiam & porticum, inde sumpsit à Stoicis materiam cum Domino ponere, quæ ipsa semper fuerit neq; nata neq; facta, nec initium habens omnino, nec finem, ex qua Dominus omnia postea fecerit.* Tert. c. 1. contra Hermogen. Hinc deducit Tertullianus alium errorem (2.) Christum non esse Deum. *Christum Dominum non alium videtur aliter cognoscere, alium tamen facit, quem aliter cognoscit; imò totum, quod est Deus, aufert, nolens illum ex nihilo universa fecisse.* Licet igitur per consequentias deducere ad absurdum hæreticos, quod observent hodierni consequentiarum hostes. Addit Theodoretus alios errores, scil. *Domini corpus in sole depositum esse: Diabolum autem & dæmones in materiam refundendos.* Tertullianus imputare videtur Hermogeni errorem, qui non est, ut ipse potius Tertullianus errorem commiserit. Nam c. 1. contra Hermog. damnare videtur in Hermogene iteratas nuptias, errore Montanistarum deceptus. Vide notas Pamelii ad l. c. *Argumenta* Hermogenis ex Gen. I. 1. 2. refellit Tertullianus c. 19. & 23. Sequaces habuit *Sabellianos*; teste Philastrio Catal. hæret. tit. Sabellius: & confer Danæum not. ad August. d. hæres. c. 41. Sed referamus, qui ante hos fuerunt, *Docetas*, quorum Primipilus fuit *Julius Cassianus*; Sic autem dicti sunt ab *opinione*, quod docerent mysterium incarnationis non fuisse revera, sed merâ opinione peractum: contra quos disputat Clem. Alex. libr. III. strom.

Errores De Deo. Christo. Argumenta, sequaces. *Docetæ.*

§. 19. Lutheranos hujus hæreseos peragunt reos Calviniani. Statuimus nos idiomata divina humanæ naturæ realiter esse communicata; exinde concludunt illi errorē Marcionis à nobis foveri. Sic enim Admonit. Neostad. c. 9. p. 385. 386. *Superant & Marcionis figmentum illud, quod Christus semper impassibilis existens, non revera, sed in spectro, & specietenus sit passus, ne idem pati & non pati, visibile & invisibile simul cogeretur dicere. Ne vel ipsi vel alij dicant nos totam illis molem blasphemiarum Eutychianarum & Marcionticarum objicere: non hoc dicimus, neq; sentimus, sed duntaxat monstramus, quædam veterum hæreticorum dogmata olim ab Ecclesia explosa, ab ipsis renovari, quædam etiam ex ipsorum doctrina consequi. Nunquam enim obtinebunt idem substantia seu subjecto seu numero*

An Lutherani.

corpus simul visibile & invisibile, finitum & infinitum esse posse; sed corpus Christi aut nullum visibile & circumscriptum, aut aliud invisibile & incircumscriptum statuere: Atq; ita vel in Eutychen, & Schvvenckfeldium, vel in Marcionem incidere cogentur. Et Palatini im kurtzen Anhang. p. 272. 273. Da bleiben sie stecken/ und wissen nicht mehr was sie sagen sollen. Den solten sie sagen: ja die menschliche Natur were vom ersten Augenblick der persöhnlichen Vereinigung auch juxta actum secundum, i. e. in der That und Warheit allenthalben gewesen / so würde folgen: daß er weder im Mutterleibe getragen/ noch aus Mutterleibe gebohren/ noch ans Creutz geschlagen/ noch vom Creutz genommen/ und begraben hätte werden können; sondern das alle dieselben Dinge nur purlauter Spiegelfechten gewesen weren/ wie vor Zeiten Marcion hat gedichtet ꝛc. Hæc illi, vide B.D. Nic. Hunn. in diasc d. fund. dis. §. 504. seqq. p. 342. Sumus igitur per istos hac in parte Marcionitæ, imo Marcionitis deteriores. Robusta oportet esse argumenta, quibus hæc evincant. Forsan hæc sunt (1.) N. corpus invisibile & infinitum potest crucifigi: Corpus Christi, per nos Lutheranos, est invisibile & infinitum. E. Corpus Christi per nos, non potuit crucifigi; qui est error Marcionis. (2.) N. Corpus omnipræsens potest crucifigi: Corpus Christi, per nos, est omnipræsens: E. ℞. ad. 1. minor est falsa. Non dicimus nos corpus Christi esse invisibile & infinitum: Nec ex communicatione idiomatum sequitur. Aliud enim est communicatam habere divinam naturam, hypostasin, & idiomata, quæ sunt infinita & invisibilia; aliud infinitum & invisibile esse. Corpus hominis communicatam sibi habet animam, quæ est spiritus, & facultates, quæ sunt invisibiles, ipsum tamen non est vel spirituale vel visibile. E. nec corpus Christi statim est vel invisibile vel infinitum, dum habet invisibilem & infinitam hypostasin & axiomata sibi communicata. Ad. 2. ℞. Dist. inter statum exinanitionis & exaltationis, & inter idiomatum κτῆσιν & χρῆσιν. Corpus Christi in statu exinanitionis possedit quidem majestatem omnipræsentiæ, sed non exercuit. Phil. II. 6. seqq. Unde minor, si de actu secundo loquatur, est falsa.

(5.) Adversarii.

§. 20. *Adversarij* Marcionitarum plures & præstantissimi viri fuerunt, ut Justinus, referente Irenæo libr. IV. c. 14. Irenæus, ut apparet ex cap. 57. Theophilus Antiochenus; Philippus Gortynensis, Modestus, & Origenes, & Rhodon, & Adamantius, & Hippoly-

polytus, & Emesenus Eusebius; referente Theodor. lib. I. de fab. hæret. c. 25. confer Euseb. lib. IV. hist. c. 10. 22. 23. 24. V. 8. 13. addit Bardesanem lib. IV. c. 28. præprimis observa Tertullianum, quem miror ab Eusebio & Theodoreto fuisse præteritum, cum tamen libros. IV. contra Marcionem scripserit. Ex his fuerunt quidam & ipsi hæretici, ut Bardesanes Valentinianus, Rhodon Encratita, Tertullianus Montanista, ut appareat, non statim orthodoxos esse, qui contra heterodoxos disputant.

§. 21. *Encratitæ.* Horum observanda sunt (1.) *Nomina.* Dicuntur ab *auctore Tatiani.* Fuit autem Tatianus, quem Aug. d. hæres. c. 25. Tacium vocat, natione Syrus, discipulus Justini Martyris, orthodoxia quondam eruditione, & scriptis clarus, de quibus supra artic. 1. sed Justino defuncto i. e. custode remoto, in hæresin incidit, ambitione impellente. *Præsumptione elatus & inflatus, quasi præ cæteris esse proprium characterem, doctrina constituta*; ait Iren. l. 1. c. 31. citante Eusebio lib. IV. c. 27. Aliud nomen est *Encratitæ.* Hoc acceperunt à professione. Vel, ut Clem. Alex. lib. VII. f. 765. loquitur, ἀπὸ ἐνεργείας, *ab operatione.* Profitebantur enim abstinentiam à nuptiis, carne, & vino, de quibus postea. Epiphanius equidem libr. 2. t. 1. hæres. distinctionem facit inter Tatianos, de quibus agit lib. 1. t. 3. c. 46. & Encratitas, quos ἀποσπάσματα illorum vocat; sed nomine tantum differunt, non re, ut apparet ex Euseb. l. IV. c. 27. dum hi subtilius proferebant, quod illi crassius eloquebantur. Appellantur & *Hydroparastatæ,* aquæ repræsentatores. Nam loco vini aquam in S. Cœna adhibebant. (2.) *Ætas.* Colligi potest ex dictis. Nempe vixisse Tatianum sub Antoninis, sub quibus & Justinus istius præceptor; *Floruit cum Justino Philosopho,* scribit Epiph. hæres. 46. (3.) *Errores.* Colluvies fuit hæresis hæc ex erroribus Simonianorum, Saturnilianorum, Valentinianorum, Marcionitarum, & recens natorum deliriorum. Clem. Alex. lib. III. strom. f. 465. Theod. lib. 1. de fab. hæret. cap. 20. Referamus ordine: *In principium fidei,* scripturam, impingebant, dum verbo scripto & authentico non contenti superinducebant Thomæ & Andreæ Apostolorum scripta. Imo Tatianus ex quatuor Evangeliis unum faciens, quod harmoniam vocabant, resecuit genealogiam Christi, ne videretur ex conjugatis esse natus. Theod. l. c. Idem Mosis damnabat scripta, quod in ea con-

[Margin: IX. *Encratitarum* (1.) Nomina — (2.) Aetas. — (3.) *Errores* — de principio fidei,]

jugibus & filiis promittantur benedictiones: vide Clem. l. 3. strom. f. 460. Imo, si Orig. lib. V. contra Cels. p. 274. credendum, Encratitæ non recipiebant Epistolas Paulinas. *Christi* naturas vellicabant. *Divinam*; Valentinianorum de Æonibus deliria sectantes; Theodoretus loc. cit. & *humanam*; Negabant enim ex semine David Christum esse natum, ne nuptias concedere cogerentur. De homine in *statu institutionis* Tatianus delirabat. Nam imaginem divinam statuebat esse spiritum animâ præstantiorem; Tat. orat. ad Græc. fol. 198. *Destitutionis* non minus errabat: *Factus est quidem ab initio spiritus animæ familiaris, sed quum non vellet spiritum sequi, deserta est.* fol. 199. *Eucharistiam* corrumpebant, aquam vino substituentes; Vinum enim sobrietati obesse dicebant. *Continentiæ* studiosi ut viderentur, abstinebant à nuptiis: varia tamen sententia. Nam initio crudè admodum loquebantur de conjugio, quod damnabant: *Nuptias corruptionem, & scortationem putat,* juxta Epiphanium; *Nuptias damnant* (Tatiani) *atq; omnino pares eas fornicationibus aliisq; corruptionibus faciunt, nec recipiunt in suorum numerum conjugio utentem sive marem, sive fœminam.* Aug. d. hæres. c. 25. Sed cum nimis esse crassam hanc sententiam animadverterent, cœperunt honorificentius de conjugio, & circumspectius de cœlibatu loqui; nempe prætexebant castitatem, sanctimoniam & perfectionem, ut apparet ex libro Tatiani de perfectione servatoris, Clem. Alex. lib. III. p. 460. & ex mutato sectæ nomine; cum enim prius dicerentur Tatiani, postea Encratitæ audiverunt. *Epiphanius Tatianos & Encratitas ita discernit, ut Encratitas Tatiani schismaticos dicat,* ait Aug. c. 25. de hæres. Clemens lib. 1. Strom. f. 305. cum Gymnosophistis abstemiis à Venere & liberorum procreatione comparat. Vide Chemnit. part. III. exam. p. 8. Quare non evadunt Pontificii, quin hæreticorum horum numerum augeant sua de cœlibatu sententia. Continebant quoque sese ab animantibus seu à carnibus, & vino. *Non enim vescuntur carnibus, easq; omnes abominantur*; teste l. c. Augustino. Forsan quia scandala dare, & libidinem accendere videntur. *Monogamiam* tamen permittebant, etsi ægrè, *propter liberorum procreationem & domus curam gerendam.* Clem. Alex. l. 3. strom. fol. 461. secundas verò nuptias omnino damnabant. Resurrectionem etiam animarum statuebant. Sic enim Tatian. orat. ad gent. f. 199. orthod. Patr. *Non immor-*

[Margin notes: de Christo. — de Eucharistia. — de continentia, — à nuptiis. — & carnibus.]

immortalis eſt anima, ô Græci, ſuapte natura, ſed mortalis; Eadem tamen ne moriatur fieri poteſt; Moritur enim & diſſolvitur cum corpore, quæ veritatis ignara eſt; reſurgit autem poſtea in conſummatione mundi una cum corpore, mortem in ipſa immortalitate per cruciatum & pœnam ſentiens. Salutem denegabant Adamo: Iren. lib. III. cap. 39. Cauſſa videtur fuiſſe, quod ſpem veniæ decollare apud peccatores exiſtimarent, quæ conjectura eſt Danæi ad Aug. d. hæreſ. c. 25. (4.) *Fautores & ſectatores.* Multi fuerunt, qui ſpecioſæ & ſanctulæ ſectæ nomen darent. (4.) *Fautores* multi in ſpecie Cœpit quidem Romæ, ſed mox in Aſiam navigavit, Syriam, Meſopotamiam, Piſidiam, Pamphiliam & minorem Aſiam pervagata; præſertim autem in Phrygia & Galatia ſedem etiam Epiſcopalem habuit. Inter ſectatores celebre nomen eſt *Severi*; *Severiani* Nam & ipſe nuptias damnabat. Dicebat enim mulierem eſſe opus Satanæ, ut Satanæ opus expleat, quisquis matrimonium contrahat: Addebat, inferiores humani corporis partes ab umbilico usque ad plantas, eſſe opus dæmonis: ut eo magis à conjugio abſtinendum ſit. Sed & vinum horrebat, utpote natum ex ſemine ſerpentis; hinc eſſe quod hauſtum turbet mentem, & venerem cieat; ſed & Apocryphis Sectarii utebantur libris, ex quibus forſan hos & ſimiles errores didicerunt. Epiph. lib. 1. t. 3. c. 45. rejectis Pauli epiſtolis & Apoſtolorum actis. Theod. lib. 1. fab. hæret. c. 21. *Sectæ* ex his natæ fuerunt, Aquarii, *Sectæ.* *ex hoc appellati, quod aquam offerunt in poculo ſacramenti, non illud, quod omnis Eccleſia*; ait Aug. c. 64. de hæreſ. *Valeſii*; Nam hi ſeipſos caſtrabant; & conjugia damnabant, ſub prætextu continentiæ: vide Danæ. not. ad Aug. d. hæreſ. cap. 37. *Apoſtolici.* Nec enim hi in ſuam recipiebant communionem niſi cœlibes; & proprietati rerum abdicantes ſeſe. Epiphanius hæreſ. 6. ita deſcribit: *Gloriati ſunt de inopia, lapſos non receperunt, nuptias damnarunt. Actibus Andreæ & Thomæ ut plurimum uſi ſunt.* Hæc ille. *Encratitis iſti ſimiles ſunt*; ait Aug. d. hæreſ. c. 40. In horum cenſum refert Clem. Alex. lib. III. Strom. f. 465. quendam *Julium Caſſianum*, contra quem prolixe diſputat: & quædam citat ex libro de continentia vel caſtitate περὶ ἐγκρατείας ἢ περὶ εὐνουχίας; petita ex Evangelio apocrypho, nempe ſecundum Ægyptios, ut Clemens explicat. Vide Chemnit. part. III. exam. pag. 8. ſeqq. citat inde colloquium Salome cum Chriſto de fugiendo conjugio. (5.) *Adverſarij* qui fuerint in compendio refert Theo- (5.) *Adverſarii.*

do-

doretus: *Contra hos scripsit Musanus veritatis Patronus, & Clemens Stromateus, & Apollinarius Hierapolitanus in Phrygia Episcopus, & Origenes.*

Montanistarum. §. 22. Surculus ex Tatianorum stirpe sunt Montanistæ. *(1.) Nomen* acceperunt ex variis: Ab *auctore,* qui erat Montanus, ex vico (1.) *Nomen.* Ardaban, vel Pepuza, certè ex Phrygia oriundus. Vixit ille circa annum Chr. 172. juxta Chronicon Eusebii: & hæresis caput spargere tempore Apollinarii. Euseb. lib. IV. hist. c. 26. Impulit autem hominem ambitio, quæ potissima hæreseon caussa est, referente quodam apud Euseb. lib. V. histor. c. 15. nec non impudentia & audacia; Censente Miltiade. c. 16. Et quod caput rei est, inscitia; l. c. & impudentia. *Montanus enim, dum ardentius oppugnat illos, qui passim dignis & indignis aperiebant Ecclesiæ fores, plus satis taxata severitate disciplinæ Ecclesiasticæ indiversum incidit malum.* Verba sunt Erasmi in præfat. ad Hilar. f. 5. Coadjutrices habuit, ut plerumque hæresiarchæ, fœminas Priscam & Maximillam à maritis suis abstractas, speciosas, & seductrices. Dignum tamen sceleribus exitum habuerunt, siquidem omnes sese suspenderunt. Ita enim refert ille apud Euseb. libr. V. hist. cap. 15. Dicti etiam sunt *Quintiliani* à Quintilla Pseudoprophetissa. Aug. d. hæres. c. 27. *A loco,* ubi nati & versati sunt potissimum. Nam dicti sunt *Cataphryges,* à Phrygia, quæ Montani patria fuit, & hæresis sedes præcipua: Sicut igitur Procliani dicuntur: Cata Proclum; & Æschiniani Cata Æschinem; ita Cata Phrygas secundum Phrygas illi appellabant. Sed & *Pepuziani* sunt dicti à vico Pepuza, quam quidam credebant Montani patriã, tanti faciebant locum, ut Hierusalem vocarent, teste Aug. c. 27. d. hæres. *Ab opere* dicti sunt Tascodragitæ juxta Epiphanium, quod inter orandum indicem digitum immitterent naribus, tanquam palum, ut eo essent attentiores. Quo cum nomine congruunt Pattalorinchitæ; qui *in tantum silentio studebant, ut naribus & labiis suis digitum opponerent, ne vel ipsam taciturnitatem voce præcipiant, quando tacendum sibi esse arbitrantur.* Aug. c. 63. d. hæres. sed & *spirituales* vo-
(2.) *Asseclæ.* cabantur à charismatibus Spiritus S. quæ jactabant. (2.) Asseclas habuit multos. Quod ex multis indiciis colligas. Nam refert Euseb. V. hist. c. 3. quod *Montanus, & Alcibiades & Theodotus in Phrygia jam tum prophetandi opinionem apud complures fuerint adepti,* adeo ut orthodoxi consilium Ecclesiæ Gallicanæ in controversia ista expete-

peterent. cap. 15. Refertur de disputatione publicè contra ipsos in Galatia habita: ibidem habetur, quod Ecclesiæ sæpius convenerint ad doctrinam istam & prophetiam explorandam; oportet igitur illam longe lateque esse grassatam. Sed & inde patet, quod, qui spiritum Maximillæ volebant ejicere, prohibiti fuerint ab aliis. Facit Baronius ann. 173. §. 2. tria eorum tempora: primum, quo sub Ecclesia visibili latebant opinione sancti; secundum, quo in controversiam deducebantur; tertium, quo Ecclesia extrudebantur: *Quod quidem*, addit, *non fuit parvi negotij opus: tantam enim sibi apud plurimos æstimationem & gloriam comparaverant, ut nec jam detecti exciderint ab opinione multorum; imo & qui de eis aliquando recta sensissent atq; damnassent, postea fraude pellecti eorundem facti fuerint acerrimi defensores, ut Tertullianus* &c. §. 3. Nobiliores inter sectatores erant Alcibiades & Theodotus, qui tamen miserè periit. Sublatus enim à spiritu suo in sublime, decidit, & miserè interiit. Fuit & alius, Themison nomen erat, qui Montanum imitatus Catholicam audebat Epistolam ad Ecclesias omnes exarare. c. 17. Et reprimebat Episcopos Maximillæ spiritum redarguentes. c. 15. Erat inter fautores & *Proculus*; quem Tert. contra Valent. lib. c. 5. *Virginis nostræ senectæ & Christianæ eloquentiæ dignitatem* vocat. Sed quidam nobilis sub Zepherino Theologus Cajus contra ipsum scripsit; citante Euseb. l. II. hist. c. 24. confer Bar. an. 173. §. 73. *Tertullianus* ipse atq; hæc forsan caussa est, quod Hieronymus in catalogo ejus non meminerit: desinat E. ejus absentiam mirari Scal. ad Euseb. 210. Eodem referri potest, & quidem potiori jure, quam ad Marcionitas, *Julius Cassianus* ὁ τῆς δοκήσεως ἐξάρχων *Visionis seu phantasiæ princeps*; uti vocatur à Clem. Alex. lib. III. f. 465. qui opus edidit περὶ εὐνουχίας *de continentia*; petitis ex Evangelio Ægyptiorum traditionibus. Quem loc. c. Clemens allegat, & refutat. Huc quoque spectat *Praxeas*. Sed de eo seculo sequente dicemus. *Media*, quibus usus est, ita erant Media. comparata, ut facile in societatem allicerent alios. Nam *sui verbi prædicatoribus salaria suppeditabat*; c. 17. Præterea sanctissimam asseclæ præ sese ferebant & doctrinam & vitam: *Nam scripturas omnes cum Catholicis tam V. quam N. T. recipiebant: De Patre, Filio, & Spirit. S. paria cum Ecclesia sentiebant. dona spiritus esse pariter in Ecclesia ac fidelibus etiam impertita, affirmabant: disciplinam insuper Ecclesiasticam se arctissimè servare*

 profi-

profitebantur: jejunia, martyria, & cuncta alia, quæcunq; in pretio essent in Ecclesia Catholica excolere diligentissimè curabant; nec ea quidem verbis duntaxat, sed re ipsa præstare videbantur. Magnam itaq; hæc omnia apud unumquemq; durioris licet ingenij hominem vim habuisse quis dubitet? Bar. l. c. §. 7. Hæc ille, quæ tamen non cohærent cum §. 24. ubi refert, quod Montanus Sabellii fuerit prodromus: Non igitur *de Patre, Filio, & Spiritu S. paria cum Ecclesia sentiebat:* Nisi dicas consequenter Trinitatem negasse. §.25. Trinitatem autem confundebat, adeo ut Noëtus dicatur fuisse Montani discipulus confundens personas. Hieron. epist. 54. Quo magis mentitur Jon. Schlichtingius Socinianus, cum præfat. contra Meisnerum, scribit, doctrinam de Trinitate *à Praxeanis fotam, & à Montanicis exclusam esse.* Imprimis autem Spiritum Sanctum blasphemabat, mentitus se esse paracletum à Christo promissum, vel certè præditum esse eo Spiritu, quem Christus promisisset. Reclamabant quidem Montanistæ, ut Tert. d. jej. c. 1. quasi sibi fieret injuria: *Hi paracleto controversiam faciunt, propter hoc novæ prophetiæ accusantur, non quod alium Deum prædicent Montanus, & Priscilla, & Maximilla, nec quod Jesum Christum solvant, nec quod aliquam fidei aut spei regulam evertant, sed quod plane doceant sæpius jejunare, quam nubere.* Verum enimvero per consequentiam facile est elicere, quod Trinitatis mysterium læserint; ut apparet ex allegata Hieronymi epistola. 54. 3. De prædicatione verbi errant, dum & *mulieribus principatum dant, ut sacerdotio quoq; apud eos honorentur:* Aug. 27. hæres. Sed & in administratione Sacramentorum, ut Eucharistiæ. Nam panem cum sanguine miscent, & ita distribuunt. Dicuntur puerum acubus compunxisse, & sanguinem excepisse, quod si mortuus ille, pro martyre ipsum habuisse; Sed illi, scribit Theodoretus, *non fatentur, & sui accusationem calumniam vocant.* Forsan igitur degenerantes à Montano hæretici ista perpetrabant. In moribus peccabant, cum in excessu, incestuosos concubitus concedentes; tum in defectu. Nam negabant fugam in persecutione esse licitam. Vitia acriter reprehendebant. Montanus enim peccata apertè redarguit, ut *peccaretur etiam corrector vitiorum.* Euseb. lib. V. c. 15. *secundas nuptias pro fornicationibus habent.* c. 26. Aug. primas autem tolerari posse in infirmis, secus in perfectis. Et jejuniis corpus macerabant. Nam refert Apollonius apud Euseb. hist. V: c. 17. quod Montanus *jejunia certis legibus*

gibus definiverit: Græca sic sonant: ὁ νηστείας νομοθετήσας. Est autem νομοθετεῖν *quando non relinquitur cujusq; sententiæ & voluntati liberum, sed fertur lex necessitatis, additis comminationibus peccati, & pœnarum, si non hoc modo observetur.* Explicante Dn. D. Dannhavv. Christeid. pag. 535. & Theod. scribit Montanum introduxisse νηστείας καινὰς παρὰ τὸ τῆς ἐκκλησίας ἔθος *nova jejunia præter Ecclesiæ consuetudinem.* Vocat *consuetudinem,* non legem; Quales vero erant illæ Montani leges? & quæ jejunandi ratio? Patres hujus seculi, qui supersunt, aut prorsus non meminerunt, aut perfunctoriè retulerunt; caussa forsan erat subtilis Montani hypocrisis, qui non, ut Tatianus, carnem & vinum, ut diaboli opera, damnabat, sed sub specie sanctiore, nempe continentiæ, ciborum & potus delectum commendabat. Super est tamen ex schola Montanistarum Tertullianus, & ex scriptis ejus aliquod de jejuniis adversus Psychicos i. e. fatente Pamelio not. ad Tertul. de jejun. c. 1. f. 698. Ecclesiam, pro Montano editum, ex quo de jejuniis Montani licebit judicare. Digeramus autem librum Tertulliani de jejuniis in suas partes, ut evidentius appareat, quid inter Psychicos & Spirituales, i. e. Catholicas & Montanistas fuerit disceptatum, ut tandem Pontificii sese nosse ediscant.

§. 23. (1.) *Status controversiæ* erat partim de cibis, partim de tempore. Sic enim ipse Tertull. c. 11. indicat, faciens anacephalæosin ante dictorum, nempe *jejunationum, Xerophagiarum, & stationum.* Urceum ergo in limine perdit Pamelius notis ad cap. 1. §. 1. cum præoccupat: *Non in hoc consistebat Montani atq; adeo ejus asseclæ Tertulliani hæresis, quod jejunio uterentur, sed quod Xerophagiarum hebdomadas, sive tres quadragesimas observarent.* Nec obstat. c. 15. ubi auctor dicit: controversiam fuisse de hebdomadis Xerophagiarum: Fuit utique; sed non sola; fuit etiam de jejunationibus, & stationibus: uti modo ostensum. Removenda autem sunt, de quibus non quærebatur: An cibi per sese essent mali? qui error erat Marcionis, & Tatiani, & Pythagoreorum. Nam hoc Montanistæ non dicebant. Nam c. 15. Tertullianus Resp. ad dictum 1. Tim. IV. 3. nempe Paulum *prædamnasse perpetuam abstinentiam* (à carne & vino) *præcepturos ad destruenda & despicienda opera creatoris, quales inveniam apud Marcionem, apud Tatianum, apud Jovem hodiernum de Pythagora hæreticum, non apud Paracletum.* Et mox: *Non rejicimus, sed differimus.* Et iterum dist. *Status* controversiæ de *jejuniis.*

inter eos, qui *ex fastidio, & ex officio* abstinent : & eos, qui *in honorem*, & qui *in convitium creatoris* : hoc non dicebat Montanista, sed illud. Nam dicit Tert. *ad destruenda & despicienda opera creatoris*, abstinuisse dictos hæreticos, à malo Deo blasphemantes ea facta esse, à serpente scilicet genita; Hujus gratia non abstinebant Montanistæ. Quare iterum impingit Epiphanius , cum Montanistis tribuit sententiam Marcionis, Tatiani &c. *Præcipiunt abstinere cibis, non disciplinæ gratia exhortantes, non majoris virtutis gratia, non præmiorum & coronarum gratia, sed quod ea, quæ à Domino facta sunt, abominabilia judicant.* Injuria fit Montanistis : Nam urgebant disciplinam. Sic enim Tertull. c. 1. *Agnosco igitur animalem fidem studio carnis, qua tota constat, tam multivorantiæ, quam multinubentiæ pronam, ut merito spiritalem disciplinam pro substantia æmulam in hac quoq; specie continentiæ accuset.* Et c. 6. *omnem disciplinam victus aut occidit, aut vulnerat.* c. 17. *palam disciplinas nostras vindicemus.* Sed & illud falsum est, quod Montanistæ jejunia urserint *non majoris virtutis gratia:* Nam c. 1. urget continentiam, & sobrietatem, & castitatem : *quomodo enim protegam castitatem, & sobrietatem sine taxatione adversariorum?* c. 6. urget ὁμοίωσιν τοῦ θεοῦ, qui utiq; supremus est virtutis gradus : *Si enim Deus æternus non esuriet, ut testatur per Esaiam, hoc erit tempus, quo homo Deo adæquetur, cum sine pabulo vivit.* Etiam in eo erravit Epiphanius, quod neget *gratia præmiorum* Montanistas sic docuisse. Nam c. 3. ostendere vult, *quantum valeat apud Deum inanitas ista; & ante omnia unde ratio ista processerit hoc modo promerendi Deum.* c. 7. procedit *ad exempla, uti revolvamus utilitatis efficacia potestates istius officij, quod etiam iratum Deum homini reconciliat.* Subjicit exempla Israëlitarum sub Samuele 1. Sam. VII. Hiskiæ 2. Reg. XVIII. XIX. Achabi. 1. Reg. XXI. Annæ. 1. Sam. I. Danielis; Dan. II. &c. Sed & *coronarum gratia* abstinere sese Montanistæ jactabant; Nam respiciebant martyria, ad quæ sese præparabant, nempe ut *eo fidentior procederet* (Christianus) *ad certamen è custodia, abusus nihil habens carnis.* c. 12. Et pugnet *adversus mundi potestates, adversus spiritualia militiæ* &c. c. 17. Maxime omnium Epiphanius errat, cum ideo abstinuisse scribit, *quod ea, quæ à Domino facta sunt, abominabilia judicarent.* Hoc enim ex nullo veterum probavit; imo contrarium ex Tertulliano, συγχρόνῳ ferè Montani, ostendimus paulo ante, & colligi potest ex Baronii verbis paulo anta allegatis, in quibus describit speciem

ciem hæreseos, quæ non fuisset speciosa, si tam crudè de creaturis Dei essent locuti. Ecce tibi, inquit l.c. Baronius: *qui non ita pridem, nempe hoc ipso seculo, Gnosticorum & aliorum, quos retulimus, turpitudines commentus erat, ut ignominiam irrogaret Ecclesiæ, eamq; penitus labefactaret, jam defectus, & una cum suis sectariis omni execratione dignus habitus, atq; proscriptus, immutans speciem, omnesq; exuens prioris habitus impuritates, sordes ac turpitudines, superinducta summæ atq; admirandæ sanctitudinis composita larva progreditur, nonnisi jejunia, continentiam & martyria prædicans, ostentansq; in suis prophetiæ spiritum, & summa illa à Christo olim promissa fidelibus charismatum dona, multaq; alia superaddens, quæ ad sectam esse possent illecebræ, maximo omnium fuit Ecclesiæ detrimento.* Hæc Baronius. Nec erat quæstio apud orthodoxos *de libertate*; quam ipsi largiebantur; sed de necessitate, quam Montanistæ urgebant, *Itaq; de cætero indifferenter jejunandum ex arbitrio, non ex Imperio novæ disciplinæ, pro temporibus, & caussis uniuscujusq;.* Sic ex mente orthodoxorum loquitur Tertul. c. 2. Et de stationibus eorundem refert sententiam cap. 10. *hoc quoq; munus & ex arbitrio obeundum esse dicentes.* Iterum suo ipsos exemplo urgere vult, quod & ipsi jejunarent: At respondebant orthodoxi: *Hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio* c. 13. Jejunabant igitur & Psychici, ut vocabant, *diebus* scilicet, *quibus ablatus est sponsus*, præcedentibus pascha; Et feria item quarta & sexta. Sed liberè: Et extra hoc statum jejuniũ erant alia vaga, prout necessitas vel Ecclesiæ in publicis precibus, conciliis, calamitatibus; vel ratio cujusvis requirebant: Quare non erat quæstio: an liceret; sed an necessarium esset hoc modo, vel tempore? jejunare.

De stationibus:

§. 24. (II.) *Sententia orthodoxorum* erat. 1. de *jejunio* propriè sic dicto hæc: *In Evangelio illos dies jejuniis determinatos esse, in quibus ablatus est sponsus; & hos esse jam solos legitimos jejuniorum Christianorum, abditis legalibus & propheticis vetustatibus.* Ita refert Tert. c. 2. (2.) De *delectu* ciborum, ut erant Montanistarum ξηροφαγίαι, erat hæc: *Esse eas novum affectati officij nomen & proximum Ethnicæ superstitioni* &c. *cum fides libera in Christo ne Judaicæ quidem legi abstinentiam quorundam ciborum debeat, semel in totum macellum ab Apostolo admissa, detestatore eorum, qui, sicut nubere prohibeant, ita jubeant cibis abstinere à Deo conditis.* c. 2. (3.) De *tempore*, Quando & quousque, *hoc quoque munus & ex arbitrio obeundum esse.* c. 10. Ipsi quidem observabant eo tempore, quo Christus

Sententia orthodoxorum. (1.) De jejunio ipsorum. (2.) De delectu ciborũ. (3.) De tẽpore.

Sententia Mõtanistarũ (1.) De jejunio.

erat passus; & continuabant ad horam usque nonam. Contraria erat sententia Montanistarum. (1.) Necessitate præcepti & meriti abstinendum esse saltem aliquando à cibis. Vult enim Tertul. cap. 3. ostendere, *quantum valeat apud Deum inanitas ista; & ante omnia, unde ratio ista processerit hoc modo promerendi Deum: tunc enim agnoscetur observationis necessitas.* Statuit igitur jejunium esse opus necessarium & meritorium.

(2.) De ξηροφαγίαις.

(2.) Xerophagias esse utiles & necessarias: *Principalis hæc species in castigatione victus potest jam de inferioribus quoq; abstinentiæ operationibus præjudicare, ut & ipsis pro modo utilibus, aut necessariis.* c. 9. Utiles igitur & necessariæ sunt ξηροφαγίαι.

(3.) De tempore.

(3.) Tempus celebrandi jejunium *non esse ex arbitrio*, sed necessitate obeundum. c. 10. De his breviter c. 1. sic loquitur Tert. *Arguunt nos, quod jejunia propria custodiamus: quod stationes plerumq; in vesperam producamus, quod etiam Xerophagias observemus, siccantes cibum ab omni carne, & omni jurulentia, & avidioribus quibusq; pomis, ne quid vinositatis vel edamus, vel potemus.*

Argumenta orthodoxorũ κατασκευαστικά.

(1.) A divina permissione.

§. 25. (III.) *Argumenta* orthodoxorum pro sua sententia stabilienda, seu κατασκευαστικά, sunt desumpta (1.) *à permissione* divina, Noacho facta: *Erunt (* bestiæ *) vobis in escam, velut olera fœni dedi vobis universa.* Genes. IX. 3. Excipit l. cit. Tertullianus, permisisse Deum non absolutè, sed secundum quid, ob hominum infirmitatem.

(2.) Legis Mosaicæ abrogatione.

(2.) *ab abrogatione* legis Mosaicæ facta in N. T. Nam *Lex & Prophetæ usq; ad Joannem* c. 2. & 11. ex Matth. XI. 13. & Actor. XV. 10. 28. Gal. IV. 10. seqq. Excipit Tertul. c. 14. intelligenda esse ista de abrogatione *Judaicarum cæremoniarum, & legalium solennitatum; illas enim Apostolus dedocet:* Nequaquam de novis & solennibus, quales Paracletus docuisset.

(3.) A frustraneo.

(3.) *à frustraneo.* Nam 1. Cor. VIII. 8. cibus nos non commendat coram Deo, quippe qui respicit dilectionem. c. 2. excipit Tertul. c. 15. *Tibi magis insonat, qui abundare te existimas, si edas; & deficere, si non edas, & ideo ista detrectas*, Retorquet igitur dictum. Et unius exclusio, ait, non est alterius exclusio. *Nam etsi mavult opera justitiæ, non tamen sine sacrificio, quod est anima conflictata jejuniis.* c. 16.

(4.) Ab Exemplis.

(4.) *Ab exemplis* Christi, qui edit & bibit; & Apostolorum; qui & ipsi sic observarunt. Excipit Tertul. c. 15. Christum etiam jejunasse, & beatos prædicasse, qui esuriunt, & sitiunt Apostolos aliis etiam, quam 9. hora solvisse preces & jejunia.

Ἀνασκευαστικά (1.) A novitate.

Argumenta ἀνασκευαστικὰ erant desumpta (1.) *à novitate:* sic enim Tert. c. 1. *novitatem objectant,* scil.

scil. ψυχικοὶ. & c. *Xerophagias novum affectati officij nomen* &c. c. 11. *Eos revincamus, qui hæc, ut nova, accusant.* Excipit Tert. c. 11. novitatem non obesse, si opus fiat in honorem Dei: *eidem Deo currant, cui & vetera.* (2.) *Ab improbatione divina.* Nam Isai. LVIII. 3. 5. Non tale jejunium Deus elegisse dicitur. Excipit Tertul. c. 14. aliud est jejunium non elegisse, aliud tale non elegisse, hoc, non illud dicit Propheta. (3.) *Ab interdicto Apostoli.* 1. Tim. IV. 3. qui vocat doctrinam dæmoniorum. c. 2. Excipit Tert. c. 15. intelligi hæreticos *perpetuam abstinentiam præcepturos ad destruenda & despicienda opera creatoris, quales inveniam apud Marcionem, apud Tatianum &c.* Se autem sub hac caussa non vetare usum ciborum, sed ex officio & *in honorem* creatoris. Turpiter igitur sese dat Bellarm. lib. 2. de bon. oper. cap. 8. cum hanc Montanistæ responsionem pro sese citat contra Lutheranos. (4.) *A superstitione Ethnica.* Sic enim Tert. libr. 2. refert verba orthodoxorum: *Xerophagias novum affectari officij nomen, & proximum Ethnicæ superstitioni, quales castimoniæ Apim, Isidem, & magnam Matrem certorum eduliorum exceptione purificant, cum fides libera in Christo, ne Judaicæ quidem legi abstinentiam quorundam ciborum debeat.* Regerit Tert. cap. 16. hanc esse *blasphemiam*; Et retorquet, multo magis hoc faciendum esse Christianis, si Ethnici faciant: *Ille deniq; Deo idolo gulam suam mactat, tu Deo non vis.* l. c. (5.) *A silentio scripturæ.* Sic enim refert orthodoxorum dilemma c. 11. *Aut Pseudoprophetia est, si spiritalis vox solennia ista constituit, aut hæresis, si humana præsumptio adinvenit.* Regerit: *à quocunq; institutore sunt, sive spiritali, sive tantum fideli, eidem Deo currant, cui & vetera.* Fatetur igitur ex scriptura non posse probari, sed ex traditione petenda esse.

(2.) Ab improbatione divina.

(3.) Ab interdicto Paulino.

(4.) A superstitione Ethnica.

(5.) A silentio scripturæ

§. 26. Argumenta Montanistarum (I) Καλασκδασικὰ (1.) *Pro abstinentia è cibis* desumpta sunt *Ex dictis V. T.* ut Genes. II. 17. prohibet Deus Adamo arborem scientiæ boni & mali. c. 3. i. e. jejunare jussit. Psal. LI. 19. anima laudatur conquassata *propriè utiq; cibi angustiis.* c. 4. Lev. XXIII. 27. Deus leges præscribit, *quæ decerperent victum, ademptis quibusdam veluti immundis.* cap. 5. Joel. II. 12. Præcepit Deus conversionem per jejunium. c. 16. Ex N. T. Matth. V. 6. Ex *Exemplis* cum V. T. tum N. T. ut sunt Mosis, qui jejunus mansit in monte Sinai per dies & noctes 40. Exod. XXIV. v. 18. Heliæ. 1. Reg. XVII. XIX. 8. Samuëlis & Israëlitarum 1. Samuel. VII. 6. Hiskiæ, Acha-

Argumenta Mõtanistarũ

I. Ἀνασκευαστικὰ.

(1.) Pro *Jejunio ex dictis* V. T. & Nov. T. ex *Exemplis* V. T. & N. T.

&gentilium Achabi, Danielis. c. 7. Annæ: Et Christi ipsius; Pauli. cap. 9. imo ipsorum etiam gentilium. *Sed & omnem ταπεινοφροσύνην Ethnici agnoscunt, cum stupet cœlum, & aret annus, nudipedalia denunciantur, Magistratus purpuras ponunt &c.* Exemplis accedunt *rationes*, ut quod jejunium sit *disciplina*, qua compescatur gula & refrenetur libido. c. 1. Contra autem sobrietas, & castitas foveatur: gloriatur enim Tert. c. 1. sese *protegere castitatem & sobrietatem*, Contra carnales Psychicos. Ulterius progreditur in *utilitatibus* jejunii exaggerandis cum corporalibus, tum spiritualibus: *Corporalibus*, ut est profligatio hostium, per jejunium procurata E. g. à Samuele & Israëlitis Philistæos profligantibus. 1. Sam. VII 6. seqq. Expulsio dæmonum. Matth. XVII. 21. donatio charismatum, ut contigit Danieli revelatio somnii, postquam jejunasset. Dan. II. 18. seqq. Filiorum. 1. Sam. I. 7. *Spiritualibus*, ut remissio peccatorum. Nam Israëlitæ delictum jejunio diluerunt. 1. 7. c. 7. & 12. reconciliatio Dei; Nam *jejunium iratum Deum homini reconciliat*. c. 7. Assimilatio Dei, si enim *Deus æternus non esuriet, ut testatur per Esaiam, hoc erit tempus, quo homo Deo adæquetur, cum sine pabulo vivit.* His & similibus rationibus accedit *revelatio*. Sic enim c. 10. scribit: *Eorum, quæ ex traditione observantur, tanto magis dignam rationem afferre debemus, quanto carent scripturæ auctoritate, donec aliquo cœlesti charismate aut confirmentur, aut corrigantur:* qualis esset à Paracleto de jejunio facta. Et cum Catholici dicerent: *Spiritum diaboli hunc esse*; regerit ille; non esse diaboli, quod *Dei nostri officia indicat*; nec *alij offerat, quam Deo nostro*, &c. c. 11. Nullatenus enim Montanistæ suorum delectu ciborum vel jejuniis volebant Deo derogare. (2.) Pro *Xerophagiis*. Allegat pro sese Tert. c. 9. exempla ex sacris literis sanctorum virorum, qui certum sibi ciborum & potus genus elegerint, abstinentes à lautioribus. E. g. Danielis & Sociorum, qui *leguminum pabulum & aquæ potum ferculis & œnophoris regiis prætulissent*, magno sui emolumento. Dan. I. addit ex c. X. 3 quod idem à cibo delicatiore & potu abstinuisset. Subjungit exemplum Heliæ, cui Angelus *panem solum & aquam obtulisset*. 1. Reg. XIX. 6. seq. Et Davidis, cujus panis erat cinericius & potus lacrymæ. Psal. CII. 10. Et Samuelis, qui vinum & ebriamen non bibebat. 1. Sam. I. 11. Exemplis subjungit *mandatum* divinum. Lev. X. 9. prohibetur vinum ingressuris tabernaculum. Amos. II. 12. reprehenduntur Israëlitæ, quod Nasiræis

[Margin notes: ex *Rationib.* — & *Revelationibus.* — (II.) *Pro Xerophagiis.* Ex Exemplis — & dictis.]

siræis dederint vinum, quod biberent. 1. Tim. V. 23. Paulus quidem Timotheo facit licentiam bibendi vini; *sed hoc ipso abstinentiam vini dignam Deo suasit, quam ex necessitate dissuasit.* Ultimum est ab ipsorum adversariorum consensu petitum. *Ecce enim convenio vos & præter pascha jejunantes, citra illos dies, quibus ablatus est sponsus, & stationum semijejunia interponentes, & vos interdum pane & aqua victitantes, ut cuiq; visum est.* c. 13. Regerebant orthodoxi: *Hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio.* R. Tertul. Si licet ex arbitrio humano jejunare, quanto magis Deo volente. Hæc ille pro Xerophagiis. (3.) *Pro statu tempore jejuniorum.* De hoc agit cap. 10. Et producit exemplum Mosis, qui contra Amalekitas oravit usque ad solis occasum; Josuæ, qui biduo nihil comedit, dum sol & luna steterunt; Saulis, qui vetuit quicquam gustari, donec hostes cæderentur; Danielis, cui noctu apparuit Angelus: Christi ipsius, qui sera vespera obdormivit; eo usque igitur protendendum esse jejunium. Hæc sunt potissima Tertulliani pro Montano argumenta, ex quibus nullum deprehendas à pravitate ciborum & potus per se talium sumptum; sed omnia concernunt, velut videri volunt, mandatum Dei, vel exemplum sanctorum, pietatem, sobrietatem, castitatem, utilitatem, & ἄσκησιν. (III.) Pro tempore.

§. 27. (II.) Ἀνασκευαστικά. Pleraque ita comparata sunt, ut fallaciam accidentis & Elenchi committant. Sunt autem (1.) ab *intemperantia.* Insimulat enim suos adversarios Tertullianus *multivorantiæ*; & quod *ingluvie* ducantur c. 1. Hinc nasci *multinubentiam* & *libidines*, ut ibidem contendit. *Deus tibi venter est, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & sacerdos cocus, & Sanctus Spiritus nidor, & condimenta charismata, & ructus prophetia vetus est.* c. 16. Pergit exaggerando: *Qui sanctior inter vos, nisi convivandi frequentior, nisi obsonandi pollucibilior, nisi calicibus instructior.* Sarcasmus est ejusdem c. 17. (2.) *à damno.* Nam producit exemplum Adami, qui comedendo de fructu vetito, se & totum genus humanum perdidit. cap. 3. Israëlitarum, quos concupiscentia carnium evertit. cap. [illegible] & 16. Filiorum Eli, qui, carnes victimarum lautiores sibi tribuentes, perierunt. cap. 16. Prophetæ apud alium divertentis & epulantis, quem leo in via discerpsit; Imo & divitis epulonis, qui bellaria in inferno luit. (3.) Ab *inhonesto.* Nam oblivionem Dei inducere. Deut. VIII. 11. XXXII. 15. & disciplinam evertere: *Omnem disciplinam victus aut occidit, aut vulnerat.*

II. Ἀνασκευαστικά (1.) Ab intemperantia (2.) à damno (3.) ab inhonesto.

nerat. 1. Cor. XVI. *Manducemus, & bibamus; cras enim moriemur.* c. 17. Hæc prolixius explicare volui ex ipso Tertulliano sectæ addicto, ut appareat, quam vanum sit effugium Pontificiorum, cum ab hæresis Montanistarum contagio sese liberare satagunt. Conferantur enim argumenta Tertulliani cum argumentis ipsorum de jejunio; ovum ovo similius non deprehendetur. Confer Chemnit. part. IV. Exam. p. m. 219. seqq. Dn. Dannh. Christeid. p. 533.

(3.) *Mores.* §. 28. (3.) *Mores:* Præ sese ferebant *pietatem erga Deum,* dum negabant fugam in persecutionibus esse capessendam; quare persecutoribus ultro sese objiciebant, deinde martyrum suorum sese sanctitate ostentabant. *Cum jam omnia illorum sint penitus confutata, & nihil habeant, quod dicant amplius, ad Martyres confugiunt, seq; affirmant plures habere martyres: atq; hoc certum argumentum esse virtutis & potentiæ, quæ est in prophetico illorum spiritu abdita.* Sic ille Montanistarum Antagonista refert apud Euseb. V. c. 15. Sed dat instantiam: *Etenim non pauci aliarum hæresium propugnatores permultos venditant se habere martyres, non tamen propterea cum illis consentiemus, neq; illos veritatem penes se tenere fatebimur.* Hæc ille apposité. Observent idem hodiè, qui martyres jactant prius, quam doctrinam suam veram esse probarint. Habeant sibi responsum, quod ille Montanistis dedit. Priscilla etiam & Maximilla zeli prætextu relictis suis maritis Montanum sequebantur. Sed hypocrisis erat. Nam quod de persecutionibus jactabant non fugiendis, contrario ipsi exemplo evertebant, ut docet Apollonius exemplo Themisonis, *qui pecuniarum multitudine sese è vinculis eripiebat.* Euseb. lib. V. c. 17. De martyribus vana erat gloria: Nam quod ex ipsorum cœtu suppliciis quidam affecti sunt, factum erat ob ipsorum flagitia, testantibus ipsis tabulis publicis, quibus ea inscripta habebantur. l. c. Imo quidam ipsorum adversarius exprobrat ipsis defectum martyrum. c. 15. Continentiæ laudem captabant, sed res gestæ reclamabant. Nec enim sese continebant à pecunia, quam sub nomine oblationum populo extorquebant, & inter suos prædicatores distribuebant; nec à latrociniis, ut quidam Alexander; nec à coma coloribus illita, nec à stibio oculos oblinente, nec à sumptuosis & splendidis vestimentis: nec à tabulis & tesseris; nec à fœnore; quæ omnia ipsis exprobrat Apollonius cap. 17. Euseb.

Charismata. *Charismata* jactabant, ut sunt revelationes divinitus factæ, & vaticinia,

nia, quæ edebant. Sed redarguebantur à Miltiade ex habitu prophetandi, qui inquietus *i. e.* alius fuit, quam veterum Prophetarum cum in V. T. tum in N. T. Euseb. V. 16. *Locus* fuit Phrygia, & in ea Pepuza & Tymium oppida, quæ vocabant Hierusalem, referente Apollonio apud Euseb. libr. V. c. 17. & 3. Et Galatia, ejusdemque Metropolis Ancyra, ut nonnemo meminit in scripto adversus ipsos. cap. 15. *Montanistas in Asia admodum frequentes* citat Gretser. def. Bell. d. V. D. lib. III. c. 6. f. 1321. Locus.

§. 29. *Alogi*, vel Alogiani, ut ab Aug. d. hæres. c. 30. vocantur; alii Alogios appellant; *propterea sic vocantur, tanquam sine verbo (λόγος enim Græcè verbum dicitur) quia Deum verbum recipere noluerunt,* ait Augustinus: (2.) *Autores* erroris antiquiores fuerunt Ebion & Cerinthus; sed recentior fuit Theodotus quidam Coriarius. Fuit autem Theodotus natione Byzantinus, juxta Tert. de præscript. c. ult. apostata; & hinc hæreticus. Emersit sub Episcopatu Victoris Romani; à quo etiam damnatus est. Etsi autem arte esset Coriarius, multæ tamen fuit eruditionis, judice Epiph. 54. *Occasio* erroris erat persecutio sub M. Antonino. Cum enim ex metu mortis Christũ abnegasset, & ejus gratia non Byzantii tanum, sed & Romæ, quorsum aufugerat, ita sese excusavit: *Deum ego non negavi, sed hominem negavi. Deinde interrogatus: qualem hominem? respondit: Christum negavi hominem.* Theodoti successor (aliis præceptor dicitur) fuit *Artemon*, sub Zepherino Victoris successore. (3.) *Errores* in compendio recitabimus. 1. *De scriptura.* Ut errores suos palliarent respuebant Evangelium Johannis, & ejusdem Apocalypsin, quod in illis divinitas λόγου apertè doceretur. August. l. cit. 2. *De Christo*; quod sit merus homo, non Deus; *Deum verbum recipere noluerunt.* l. c. Aug seu, ut Tert. l. c. scribit: *doctrinam introduxit, qua Christum hominem tantummodo diceret, Deum autem illum negaret: Ex Spiritu quidem Sancto natum ex Virgine, sed hominem solitarium atq; nudum, nulla alia præ cæteris, nisi sola justitiæ auctoritate.* Fuit igitur Pauli Samosateni, Arii, Photini, & Muhammedanorum prodromus. (4.) *Affeclæ & Sectatores.* De his agit Theodor. l. c. Et nominat Asclepiaden, Theodotum alterum, Hermophilum, Apollonidem, imprimis autem quendam Natalem; de quo ex parvo Labyrintho, contra Theodotianos scripto libro, refert, quod mercede conductus caput sese

Alogianorũ. (1.) Nomen

(2.) Auctores.

(3.) Errores.

(4.) Affeclæ.

hæreſi præbuerit; ſed cum ὁ τῶν ψυχῶν ἰατρὸς *animarum medicus* ipſum moneret, ut ab errore rediret, nec ille faceret, Angelos ipſi immiſit, qui cæſum eo adegerunt, ut publicè errorem fateretur, & veræ Eccleſiæ miſſa falſa ſe aggregaret.

Artemonitarum. §. 30. *Artemonitæ.* Horum notetur (1.) *ætas.* Vixerunt ante
(1.) Aetas. Pauli Samoſateni hæreſin, juxta Euſeb. l. V. hiſt. Eccleſ. c. 27. Epiph. d. hæreſ. lib. 2. t. 2. hæreſ. 65. ſeculo labente ſecundo, cum Victor & Zepherinus ſederent Pontifices Romani; Auctor Irenici Irenicor.
(2.) Nomen. p. 71. refert ad annum Chriſti 180. (2.) *Nomen* acceperunt ab Artemone, quem, juxta Theodor. d. fab. hæret. libr. 2. c. 5. alii Ar-
(3.) Majores. temam vocant. (3.) *Majores* habuerunt Ebionem, Cerinthum, Nazaræos; Nam ipſi τὸν χριστὸν τιμῶντες ὡς ἄνθρωπον δίκαιον, *Chriſtum honorabant tanquam hominem juſtum*, teſte Theodoret. l. 2. d. fab. hæret. c. 2. Alii tamen hi ſunt ab illis Nazarenis, quorum ſeſe ſocium eſſe Paulus profitetur Actor. XXIV. 5. 14. Nam qui ſocius eſſet, cum adverſarios haberet acerrimos, ut auctor Irenici p. 73. ipſe fate-
(4.) Errores. tur ex Actor. XV. 1. 2. XXI. 20. ſeqq. (4.) *Errorem* trabalem habuere de Chriſto, quem merum eſſe hominem mentiebantur: ut teſtis eſt ſcriptor ἀνώνυμος apud Euſeb lib. cit. Theodor. l. c. cujus hæc ſunt verba: *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum,* ἄνθρωπον εἶπε ψιλὸν ἐκ παρθένου γεγενημένον, τῶν δὲ προφητῶν ἀρετῇ κρείττονα *hominem dixit ſimplicem ex virgine natum, prophetis vero meliorem.* Principium fidei ſcripturam *corrumpebant*, etſi emendare ſeſe eam cauſſarentur: quod auctor ἀνώνυμος probat ex quibusdam exemplaribus inter ſe diſſidentibus; *Nam*, inquiens, *Aſclepiodoti exemplaria cum illis, quæ ſunt Theodoti, admodum diſcrepant. Ac multa planè ſuppetunt propterea, quod illorum diſcipuli exemplaria ab utrisq; (ut illi appellant) correcta (ut nos) corrupta, ſtudioſè & ſedulo deſcripſerunt. Rurſus, quæ ſunt Hermophili, cum illis non conſentiunt; quæ Apollonij dicuntur, ipſa ſibi non conſtant:* &c. Subjicit egregium judicium: *Aut ſacras & divinas ſcripturas à Spiritu S. dictatas non credunt, & ita ſunt infideles: aut ſeipſos Spiritu S. ſapientiores eſſe dicunt, quod plane quid eſt aliud, quam tanquam dæmone exagitatos invenire.* Hæc ille. Principium aliud habebant *traditionem*, jactantes ſucceſſionem Apoſtolorum ab ipſis ad ſe usque derivatam, & in Eccleſia conſervatam, donec Zepherinus P. R. immutaret: Sic & auctor Irenici. l. c. At refutantur ex illo ipſo ſcriptore, qui hæc apud Euſebium

bium refert: Nam (1.) opponit Theodotum Coriarium, quem Victor pridẽ damnasset. Qui igitur primus Zepherinus secus docuerit? (2.) Antiquissimam Ecclesiæ praxin (3.) Justinum, Miltiadem, Tatianum, Clementem, Irenæum, Melitonem, qui & ipsi Christum contra hæreticos asseruissent Deum; At hi, excipis, recentiores sunt Apostolis & Apostolicis viris: & sæpius errarunt errores, qui sunt in confesso: E. Artemonitarum sententia antiquior est sententia Justini. Resp. N. C. adversarius contra Artemonitas non allegat antiquiorem Justino. E. ante Justinum illa sententia Artemonitarum fuit orthodoxa habita. Allegat quosdam; non omnes; Nam addit: *& aliorum nonnullorum,* innuens esse alios quoque præter hos, qui idem scripsissent. Præterea potuit hæresis latuisse; potuerunt scripsisse adversarii contra ipsam, neque tamen allegati fuisse ab illo ἀνωνύμῳ; vel quod interciderint; vel quod allegati Justinus & reliqui viderentur sufficere, utpote ab universali Ecclesia approbati; Erraverit Justinus cum aliis, dum extra scripturam vagantur; Num vero in hoc de Christo articulo erraverit, quem in conspectu totius Ecclesiæ proposuit hinc inde in scriptis suis, id vero probandum fuisset. (5.) *Adjuncta.* Eruditio singularis cum humana tum divina illis tribuitur ab auctore Irenici p. 71. quippe quos ab ἀνωνύμῳ ita describi dicit, *ut tam in arte disputandi, quam in scientia Theologica versatissimos fuisse appareat:* At si Eusebium, vel potius ἀνωνύμῳ apud Eusebium verba respicimus, neutrum *apparet;* Non prius; Etsi enim dicat Syllogismos fuisse ab ipsis postulatos, non tamen dicit *in arte disputandi* excelluisse; Nam syllogismos postulare potest & ille, qui veram disputandi artem accurate non novit; Nec posterius; Nam auctor allegatus queritur, quod *sacras scripturas audacter depravarint, & reliquerint, imo veteris fidei canonẽ abrogarint:* hæc vero est scientia Theologica? Scientissimus igitur & optimus Theologus fuerit diabolus, qui hæreticis longe palmam præripit in eludendis scripturis. (6.) *Adversarius* χριστομάχων fuit Justinus, & post ipsum Miltiades, Tatianus, Clemens Irenæus, Melito, & innumeri alii, quorum scripta illis ὁμόψηφα suo tempore, etsi non nomina, superfuisse scribit Eusebius lib. V. hist. Eccles. c. 26. 27. Ante hoc seculum fuit Ignatius, cujus testimonia priores in seculum. I. exercitationes expresserunt.

(5.) Adjuncta.

(6.) Adversarii.

Remedia molliora ut scripta &

§. 31. Hactenus de hæresibus saltem præcipuis in hoc seculo grassantibus. *Remedia* contra ipsas usurpata sequuntur. Alia sunt molliora, alia rigidiora. *Molliora*, ut *scripta* & disputationes. Illa dehortabantur heterodoxos, ut abstinerent sibi ab alienis dogmatibus, schismate, & scandalis in Ecclesia dandis. Sic Irenæus amicè ad Florinum Romanum Presbyterum scripsit: *Ista dogmata, Florine, ut tecum agam humanitus, sanæ doctrinæ & sententiæ non sunt.* Revocat deinde in memoriam Polycarpum, quem ambo audivissent doctorem; Euseb. lib. V. c. 19. Quod si resipiscere & desistere nollent, refutabantur acrius editis scriptis: Qua de re præclarè scribit Eusebius lib. IV. c. 23. in hunc modum: *Cum hæretici tanquam Zizania etiam id temporis, non minus, quam antea, sincera Apostolicæ doctrinæ semina hominum mentibus mandata labefactare niterentur, Ecclesiarum ubiq; pastores illos tanquam immanes quasdam & agrestes belluas à Christi ovibus arcere, & à præda depellere laborabant, interdum fratres admonendo, cohortandoq;, non raro, ipsos hæreticos aperto marte adoriendo, & coram absq; scripto tum disserendo cum illis, tum eorum errores refutando: nonnunquam quibusdam commentariis, quos diligenter scripserant, opiniones ab illis injectas accuratissimè coarguendo.* Hæc ille. In specie qui contra singulas hæreses scripserint, ostensum est supra art. I. per singulos auctores; & synopticè

disputationes.

§. 28. Scriptis accedebant *disputationes* coram habitæ etsi rarius; Quod apparet non tantum ex loco allegato; sed etiam ex Euseb. lib. V. c. 15. *Cum nuper essem Ancyræ* (ita loquitur Montanistarum Antagonista) *Galatiæ urbe, & Ecclesiam, quæ est in Ponto, contentionum procellis ab ista nova & inusitata non (ut illi dicunt) prophetia, sed potius (ut post demonstrabitur) Pseudoprophetia concitatis jactatam offenderem, quantum poteram, juvante Deo, de his ipsis eorum erroribus, qui jam passim vagantur, & de iis, quæ jam passim proponebantur, multis diebus assiduè in Ecclesia disceptabam, adeo, ut ea non solum permagna efferretur lætitia, sed ad veritatem vehementer roboraretur, & qui contrarias partes tuebantur, eodem temporis momento à me refutati, animos dejicerent, & omnes veritatis adversarij summo dolore angerentur.* Locus illustris est, ex quo refutantur hodierni Εἰρηνοποιηταὶ, quibus disputationes odio sunt, & supervacaneæ & frustraneæ: At primitivæ Ecclesiæ non erant odio, nec inutiles. Elenchus *severè* exercebatur, nec aliud erat remedium veritatis asserendæ, & falsitatis profligandæ. Generosè & prudenter loqui-

loquitur Iren. lib. V. c. 1. *Quoniam in administratione sermonis positi sumus, & omni modo elaboramus secundum nostram virtutem plurima quidem tibi in subsidium præstare adversum contradictiones hæreticorum, errantes autem retrahere, & convertere ad Ecclesiam Dei; Neophytorum sensum confirmare, ut stabilem custodiant fidem, quam bene custoditam ab Ecclesia acceperunt, ut nullo modo transvertantur ab his, qui malè docere eos, & abducere à veritate conantur.* Hæc alioquin pacificus nomine & re Irenæus. Sed & *prudenter:* quod apparet ex libris Irenæi, quibus descripsit historiam hæreticorum toto libro primo; & Apollonii, qui in hac industria ipsum imitabatur in elencho Montanistarum: Euseb. lib. V. c. 15. Nam & historiam contexuit; & ex fructibus arborem nosse docuit eos proferentem. Habent hæretici suas quasdam notas, ex quibus dignosci possunt: Vide Iren. lib. III. c. 2. & 40. Euseb. libr. V. c. 16. In quibus est perpetua dubitatio. *Alienati enim à veritate in omni volutantur errore, fluctuati ab eo, aliter atq; aliter per tempora de eisdem sentientes, & nunquam scientiam stabilem habentes, Sophistæ verborum magis volentes esse, quam discipuli veritatis. Non enim sunt fundati super vivam petram, sed super arenam habentem in seipsa lapides multos: propter hoc multos Deos fingunt, & quærere quidem semper in excusatione habent; cæcutiunt enim; invenire vero nunquam possunt.* Iren. lib. III. c. 40.

§. 32. Severiora erant *concilia,* quæ coibant adversus heterodoxos, & eos in pertinaci errore deprehensos *excommunicabant.* Nam in caussa Montanistarum, ubi fideles, *qui Asiam incolebant, sæpenumero & multis in locis ejusdem in unum convenerant, & doctrinam recens inductam explorarant, & eam profanam ac detestabilem ostenderant, & errorem ipsum improbarant, sic tandem isti tum ab Ecclesia extrusi, tum à communione penitus depulsi fuerunt.* Ut ex libro scriptoris coævi refert Euseb. l. V. histor. cap. 15. Observa locum contra Pontificios. Asiaticæ enim Ecclesiæ excommunicabant Cataphrygas, nulla à P. R. impetrata venia; Non solius igitur, nec potissimum Pontificis Rom. auctoritas ea fuit, ut ampullatur Baron. an. 199. §. 1 De *Cerdone* refert ex Irenæ. lib. III. c. 4. Eusebius lib. IV. hist. quod sæpius relabens tandem castigatus, refutatus, & ex fratrum cœtu frequentiaque fuerit exclusus. *Theodotum Coriarium* & hæresiarcham excommunicationis fulmine percussit Victor Episcopus Romanus. Euseb. lib. V. c. ultim. De pœnis corporalibus & capitalibus nullum habemus exemplum, quod

Severiora ut Concilia.

& excommunicationes.

& fuga:

quod merè hæreticis fuerint irrogatæ. Habemus autem *de fuga*; ut Polycarpus Marcioni ne quidem ave voluit dicere: monente Johanne. 2. epist. ꝟ. 16. 11. & Paulo. Tit. III. 10. vide Orig. lib. III. contra Celſ. p. m. 273. Utinam hodiernus in zelo divino tepeſcens imo frigeſcens mundus magis abhorreret ab hæreticorum commercio, forſan puriorem & meliorem haberemus Eccleſiam, quam habemus per Syncretiſtas.

Usus Theologici & *summa* ex hæreticorum (1.) *Nominibus.*

§. 33. Operæ pretium eſt ex antiquitate noſſe hiſtoriam & errores hæreticorum, ut & hodie in uſum notitiam eam convertamus. Obſerva igitur (1.) *Nomina* hæreticorum diſcretiva, quibus utebantur orthodoxi, ut cœtum ſuum ab illorum ſodalitiis diſtinguerent. Indigne quidem id nominis ferebant hæretici; nam volebant eſſe Chriſtiani, & Gnoſtici, & Catholici; quod ſuperius §. 2. & 4. & 17. & 22. eſt oſtenſum: ſed his non obſtantibus nihilominus orthodoxi ſuis ipſos nominibus appellarunt, deſumptis vel ab auctoribus, vel erroribus, & moribus. *Ex hæreſibus aliæ quidem appellantur ex nomine, ut quæ appellatæ ſunt à Valentino, & Marcione, & Baſilide, etiamſi glorientur ſe Matthiæ opinionem adducere: Fuit enim una omnium Apoſtolorum ſicut doctrina, ita etiam traditio: Aliæ autem ex loco, ut Peraſtici; Aliæ autem ex gente, ut Phrygum hæreſis: aliæ autem ex operatione, ut Encratitarum; aliæ autem ex propriis dogmatibus, ut Docetarum & Hæmatitarum; aliæ autem ex poſitionibus, & iis, quæ ipſæ honorarunt, ut qui appellantur Cajaniſtæ, & Ophiani, aliæ vero ex iis, quæ nefarie auſa ſunt & perpetrarunt, ut qui ex Simonianis vocantur Entychitæ.* Hæc Clemens Alex. libr. VII. Strom. f. 765. Obſervanda ſunt contra hodiernos vel oſores nominum diſcretivorum; vel admiratores, ut vel argumenta ſumant ex illis, ut Pontificii.

(2.) *Perſonis* & donis,

(2.) *Auctores.* Erant viri opinione eruditionis, & ſanctitatis, & dignitatibus illuſtres: Tatianus enim quantus Vir! Juſtini auditor, ſcriptis, & vita geſta venerabilis; Florinus Presbyter Romanus, olim Polycarpi diſcipulus, & Irenæi συμφοιτητὴς, quod ex epiſtola Irenæi ad ipſum patet; Carpocrates & Valentinus viri in Encyclopædia cum philoſophica tum Theologica verſatiſſimi: Montanus chariſmatibus & virtutibus inſignis, Tranſeo reliquos. *Aſſeclis* quoque non defuit ingenium; Nam, ut alios taceamus, Artemonitæ laudantur à ſubtilitate, quâ ſcripturæ dicta eludebant; Euſeb. lib. V. c. ult. Abſtineamus igitur à ſcandalis, ſi & hodie videmus

mus in adversariorum castra transire, vel militare viros eximios; Nec enim fides nostra pendet ex hominum personis, quæ μορμολυκεῖα sunt, sed verbo divino, quod amplectitur. Viris subservie-bant utplurimum *mulieres* seductæ & seductrices. Observat hoc Hieron. ad Ctesiphontem advers. Pelag. *Simon Magus hæresin condidit, Helenæ meretricis adjutus auxilio: Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos: Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendo sibi animos præpararet: Apelles Philumenen suarum comitem habuit doctrinarum: Montanus, immundi spiritus prædicator, multas Ecclesias per Priscam & Maximillam, nobiles & opulentas fœminas, primum auro corrupit, deinde hæresi polluit; &c.* Sic impletum est, quod prædixit Paulus 2. Tim. III. 6. (3) *Media*, quibus usus est diabolus, ut in retia sua pertraheret homines, erant: *concupiscentia carnis*, quam philtris amatoriis accendebant nefarii hæretici, ut impuri Carpocratiani; & accensam fovebant detestandis sacris & moribus, mutuum scortantes, & adulterantes, & carnalibus desideriis indulgentes; quod erat sceleratorum Gnosticorum artificium; & Marcionis exitium: *concupiscentia oculorum*; ut divitiarum, quibus incautiores fœminas irretiebat Montanus, & Theodotiani Natalem; *Et superbia vitæ*: quæ imposuit Valentino Episcopatus spe dejecto. Quorsum referri debet hypocrisis sanctulorum Encratitarum, Montanistarum, Marcionitarum, qua sese ostentabant. *Miracula* quoque & præstigiæ adhibitæ à Carpocratianis.

(3.) *Media* seducendi.

§. 34. (4) *Errores* in fasciculum collecti sunt. 1. *de principio fidei*, Scriptura S. ut *de lege* quos foverunt Carpocratiani, Ptolemæus, Cainiani, Tatiani; negantes eam esse à bono Deo latam; de Prophetis Valentiniani; & toto V. T. Cerdo, Marcion, Apelles, Severiani. Etiam *N. T. manus violentas intulerunt* Marcionitæ, Tatiani, Theodotiani. Nam vel omnino *rejiciebant*, vel *mutilabant*, eximentes, quæ de humana Christi carne ex Patribus per generationem accepta, vel divinitate, ut Artemonitæ, continebant: Contra suas jactabant *traditiones* Apostolicas non scriptas; & *revelationes* immediatas; additis quoque *philosophiæ* corruptelis, utplurimum ex schola Platonica, & Pythagorica, ut Carpocratiani & Valentiniani potissimum. Accedit *corruptio*, & *obscuritas*, & *ambiguitas*, quæ vitia

(4) *Erroribus* 1. de scriptura.

Scripturæ tribuebant Valentiniani; Artemonitæ & Alogiani;
2. De Deo. (2) *De Deo.* Nam veram Trinitatem, saltem consequenter, negabant Montanistæ & Noëtiani, & Ptolemæus, Colorbatus, Valentiniani, Alogiani, Artemonitæ. Alii substituebant duos distinctos Deos, bonum & malum, ut Carpocratiani, Marcitæ, Heracleonitæ, Cerdoniani, Marcionitæ, Apellitæ: Alii cultum deferebant Serpenti, alii Setho, alii Melchisedecho; alii Angelis, ut Ophitæ, Sethiani, Melchisedechiani, Angelitæ; alii aliis idolis ut Carpocratiani, & Marcitæ; *Attributis* divinis derogabant & quidem bonitati Marcion, post Valentinianos, fingentes duos Deos, bonum & malum; sanctitati, dum mali auctorem esse Deum fingebat Florinus; Justitiæ, dum bonum esse Deum verum, non justum asserebant Cerdoniani. *Operibus.* In quibus illustre est creatio. Erant enim, qui negarent, mundum à vero & bono Deo esse creatum; ut Carpocratiani, Valentiniani, Severiani, Marcionitæ, Bardesaniani: Alii Angelos in, nescio quos, Æonas transformabant, ut Valentiniani & Encratitæ. Alii tradebant ex Mulieribus formosis suscepisse liberos. (3) *De Christo.* Errabant in

3. De Christo. hujus *persona*; quam quidam transmutabant in colubrum, ut Ophitæ, in Sethum, ut Sethitæ, in Melchisedechum Melchisedechiani; in Pandoram quasi Hesiodeam Valentiniani, fingentes, eum ex omniũ Æonum flosculis conflatum esse, imò in quemvis hominem, qui diabolum sperneret, ut Carpocratiani. *Naturis.* Nam alii negabant veram ejus *divinitatem,* ut Colorbasus, & Theodotio, & Arteman cum asseclis apertè; consequenter Valentiniani & Tatiani, alii *humanitatem,* ut Carpocratiani, Marcitæ, Ophitæ, Marcionitæ, Valentiniani; Apelles, qui ex quatuor elementis conflatum nugabatur. *Officio* mediatorio, ut Sethiani; *Statibus,* ut *exinanitionis,* negantes verè esse passũ, ut Marcitæ, Cerdoniani, Marcionitæ, Apellitæ; & *Exaltationis,* ut Carpocratiani, & quotquot porro resurrectionem negabant. (4) *De homine.* Et quidem *in statu institutionis*; Erant,

4. De homine in *Statu* Institutionis: Destitutionis: Restitutionis. qui dicerent, Adamum de superna matre esse natum, ut Sethiani; & quidem malum, ut Cainiani: Constare ex tribus partibus essentialibus; *Destitutionis,* Caussam mentiebantur esse Deum; Nec corruptionem tanti esse, ut homo esset ineptus ad omne bonum spirituale. *Restitutionis. Fidem,* qua restituimur, naturalem vocabant

Valenti-

Valentiniani; Et Apelles sua quemcunque fide justificari & salvari contendebat: *Baptismum* corrumpebant Marcitæ. Verba immutantes; Marcionitæ, qui repetebant, & mortuis administrabant. *Eucharistiam* violabant Marcitæ, transsubstantiationem fingentes; & Tatiani vino aquam substituentes; & Montanistæ pani sanguinem miscentes, & vino; Ophitæ serpenti sacra symbola offerentes delibanda. *Agenda* cujusvis arbitrio permittebant Carpocratiani, Valentiniani, Secundiani, Heracleonitæ, Montanistæ; Nihil natura sua bonum vel malum, sed ex mera opinione esse, statuentes; Preces esse frustraneas Alogianis visum est: fatali necessitate fieri omnia Colorbasiani docebant; Nuptias damnabant crassiores Tatiani, Marcionitæ, Adamiani, Apostolici; Esum carnis Tatiani, & Marcionitæ; Vinum Severiani; digamiam Encratitæ & Cataphryges; Vestes Adamiani; rerum proprietatem Apostolici; fugam in persecutione Montanistæ: *Glorificationis.* Monstrum opinionis defenderunt Carpocratiani, per scelera putantes hominem salvari. Heracleonitæ etiam post mortem salutis media homini applicabant; Marcionitæ similiter pro defunctis baptizabant catechumenos. Adamum esse salvatum Encratitæ negabant; contra Cainum, Esavum, Core, Dathan, Abiron, Judam Ischkarioten cœlo adscribebant. Imprimis impingebant, qui resurrectionem negabant Carpocratiani, Valentiniani, Marcitæ, Cainitæ, Sethiani, Cerdoniani, Marcionitæ, Apellitæ, Severiani, Bardesiani; μετεμψύχωσιν somniabant Carpocratiani; redemptionem ex inferno Marcionitæ.

& glorificationis.

§. 35. Ex dictis videre possumus, quomodo universum corpus doctrinæ Christianæ per diaboli mancipia, hæreticos, fuerit discerptum. Contagiosa autem est hæresis, nec facilè extirpatur omninò. Hinc deprehendimus zizania quædam in ipsa Ecclesia esse disseminata, & hodie adhuc apud adversarios nostros deprehendi, alios apertius, alios occultius. Ipsi quidem Evangelicos in crimen hæreseων veterum vocare audent. Sed, quo jure, collatio inter illorum errores & nostras veritates facile dabit. E. g. Gnosticis nos annumerat Coccius thes. lib. 8. t. 1. art. 3. *Gnostici*, inquiens, *Christum ignorantem, & quasi sub cujusdam pædagogi ferula alphabetum discentem fingebant. Lutherus concione de natali Domini, Calvinus &c.*

Vindiciæ pro Orthodoxis contra Calumnias adversariorū, veluti essemus.

Gnosticis.

Fff 2

nus &c. Gualtherus &c. Christum ignorantiæ subjiciunt. Resp. Irenæus Gnosticos non ideò reprehendit, quod ignorantiæ Jesum subjecerint, sed quod *inenarrabilem multitudinem apocryphorum & perperam scripturarum, quas ipsi finxerant, adferrent ad stuporem insensatorum*; in quibus etiam fuit fabula de Christo, sub Magistro alphabetum discente; quam nos fabam in pontificios cudimus, apocryphorum & fabularum, imprimis de infantia Christi, admiratores. Lutherus nihil tale confinxit, sed in statu exinanitionis Christum quædam secundum humanam naturam ignorasse rectè statuit ex S. literis, quæ sapientia Christum indies crevisse perhibent; & vel judicii

Prodiciani. diem ignorasse clarè tradunt. Idem l. c. *Prodicus*, inquit, *dicebat, non esse orandum*; *Lutherus de piis Ecclesiæ cæremoniis: Non existimemus*, inquit, *placari Deum multo murmure, aut recitatione precum, ut hactenus cæremoniarum observatione factum est.* Resp. Est fallacia à dicto secundum quid: Aliud est orare, quod Lutherus fecit, & voluit fieri; aliud murmure, & precib⁹, tanquã ex opere operato & merito, velle placare Deũ, quod Lutherus negat, sed hujus gratia Prodicus reprehensus non est.

Cerdoniani & Marcionitæ. *Cerdon & Marcion Apocalypsin Joannis rejiciebant: Lutherus in suis Bibliis Apocalypsin non eodem, quo cæteros Scripturæ libros, loco ponit, & de ejus auctoritate dubitat.* Idem Coc. l. c. Resp. *Nec defuerunt olim Catholici, qui de hujus libri auctoritate, vel auctore dubitarent*: scribit Bell. lib. 1. de verb. Dei c. 19. Alia hodie est sententia Ecclesiæ Ca-

& Valentiniani. tholico-Lutheranæ. *Valentiniani* nudâ sese cognitione salvari credebant; Idem credunt Lutherani solâ sese fide justificari & salvari credentes. Resp. Fides justifica & salvifica non est nuda notitia, seu fides historica, quam Pontificii potius justificam & salvificam tradunt; Valentinianis ergò non nos, sed ipsi accensendi sunt.

Floriniani. *Florino* hæretico accensent Bell. lib. IV. c. 9. de Eccles. Coc. thes. t. 1. lib. 8. art. 3. Lutherum in libro de servo arbitrio; & Melanchthonem comment. in c. 8. ad Rom. At fatetur mox ipse Bellarminus, Philippum retractasse tum in locis, tum in Apologia art. 19. A. C. Atqui Lutherus Philippi locos laudavit eximiè; & Confessionis Augustanæ auctor & approbator fuit; igitur & ipse retractavit, si quid durius de peccati auctore scripsit in Erasmum Pelagianizan-

Pepuziani. tem. *Pepuzianis* idem l. c. nos annumerat, quod illi mulieribus Principatum concesserint, ut Sacerdotio quoque apud ipsos honorarentur;

rarentur; Lutherus verò art. 13. à Leone damnatorum idem ipsis permittat. ℞. Lutheri verba tom. 1. Jen. lat. fol. m. 477. §. 13. à Leone P. R. damnata, hæc sunt: *In sacramento pœnitentiæ ac remissione culpæ non plus facit Papa, Episcopus, quam infimus sacerdos, imò, ubi non est sacerdos, æquè tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset.* Loquitur Lutherus de potestate interna remittendi peccata, & æqualem tribuit infimo sacerdoti: cum Pontificii Pontifici & Episcopis majorem tribuant, & quosdam casus reservent, quos vulgaris sacerdos decidere non possit, solus autem Pontifex possit, veluti canalis, per quem divinitus in alios deriventur illius potestatis rivi. At nostra sententia nusquam Pepuzianis est imputata, nedum, ut hæresis habita; sed nec ea, quæ Laicos admittit. Nobis enim quæstio est de casu necessitatis; Pepuzianis de officio ordinario; Nostrum fundamentum est spirituale sacerdotium, quo omnes Christiani funguntur; Pepuzianorum verò falsa illa Prophetiarum charismata, quæ suæ Priscæ & Maximillæ tribuebant, à quâ insania Evangelici abhorremus. Viderint autem Pontificii, quomodo suam Johannam Octavam liberent ab hæresi Pepuzianorum. Addit Coc. thes. l. c. alium *Montanistarum* errorem, nempe pœnitentiæ abnegationem: & ejusdem erroris Lutherum in lib. de captivit. Babylon. reum peragit. At ipse sese Hieronymus explicat: Sic enim verba à Coccio allegata sonant: *Montanistæ pœnitentiæ virtutem, velut nimium rigidi, sustulerunt, erubescentes confiteri peccata, quasi justi.* Nemo Lutheranorum pœnitentiam ideò rejicit, quod justum sese putet; sed larvam pœnitentiæ papalis rejicit, quod careat veris pœnitentiæ seriæ requisitis. *Proclo* & Messalianis nos æquant. *Ille enim*, juxta Epiphan. hæres. 64. *dicebat peccatum in renatis semper vivere; concupiscentiam enim verè esse peccatum, nec tolli per baptismum, sed sopiri per fidem; quod idem postea docuerunt Messaliani hæretici apud Theodoret. lib. IV. de fab. hæret. Hæc est ipsissima sententia Lutheri art. 2. & 31. atq; in assertionibus eorundem articulorum.* verba sunt l. c. Bellarmini. At videamus sententiam Lutheri ex t. 1. Jen. Lat. f. 477. §. 2. *In puero post baptismum negare remanens peccatum est Paulum & Christum simul conculcare.* & §. 31. *In omni opere bono justus peccat.* At hæc non fuit vel Procli, vel Messalianorum sententia; Iste enim dicebat, concupiscentiam *vivere*; At eam *mortificari* dicit Catechesis Lu-

Montanistæ.

Procliani.

theri; Hi baptiſmo omnem vim derogabant, precibus eam tribuentes; quem errorem Lutherus & ſequaces repudiamus. Aliud eſt peccatum *remanere*, aliud *vivere* & dominari.

Parallelismus inter hæreticos & Pontificios. §.36. Placent Pontificiis collationes inter hodiernam Eccleſiam & veterẽ, quare nos quoq; & quidẽ quoad eminentiora ſolũ capita inſtituamus aliquam inter Romanam hodiernam & veteres hæreticos; Forſan differentia non adeò magna erit inter iſtam & hos.

(1) *In principio fidei.* (1) *De fidei principio Scriptura.* Scribit Alph. à Caſtr. lib. XIII. f.159. *omnibus ferè hæreticis hoc unum fuit commune, ſacris videlicet Scripturis detrahere.* e.g. ſupra §.2. Carpocratianis, Valentinianis, §.4. Sethianis. §.15. Cerdonianis. §.16. Marcionitis. §.17. Apellitis. §.18. Encratitis. §.21. Montaniſtis. §.22. Alogianis. §.29. At quam parum honorificè ſcripturas tractent Pontificii, oſtendit Hunn. Apoſt. Eccleſ. Rom. §.50. confer §. 679. 690. *Traditiones* non ſcriptas urgebant Carpocratiani §.2. Valentiniani §.4. Marcionitæ. §.17. &c. Quædã in ſacris literis non eſſe divinitus inſpirata Ptolemæus & Archontici. §.10. aſſerebant, §.10. Eadem eſt ſententia quorundam Pontificiorum Hunn. Apoſt. §.55. 681. *Apocryphis* utebantur Bardeſaniani. §.10. Cajani. §.13. Sethiani. §.14. Marcionitæ. §.17. &c. Idem faciunt Pontificii Hunn. §.682. 689. 690. 702. 703. *Revelationes* immediatas jactabant Carpocrates, Marcus, Valentinianus, Montaniſtæ, §. 4. 22. Idem faciunt Pontificii Hunn. §.700. *Obſcuras* eſſe ſacras literas, *ambiguas*, & *mutilas*, & *corruptas*, Valentiniani, Marcionitæ, & Apellitæ tradebant, adeoq; opus eſſe traditionibus cum dogmaticis, tum hermenevticis; Idem eſt Pontificiorum error. Bell. l.2. de V. D. c. 2. Staplet. relect. controv. 5. q.3. art. 2. p. 522. vide Hunn. §.684. ſeqq. *Marcion* caſtrabat ſcripturas: Idem faciunt Pontificii, ſi non in ſcripturis, ſaltem in ſcriptis Patrum;

2. De Deo. II. *In Deum* peccabant Carpocratiani, imagines Chriſti colentes: Ophitæ, colubri imaginem; Sic Pontificii. §.780. Sanctos per Calendaria diſtribuunt hi ipſi, ut ſuos Angelos olim Baſilides, Baron. annal. 120. §. 20. Hunn. §.777. 778. Sethum colunt Sethiani; Cainum Caiani, Melchiſedechum Melchiſedechiani: velut Papiſtæ ſanctos. §. 778.

3. De Chriſto. III. *In Chriſti* officium propheticum Cerdoniani, fingentes, Chriſtum novas tuliſſe leges, §.16. eundem errorem errant Papiſtæ. *Sacerdotale*, Carpocratiani, dum Angelos

eidem

eidem adjungunt; Nec omninò dissentiunt Romanenses. IV. *Angelis* varios ordines, nomina, officia, &c. in sacris literis non fundata affingebant Valentiniani; in his ipsis curiosi sunt adversarii: 4. De Angelis.
V. Hominis pura naturalia, sicut hodie Papistæ, tradebat olim Marcion §. 17. *Peccati caussam* Florinus faciebat Deum; eundem errorem Dominicanos & complices errare contendunt Jesuitæ. Singularem præ aliis *scientiam* sibi arrogabant Gnostici inde dicti; Idem privilegium Papa sibi potissimum arrogat. *Verbis* vulgo *barbaris* in sacris utebantur Valentiniani; idem cacoëthes est Pontificiorum; Hunn. §. 695. 774. Iidem, ut & alii, veros sese catholicos jactabant, eadem loquentes, quæ isti; interea diversum sentientes; eadem hodie ars est Pontificiorum; dum ad speciem approbant A. Confessionem. Hunn. §. 706. *Baptismum Johannis* non esse ejusdem, cujus Christi, virtutis Valentinianis videbatur. §. 7. Idem videtur Pontificiis. *Eucharistiæ* transsubstantiationem Marcus simulabat; Hun. §. 714. palam id docent Papistæ. Hun. §. 771. *Alteram speciem*, nempe vinum, denegant Papistæ Laicis; secuti Encratitas vini osores. §. 772. *Fide historica* justificari & salvari hominem docebant Valentiniani & Gnostici; pro eâdem certant Pontificii. Hun. §. 469. *Judaizabant* Quartodecimani; cum Judæis festum commune habentes; At quot ritus ex Judaismo retinet Ecclesia Papalis? Hun. §. 469. *Perfectionem* in studio virtutis somniabant Valentiniani. §. 7. & Carpocratiani §. 2. Adamiani. §. 3. De eâdem gloriantur Papistæ; Hunn. §. 718. 721. 730. *Cœlibatum*, spreto conjugio, exosculabantur Carpocratiani, Marcionitæ, Montanistæ, Encratitæ, Apostolici; Secundas nuptias Montanus improbabat; eadem est sententia vel canonici juris. Hun. §. 787. seqq. *Jejunia, i.e. fugā certorū ciborū & potus* probabāt Montanistæ & Encratitæ; de iisdē sibi placent supererogantes Pontificii. Hun. §. 832. 744. 745. 746. 762. *Paupertatem* & Marcionitæ & Papistæ exosculantur. §. 761. Silentium *Passalorinchitarum* imitantur Monachi Silentiarii. §. 766. *Nomen Catholici* jactant hi ipsi, sequentes Carpocratianos, Gnosticos, Valentinianos, Marcionitas, nominū admiratores; *Miraculis* turgebant Valentiniani, quid magis jactant Pontificii hodie, quā sua Papistica miracula? Hun. §. 704. *Martyres* quoq; suos producebant Marcionitæ, & Montanistæ: eadem est jactantia Pontificiorum;

5. De Homine lapso & restituendo. Lingua ignota. Baptismo Iohannis. Eucharistia. Fide historica. Iudaismo. Perfectione operum. Iejuniis. Catholicismi jactātia. Miraculis. Martyribus.

Hun.

Hun. §. 737. 738. *Redemptionem* post mortem pollicebantur defunctis Heracleonitæ, & Archontici, & Montanistæ. Hun §. 797. hinc natum est Papistarum purgatorium, & limbus; Marcionitæ & damnatos salvari contendebant; Contendunt & Pontificii, sentientes, animam Trajani à Gregorio ex inferno liberatam. *Ecclesiæ* locum certum assignabant Pepuzam Pepuziani; Romam Pontificii assignant. §. 750.

5. *Moribus* apertis, vel occultis. §. 37. (5) *Mores.* Dividi possunt in duas classes. Nam alij *apertè* scelera perpetrabant, & ea quidem, quæ carni placerent; Indulgebant enim suo genio, crapulæ, libidinibus, suum in illis quærentes summum bonum; Prætextus erat libertas per gratiam Christi parta; & abrogatio legis, quæ ejusmodi scelera vetabat; Cum autẽ honestiores ab ejusmodi crassis sceleribus abhorrerent, *Hagiodæmon* prodiit, & sub specie sanctitatis incautos decepit. Sub quâ tamen ipsa sceleribus indulgere docuit, etsi cautius, quam illi. Fieri enim non potest, quin corrupta sana doctrina mores quoque corrumpantur; partim ex vindicta divina, quæ contemptum & corruptelas verbi ita ulciscitur, partim ex absentia veræ fidei, quæ operum verè bonorum radix est; & nascitur ex sana verbi prædicatione; hæc igitur, saltem in substantialibus, corrupta, veram nec fidem, nec pietatem generare potest. Distinguendum tamen est inter mores ex genio doctrinæ, & per accidens vitio sc. hominum corruptos. Nam sæpè homines scelerati esse possunt, quorum tamen religio sana est; Quare injuriam facit Tertullianus Orthodoxis, cum, pro suo Montano disputans, neglectam sobrietatem, castitatem, & temperantiam illis tribuit; qui tamen defectus ex ipsorum doctrina non sequebantur. Minus veniam ille meretur, quam Gentiles, qui, inter Christianos non facilè discernere valentes, scelera Gnosticorum omnibus etiam orthodoxis adscribebant. Cum tamen ea ex hæreticorum doctrina propullularent; apud orthodoxos autem ex corrupta natura; si omninò deprehenderentur.

(6) *Accidentib9* nempe quantitate & qualitate: §. 38. (6) *Accidentia* sunt Quantitas & Qualitas. Amplissimè sese diffuderunt hæreses istæ, & in ipsam Ecclesiam exundantes adhuc hodie non sunt omninò extinctæ: Certè Montanistæ catholicas ad omnem Ecclesiam epistolas audebant exarare. Nec enim specie carebant, eruditionis, sanctitatis, & miraculorum. Refert

Irenæus

Irenæus lib. 1. c. 8. quendam Marcum, qui per magicam, nescio quam, virtutem *& viros multos & non paucas fœminas seducens ad se convertit, velut ad scientißimum, & perfectißimum, & virtutem maximam ab invisibilibus logis habentem.* Adde c. 9. & 12. & l. 2. c. 57. & 58. Discamus hinc cavere nobis ab externa specie & splendore, qui incautis imponit, dum à copia & externa phantasia adversariorum veritatis pendent. *Locus*, ubi ortæ sunt hæreses & grassabantur, fuit utplurimum Roma. E. g. Marcellina Carpocrati s scortum multos seduxit Romæ; Romæ grassabatur Valentinus, ut etiam Presbyteros Florinum & Blastum seduceret; vide Baron. an. 167. §. 4. 6. 5. Hunn. d. Apost. Eccles. Rom. §. 655. seqq. *Adversarios* quidem suos habuerunt hæretici, qui scriptis & disputationibus eos refutarunt; At non legimus ullum Pontificem Romanum calamum eruditum contra Ecclesiæ hostes strinxisse, sed alii erant in aliis locis, qui caussam Ecclesiæ strenuè agebant; an isti noluerint, vel non potuerint? deliberent inter sese Pontificii. vide Catal. test. verit. pag. 59.

& Loco.

& Adversariis.

SECULI II.

Articulus VII.

ELENCHUS ADVERSARIORUM.

Sectio I. Pontificiorum.

Argumentum.

Solvuntur objectiones, quæ contra Orthodoxos ex Patribus hujus seculi producuntur. (1) *Pro Scripturæ sacræ libris apocryphis, fine, imperfectione in convincendis hæreticis, & docendis aliis, corruptione, traditionibus, obscuritate.* (2) *Pro cultu Sanctorum, & Angelorum.* (3) *Pro advocata Beat. Maria Virgine.* (4) *Pro hominis imagine supernaturali, libero arbitrio, ordinibus sacris, eminentia Papali, & Rom. Ecclesiæ Monarchica, Circumcisionis infirmitate; Baptismi Iohannis differentia; Eucharistiæ transsubstantiatione; mixtura, missa; mutilatione, apparatu missatico; Sacramentis superfluis; fide implicita, operibus meritoriis; & supererogationis: symbolo Apostolico, Ecclesia & ejus notis. limbo Patrum; purgatorio, renovatione mundi; hæreticis puniendis; Anti-Christo.*

§. 1.

Absolvimus *αἱρεσιολογίαν*: Superest elenchus adversariorum, qui hæreticam nobis pravitatem affricare conantur, & suas heterodoxias ex antiquitate hujus seculi probare allaborant: In quibus agmen ducunt *Pontificij*, qui sibi cum venerando Patrum choro perpulchrè conspirare videntur in iis, quæ inter nos & ipsos sunt controversa. Sed ut appareat, quâ fide & arte & jure Patribus utantur, vel potius abutantur, examinabimus argumenta potissima, quæ ipsi producunt contra orthodoxos.

Objectiones 1. *Pontificiorũ De scriptura* (1) libris Apocryphis Sapientia.

§. 2. Ordine procedamus, juxta seriem locorum Theologicorum. Sit igitur (1) *de Scriptura sacra*: & ejus 1. *libris apocryphis*. Contendunt Pontificii libros, quos nos in V. T. apocryphos dicimus, esse canonicos. Et probare volunt de libro *Sapientiæ* ex Euseb. IV. 25. ubi Melito inter libros canonicos numerat istũ librum & lib. V. c. 25. Nam citatur liber Irenæi de variarum rerum disquisitione, & in eo mentio fit libri Sapientiæ Salomonis. Bellarm. lib. 1. de Verb. Dei c. 13. Gretser. def. Bell. lib. 1. c. 7. de V. D. f. 111. Coccius thes. cath. lib. 6. art. 9. addit testimonium Egesippi, qui ex Sap. II, 10. allegat testimonium, referente Eusebio lib. V. c. 22. & Justini Mart. dial. cum Tryph. qui idem ex eodem citat dictum. Resp. De auctoritate Melitonis superius est dictum art. 3. §. 11. Ex versione Rufini; loco parallelo Nicephori; & ipsius Irenæi. Excipit Gretser. def. Bell. de V. D. lib. 1. c. 13. fol. 252. 253. Rufino obstare Græcos codices, qui legant ἡ, non ἢ; Nicephori versionem adduci, non verba originalia, At mira est Jesuitæ vertigo. Rejicit versionem Rufini, quam in verbis immediatis laudat præ textu originali, qui hodie legatur: *Nec temerè ita Rufinus vertisse censendus est: Fortè enim expressit, quæ suo in exemplari Græco repererat.* Idem responsi habeat ad suam exceptionem. Græca Nicephori quod aliter sonent, quam versio, Gretserus nondum probavit. Confessio Bellarmini ingenua est lib. 1. de V. D. c. 20. *Multi Veterum, ut Melito, Epiphanius, Hilarius, Hieronymus, Ruffinus in canone exponendo Testamenti veteris apertè secuti sunt Hebræos, non Græcos: Hebræi autem tertium Esdræ non habent*: Subsumo ego: Hebræi autem librum Sapientiæ, à proverbiis distinctum, non habent. E. Melito illum librum non recensuit. Ad allegationem Egesippi & Irenæi Resp. N. G. allegant librum

brum Sapientiæ. E. ut Canonicum: *Sicut nec Propheta ille Cretensis, cujus mentionem facit Apostolus, nec Græcorum Scriptores, vel Philosophi, vel Poëtæ, quos idem ipse Apostolus magnum sanè aliquid & veraciter promptum apud Athenienses loquens dixisse confirmat: In illo enim vivimus, movemur & sumus. Licet enim divinæ auctoritati, unde voluerit, quod verum invenerit, testimonium sumere; sed non ideò omnia, quæ ibi scripta sunt, accipienda confirmat.* Verba sunt August. quæst. in Num. 42. Si malit Bellarminus & Coccius aliquem de suis, audiant Perez. in Daniel. lib. XVI. *Nec mirandum,* ita scribit, *accidat Lectori, me usum esse sententiis libri quarti Esdræ, qui non modo non est canonicus, verum etiam ut Apocryphus à Patribus rejectus. Equidem secutus in hoc sum Divum Ambrosium, qui in libro de bono mortis eum ipsum locum Esdræ, quem nunc memoravi, sub nomine Esdræ, & cum magna laude sententiæ, ad confirmandam fidei nostræ doctrinam, quæ est de resurrectione mortuorum, adhibuit. Quin idem epistola XXI. quam scripsit ad Honorantium, suadet librum IV. Esdræ legendum esse, quod in ipso anima cœlestis esse naturæ demonstretur: & philosophorum nugæ de ipsius substantia confutentur:* Hæc ille. Alias Egesippus, Irenæus, & reliqui veteres Proverbia Salomonis vocarunt πανάρετον σοφίαν, teste Euseb. lib. IV. c. 21. ob insignem sapientiam, quam complectitur ille liber. contra notulas Gretseri l. c.

Baruch.

Baruch allegatur ab Athenagora in legatione: & ab Irenæo lib. 5. c. 35. & à Sixto Pont. R. epist. ad fidel. citante Coco t. 1. thes. lib. VI. art. 11. Resp. N. C. allegatur. E. ut Canonicus: *Quartus Esdræ citatur quidem ab Ambrosio libro de bono mortis, & lib. 2. in Lucam, & in epist. 21. ad Horatianum, tamen sine dubio non est canonicus;* verba sunt Bellarm. lib. 1. V. D. c. 20. E. allegatio non sufficit.

Tobias.

Tobiæ librum laudat Polycarpus in sua epistola: citante Coc. art. 13. Resp. iterum N. C. Nam *citatur & tertius Esdræ ab Athanasio orat. 3. contr. Arian. ab August. lib. XVIII. C. D. 36. Clemente Alex. lib. 1. strom. ab auctore operis imperf. hom. 1. in Matth. à S. Cypriano in epist. ad Pompejum.* Bell. lib. 1. c. 20. V. D. Neque tamen est canonicus.

Susanna.

Susannæ meminit Iren. lib. IV. c. 44. R. verbis Bell. l. c. *Nec minus Apocryphus censendus est liber Hermetis, qui inscribitur Pastor. Tametsi enim eum divinitus inspiratum esse putaverit Origenes lib. X. in epist. ad Rom. Et ex eodem testimonia proferant Tertullianus libro de Oratione, Irenæus lib. IV. c. 37. Clemens Alex. lib. 6. strom. Athanasius in libro de decretis Synodi Nicænæ, Cassianus collat. 13. c. 12. & eundem librum utilem judicaverit*

dicaverit Euseb. lib. 3. hist. c. 3. Ruffinus in Symb. & Hieronymus in libro de script. Eccles. tit. Hermes. Nihilominus tamen nec ab ulla Synodo relatus est in canonem; &c. Quare sicut N. C. Irenæus l. 4. c. 37. citat Hermetem. E. Hermes est canonicus: Ita N. C. Irenæus l. 4. c. 44. citat Baruchum. E. hic est canonicus. Idem responsum esto ad appendicem *Danielis*, quam citat Irenæus lib. IV. c. 11. notante Coccio art. 16. & Anacletus epist. 1. *Maccabæorum* auctoritatem Coccius art. 18. probare vult ex Egesippi de bello judaico procœmio, & lib. 1. cap. 1. Sed fatetur Bellarminus de script. Eccles. §. 177. quod scriptum istud sit *alterius Egesippi recentioris, aut supposititii.* Eligat Coccius utrum velit.

Daniel.

Maccabæi.

§. 3. 2. *Fine*; qui est inter alios etiam accendere *fidem*, cujus illa est *principium*. Contra urgent Pontificii *consensum Patrum* ex Justin. & Irenæo, qui contra adversarios ex hoc fundamento disputarunt. ℞. D. Calov. harm. Calixt. Papist. p. 175. contrarium ostendendo, & limitationem addendo; Nempe aliud est ex antiquitate adversus hæreticos disputare, aliud Scripturam non habere pro adæquato hæreticos refutandi principio. Unde N. C. ex antiquitate etiam disputant. E. non habent Scripturam pro unico vero principio. Utrumque enim verum est. At *hæretici variè scripturas exponunt.* Iren. l. 3. c. 2. 3. E. hæretici exinde refutari & convinci non possunt. Infert Bell. lib. 3. de V. D. c. 8. ℞. Hæreticorum ista verba sunt, non Irenæi: *Cum enim ex scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex auctoritate, & quia variè sunt dictæ, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem.* Sic hæretici loquuntur: Addit quidem Irenæus de traditione & Ecclesia Romana; sed κατ' ἄνθρωπον disputando, quia & illi ad traditionem provocabant, & tamen illa ipsa stare nolebant: *Evenit itaque, neque scripturis jam, neque traditioni consentire eas*, ut infert Irenæus c. 2. Si igitur ideò scriptura est inepta, quia hæretici ejus sententia stare nolunt, ineptæ erunt & traditiones & testimonium Ecclesiæ Romanæ; nam nec his dare manus volunt. Junii responsis Gretserus def. Bell. loc. cit. f. 1360. 1361. non satisfacit. Dicit Junius (1) Argumentum Bellarmini abludere à statu controversiæ: qui non sit de hæreticis scripturam repudiantibus; sed recipientibus: At de illis Irenæus loquitur; nos autem de his: illi non possunt ex scripturis refutari, vitio non scripturæ, sed suorummet:

(2) Fine.

rummet: deinde Irenæum loqui de testimonio Ecclesiæ R. ut tunc erat adhuc incorruptior; Nobis a. sermonem esse de hodierna, quæ degeneravit à pristina. Committere fallaciā 2. *à dicto secundum quid:* Ecclesiæ testimonio standū esse non simpliciter, sed quatenus integram custodit verbi Divini traditionem; at sic nullam habere Romanam Ecclesiam præ aliis prærogativam: Nam omnis Ecclesiæ verbum Dei purè docentis testimonio esse standum. Excipit Gretser. ad (1) *omnes hæreticos nova principia comminisci.* E. nullos ex S. literis posse refutari: Ecclesiæ Romanæ apostasiam non posse ostendi, *quo anno? quo Pontifice?* sit facta. E. nec esse factam. Ad (2) *Initio quidem generatim de quavis Ecclesia, in qua successio & traditio Apostolica conservata fuerit, Irenæus loquitur; postea tamen apertè de Romana, & quidem propriè de hac, & sola loquitur.* Hæc ille, quæ deinceps illustrat. ℞. ad (1) comminiscantur nova principia rei, sed non cognitionis omnes. *Nam,* teste Baronio an. 173. §. 7. *scripturas omnes cum Catholicis tam V. quam N. T. recipiebant:* esto *sensu alio,* potuerunt tamen convinci ex scripturis à se receptis de sensu vero. Ecclesiæ Romanæ apostasia est facta in mysterio, sensim sensimque, dormientibus hominibus: quod novimus à posteriori. Ad 2. exempla non sunt exclusiva: At Romanam Ecclesiam exempli gratia ab Irenæo adduci ipse Gretserus fatetur. E. reliquæ Ecclesiæ non sunt exclusæ; E. non *sola Romana* Ecclesia habet eam prærogativam.

§. 4. 3. *Affectionibus.* In quibus est *perfectio* cum *verbalis,* tum *realis.* Illam in dubium revocant Pontificii, dicentes, S. Scripturam esse *corruptam.* Id probaturiunt ex Justin. dial. cum Tryph. f. 232. ubi aliquot loca ex Esdra, Jeremiaque ablata conqueritur Martyr, citante Eusebio lib. IV. hist. c. 17. 2. ex Irenæo lib. V. f. m. 333. qui arguit aliquod *scriptorum peccatum* in numeris apocalypticis. 3. Ex Eusebio lib. IV. hist. c. 22. ubi conqueritur Clemens in literis ad Ecclesiam Romanam, quod quidam *dominicas scripturas dedita opera depravare aggressi sint.* (4) Ex Tertull. lib. 5. contra Marc. c. 9. & 10. qui dicit corruptum esse à Marcione locum 1. Cor. XV. 47. sicut hodie legitur in exemplaribus Græcis: censente Bell. lib. 2. de V. D. c. 7. Ad (1) ℞. Verbis Bell. lib. 2. de V. D. c. 2. *Justinum & Eusebium nusquam scripsisse ab Hebræis textum Hebraicum esse corruptum, sed textum Græcum LXX. interpretum.* At nobis quæstio est de fontibus Hebræis,

(3) *Affectionib9* 1. Perfectione verbali.

℞. *ad* 1.

℞. *ad* 2. non de rivulis verſionum. ℞. ad 2. diſt. inter corruptionem omnium, & quorundam exemplarium; hoc dicit quidem Irenæus ex inadvertentia amanuenſium potuiſſe fieri in literis facilè permutabilibus. At omnia exemplaria non ideò ſunt corrupta; unde enim
℞. *ad* 3. ille veram lectionem ſciviſſet? Idem ℞. ad 3. Non enim dicit Clemens omnes fuiſſe corruptas; aut fontes fuiſſe corruptos: quæ
℞. *ad* 4. tamen quæſtio eſt. ℞. Ad 4. Verba Tertulliani ſunt hæc: *Eodem modo & in nomine hominis revincetur* (Marcion) *primus, inquit, homo de humo terrenus; ſecundus, Dominus de cœlo. Quam ſecundus, ſi non homo, quod & primus:* Subjungit Gretſerus: *Pro vocabulo* homo, *ſubſtituerat Marcion: Dominus, ut notat etiam Pamelius; ut ſuam hæreſin eò melius tueri poſſet:* At unde probat Gretſerus, quod Marcion ſubſtituerit: *Dominus?* ſi ille ſubſtituiſſet, quis credat, quod orthodoxa Eccleſia ſic legiſſet, ſicut Marcion corrupit? *Græci conſtanter legunt: ſecundus homo Dominus de cœlo.* Ita eſt. Etiam Syriaca verſio ſic legit: fatente l. c. Pamelio. An ergo Marcion & hanc corrupit? nugæ. At Tertullianus dicit Marcionem corrupiſſe? Nego. Omittit quidem τὸ homo; & ponit Dominus: At hinc N. C. Marcionem omiſſo τὸ homo ſubſtituiſſe; Dominus. Hominem ſubintelligi connexio cum præcedente commate ſatis docet; Quare Tertullianus contra Marcionem ducit argumentum exinde: *Quare ſecundus, ſi non homo, quod & primus? Aut nunquid & primus Dominus, ſi & ſecundus?* ut appareat, Marcionem *ſuam hæreſin eo melius tueri non potuiſſe,* quod Jeſuita putat.

& §. 5. *Realis* perfectio in dubium vocatur, dum non omnia
reali. credenda vel neceſſaria| ad intelligendam ſcripturam ſacram in ea contineri dicuntur: *Traditiones* igitur cum *dogmaticas*, tum *herme-*
Obj. *nevticas* aſſuunt Pontificii. Videamus loca, quæ ex Patribus obji-
(1) ciunt. Bell. lib. IV. de V. D. c. 7. allegat (1) *Egeſippum*, de quo Euſeb. lib. IV. hiſt. c. 8. refert, quod τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν τοῦ Ἀποστολικοῦ κηρύγματος, *ſimplicem traditionem Apoſtolicæ prædicationis* libris quinq;
(2) ſit complexus. (2) *Polycarpum*, cujus verba Euſebius lib. V. hiſt. c. 20. refert, quæ *dicta à Domino ab Apoſtolis ipſe audiverat, & de virtutibus ejus ac doctrina:* ut loquitur Bellarminus: Quem ſecutus Irenæus, *quæ Polycarpus tradebat, deſcribebat non in charta, ſed in corde ſuo;*
(3) quæ iterum Bellarmini verba ſunt. (3) *Juſtinum*, qui ſacra Chriſtiano-

ſtianorum publica ex traditione derivat. Apol. 2. ſub fin. Baronius addit Quæſt. & Reſp. 118. (4) *Irenæum* lib. III. c. 4. ubi ſic loqui- (4) tur: *Quid autem, ſi neq; Apoſtoli ſcripturas iidem reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi traditionis? quam tradiderant iis, quibus committebant Eccleſias? &c.* Et ne de hermeneuticis dubitaremus, allegat idem Bell. ex Iren. lib. 4. c. 43. hæc verba: *qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum ſecundum placitum Patris acceſſerunt.* confer Gretſer. def. Bell. de V. D. fol. 1363. Baron. ann. 146. §. 24. Coc. theſaur. t. 1. f. 769. Wagnerec. Anti-Dorſch. p. 353. ℞. (1) in genere: ſtatus controverſiæ rectè eſt for- ℞. 1. mandus. Non enim eſt quæſtio de traditionibus in ſcriptura con- Generalis. tentis, exinde deducibilibus, ritualibus, indifferentibus, hiſtoricis, quas ultrò largimur: ſed de iis, quæ neque κατὰ ῥητὸν, neque κατὰ διάνοιαν in ſcripturis continentur, ſed ſunt præter & contra ſcripturam, pari tamen pietatis & neceſſitatis affectu, quo ſcripturæ, proſequendæ ſtatuuntur: Has negamus. Allegatæ Patrum auctoritates nobis non obſunt. Nam (2) ℞. ad 1. N. C. Egeſippus ℞. ſcripſit de traditionibus Apoſtolicis; E. in ſcripturis ſaltem κατὰ 2. Specialis. διάνοιαν non contentis; E. iis, quæ ſunt præter & contra ſcripturam ad (1) e. g. de purgatorio, invocatione ſanctorum, precibus pro defunctis, miſſis privatis &c. imò dicit, ſcripſiſſe de traditionibus τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος *prædicationis Apoſtolicæ:* At quæ Apoſtoli prædicarunt viva voce; hæc eadem in literas retulerunt. 1. Joh. 1. 3. 4. Excipit Gretſerus l. c. f. 1660. abſurdum eſſe, ſi Egeſippus ea ipſa ſcripſiſſet, quæ prius Apoſtoli. Reſp. Atqui & Marcus ſcripſit quæ Matthæus, & Lucas, quæ uterque? E. *actum egit,* fruſtraneo & ſupervacaneo labore? Eadem ſcribere non pigeat; Nam & certiores nos reddunt. ℞. Ad (2.) traditiones Polycarpi erant σύμφωνα ad (2) ταῖς ἁγίαις γραφαῖς; *conſonæ ſ. literis:* At de his non eſt quæſtio. Excipit l. c. Bell. errat Chemnitius; *Nam aliud eſt, eſſe conſonum ſcripturæ, aliud poſſe probari ex ſcriptura. Omnis enim vera traditio, imò omnis veritas eſt conſona ſcripturæ, cum verum à vero diſſonare non poſſit, nec tamen omnis veritas probari poteſt ex ſcriptura.* Fruſtra ſe torquet Jeſuita: N. C. non diſſonat à ſcriptura. E. conſonat? Eſſe Jeſuitas in rerum natura non diſſonat à ſcriptura. E. conſanat? At σύμφωνον ſcripturis eſt, epiſtolam Pauli ad Philemonem eſſe olim ab ipſo

ſcriptam,

ſcriptam, & canonicam: quod tamen ex ſacris literis probari non poteſt. E. non omne quod *σύμφωνον* eſt ſcripturis, exinde poteſt probari. ita Gretſer. def. Bell. l. c. f. 1662. ℞. (1) Emplaſtrum hoc non ſanat vulnus Bellarmino inflictum; manet enim adhuc abſurdũ ipſius reſponſum. Et, ſi quid probaret, contra Wittakeri faceret canonem: *Ex ſcripturis probari poſſe, quidquid ſcripturis eſt conſonum.* (2) Epiſtolam Pauli ad Philemonem eſſe Pauli eſt ipſa revelatio. E. à priori probari nequit; ſicut traditiones ex ſcripturis. Manet igitur, dum traditiones illas Polycarpi Euſebius ait cum ſ. literis conſonuiſſe; vult illas ex ſcripturis potuiſſe probari: Et quia traditiones illæ erant ſ. literis conſonæ merito Irenæus animo ſuo illas recondidit, non opus habens, ut in charta ſcriberet, utpote jam ante in ſacris literis ſcriptas. Excipit iterum Bell. l. c. *Si de ſcriptis ageretur, nihil ſingulare diceretur de Polycarpo, vel Irenæo. Nam etiam ego poſſum referre dicta à Domino, quæ in Apoſtolis legi, nec eſt opus, ut ea deſcribam in charta.* ℞. Imò hoc ſingulare eſt, quod, referente Euſebio, Polycarpus coram ex ipſis Apoſtolis audivit, quæ in ſcriptis legerat, & deinde aliis narrabat, vel ſcribebat. vide Cham. t. 1. Panſtr.

℞. ad (3) lib. IX. c. 18. §. 16. ℞. ad (3) Eſt ignorantia Elenchi. Objectio enim loquitur de ritualibus; nobis autem quæſtio eſt de dogmatibus præter & contra ſcripturam: Excipit Gretſer. def. Bell. l. c. f. 1664. ſaltem exinde patere, quod *ſint aliquæ traditiones divinæ & Apoſtolicæ non ſcriptæ.* cum dicat Juſtinus: *poſtridie Saturni, qui dies Solis eſt, cum Apoſtolis Diſcipulisq́; ſuis apparuiſſet, hæc illis tradidit*, (Græca ſic habent: ἐδίδαξε ταῦτα, *docuit hæc*) *quæ vobis quoq́; conſideranda permittimus.* ℞. (1) Non omnes Iuſtini traditiones ſunt legitimæ; aliàs & fabula de cellulis 70. Interpretum, ab Hieronymo caſtigata; & Chiliaſmus, *jam pridem ab Eccleſia exploſus*, eſſent traditiones veræ. (2) *Docuiſſe* ait Chriſtum, non *tradidiſſe* prædicationem verbi & adminiſtrationem Sacramentorum; *quibus* verò *ritibus* celebrari debeant, non ait Chriſtum docuiſſe: Aliàs enim & oſculis mutuis ſeſe ſalutare Chriſtus traditione divina præcepiſſet; Nam & ejus ritus in præcedentibus meminit: Tradidiſſet omnibus poculum eſſe diſtribuendum; Nam & de hoc egerat. Taceo, quod liber quæſtionum & reſponſionum, judicio ipſius Bellarmini, non ſit

℞. ad (4) Iuſtini; ſed recentioris. ℞. ad (4) In genere. Irenæi traditionibus

bus non omnibus esse standum, probat ipsius Chiliasmus, & error de 40. annis Christi; *humanæ imbecillitatis & incircumspectionis errata*, ut mitissimè excusat Gretser. f.1669. In specie, iterum extra oleas vagatur Jesuita. Nam Irenæus loquitur de traditionibus ἐγγράφοις. Excipit Bell. *Si loquitur Irenæus de traditione scripturæ, quomodo isti Barbari habebant, & custodiebant diligenter traditionem, qui scripturas nullas habebant?* Resp. dist. inter scripturam materialiter & formaliter sumptam. Res in scriptura contentas habere potest, qui scripturam non habet quoad literas & syllabas. Etsi igitur Barbari non habuerint scripturas (supponamus hoc) habuerunt tamen symbolum Apostolicum, cujus singuli articuli sunt congrui scripturis. Porrò excipit ex c. 2. & 3. & 4. Irenæi: *traditionem latius patere, quam scripturas, & sensum scripturarum difficilium non ex scriptura, sed ex traditione haberi, ita ut traditio sola sufficiat, scripturæ autem non sufficiant.* Resp. Hæc verò hæreticorum sententia est, eorum puto ipsorum, quos l. c. Irenæus refutat. Nam illi nolebant stare auctoritate scripturæ, quasi dubiæ & obscuræ, & ad traditiones provocabant; & cum Irenæus veras ipsis traditiones opponeret, nec has volebant admittere, seipsos longè sapientiores per immanem superbiam jactantes, ut c. 2. docet Irenæus. E. nec ipsæ traditiones sufficiunt: *Evenit itaq; neq; scripturis jam, neq; traditioni consentire eos*: ita Irenæus. At *Irenæus non improbat:* inquit Gretser. def. lib. 3. c. 8. R. qui non improbet, quod ut hæreticum perstringit? Remittit quidem ad interpretationem Ecclesiæ, sed eam, quæ scripturis conformis sit. Urget Gretser. f. 1668. verba c. 4. Iren. III. *Apostolos in Ecclesiam, quasi in depositorium dives, plenissimè contulisse omnia, quæ sint veritatis, uti omnis, quicunq; velit, sumat ex ea potum vitæ.* Quid hinc? Traditiones non scriptæ, ait Gretserus. Nego: At *disertè capite tertio scribit!* Et hoc nego. Nam loquitur de iis traditionibus, ex quibus Marcion, Cerinthus, Valentiniani, Basilides hæretici erant refutandi: Cedo autem ullum istorum errorem, qui ex sacris literis refutari non possit? Pergit Jesuita ex Irenæo allegare: *Si Apostoli scripturas non reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias?* oportebat. Quid inde? *traditiones non esse aspernandas, cum fieri potuerit, ut sola traditione tota religio Christiana niteretur, absq; ullis scripturis.* Omnia largimur. Traditiones veras

non spernimus; Nam fuerunt divinæ prius, quam in literas referrentur sacras: solâ traditione non-scripta esset standum, si eadem traderet, quæ scriptura. Concludimus igitur cum Pio P. Rom. ex decret. Grat. dist. XII. c. 6. *Consuetudinem laudamus, quæ tamen contra fidem catholicam nihil usurpare dignoscitur.*

2. Claritate. §. 6. *Claritas* scripturæ impugnatur ab Jod. Coc. thes. lib. VI. t. 1. art. 31. ex Iren. lib. 2. c. 47. Sic autem ait: *Quædam in s. literis contenta quidem absolvamus secundum gratiam Dei, quædam autem commendemus Deo &c.* vide Bellarm. lib. III. de V. D. c. 1. Resp. loquitur de rebus, non de verbis, de quibus tamen quæstio est; nec tam de rebus in sacris literis contentis, quam curiosè ab hæreticis prolatis; nec tantum de hac, sed etiam de altera vita. vide Dn. D. Dannhavv. Christeid. f. 935. 936. Scult. medul. Patr. p. 87. Nec de omnibus locis, sed quibusdam, ut ipse Cocus fatetur: *Sacras scripturas inplerisq;* (E. non omnibus) *locis esse obscuras & difficiles intellectu.* At de quibusdam non est quæstio; Mentitur enim Gretser. def. lib. 3. c. 1. cum scribit: *Lutherus in scriptura omnia posuit planissima, apertissima, facilia.* ubi? In præfatione assertionis articulorum à Leone X. damnatorum. Atqui fatetur ipse Bellarminus lib. 3. de V. Dei. c. 1. Quod Lutherus fateatur scripturam *alicubi esse obscuram*; Qui igitur *omnia* posuerit planissima?

De Angelorũ cultu. §. 7. *De Deo*, quod attinet cultum illi soli debitum. Colunt Pontificii cultu ad primam decalogi tabulam spectante *Sanctos* (1) *Angelos.* Provocantes ad Iustin. Apol. 2. ἀγαθῶν Ἀγγέλων ςρατὸν &c. σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν: i. e. *bonorum Angelorum exercitum colimus & adoramus:* Bell. lib. 1. de beat. sanct. c. 13. Coc. thes. t. 1. lib. V. art. 12.

& hominum. (2) *Homines* Martyres & ipsorum reliquias. Probare volunt exemplo Heronis Episcopi Antiocheni, qui Ignatium Martyrem invocavit: *Memor esto mei, filij tui Heronis; ut & ego ex hac vita exiens, sanctis connumerer, ut dignum nomen merear adipisci &c.* & sub finem: *Memento ejus, quem nutrivisti, benè, Martyr, & præsta mihi colloquium, sicut prius faciebas.* Verba citat Baronius ann. 110. §. 9. *ex codice Vaticano*, ut ipse ait, *post S. Ignatij epistolas*; Alii idem probare satagunt exemplo Smyrnensis Ecclesiæ apud Euseb. lib. IV. c. 15. hist. quæ Polycarpi reliquias collegit, recondidit, & die anniversario celebra-

B. Mariæ. vit. B. Virginem. probare id vult Bell. lib. 6. c. 19. ex Iren. lib. 3. c. 33.

L 4.

l.4. c.19. confer Canis. catech. fol. 60. §.2. Coc. thes. t.1. lib.5.f.467. ℞. ad (1) versio Bellarminiana impia est; nam conjungit Angelos creatos Deo Patri & Filio ante Spiritum Sanctum; quod in creaturas non cadit: *Non copularet Dominus cum Patre & Filio Spiritum S. si creatura esset,* Ergò nec Angelos copulabit cum Trinitate; Nam creaturæ sunt, ait ipse Bell. lib.1. de Christ. c.13. sic igitur verba ordina: *Sed Patrem hunc & Filium ab ipso venientem, ac docentem nos (ista, & aliorum consequentium & sibimet exæquatorum bonorum Angelorum exercitum) & Spiritum propheticum colimus & adoramus, cum ratione & veritate venerantes.* Dn. D. Dannh. Christeid. p. 925. confer Chemnit. part.3. exam. p. 321. Cham. t.2. Panstr. lib. XIX. c. 4. §. 4. ℞. ad (2) 1. Codex Vaticanus, cujus sit fidei & auctoritatis, Baronius ipse nō indicat; non omissurus, si genuinus esset. Dum igitur monumentū est dubium & incertū; Incertum erit & testimonium inde derivatū. 2. Dist. inter cultum religiosum & charitativum. Condere defunctorum ossa, & grata memoria celebrare, bonum est; at non licet religioso id facere cultu, quem Smyrnenses, ut ipsi testantur clarissimè, Polycarpo nunquam voluerunt deferre. De B. Virgine advocata deinde erit sermo; Nunc paucis N. C. Maria est advocata. E. invocanda. Invocatio debet ex fide proficisci, quæ nititur verbo mandati, vel promissionis, quale h. l. nullum comparet.

℞. ad 1.

℞. ad 2.

§. 8. III. *De Christo.* Hujus officii est conculcare serpentem infernalem, & intercedere pro hominibus. At B. Virgini id officii adscribunt, allegantes ex Irenæi lib. III. 33. *Sicut Eva inobediens facta, & sibi & universo generi humano caussa facta est mortis: Sic & Maria, habens prædestinatum virum, tamen virgo obaudiens, & sibi, & universo generi humano caussa facta est salutis: quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria solvit per fidem.* & lib. IV. c. 19. *Sicut Eva seducta est, ut effugeret Deum, sic hæc suasa est obedire Deo; uti Virginis Evæ virgo Maria fieret advocata: & quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, salvatur per virginem, æqua lance disposita virginalis obedientia, per virginalem obedientiam.* vide Canis. catech. fol. 60.64. Bell. lib. 1. de beat. sanct. c.19. Coc. thes. cath. t. 1. lib. 5. fol. 467. ℞. Maria *facta est caussa salutis* remotè, Salvatorem pariendo; non proximè, salutem promerendo: *Solvit per fidem*, quâ concepit salvantem Christum; *Evæ facta est advocata*, scilicet consolando per

ſuum partum Chriſtum Evæ redemptorem. Denique N. C. Maria hæc omnia præſtitit. E. mortua: quod tamen inde probare vult Bellarminus. Et præſtiterit mortua. E. propterea invocanda? E. Eva Mariam ut advocatam invocavit? nugæ! vide Chemnit. part. III. exam. p. m. 371. 322. Cham. Panſtrat. Cath. t. 2. lib. VIII. c. 5. §. 36. 37. Gallaſ. not. ad Iren. f. 385. ſeqq. Dn. D. Dannhavver. Chriſteid. p. 933.

De imagine Dei. §. 9. IV. *In ſtatu inſtitutionis* homo ad imaginē Dei creatus eſt. Quæritur: an imago fuerit ſupernaturalis? Affirmant Pontificii; quibus quidem ſubſcribit Tatianus orat. ad gent. f. 198. 199. ſed hæreticus. (2) In ſtatu *deſtitutionis* ſtatuunt Pontificij liberum arbitriū in rebus divinis. Bell. lib. VI. de grat. & lib. arbitr. c. 11. adducit Iren. lib. IV. c. 72. ubi ſic loquitur: *Non tantum in operibus, ſed etiam in fide, liberum, & ſuæ poteſtatis arbitrium homini ſervavit Deus, dicens: Secundum fidem tuam fiat tibi. Propriam fidem hominis oſtentans; quoniam ſuam habet ſententiam. Et propterea is, qui credit ei, habet vitam æternam, & qui non credit Filio, ira Dei manet ſuper eum.* ℞. Diſting. inter liberum arbitrium ipſum, & ejusdem vires. De illo, non de his loquitur Irenæus. At illud non negamus, cum has negamus. Diſputat Irenæus adverſus hæreticos, qui quosdam hominum bonos à bono Deo, malos à malo creatos fingebant: quorum illi non poterant bonum, hi non malum repudiare: quod falſum eſt; Nam homo etiam lapſus habet liberum arbitrium, quod ex ſe quidem poteſt operari malum; bonum tamen non poteſt, niſi acceptis à Deo viribus. Liberè credit, non coactè, non ex neceſſitate naturæ, quisquis credit, nec liberum in bonis arbitrium denegamus homini credenti, & regenito. De homine E. in hoc ſtatu conſiderato dum loquitur Irenæus, nobis non obeſt. *Quando ſancti Patres liberum arbitrium defendunt, capacitatem libertatis ejus prædicant, quod ſcilicet verti poteſt ad bonum, per gratiam Dei, & fieri revera liberum, ad quod creatum eſt.* Chemnit. part. I. exam. p. m. 223. Huc referri poteſt, quod de peccato originali controvertitur, an ſit mera privatio? Affirmant, & probari poſſe videtur ex Juſtin. quæſt. & Reſp. 46. ubi vocatur παρατροπὴ ἀπὸ τοῦ καλοῦ *averſio à bono.* ℞. (1) D. Calov. Harm. Calixt. p. 377. etiam, quod poſitivum in peccato eſt, eſt averſio à bono. (3) In ſtatu *reſtitutionis* utitur Deus *miniſterio Eccleſiaſt.* in homi-

Libero arbitrio.

Peccato originali.

in homine restituendo. *Dividunt* Pontificii istud in 7. ordines. citant Canis. Catech. de sacram. ordin. f. 307. Cocc. thes. t. 2. lib. 8. art. 4. Anacletum epist. 1. *Episcopus in solennioribus diebus, aut septem, aut quinq;, aut tres Diaconos, qui ejus oculi dicuntur, & subdiaconos, & reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis in fronte & à tergo stent.* Item ep. 2. docet Episcopos Apostolis, & Presbyteros septuaginta discipulis successisse: Et Irenæum, qui lib. 3. c. 3. Apostolis dicit successisse Episcopos: Hinc concludunt: E. Episcopi à Presbyteris realiter differunt. ℞. Genuinus Justini locus Apol. II. solius meminit Antistitis & Diaconorum, non plurium. Et ipse Anacletus ep. 2. duorũ tantũ ordinum facit mentionem; In priori quidem subdiaconos addit, sed non dicit *sacramento ordinis* fuisse initiatos. Taceo, quod epistolæ dictæ non ex uno argumento falsitatis postulentur. Irenæus, qui Apostolis Presbyteros successisse ait, idem Episcopos Romanos vocat Presbyteros in literis ad Victorem: *ausim asserere, nunquam ab Episcopis distingui, nedum separari Presbyteros apud Irenæum.* ait Cham. t. 2. Panstr. lib. X. c. 6. §. 16. *Adjuncta* ministerii sunt varia. Potissimum est auctoritas, quam obtinent in Ecclesia vel omnes, vel aliqui. *Omnes*; Nam juxta Pontificios non sunt reprehendendi ab inferioribus Auditoribus, etiamsi peccent. In quem finem allegant ex Iren. lib. IV. c. 50. verba cujusdam Presbyteri, qui non vult nos ridere superiores, ut Cham Noachum, filius parentem. ℞. Nec nos censemus sic ridendos esse majores, cum ex infirmitate, veluti Noachus, peccaverint: Notamus autem nos *impostorum & seductorum technas, diaboli astutiam, qui se transformavit in Angelum lucis, & ministrorum ipsius fraudes, qui justitiæ larvam induunt, cum injustissimi sint ac nequissimi:* ait Gallas. notis ad loc. cit. Irenæi. *Aliqui*, nempe Pontifices Romani, altius sapiunt. *Eminentia papalis* strenuè urgetur à Pontificiis: *& probare volunt ex testimonijs ipsorum.* e. g. Anacleti, &c. velut ipsi essent capita universæ Ecclesiæ. Congerunt autem varia, nos in ordinem digesta referemus, & refutabimus.

Ordinibus sacris.

Potestate.

§. 10. Argumentum (1) *Ex origine & antiquitate primatus.* Producunt Anacletum epist. 1. Super Apostolicam sedem *Christus universam construxit Ecclesiam, dicente ipso ad B. Principem Apostolorum Petrum: Tu es, inquit, Petrus, &c.* Idem repetitur epist. 2. & 3. citante Grat. decret. dist. 21. c. 2. Canis. oper. Catechist. f. 137. Sander. de vis.

Papali arg. 1.

Monarch. lib. 7. f. 237. Bell. lib. 2. de P. R. c. 17. Coster. Apol. p. 2. p. 48. Greg. de Valent. analys. fid. l. 2. c. 9. *Sixtum* qui in ep. 2. vocat Romanam *caput cæterarum Ecclesiarum.* Sander. f. 238. §. 7. Theophilum Antiochenum, qui lib. 2. allegor. in Evang. Matth. sic ait: *Socrus Petri Synagoga est, filiaq; ejus Ecclesia, quam Petrus regendam accepit.* Allegatur à Iod. Cocc. t. 1. lib. 7. thes. art. 4. Irenæum, qui lib. 3. c. 3, magnificè de Ecclesia Rom. loquitur: *Maximæ,* inquiens, *& antiquißimæ, & omnibus cognitæ à gloriosißimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis, traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per succeßiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, h. e. eos, qui sunt undiq; fideles; in qua semper ab his, qui sunt undiq;, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio.* Bell. lib. 2. de P. R. c. 15. Cocc. t. 1. l. 7. art. 6. Alan. Cop. dial. 6. p. 982. Sander. f. 244. § 20. qui locum explicare, & vindicare conatur; additque de numeris Pontificum Romanorum observari solitis, cum citarentur Iren. lib. 3. c. 4. Addunt canonem 6. Concilii Nicæni, qui *mores antiquos observari, & sua privilegia Ecclesiis rata esse jubet*; uti loquitur Sander. f. 238. in quibus etiam erat Primatus Ecclesiæ Romanæ: Sic enim in Concilio Chalcedonensi citatur art. 16. *Ecclesia Romana semper habuit primatum:* allegante Bellarm. lib. 2. de P. R. c. 17. Huc spectat, quod fundata est Ecclesia Romana à Petro & Paulo, & Martyrio utriusque quasi dedicata; attestante Papia in explanationibus sermonum Domini; apud Euseb. lib. 2. c. 14. Niceph. lib. 2. c. 15. Bedam in prologo super Marcum; Egesippo de excid. Hieros. lib. 3. c. 2. Dionysio Corinthiaco in epistola ad Romanos; Irenæo lib. III. c. 1. citante Coccio thes. lib. 17. t. 1. art. 5. Ex Latinis autem, & quidem Pontificibus ipsis, Anacleto epist. 3. & Pio I. epistola ad justum: allegante eodem fol. 818.

2. (2) *Ex auctoritate in alios Episcopos.* Hanc probare volunt ex variis. e. g. Ex itineribus Romam versus ab Episcopis, etiam Asiaticis, institutis, quod patet exemplo Polycarpi, qui, postquam audivisset decretum Pii I. de Paschate die 15. celebrando, Romam perrexerit, id non facturus, *nisi auctoritatem Romani Pontificis majorem sua ipsius*

ipsius auctoritate agnovisset, uti concludit Sander. f. 250. §. 27. Baron. an. 173. §. 19. Et aliorum; Nam, teste Irenæo, εἰρήνευον τοῖς ἀπὸ τῶν παροικιῶν ἐρχομένοις πρὸς αὐτούς. *Pacem habebant Pontifices Romani cum Episcopis, qui ex parœciis Asiæ, (de iis enim agitur) ad se accesserant.* interprete Sandero §. 9. Idem Sanderus §. 14. urget literas Soteris Pap. R. quas Dionysius Corinthiacus perhibeat lectas esse in Ecclesia Corinthiaca: *Romanorum igitur Pontificum epistolæ in tanto pretio ab initio fuerunt, ut publicè in Ecclesiis non semel, sed sæpè legerentur.* idem l.c. confer Baron. an. 175. §. 11. & an. 179. §. 52. 53. Subjungunt & literas Martyrum Lugdunensium, quas dederant ad Eleutherum P. R. de componenda in Ecclesiis pace; scil. de paschate: *Hoc certè non fecissent, nisi maximè omnium in manu Pontificis Rom. positum esse intellexissent.* §. 16. addit §. 17. exemplum Irenæi, ab Ecclesia Gallicana Romam cum literis ablegati. Adde literas formatas, Sixto sanciente, apud Baron. an. 142. §. 6. Possunt huc referri, quæ Sander. f. 242. §. 19. & f. 246. §. 21. allegat, de conversione Anglorum & Scotorum. Nam referente Beda lib. 1. hist. Angl. c. 4. Lucius Britannorum Rex ad Eleutherum datis literis per ipsum voluit Christianismum amplecti: *Cur, obsecro, tot Episcopis, quot jam tunc & in Galliis, & in vicinioribus Italiæ regionibus erant, præteritis, ad R. P. Lucius confugit, nisi quia ex iis fidelibus, qui Christum in Britannia prædicabant, didicerat, Petrum Apostolorum Principem Romæ Episcopalem Cathedram collocasse, ibiq; principium & fontem catholicæ communionis in æternum sedere, cujus in manu potissimum esset, novas constituere Ecclesias, & illis novos præficere pastores:* verba sunt Sanderi.

(3) *Ex legibus, dispensationibus, & censuris.* *Legibus*, ut Sixti, de formatis epistolis à Romana sede reportandis. Sander. §. 7. Telesphori quadragesimam confirmantis. §. 8. Pii, sancientis Pascha die dominico celebrandum. §. 10. & 11. ex epist. 1. decret. Euseb. lib. IV. c. 21. & Pontificali Damasi Anacleti, ne Clericus comam nutriret, *ut Metropolitani alicujus contumacia referatur ad Apostolicam sedem Romanam vel penes primatem, ejusdem sanctæ sedis auctoritate judicetur.* §. 13. Victoris de observando paschate, quæ omnem orientem obligavit, etiã Egesippum, apud Euseb. lib. IV. hist. c. 21. Explicat Sander. f. 240. §. 11. confer Baron. an. 159. §. 1. *Dispensationibus*, qualis erat Aniceti de paschate die 14. celebrando, rogante ipsum Polycarpo. *Censuris*: Nam Victor Asiaticas Ecclesias pertinacius in paschate dissentien- (3)

tes excommunicationis fulmine percussit non tantum de facto, sed etiam de jure. Nec enim leguntur vel Asiatici, vel Irenæus in ipsa excommunicandi potestate aliquid desiderasse, sed tantum in praxi, quam sugillabant. Sander. f. 246. §. 23. imò si credidissent sibi æquè potestatem illam competere, ac Papæ Romano, potuissent & ipsi eundem excommunicare. Bell. lib. 2. de P. Rom. c. 19. Aliud hujus suæ potestatis specimen edidit Victor, dum Theodotum Coriarium, sed hæreticum, excommunicavit; secutus exemplum antecessoris sui Eleutheri, qui Cerdonem, & Marcionem, & Valentinum solenniter excommunicavit: *Solemne planè fuit apud antiquos, ut, licet Catholici omnes æquè hæreses abhorrerent, vitarent, ac pariter condemnarent; tamen solemnis illa ab Ecclesia ejectio, quam excommunicationem dicere consueverunt, ab ipso potissimum Christi Vicario, ac Petri in sede successore, totiusq; Ecclesiæ Catholicæ Episcopo, adversus hæreticos infligeretur.*
4. Verba habes Baronii ad an. 196. §. 1. (4) *Ex Vicariis Papæ.* Nullum quidem memini expressum exemplum, quod vel Bellarminus lib. 2. c. 20. de P. R. vel alii ex hoc seculo allegent, quod Pontifex alibi locorum, inprimis in oriente, suos habuerit Vicarios; Posset tamen eo referri, quod jussu Victoris Romani Episcopi Asiatica Synodus fuerit coacta, directore Polycrate. Euseb. lib. V. c. 23. alle-
5. gante Sander. f. 246. §. 22. (5) *Ex jure appellationum.* Hoc stabilivit Anacletus epist. 1. sanciens: *quod si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporum, vel majorum judicia, aut majores caussæ fuerint, ad sedem Apostolicam (si appellatum fuerit) referantur*: citante Canis. catech. f. 137. §. 9. Pigh. hier. Eccles. lib. VI. c. 6. Staplet. relect. contr. 3. q. 7. conclus. 1. & Sixtus epist. 2. *Si quis vestrum pulsatus fuerit in aliqua adversitate, licenter hanc sanctam & Apostolicam appellet sedem, & ad eam, quasi ad caput, suffragium habeat, ne innocens damnetur, aut Ecclesia*
6. *sua detrimentum patiatur.* allegante Sander. f. 238. §. 7. (6) *Ex titulis* Rom. Pontificis. Extat Tertulliani scomma in Victoris R. P. titulum: *Audio etiam edictum propositum, & quidem peremptorium: Pontifex scilicet Maximus,* (erat hæc inscriptio decreti) *Episcopus Episcoporum dicit: Ego & mœchis & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* c. 1. de pudic. allegante Baron. an. 142. §. 4.

§. 11. Ignosce, Lector Benev. quod prolixior fuerim in adducendis Pontificiorum argumentis pro auctoritate Papali. Occupatissimi

patiſſimi illi ſunt in hoc argumento; Nam agitur, *ut breviſſimè*, & verbis Bellarmini præfat. controv. de ſummo Pontifice; *dicam, de ſumma rei Chriſtianæ*: de Pontifice Romano. Nihil autem voluimus omittere argumentorum, quod nos quidem apud ipſos legimus. ℞. ad (1) Anacleti epiſtola 1. ſuppoſititia eſt: Nam utitur *℞. ad 1.*
iisdem verbis, quibus Ruffinus ex epiſtola 1. Clementis; recentior igitur eſt Ruffino. *Niſi quis dicat transſcripſiſſe Ruffinum hanc particulam ex epiſtola Anacleti in ſuam translationem, quod neq; veriſimile eſt, neq; ab interpretibus fieri ſolet; agnoſcente ipſo Turriano*: verba ſunt R. Coc. Cenſ. vet. pag. 54. Secunda *falſo affi cta eſt Anacleto*, ut monuit in præfat. Contius annot. in diſt. 99. c. provinciæ: Tertia refertur inter ſpurias à Cuſano de conc. cathol. l. 2. c. 34. Ejuſdem farinæ eſt epiſtola 2. Sixti, ut docet Coc. p. 61. Nec melioris commatis ſunt Theophili allegoriarum libri, ut poſt Hieronymum cenſent Sixt. Senenſ. lib. IV. bibl. & Baron. an. 170. §. 12. Supereſt Irenæi teſtimonium, quod exempli loco adducit, ut probet ſucceſſionem Apoſtolicam contra hæreticos traditionum admiratores; At exempla non ſunt excluſiva, *quoniam valde longum eſſet, in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones*, delegit maximè conſpicuam; non quod reliquæ non haberent ſucceſſiones; ſed quod non tam illuſtres ac Romana, quæ, in urbe Domina congregata, non poterat non omnibus eo confluentibus eſſe nota. At à principalitate politica, vel externa, ad Eccleſiaſticam & internam fidei N. C. vide Cham. t. 1. Panſtr. lib. XIII. c. 22. §. 12. ſeqq. Dn. D. Dannh. Chriſteid. p. 939. 940. Numeri Epiſcopis Romanis additi nihil præjudicant aliis, qui & ipſi in hiſtoria Euſebii, & Chronico numerantur. Canon Concilii Nicæni evertit potius monarchicam Pontificis Romani auctoritatem, dum aliis in ſua diœceſi tribuit *parilem morem*. Quod de primatu ex Concilio Chalcedonenſi affert Bell. nihil facit ad rem; nec enim de primatu jurisdictionis, ſed ordinis loquitur: & quidem ob auctoritatem urbis, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, *quod urbs iſta imperaret*, §. 28. & ex eadem ratione ἴσα πρεσβεῖα tribuerunt Patres Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Quod verò ad canonem Nicænum attinet, eum quidem allegarunt Legati Pontificis, ſed confuſi fruſtra fuerunt: vide notas Oſiandri ad §. 28. canonum Chalcedonenſium. Papiæ auctoritas nulla eſt; nam

traditionibus imprudenter fidem habens, deceptus est sæpè & decepit alios. Sed esto genuinus, plus non probat, quam Petrum Romæ fuisse, ut & cætera testimonia, quæ nihil faciunt ad rem. Fuerit Petrus Romæ; quæritur non hoc, sed: an Romæ fuerit Monarcha Ecclesiæ ἀνυπεύθυνος ipse, & successores? Egesippus & ipse suppostitius est, utpote post Constantini tempora ortus, fatente Bellarmino, de scriptor. tit. Egesippus. Dionysius dicit & Corinthiacam Ecclesiam esse à Petro & Paulo fundatam; ℞. ad 2. N. C. Polycarpus & alii Romam sunt profecti. E. ideò, quod P. R. agnoscerent Ecclesiæ caput: Imò ideò, ut pax vel conservaretur, vel restauraretur: *Hoc enim Ecclesiasticæ modestiæ est, ut jus suum verbo quam mitissimo exprimat, dum memor est, se ita majorem esse inter fratres, ut tamen debeat se gerere tanquam ministrum, & non tanquam Regem & Dominum*; Sic Sanderus respondet fol. 246. ad preces Victoris: idem de Polycarpo Romam proficiscente paucis mutatis respondere possumus, ex modestia, vel aliis de causis id fecisse; non, quod inferior esset Pontifice. Si hoc fuisset, quid Anicetus persuadendo Polycarpo tempus inane trivit; nec imperavit, ut faceret, quid vellet? Literas Pontificum in Ecclesia fuisse lectas, verum quidem est, sed non fuit hæc ipsorum prærogativa; nam & aliorum præstantium virorum & Ecclesiarum, ut Smyrnensis, memorante Gregor. Turon. de glor. martyr. c. 89. Baron. an. 169. §. 17. lectæ sunt, ut hac ratione mutuam concordiam & harmoniã testarentur. De Herma, qui tamen Pontifex R. non fuit, scribit Hieron. catal. script. quod scriptum ipsius *apud quasdam Græciæ Ecclesias fuerit lectum etiam publicè.* Lugdunensium Martyres dederunt ad Eleutherum literas; ut pacem adornaret; at non omnis, qui rogatur pacem facere, agnoscitur eo ipso summus in Ecclesia Monarcha. Nam & Dionysius literas scripsit ad Lacedæmonios, ut pacem inter se & concordiam colerent, Euseb. lib. IV. c. 12. neque tamen Dionysius fuit œcumenicus Pontifex: multo minus Ecclesia Spartana. Eleutherus quidem compellatus est à Lucio Britannorum Regulo: sed N. C. Pontificem œcumenicum fuisse: Celebrius enim nomen erat Ecclesiæ Romanæ, quam aliarum, quare hanc potissimum delegit, quam compellaret Lucius. ℞. ad 3. *Leges* à Pontificibus latæ aut spuriæ sunt, aut non receptæ, ut decretum Pii & Victoris de Paschate observan-

℞. ad 2.

℞. ad 3.

observando. Permissio paschatis in gratiam Polycarpi facta, non est *dispensatio*; sed necessitas, quod Asiatici traditionem Apostolicam urgerent. *Censura* Victoris non unius est: Nam Episcopi Asiæ contrariam ediderunt; & Montanus ab Ecclesiis Asiæ est excommunicatus; Euseb. lib. V. c. 15. Unde Baronius non audet soli Pontifici eam potestatem tribuere, sed *potissimum*; Nempe quia potissimæ hæreses Romæ sunt ortæ, an stertente Papa? ideò etiam Romæ potissimum erant reprimendæ; ℞. ad 4. Nullo antiquitatis idoneo argumento probari potest, Episcopos Asiæ fuisse Romani vicarios. ℞. ad 5. Anacletus & Sixtus sunt suspecti testes. Ecclesia Asiatica à Victoris sententia appellavit ad traditionem Johannis, Philippi, Polycarpi, Thraseæ, Sagaris, Papirii, Melitonis; quod non fecisset, si sedes Romana fuisset ἀνυπεύθυνος. Euseb. lib. V. c. 23. ℞. ad 6. Ironica sunt Tertulliani verba: titulus ille Pontificibus non competebat, nisi à temporibus Gratiani. vide Dn. D. Dannhavv. Christeid. p. 968. 969.

℞. ad 4.

℞. ad 5.

℞. ad 6.

§. 12. *Monarchicam* Ecclesiæ formam probare volunt ex parænesi ad Græcos à Justino scripta, ubi hanc esse optimam contendit. ℞. Loquitur de Deo uno, non de forma externa vel politica, vel Ecclesiastica: Cham. t. 2. Panstr. lib. IX. cap. 9. §. 52. Excipit Gretser. def. Bell. de P. R. lib. 1. c. 2. *Justini sententiam esse generalem, tametsi prolata occasione multitudinis Deorum. &c.* ℞. Imò loquitur ex hypothesi Homeri, quem gentiles magni faciebant: suam ipse sententiam de forma sive politica, sive Ecclesiastica non expromit. *Exemptionem* Baronius an. 112. §. 10. probare satagit ex epistolis Pontificum; Coccius t. 2. thes. lib. VIII. art. 8. allegat ex Anacleti epistolis primam: Addi potest Evaristi 2. quam producit lib. IX. art. 3. ℞. Ignotum ex æquè ignoto probatur.

De forma Monarchica

De exemptione.

§. 13. Hactenus de ministerio Ecclesiastico. Objectum ejus est verbum, & Sacramenta. Verbum vel legis, vel Evangelii. Sacramenta vel V. T. vel N. T. *Circumcisionem* negant Pontificii habuisse efficaciam, quam Sacramenta N. T. & probare volunt ex Justin. dial. cum Tryph. fol. 186. qui ait: *Circumcisionem in signum, non ad justitiam, accepit* Abraham, & Iren. lib. 4. c. 30. *Circumcisionem non quasi consummatricē justitiæ, sed in signo dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ.* ℞. dist. inter vim in adultis ex opere operato, & fide:

De circumcisione.

℞.

Circumcisio utique adultis, nisi credentibus, non afferebat remissionem peccatorum & justitiam; *Aliud est per circumcisionem justificari organicè, aliud legaliter, tanquam per opus legis. Posterius solum negat Irenæus, non item prius:* ait Dn. D. Dannhavv. Christeid. p. 944. contra Bell. lib. 2. de offic. Sacram. c. 15. Jod. Cocc. thes. t. 2. f. 470. *Baptismum* Johannis diversum fuisse à baptismo Christi, Cocc. l. 5. t. 2. art. 5. probare vult ex Justin. q. 37. ℞. Nec quæstiones illæ, nec sententia est Justini: imò Justinus noster est: sic enim sonant verba: *Baptismus Johannis proœmium fuit Evangelij gratiæ; quo circa supra legem fuit, alioquin non admisisset eos, qui secundum legem peccaverant; ut in hoc per pœnitentiam & fidem Christi reciperent commissorum peccatorum remissionem:* Quid clarius, quam baptismum Johannis contulisse remissionem peccatorum? *Eucharistiæ* transsubstantiationem probare volunt ex Justin. Apol. II. ubi S. Cœnæ tribuit μεταβολὴν *transmutationem*; & extra usum vocat *Eucharistiam cibum.* Irenæus lib. IV. c. 34. scribit: *Quomodo constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, &c.* Hinc Bellarminus libr. 2. de Sacramento Eucharistiæ capit. 6. concludere vult transsubstantiationem, confer lib. IV. cap. 3. & Canis. catech. fol. 215. Huc facit constitutio, quam Pio P. R. tribuunt Burchard. lib. 5. c. 27. Ivo in decret. lib. 1. c. 56. Gratian. de consecrat. dist. 2. citante Coccio thes. lib. 6. t. 2. art. 1. f. 618. *Si per negligentiam aliquid de sanguine Domini stillaverit in terram, lingua lambetur, & tabula radetur, &c.* Hæc enim constitutio præsupponit transsubstantiationem. ℞. Mutatio alia est substantialis, de qua Justinus non loquitur, alia accidentalis, de qua loquitur; Nam illustrat similitudine duarum naturarum in Christo, quæ utique in nullo statu sunt transsubstantiatæ. vide Chemn. part. 2. exam. p. m. 147. Eucharistia vocatur cibus in usu S. Cœnæ, de quo Justinus loco cit. loquitur. Quo sensu & Iren. lib. IV. c. 34. quem l. c. allegat. accipiendus: Nam & ipse versatur in describendo Eucharistiæ usu. At N. C. panis in usu S. Cœnæ est ens permanens. E. etiam extra usum: at: E. usus est res permanens. Creatio ex S. Cœna probatur, non à priori, sed posteriori, quia Christus liberè utitur creaturis ad usum cœnæ S. quam instituit, quod non potest, nisi qui Creator est Symbolorum. Dn. D. Dannhavv. Christeid.

De Baptism. Iohannis.

℞.

De Euchari-stia.

℞.

Chriſteid. p. 944. Pii decretum alium olet auctorem, & ætatem, quam cui adſcribitur à Pontificiis. Altaria tum nondum habebant Chriſtiani. *Mixturam calicis* probant ex Iuſtino & Irenæo Iod. Coc. t. 2. lib. 6. theſ. f. 750. 751. 752. Baron. an. 132. §. 7. ℞. Chemnit. part. 2. exam. pag. 369. diſt. inter neceſſitatem & libertatem ſeu conſuetudinem; hæc ex Patribus probantur; non illa. Quod de præcepto ex Cypriano regerit Gretſer. def. Bell. de V. D. lib. 4. c. 7. f. 1664. alibi refutatur. *Miſſam* probare volunt ex Iuſtini dial. f. 201. qui verba Malachiæ, de futuro ſacrificio, explicat *de pane Euchariſtiæ, & poculo ſimiliter Euchariſtiæ.* Repetit f. 269. Ex Irenæi lib. IV. c. 32. & 33. Sed & ſuis diſcipulis, ſcribit, *dans conſilium primitias Deo offerre ex ſuis creaturis &c.* Et iterum: *Chriſtus N. T. novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in univerſo mundo offert Deo:* Pontificibus; e.g. Alexandro epiſt. 1. ad orthod. qui ſic ſcribit: *In Sacramentorum oblationibus, quæ inter miſſarum ſolennia Domino offeruntur, paſſio Domini miſcenda eſt, &c.* Et Teleſphori ep. ad Epiſc. c. 2. *miſſas celebrent &c.* Adde Liturgias, collectas à Pamelio t. 1. ſec. 2. & confer Caniſ. catech. f. 225. 227. 233. Coc. theſ. t. 2. lib. 6. f. 656. 665. 659. 686. 760. Bell. lib. 1. de miſ. c. 2. & 10. ℞. *Pontificum* decretales & *Liturgiæ* Pamelii ſpuriæ ſunt. *Juſtinus* loquitur de ſacrificio non miſſatico, ſed precum & gratiarum, quæ agebantur in celebratione S. Cœnæ; Opponit enim ſacrificia veterum noſtris, quatenus in noſtris *glorificemus nomen Dei*; illi autem *profanarint*: imò expreſſe dicit: *nullum aliud Deum præcepiſſe ſacrificium, quam precum & gratiarum actionis, nec aliud Chriſtianos accepiſſe*: Inſignis locus eſt fol. 270. *Supplicationes ſimul & gratiarum actiones, quæ à dignis peraguntur, ſolas perfectas eſſe, & Deo caras victimas, ipſe quoque affirmaverim:* ταῦτα γὰρ μόνα καὶ χριστιανοὶ παρέλαβον ποιεῖν, καὶ ἐπ' ἀναμνήσει δὲ τῆς τροφῆς αὐτῶν: *has verò ſolas facere Chriſtiani didicerunt, in ipſius etiam alimoniæ ſuæ recordatione aridæ juxta & liquidæ, in qua & paſſionis, quam pertulit per ipſum Deus Deum, meminit.* At, excipit Bell. lib. 1. de miſſ. c. 2. Iuſtinus loquitur de ſacerdotibus tantum. ℞. Ita eſt; ſed Chriſtiani omnes ſumus ſacerdotes ſpirituales; non ſoli illi, qui ſunt uncti & raſi. Quare à genere ad ſpeciem, pro more, argumentatur Bellarminus: Eſt ſacrificium. E. miſſaticum; ſunt ſacerdotes. E. miſſifici. Sacrificium eſt etiam cujusque anima, & corpus ſanctificatione: *Depoſcit*

De mixtura.
℞.
De miſſa.
℞.

ille ſibi victimam incruentam. Quam verò ? animum rationis compotem, ſibi offerri & miniſtrari: idem ℞. in Apologia. Irenæus loquitur μιμητικῶς phraſibus ex V. T. petitis de re novi T. ſicut Eleemoſynas in Euchariſtia oblatas vocat nomine *primitiarum:* Excipit Jeſuita: Eleemoſynas non eſſe novam oblationem, *novam* autem *oblationem* urgeri ab Irenæo. ℞. novam non ſpecie, ſed circumſtantiis; ſicut præceptum de dilectione *novum* erat, quod ipſum tamen etiam in V. T. valebat: Oblatio erat, quia Chriſtiani panem & vinum ad uſum ſacræ Cœnæ & pauperum in agapis celebrandis ad S. Cœnam afferebant. Vide Scult. med. Patr. p. 51. & 91. D. Dannhavv. Chriſteid. p. 303. 310. 925. 943. Ex vetuſtioribus catal. teſt. verit. l. 2. p. 67. Chemnit. part. 2. exam. p. m. 275. Gallaſ. not. ad

De communione ſub una

Irenæ. f. 391. *Communio ſub una,* quam vocant, *Laicorum communionem* Papiſtæ, videtur Coccio theſ. cath. lib. 6. t. 2. art. 3. probari poſſe ex epiſtola Irenæi ad Victorem; *Nam,* ſic ſcribit: *Presbyteri illi, qui te anteiverunt ætate, tametſi minimè illud ita obſervabant, his tamen Epiſcopis, qui in aliis Eccleſiis idem ſic obſervabant, Euchariſtiam miſerunt.* ℞. N. C.

℞.

Euchariſtiam E. laicam. E. ſub una ſpecie; Non Iſtud: Nam erat Clericorum; nec hoc; Nam utraque ſpecies mittebatur ad abſentes etiam Laicos, ut patet ex Juſtini Apol. II.

De communicantibus.

Communicantes non niſi baptizati admittebantur; At hinc traditiones corroborare allaborat Bell. lib. IV. de V. D. c. 7. ℞. Id verò probatur ex 1. Cor. XII, 13. Deſinat igitur requirere ſcripturas Gretſer. def. Bell. lib.

De pompa miſſatica.

IV. 7. f. 1664. *Apparatus miſſaticus,* ut hodie eſt, probari poſſe videtur ex inductione, e. g. *Altaria,* eorundemque conſecratio: ex Iren. lib. 4. c. 34. *Sic & ideò nos quoq; offerre vult munus ad altare frequenter ſine intermiſſione:* & c. 20. *Sacerdotes ſemper altari & Deo ſerviunt.* Et Evariſtus apud Burchard lib. 1. c. 27. *Altaria placuit non ſolum unctione chriſmatis, ſed etiam ſacerdotali benedictione ſacrari.* adde Pium apud Burch. lib. 5. c. 47. lib. 3. c. 72. Ivon. part. 1. c. 25. Grat. diſt. 33. Soterem epiſt. 2. citante Coccio theſ. t. 2. lib. 6. art. 9. *vaſa ſacra,* ex eadem Soteris epiſtolâ. Nec enim vult *ſacras Deo fœminas vel monachas ſacra vaſa,* vel *ſacratas pallas contingere.* De quibus & Pii decretum ep. 2. loquitur. *Veſtes* quoque ſacræ ſunt, ut pallæ apud Soterem, lamina aurea apud Polycratem in epiſtola ad Victorem; veſtimenta in fronte & à tergo locata. Anacletus epiſt. 1. colobium

laudat

laudat Pius ep.2. ad Iust. ℞. Pontificum auctoritates nullius momenti esse dudum dictum est & ostensum. Duo igitur supersunt loca Irenæi & Polycratis apud Eusebium; Iste loquitur de rebus N. T. phrasibus V. T. & quidem c.34. sermo ipsi est de altari, sed quod est in cœlis: Ita enim sonant integra verba, quæ truncavit Coccius: *Ideò nos quoq; offerre vult munus ad altare frequenter sine intermißione. Est ergo altare in cœlis: Illuc enim preces nostræ, & oblationes nostræ diriguntur &c.* Unde quoque patet, quid ad c.20. respond. sit, nempe, esse à genere ad speciem certam, imò nullum argumentum: Nam N. C. inserviunt altari. E. missatico: datur & altare in cœlo. Quod de *lamina aurea* in fronte Johannis Polycrates scribit, peculiare Apostolo fuit: ut fuit, quod in sinu domini recubuit; &c. ut non liceat hinc ad alios argumentari: Nec etiam laminas aureas gerunt sacrificuli papales.

§. 14. Hactenus de duobus i. e. genuinis N. T. Sacramentis, Baptismo & Eucharistia. Sequitur de reliquis, quæ à Pontificiis superadduntur. *Pœnitentiam esse sacramentum quartum novæ legis lapsis post Baptismum & recuperandam gratiam necessarium, efficax, & salutare,* scribit Iod. Cocc. thes. lib. 7. t. 2. art. 1. Et probare vult ex Hermæ similitud. 8. in qua agit de remissione peccatorum ex pœnitentia redundante: ex Iustini dial. cum Tryph. qui similia profitetur: Theophilo Antiocheno; lib.3. ad Autol. qui eodem de fructu loquitur; Irenæo lib. 3. c. 37. qui præcedentibus subscribit. Subjungit idem art. 2. de contritione ad pœnitentiam necessaria; ex Iustini dialogo, & Iren. lib.1. c. 9. contra Lutheri sermonem de pœnitentia, & art. 6. assertionum, in quibus locis hic docet, quod contritio faciat hypocritam. ℞. (1) pœnitentiam post se trahere remissionem peccatorum allegati Patres quidem docent; sed sacramentum esse illam, & quidem quartum in N. T. hoc verò nemo ipsorum vel apice innuit. Quare extra oleas vagatur Theologus & Canonicus Iuliacensis. Quod de contritione assuit, non ferit vel Lutherum, vel nos: qui loquimur de contritione in se, dum pontificii *subsistunt in dolore & tristitia*, *spe satisfaciendi per bona opera*: hanc contritionem ait Lutherus *facere hypocritam, imò magis peccatorem*; At Iustinus loquitur de Davidica, i.e. ea, quæ verâ fide & fiduciâ filiali est quasi condita; & declarata extrinsecus per planctus & lamenta-

De 7. Sacram. 1. Pœnitentia.

℞. 1.

lamentationes; Irenæus autem de externa diſciplina lapſorum, & confeſſione delictorum publica, quæ erat Apoſtatarum. Pro *ex-*
2. *trema unctione* neminem allegat antiquitatis helluo Coccius art. 7.
de unctione. Sed nec pro *ſacramento ordinis* lib. 8. art. 1. Neautē de liberalitate noſtra
3. conqueratur, allegare placet ex Irenæi lib. 3. c 3. quod habet de or-
de ordine. dinatione & ſucceſſione Epiſcoporum: *Habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſq; ad nos.*
℞. Ita ille. Sed inſtitutos quidem audio ab Apoſtolis Epiſcopos, de Sacramento autē, vel ullis cæremoniis non audio. Alibi vocat τάξιν, non χειροθεσίαν; nempe Euſeb. lib. IV. c. 6. Enumerata enim Epiſcoporum R. ſucceſſione, ſubjungit: τῇ αὐτῇ τάξει, καὶ τῇ αὐτῇ διδαχῇ ἥτε ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ παράδοσις, καὶ τὸ τῆς ἀληθείας κήρυγμα κατήντηκε εἰς ἡμᾶς: i. e. *Unde traditio in Eccleſia ab Apoſtolis gradatim derivata, & ſincera veritatis prædicatio eodem ordine eâdem Epiſcoporum ſucceſſione in Eccleſia ad noſtram uſq; ætatem continuata eſt*: ſic vertit Chriſto-
4. phorſonus. *Matrimonium rectè inter ſacramenta novæ legis referri*, pro-
de matrimonio. bare vult Coccius lib. 9. art. 1. ex Iuſtini orat. ad Antonin. *Aut utimur conjugio propter ſobolem, aut abſtinentes in perpetua abſtinentia degimus.* Theophilo lib. 3. contra Autolyc. qui matrimonium præfert ſcortationi, adulteriis, & inceſtui gentilium. Irenæo lib. 1. c. 1. *Quapropter & omnimodo oportet eos zyzygiæ (i. e. conjugii) meditari myſterium:* addit ex c. 30. contra Marcionem defenſionem conjugii. ℞. De
℞. conjugio quidem Patres loquuntur, at de ſacramento nullus. Nam quod de συζυγίᾳ ex Irenæo adducit Coccius, & cum ipſo Fevardentius, & Pamelius, pudendus eſt error tantorum virorum. Nam συζυγία illa Gnoſticorum & Valentinianorum eſt delirium, quos exagitat Irenæus, quod ſibi promitterent inenarrabilem gratiam ἀπὸ τῆς ἀῤῥήτου καὶ ἀνονομάστου συζυγίας, *ab inenarrabili & innominabili conjunctione.* Sic amant Pontificii ex flamma victum quærere, & ex quovis ligno Mercurium formare: vide Cham. t. 4. Panſtr. lib. 4.
5. c. 32. §. 8. *Pro confirmatione* adducunt ex Iuſtin. q. 137. *peractis myſte-*
de confirmatione. *riis baptiſmi conſignari fideles ſacro unguento:* Bell. l. 2. de ſacr. confirm. c. 5. Coc. theſ. l. 5. art. 9. t. 2. Qui & alia loca addit: nempe dial. cum Tryph. & Theoph. Antiochen. lib. 1. ad Autolyc. *Nulla ex alia re Chriſtianorum nomen traximus, quam quod divino oleo perfundimur.*
℞. ℞. 1. Quæſtiones iſtas eſſe Iuſtini ipſe negat Bellarminus de ſcript.

Eccleſ.

Eccles. tit. Iustinus; sed sint Iustini: N. C. unguento. E. sacramentali. In dialogo loquitur de Christo, qui unctus est oleo Spiritus S. At quid hoc ad rem? De Christo non est quæstio. Theophilus aquam baptismi vocat oleum metaphoricè: At nobis quæstio est de oleo aquæ superinducto.

§. 15. Hactenus de Verbo & Sacramentis. *Effectus* debet esse justificatio nostra & renovatio. *Justificationis* organum ex parte nostri est fides, eaque, in adultis saltem, explicita; non opera nostra. *Pro fide implicita* allegant Iren. lib. 2. c. 45. *Melius est nihil omnino scientem credere Deo, & perseverare in ejus dilectione, quam per quæstionum subtilitates & multiloquium in impietatem cadere:* allegat Bell. lib. 1. de justif. c. 7. ℞. Dist. inter τὸ ὅτι & διότι de hoc, non de isto loquitur Irenæus; At controversia nobis est de isto, & non de hoc. De fide implicita.

Pro *meritis operum* multa videntur militare. Iustin. Apol. II. fol. 49. scribit: *non profitentes tantum, sed operibus simul professionem confirmantes, salvatum iri.* f. 62. scribit *supplicia*, nec non τὰς ἀγαθὰς ἀμοιβὰς κατ' ἀξίαν τῶν πράξεων ἑκάστου ἀποδίδοσθαι *bonas retributiones secundum dignitatem operum cuique reddi.* confer f. 64. dial. cum Tryph. fol. 252. 269. *Unusquisque sua ipsius justitiæ operatione salvus erit.* f. 290. Theophilus Antioch. l. 2. contr. Aut. scribit: *Legem & præcepta sancta communicavit nobis Deus, quæ, si homo servaverit, salutem consequi & resurgens hæreditatem incorruptibilem nancisci poterit.* Iren. lib. 5. c. 6. dicit, *si spiritus commixtus fuerit animæ*, scilicet justitia & gratia infusa, explicante Bell. lib. 1. de grat. & lib. arbitr. c. 4. hominem reddi *perfectum.* E. justificatur justitia infusa, confer l. 3. c. 20. quod allegat Bell. l. 2. de justif. c. 7. & l. 4. c. 72. quod producit lib. 5. de justif. c. 4. *Corona*, inquiens, *per agonem nobis acquiritur.* Cocc. t. 1. lib. 5. art. 1. qui idem allegat testimonium; Et ex lib. 1. c. 1. disputationem contra Valentinianos, qui negabant se per *operationem salvari.* ℞. 1. testimonium Iustini negat fidem hypocriticam salvare; ea autem est hypocritica, quæ sese per opera non exserit, cum possit, & debeat. Describit igitur personam salvandam, non autem organum salutis. 2. Dignitas est vel ex gratia, vel ex merito; de illa, non de hac loquitur Martyr: Nam aliud est *secundum*, aliud *propter* dignitatem operum; illud, non hoc dicit Iustinus. 3. Iustitia non aliena, sed sua hominem salvari verum est; Nam sua quisque fide justificatur & vivit, De meritis. ℞.

non aliena: sicut neque pater pro filio, neque filius pro patre, verum unusquisque peccato suo interibit. vide Dn.D.Calov. harm. Calixt. p.750. Theophilus loquitur conditionatè, *si homo servaverit*: At conditionalis nihil ponit inesse. Irenæus v. 6. loquitur non de justificatione, sed sanctificatione, in qua justitiam infundi fatemur, de qua & lib.3. c. 20. loquitur. Corona per agonem nobis acquiritur, sed non meritoriè; nisi ex promissione Dei, & *proportione virtutis ad cohæredes*, uti loquitur Dn. D. Dannhavv. Christeid. p. 947. Valentinianos reprehendit Irenæus, nō quia dicebant per opera bona se non salvari, sed quod assererent, se *eo, quod sunt naturaliter spiritales, omninò salvari*, ut lib.1. c. 1. loquitur. Secus ipse sibi adversaretur, qui scribit lib. 4. c. 28. *Servitus erga Deum Deo quidem nihil præstat, nec opus est Deo humano obsequio, ipse autem sequentibus & servientibus ei vitam, & incorruptelam, & gloriam æternam attribuit, beneficium præstans servientibus ei, ob id, quod serviunt, & sequentibus ob id, quod sequuntur, sed non beneficium ipso ab eis percipiente.* Beneficium vocat, *quoniam est bonus & misericors Deus*, quod dat *ob servitium*, quia promisit servientibus sibi cœlum. *Forma* consistit in imputatione meriti Christi: At hanc impugnant Pontificii ex dial. Iustini cum Tryph. *Non sicut prædicatis vosmet ipsos fallentes, etiamsi peccatores fuerint, modo Deum noverint, non imputabit eis Dominus peccata.* vide Bell. lib.2. de just. c. 9. At N.C. peccatoribus & fide merè historica præditis fides non imputatur ad justitiam. E. nec verè credentibus.

De *bonis operibus*. (1) In genere. §. 16. *Renovatio* concernit opera bona. *Opera supererogationis* Pontificii probare volunt; Et quidem (1) *in genere*. Ex Hermæ lib. 3. simil. Ita enim scribit: *Si præter ea, quæ mandavit Dominus, aliquid boni adjeceris, majorem dignitatem tibi acquires, & honoratior apud Deum eris.* citante Coc. t.2. thes. lib.3. art.3. (2) *In specie*: Heavtontimorias ex Euseb. lib. V. hist. c. 3. ubi refertur exemplum cujusdam Alcibiadis, qui solo pane & aqua vitam traduxerit: Et Iren. lib. III. c. 35. qui produxit exemplum Protoplastorum foliis ficulneis corpus suum vexantium. *Jejunium* urgetur à Canis. catech. f.511. Coc. t.2. l.3. art. 9. Baron. ann. 136. ex Telesphori epist. ad omnes c. 1. *ut septem hebdomadas plenas ante sanctum pascha omnes Clerici in sortem Domini vocati, à carne jejunent.* à Coccio t.2. lib. 3. art. 8. affertur exemplum Hermæ ex vis. 2. Art. 9. allegatur Epistola Irenæi

(2) In specie. ut *Jejunio*.

ad

ad Victorem, agens de diverso veterum jejuniorum tempore; Art. 10. producit Heges. lib. 5. de Iacobo Iusto, qui *vinum & siceram non bibit, animalium carnibus abstinuit.* Castitas. Hermas mand. 4. scribit: *qui per se* (cœlebs) *permanserit, magnum sibi conquirit honorem apud Dominum. Serva ergò castitatem & pudicitiam, & vives Deo.* Iustin. apol. 2. laudat *incorruptos & cœlibes* inter Christianos, Theoph. Antioch. lib. 2. allegor. *Fructum centesimum virginibus convenire* scribit Athenag. Apol. pro Christ. *Reperire est apud nos permultos & viros & mulieres, qui in cœlibatu consenescunt, spe illâ adducti, quod in tali vitæ genere conversari prolixius possint &c.* Paupertas. Adducit Baron. an. 162. §. 2. literas Pastoris ad Compresbyterum, in quibus narrat Novati voluntatem, volentis, ut substantia omnis relinquatur aliis: nempe Praxedi virgini & Timotheo, qui iterum Ecclesiæ donarunt. Clarius est, quod adducunt ex Heges. lib. V. c. 24. *Nulla est passio, quæ magis virtutem animi effœminet, quam cupiditas divitiarum.* Et Athenag. Apol. pro Christ. *Renunciatum est à nobis opibus.* Iren. lib. 4. c. 26. *Ea, quæ possidentur pauperibus divisa, solutionem faciunt præteritæ cupiditatis. Vita Monastica:* laudatur à Theophilo Antiocheno lib. 1. Alleg. in Matth. nempe commendat *Monachos, qui amant quietem, alieni à tumultu generis humani, & Domino servientes.* Soter. epistola 2. citat *Sacratas Deo fœminas vel monachas.* Telesphorus ipse fuit anachoreta, ut refert Damasus in vita. *Vota* probant ex quæst. 99. Iustin. qui scribit: *Cum Jephte pietatis erga Deum suæ observationem, filia sua pro hostia mactata, declaraverit, non immeritò memoria ejus in justorum nomenclatura est inserta.* Monachorum *tonsura* colligi potest ex decreto Aniceti ep. 1. cap. 4. Sanxit enim, ne Clerici *comam nutrirent.* ℞. (1) In genere: Libros quosdā esse suppositītios. e. g. Hermæ, ut proinde ab omni concilio Ecclesiarum sit rejectus, teste Tert. de pudic. c. 10. vide Baron. ann. 159. §. 5. Hegesippi; quæstiones Iustini; Aniceti, Telesphori, Soteri, Theophili Antiocheni in Evangelistas; quod ex ipsis Pontificiis probare possumus: Quare bona pars allegatorum perit. (2) Quædam abludunt à statu controversiæ N. C. Alcibiades abstinuit à quibusdam cibis, E. jure; imò aliud persuasus fuit à fratribus. Non quæritur, quid fecerint quidam, sed quam benè? Nec: an pœnitentia etiam in vestimentis sit declaranda? ut Protoplasti fecerunt; sed an sit cultus, aut necessitas, aut meritum? quod Irenæus

Castitate.

Paupertate.

Vita & votis monasticis.

℞. 1.

(2)

non dicit: Nec: an liceat à cibo & potu, vel omni, vel tali abstinere aliquandiu in feriis exercitiis pietatis? quod testimonia allegata docent, & nos ultrò largimur. Nec: An donum castitatis habentes benè faciant, si à nuptiis abstineant, imprimis sævientibus persecutionibus? Nam & hoc damus: Nec: An propter Christum liceat renunciare divitiis? Laudandi sunt, qui id faciunt. Nec: an redditis injustis bonis compensetur damnum proximo antea illatum? Nec: an liceat esse monacho? Etiam hoc non absolutè rejicitur.

(3) (3) Quædam manifestè impia sunt. e. g. impia etiam vota, quale fuit Jephtæum, esse servanda.

De Symbolo Apostolico. §. 17. *Summa* articulorum fidei ponitur in *Symbolo Apostolico* à Canis. catech. f. 5. ex Irenæi lib. 1. c. 2. & lib. 3. c. 4. Rx. Symbolum Apostolicum esse prædicatum in gentibus, verum est; At adæquatam id fuisse summam κατὰ ῥητὸν, Irenæus non dicit. Nascitur ex verbo Dei & sacramentis *Ecclesia*, de qua multus apud Pontificios sermo. Ad duo primaria capita referri possunt, quæ disceptantur, nempe (1) *Attributa.* quæ sunt: *auctoritas:* eaque *Romanæ* Ecclesiæ: quam probare volunt ex Iren. lib. 3. c. 3. provocante ad traditionem in illa Ecclesia incorruptè asservatam: & fundationem à Petro & Paulo factam.

De Ecclesia Romana, quoad auctoritatem.

Infallibilitatem. *Infallibilitas*, de qua idem c. 4. *cum Apostoli quasi in depositorium dives plenissimè in ea contulerint omnia, quæ sunt veritatis, uti omnis, quicunq; vult, sumat ex ea potum vitæ.* Hæc ille.

Indeficibilitatem. *Indeficibilitas:* pro hac allegat Cocc. t. 1. lib. 8. art. 1. Irenæi verba ex lib. 3. cap. 3. ubi enumerat perpetuam Episcoporum Romanorum successionem. Rx. Auctoritatem nullam majorem Romanæ, quam aliis Ecclesiis, tribuit Irenæus l. 3. c. 3. Etiamsi enim solius Romanæ successores enumeret, id tamen non factum est, quod Romana esset eminentior, sed *quoniam valde longum fuisset omnium Ecclesiarum enumerare successiones*, ut ipsemet sese explicat: delegit igitur, quæ erat *maxima & antiquissima, & omnibus cognita:* quæ iterum ipsius verba sunt. Fundatio quidem ejus facta est ab Apostolis Petro & Paulo; sed Dionysius Corinthius idem tribuit Corinthiacæ.

Infallibilitatem. *Infallibilis* est Ecclesia, quoad verbum sibi ab Apostolis concreditum, dum enim hoc ex ipsa petit homo, non errabit. Ita accipiendum esse colligitur ex lib. IV. c. 43. *Eis*, ait, *qui sunt in Ecclesia, Presbyteris obaudire oportet, his, qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum*

Episcopa-

Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt. Iis igitur, qui *charisma veritatis habent,* Presbyteris adhærescendum est. Si *indeficibilitas* ex successione Irenæo coæva sequitur, indeficibiles erunt Ecclesiæ illæ omnes, quotquot successionem ab Apostolis habebant; At non sola Romana eam habuit, sed & plures aliæ, quas longum fuisset omnes recensere. Quare N. C. Ecclesia particularis aliquamdiu non defecit. E. nunquam. Ecclesia Atheniensis ad Dionysii usque ætatem incorrupta mansit, & tamen deficere cœperat, ut per literas monenda fuerit. (2) *Notas:* Quæ sunt: 1. *Nomen Catholicæ Ecclesiæ & Christianorum*, ut vocat Bell. lib. IV. de not. Eccles. c. 4. & probare vult ex Iustin. dial. cum Tryph. f. 196. Et Iren. lib. 1. c. 20. qui hæreticos arguunt ex nominibus suorum auctorum, dictos Marcionitas, Valentinianos &c. non Catholicos, aut Christianos. 2. *Antiquitas:* Nullum quidem adducit Bell. ex hoc seculo testimonium; at produci potest Papiæ ex lib. 4. quod citat ex Eusebio, licet tacito nomine, Coc. t. 1. thes. lib. 6. art. 32. & Irenæi lib. 3. c. 4. quod addit; nam jubet ille recurrere in quæstione dubia *ad antiquissimas Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt.* Ex eodem loco (3) *Duratio* videtur probari: & ex lib. 4. c. 43. (4) *Amplitudo.* Nec pro hac adducit Bellarminus ex seculo nostro secundo testimonium; speciem tamen habent, quæ supra art. 3. §. 77. & art. 5. §. 1. nos notavimus. (5) *Successio Episcoporum.* Pro hac in acie collocant Irenæum lib. 3. c. 3. & 4. lib. 4. c. 43. verba sæpius allegata sunt. (6) *Conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua.* Nam, nisi hanc præsupposuisset Irenæus, non potuisset lib. 3. c. 4. scribere, quod ab Ecclesia præsente sumendum sit judicium de casu incidente, nisi eam cum antiqua conspirare judicasset. (7) *Unio.* Allegat Bell. l. c. c. 10. auctoritatem Irenæi, qui lib. 3. c. 3. *apertè dicat: ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse esse omnem convenire Ecclesiam, i. e. eos, qui undiq; sunt fideles.* (8) *Sanctitas doctrinæ:* Hoc argumentum urgent Patres in Apologiis præsertim frequenter, ut sese purgent ab iniquis suspicionibus, & calumniis. (9) *Efficacia doctrinæ.* Hanc docebant Patres ex conversione gentium & Iudæorum, vide supra art. 2. (10.) *Sanctitas vitæ:* De hoc iterum in Apologiis Patres hinc inde. (11.) *Gloria miraculorum.* Quam urget Iren. lib. 2. c. 56. contra hæreticos, qui nulla edere

Notas. 1. Catholicismum. 2. Antiquitatē. 3. Durationē. 4. Amplitudinem. 5. Successionē. 6. Conspirationem. 7. Vnionem. 8. Sanctitatem doctrinæ. 9. Efficaciam. 10. Sanctitatem vitæ. 11. Miracula.

12. edere possint miracula: citante Cocc. t.1. thes.lib.8. art.14. & Baron. an. 180. §.7. ex Euseb. lib.5. c.7. (12.) *Lumen propheticum.* De hoc videre est apud Euseb. lib.V. hist. c.16. in controversia Montanistica. (13.) *Confessio adversariorum.* Hanc urgent Patres in Apologiis. (14.) *Infelix exitus adversariorum.* e.g. Montani & Prophetissarum. Euseb. lib.V. c.15.

Lumen propheticum.
13.
Confessionē adversarior.
14.
Adversar. exitum.

Rz. ad 1.
§. 18. Resp. ad (1) Quosdam hæreticos ab auctoribus suis denominari, verum est, & probatur ex allegatis Justini & Irenæi; Sed N. C. omnes illos esse hæreticos, qui ab hominibus, nisi ab auctoribus denominantur; aut omnes hæreticos ab hominibus denominari. Nam Clem. Alex. lib.VII. strom. f. 765. facit aliquot hæreticorum classes, quorum plerique aliunde, pauci ex auctoribus nomen habent: Aut, qui Catholici dicuntur, esse catholicos. vera Ecclesia utique est catholica; sed non semper is cœtus, qui ad Ecclesiam Catholicam spectat, sic dicitur; imò Montanistæ *Catholicas* scribebant epistolas, sibi id nominis vendicantes. Ad (2) Papias fabulosis traditionibus veterum sibi sæpè imponi passus est; Irenæus in disputatione contra hæreticos provocat quidē ad antiquitatem, sed eam, quæ incorruptam servat doctrinam antiquam Prophetarum & Apostolorum. Ad (3) duravit vera Ecclesia Romana ad Irenæi usque tempora in Illis dogmatibus, quæ hæretici ejus temporis Gnostici, Valentiniani, &c. impugnabant: At N.C. E. quævis Ecclesia particularis, ut est Romana, propterea durabit incorrupta. Ad (4) Amplissimam fuisse Ecclesiam hoc seculo verum quidem est: At N. C. E. Amplitudo nota est, quæ Ecclesiam faciat evidenter credibilem. Nam instar lunæ est visibilis Ecclesia externa, quæ crescit & decrescit. Ad (5) successio Ecclesiæ Romanæ ad Irenæi usque tempora non negatur; At negatur unius illius esse privilegium; Nam clarè asserit Irenæus etiam in aliis dari Ecclesiis particularibus; Nec inde sequitur successio Episcoporum perpetua, si de visibili alius ejusdemque loci capias; Ad (6) Genuina est ista quidem nota Ecclesiæ, sed nemini minus favet, quàm pontificiis, qui consensum suæ doctrinæ cum antiqua Apostolica, ut ex S. literis & historiis veterumque monumentis aliis apparet, probare hactenus non potuerunt. Ad (7) Unionem cum Ecclesia vera esse notam, si doctrinæ sanæ unitatem supponas,

Rz. ad 2. Rz. ad 3. Rz. ad 4. Rz. ad 5. Rz. ad 6. Rz. ad 7.

verum

verum quidem est; sed si eam separaveris, ut solam unitatem urseris, in veram Ecclesiam recipies etiam hæreticos, qui inter sese unum sunt. Quare ista unio ad scripturam sacram est revocanda. Ad (8) & (9) de sanctitate doctrinæ & efficacia; ut & (10.) de sanctitate vitæ, ut fluit ex principiis fidei, quæstio non est; Nam à fructibus cognoscimus arborem; Ad (11.) pervertitur Irenæi mens. Is enim excipit ad argumentum hæreticorum, qui more Pontificiorum miracula jactabant; distinguit ille inter miracula vera & falsa; negat vera ab hæreticis Gnosticis & Magis edi; sicut edidit Christus: & cum excipere viderentur; etiam Christi fuisse falsa, remittit eos ad scripturas, in quibus prædicta hæc sint. Ad verbum igitur Dei miracula examinanda sunt. Ad (12.) Donum quidem propheticum in Ecclesia debet versari ad extremum usq; diē, sed non pari splendore; Nec ita, ut ideò veræ Ecclesiæ membrum sit, qui dono prophetico pollet. Ad (13.) Patres quidem ducunt ex testimoniis adversariorum argumenta, sed non dicunt Ecclesiæ hanc esse notam. Ad (14.) eadem est responsio. Secus enim eos, qui martyrio coronati sunt in hoc seculo, i. e. infelicem (quoad externam apparentiam) exitum habuerunt, ex numero veræ Ecclesiæ exclusissent. *Ad* 8. 9. 10. *ad* 11. *Ad* 12. *Ad* 13. *Ad* 14.

§. 19. Finis hominis in Ecclesia versantis est *mors.* De loco & statu post mortem variè disputant Pontificii. e.g. *De limbo Patrum.* Iren. lib. 5. c. 26. verba citata sunt supra art. 5. §. 10. Addunt Justinum, qui in dialogo cum Tryphone conqueritur; erasum esse ex Jeremia hunc locum: *Recordatus est Dominus Deus mortuorum suorum ex Israele, qui obdormiverunt in terra aggeris, & descendit ad eos, ut evangelizaret eis salutare suum.* ℞. ad (1.) Atqui Irenæus ibidem videtur negare gloriosam Dei visionem discipulis post mortem; qui tamen ex ipsorum Pontificiorum confessione tanquam martyres neque in limbum, neque in purgatorium, delati sunt: Quæ forsan & caussa est, cur in hoc loco excusando & dilucidando adeò desudet Fevardentius. Ad (2.) N. C. descendit ad eos, E. in limbo versantes. vide Cham. t. 2. Panstr. lib. 5. c. 9. §. 4. *Purgatorium* accendere vult Coccius t. 2. lib. 7. art. 5. ex Hermæ visione 3. *Alio autem loco ponentur multo inferiore, & hoc cum cruciati fuerint & impleverint dies peccatorum suorum, & propter hoc transferentur, quoniam perceperunt verbum* De limbo. ℞. De purgatorio.

verbum justum. Et ex Irenæi lib. 1. c. 2. & l. 5. f. 335. verba lib. 1. sunt: *Justis & æquis, & præcepta ejus servantibus, & in dilectione ejus perseverantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia vitam donans incorruptelam pro munere confert, & claritatem æternam circumdat:* Citat Bell. lib. 1. de sanct. Beat. c. 4. & concludit: *quibusdam ex pœnitentia.* E. in purgatorio: cur non in vita? alii enim moriuntur statim post baptismum, nec indigent pœnitentia, alii supervivunt peccantes, & hi indigent. Intellexit hæc Erasmus, quare fatetur Irenæum *ita loqui, ut qui nullum purgatorium sciverit.* quæ verba index expurgatorius jussit deleri. *Renovationem* mundi fore, non consummationem Coccius t. 2. lib. X. art. 2. probare vult ex Justini orat. ad Anton. qui dicit: *exustionem* fore; & in evers. dogm. Aristot. Dicit enim creaturas aut *sine corruptione* esse, aut corrumpi; ex Theoph. l. 2. contra Autolyc. qui *de mundi conflagratione* ex Malachia disserit; ℞. Audio quidem exustionem, & conflagrationem, sed non renovationem. *Sine corruptione* est cœlum ad tempus quidem, sed non semper.

§. 20. Opposita veræ Ecclesiæ sunt hæreses. Q. Communis Christianissimi hostis Antichristus. *Hæreticos* esse capitali supplicio afficiendos, Coccius t. 1. thes. lib. 7. art. 27. probare vult ex Iren. lib. 3. c. 5. ubi narrat, Johannis discipuli erga Cerinthum, & Polycarpi erga Marcionem animum & fugam. *Antichristi* notæ sunt, se Christum ostendere. Iren. lib. 5. & facere semet idolum, l. c. 21. Quorum neutrum in P. R. competit. ℞. Ad (1) fugiendos esse hæreticos inde quidem patet, sed non occidendos. Quod si tantum fugiendos velit Coccius, abludit à statu controversiæ. ℞. ad (2.) Dist. inter ostensionem apertam & hypocriticam, de hac, non de illa loquitur Irenæus: Ita & idolum sese facit ipse, & fieri patitur, etsi non fateatur. Irenæus dicit, hæreticos sui temporis esse Antichristos: Nam *etsi linguâ confiteantur unum Jesum Christum, semetipsos derident, aliud quidem sentientes, aliud verò dicentes.* Iren. lib. III. c. 18. Ita licet idolum sese esse neget Antichristus magnus, esse tamen potest.

De hæreticis

De Antichristo.

II. *Calvinianorum.*

§. 21. II. *Calviniani.* Abutuntur & hi nonnunquam autoritate Patrum hujus seculi ad suos errores palliandos. 1. *Imagines*, fieri non debere probare volunt Cham. t. 2. Panstr. lib. 21. c. 12. §. 15.

Gallas.

Gallaſ. ad Iren. f. 368. Polan. c. 44. ſymph. cathol. th. 1. ex Juſtini dialogo f. 251. ubi diſtinguunt inter *imaginem & idolum*, utrumque vetari aſſerentes, & alibi prorſus rejici imagines contendentes. ℞. ad (1) Loquitur pater de imaginibus ad cultũ proſtantibus. Lev. XXVI. 1. ut ipſemet l. c. ſeſe explicat. (2) Eſto, judæis, contra quos diſputat, ut φιλειδώλοις, interdici imaginibus; tamen N.C. omnibus prohiberi. vide Dn. D. Dannhavv. Chriſteid. p. 930. (2) *Omnipræſentiam* humanæ in Chriſto carnis Sculcetus medull. p. 45. evertere conatur ex Juſtino; & Cham. t. 2. Panſt. l. 6. c. 9. §. 11. ex Irenæi lib. 3. c. 15. & Polanus p. 281. ex lib. 1. c. 2. ℞. D. Dannh. Chriſteid. p. 929. & 947. Contra *omniſcientiam* Chriſti ſecundum humanam naturam objicit Polan. ſymph. cathol. p. 244. ex Iren. l. 2. c. 48. locum, qui dicit, Chriſtum ignoraſſe diem judicii. ℞. Diſt. inter ſtatum exinanitionis, de quo non eſt quæſtio, & exaltationis, de quo eſt quæſtio; at de iſto loquitur Martyr, non de hoc. Huc ſpectat, quod adducit Symph. cath. cap. 9. th. 3. pag. 230. ex Juſt. expoſ. fid. p. 299. ut probet, attributa naturarum communicari ſoli perſonæ, non naturis ipſis: *Quum de uno filio voces inter ſe diverſas audieris, convenienter ea, quæ dicuntur, inter ſe collata naturis diſtribuè; ſi quid magnum atq; divinum, naturæ divinæ adſcribens; ſin parvum & humanum, humanæ imputans.* ℞. Confundit Polanus genus primum cum ſecundo: De iſto loquitur Juſtinus; nequaquam de hoc. Taceo, quod, judicio Sculteti, liber iſte non ſit Juſtini. (3) *Redemptionem* univerſalem convellere allaborant Scultet. med. p. 32. Polan. ſymph. cath. c. 10. th. 1. p. 261. ex Juſtino Martyre; quos tacito nomine refellit Voſſ. de hiſt. Pelag. lib. 7. part. 1. apud Dannh. p. 630. 631. Addit ibidem Polanus verba Eccleſiæ Smyrnenſis: *Neq; Chriſtum unquam deſerere poterimus, pro totius mundi ſervandorum ſalute paſſum, neq; alium quempiam colere.* ℞. Atqui omnes in mundo ſunt ſervandi: E. Chriſtus pro omnibus mortuus eſt. Nam N. C. Chriſtus mortuus eſt pro ſervandis. E. quidam non ſunt ſervandi; aut: E. pro non ſervandis non eſt mortuus. (4) *Deſcenſus* ad inferos impugnatur à Polan. l. 1. p. 269. ex ſilentio ejus apud Juſtinum & Irenæum. ℞. N. C. non exſtat in ſymbolis: E. nuſquam. Multa omiſit in Symbolo Irenæus, quæ in eodem hodie habentur, neque tamen à Reformatis in dubium vocantur. (4) *Efficaciam* Sacramenti cir-

cumcisionis in V. T. & baptismi in N. Test. videtur negare Justin. dial. f. 186. Apol. II. f. 73. Iren. lib. IV. c. 30. citantibus Cham. t. IV. Panstr. l. 3. c. 7. §. 4. Scultet. medull. p. 41. Polan. symphon. cath. c. 16. p. 356. ℞. ad (1) supra est. Ad (2) ℞. dist. inter baptismum judaicum, & Christianum; de illo, non verò de hoc ipsi sermo est, quem alibi Apol. II. ut efficacissimum laudat: vide supra artic. 3. (6) *Eucharistiæ* deesse rem cœlestem in terris præsentem, probare ex Justino & Athenagora vult orthodox. conf. cap. 5. p. 104. & Polan. symph. c. 17. p. 376. ℞. D. Dannhavv. Christeid. p. 631. 632. Alium locum objicit Polan. symph. cath. cap. 11. th. 1. p. 112. ex Justino de expos. fid. verba hæc sunt: *Simili modo mihi in animo tuo considera justitiæ solem, universis quidem ex æquo substantia, ut, qui Deus sit, præsto esse.* ℞. N. C. Deus est omnipræsens. E. quod Deus non est, non est omnipræsens. Alium adducit c. 17. p. 369. ex Clemente const. l. 6. c. 23. *Instituit sacrificium, quod in mortem Domini per symbola corporis & sanguinis sui celebratur.* ℞. N. C. corporis & sanguinis sui. E. absentis.

III. Socinianorum negantium. I. *Trinitatem.*

§. 22. *Sociniani* vel aperti, vel operti probare volunt errores (1) contra *Trinitatem*, quam vel negant, vel labefactant, ex *silentio* Patrum, qui hoc seculo fuerunt, ut patet ex Socini defens. animad. contr. Eutrop. c. 12. p. 205. & 368. Schlichtingj præfat. contra Meisn. Sommer. apud Franz. disput. 11. vindic. A. C. q. 2. thes. 13. ℞. Falsam hanc esse assertionem ostendimus supra art. 3. ubi ipsa Patrum verba, & sententiam de Trinitate produximus. Et fatentur Simon Budnæus ipse Socinianus, & auctor Irenici Irenicorum pag. 31. seqq. quod Justinus Martyr mysterii hujus fuerit assertor, etsi in eo errent, quod primum dicant. Instant ex Justin. fol. 60. quod Christiani *post incommunicabilem & sempiternum Deum, & parentem omnium* colant *secundo loco* Christum, & *tertio ordine* Spiritum S. & inferunt: E. personæ sunt inæquales. ℞. Ordine, sed non essentiâ, dignitate, potestate. Huc referri posset, quod ex Iren. l. IV. 47. objiciunt: *In N. T. ea, quæ est ad Deum, fides aucta est, additamentum accipiens Filium Dei, ut & homo particeps fuerit Dei.* E. saltem in V. T. Trinitas non fuit. ℞. aucta est in N. T. accepto augmento humanitatis *Filij in carne manifestati.* Dn. D. Calov. harm. Calixt. pag. 842. §. 25. (2) *Contra divinam Christi naturam* ex Justin. dial. f. 280. ubi

II. *Christi Deitatem.*

ubi Filium à Patre *distinguunt.* ℞. Distinctione personali, non essentiali. vid. D. Dorsch. collat. concil. Sirm. p. 136. 143. Apol. pro judic. Argent. contr. Laterm. p. 102. Dn. D. Calov. de conf. Martyr. p. 30. §. 21. Dn. D. Dannhavv. Christeid. p. 951. Bellarm. lib. 1. de Christ. c. 10. Iterum ex dial. Just. f. 218. Iren. lib. 2. c. 47. l. IV. c. 17. ubi *minister* Patris vocatur Filius : ὑπηρετῶν τῷ τῶν ὅλων πατρὶ, *ministrans ei, qui est omnium pater.* ℞. 1. N. C. Conditionis universorum voluntati ministravit. E. ipse conditor non est. Neque enim ordo inter personas divinas, mundum condentes, tollit earundem ὁμουσίαν. Pater, fons Trinitatis, & omnium operationum, per Filium suum omnia condidit, adeoque & Pater condidit, & Filius condidit. Proverb. VIII, 30. Pater autem expressè, & quasi κατ' ἐξοχὴν dicitur condidisse, quod in opere creationis potissimum sese manifestarit. 2. N. C. Ministravit Patri. E. ut inferior. Nam & æqualis potest sponte suâ exequi alterius voluntatem, ut Christus in suo officio constitutus voluntatem sui patris. vide Dn. D. Calov. Arminian. p. 127. §. 14. Allegant & confessionem Jacobi apud Euseb. lib. II. hist. Eccles. c. 23. ubi Jesum vocat *hominem*, qualis ipse sit. ℞. Jesum esse hominem *verum*, sicut nos, ἐξαγώνιον est; sed esse *merum* hominem, falsum est. Neque id Jacobus dicit. Provocant ad Tatianum, quod scripserit, Filium ex Patre velut facem ex face esse accensum. E. non esse συναΐδιον. ℞. N. C. Nam essentia, quam in generatione Filius accepit, est ipsa Patris essentia; Hæc autem est æterna; E. & generatio est æterna. Nam est ante tempus omne facta; ante quod æternum est, quidquid est. Addunt, quod Justinus dicat, Filium ex Patre *volente* esse genitum, ut inferant, potuisse non gignere. ℞. N. C. volens genuit. E. potuit non gignere; Nam Deus & id volens facit, quod immutabiliter facit. E. g. volens abstinet à malo, à quo non potest non abstinere. At Irenæus l. 2. c. 9. negat, scripturam dicere, *unde, vel quemadmodum Deus emiserit verbum.* ℞. N. C. non dicit *modum.* E. nec rem; aut: non dicit perfectè. E. nec aliquo saltem modo, nobis cognitu necessario. Alius objicit ex Athenagora : *Christum esse creatum initium processionis Patris ad opera sua.* Prov. VIII, 22. Si igitur creatus, creatura est. E. non Deus. ℞. Decepit Athenagoram, ut & alios, versio vitiosa, quæ pro *possedit* ἔκτησε, legit ἔκτισε, *creavit*: quomodo &

(1) ex distinctione.

(2) ex nominibus *ministri.*

Hominis.

(3) ex generatione, vel creatione.

illi legerunt, qui tamen acerrimè pro divinitate Filii Dei adversus Arianos χειρομάχους steterunt. Etiamsi igitur ex *verbis* ita positis sequatur, Christum esse creaturam, non creatorem; tamen ex *mente* sic legentium orthodoxorum non sequitur. Henricus Nicolai in subsidium vocat Theophilum Antiochenum, qui Christum vocat, verbum Patris, l. 2. contr. Autolyc. f. 301. seq. ℞. Et Johannes sic vocat; sed intelligunt ὑποστατικὸν, non προφορικόν. At Christo non competunt attributa divina, ut (1) *omnipotentia.* Nam Justin. dial. f. 256. negat, Christum, dum in terris fuit, τῇ αὐτοῦ βουλῇ καὶ ἰσχύϊ, *sua sponte, aut viribus* quicquam *egisse.* Hinc concludunt: E. non fuit Numen liberrimum, & omnipotens. (2) *Omniscientia.* Nam Iren. l. 2. c. 48. 49. docet, Christum ipsum extremi judicii diem nescivisse. ℞. ad 1. id ipsum Christi Deitatem confirmat. Nam ideò nihil sua ipsius sponte & viribus egit quoad divinitatem, quia erat Patri ὁμοούσιος. Sin de humanitate loquatur, abluditur à statu controversiæ. Ad 2. N. C. Christus secundum humanam naturam quædam nescivit. E. & secundum divinam. Tandem delabuntur ad hæreticos, Nazaræos puta, & horum sobolem Artemonitas. Nam auctor Irenici Irenicorum in eo totus est, ut ostendat, Nazaræos istos fuisse genuinos Christianos, & quotquot divinitatem Christi negarunt. Probant ex Actor. XXIV. 5. 14. ubi Paulus de secta Nazeræorum fuisse perhibetur. Addunt Euseb. lib. V. hist. Eccles. c. 27. ubi secta ista laudatur, ὡς ἂν ἀρχαῖα tanquam vetusta; gloriantibus nempe Artemonitis ἅπαντας καὶ αὐτοὺς τοὺς Ἀποστόλους παρειληφέναι τε καὶ δεδιδαχέναι ταῦτα, *omnes, & ipsos Apostolos apprehendisse* scil. per traditionem à Christo, *& docuisse, quæ ipsi statuerent.* ℞. Paulum ab hostibus suis persecutoribus dictum esse Nazarenum, verum quidem est; sed negasse Deitatem Christi, ut Nazaræi hæretici, falsum est. Quotquot tum in Christum credebant, vel nomen Christi præ sese ferebant, dicebantur Nazaræi, qui tamen propterea non eandem fidem sectabantur. Manifesta igitur est instantia Epiphanii Panar. hæres. 29. *Nam etiam nunc homines omnes hæreses æquivocè Christianos vocant, qui Christiani non sunt, Manichæos, in quam, & Marcionistas, Gnosticosq́ue, atq́ue alios.* Sicut igitur N. C. orthodoxi & hæretici communi nomine Christianorum utuntur. E. sunt ejusdem fidei: Ita N. C. Paulus & Nazaræi commune habent

(4) Ex attributorum negatione.

(5) Ex hæreticis Artemonitis & Nazaræis.

habent nomen. E. fidem. Idem Epiphanius docet, Nazaræos extitisse sectam ante Christum natum; *Fuit enim*, scribit, *Nazaræorum hæresis ante Christum, & Christum novit:* Qui igitur Christiani fuerint? Postea quidem in Christum cæperunt credere, sed retento Judaismo: Quod verò de Christo crediderint, dubius est Epiphanius: *De Christo vero non habeo quod dicam, an etiam ipsi prædicta Cerinthi improbitate ducti nudum hominem ipsum putent: aut velut veritas ipsa habet per Spiritum S. ex Maria genitum esse affirment.* Crediderint autem merum esse hominem, quid tum? Judæi erant, qui, quod Messias Davidis filius esset, non poterant conciliare cum eo, quod David dicit, esse Messiam suum quoque Dominum, nempe, nesciebant, Messiam simul verum fore Deum. Jactaverint autem Artemonitæ Apostolorum traditionem, non tamen sententia ideò vera erit, nisi probaverint, quod jactant. Aliud docuit ille ipsorum adversarius, ostendens, novellam esse Artemonitarum sectam, & fovere sententiam, quæ sacris literis adversetur: Nec non Patribus superioris ævi, ut Justino, Miltiadi, Tatiano, Clementi, & aliis nonnullis, Victore P.R. longè antiquioribus: Qui igitur verum fuerit, sententiam Artemonitarum usque ad tempora Victoris etiam in sede Romana fuisse probatam, & in Ecclesia?

§. 23. *Syncretistæ.* Recipiendos esse heterodoxos in communionem Ecclesiasticam videtur probari posse ex Justin. dial. fol. 206. ubi disputat cum Judæo, dicens, etsi circumcisionem & sabbata servaverint ipsi, Christianis tamen eas cæremonias non obtrudant, *eos recipiendos, & ad communionem rerum omnium, ut fratres, eorundemq; viscerum homines admittendos esse censuerim.* R. Dist. inter illos, qui id petunt διὰ τὸ ἀσθενὲς, *propter infirmitatem*, uti ipse Justinus distinguit; & qui ex pertinacia id contendunt, quos salvandos negat ibidem. confer quæ superius sunt dicta art. 3. §. 74.

Articulus VIII.

DE ADMIRANDIS & INSOLITIS.

Argumentum.

Deus per hostes ipsos Ecclesiæ patrocinabatur. Iudaos aliquot experimentis vanam sui Messiæ exspectationem docuit. Contigerunt incendia, terræmotus, pestes.

§. I.

SIcut omnibus temporibus, ita hac quoque tempestate divina providentia multa edidit testimonia suæ bonitatis, & justitiæ, ut ad meliora homines traducerentur, & Ecclesia præsentem Dei assistentiam sentiret. I. *Deus per ipsos suos hostes Ecclesiæ mitiora fata conciliavit.* Cum enim Plinius secundus Bithyniæ proconsul in Christianos animadvertere juberetur, Trajano imperante, eam invenit confessorum copiam, simul & innocentiam, ut datis ad Cæsarem literis consilium de prosequendo, vel omittendo instituto requireret. Trajanus igitur re cognita, rescripsit: *Hoc genus inquirendum quidem non esse, oblatos verò puniri oportere.* Hoc ipso semetipsum damnans: *Negat inquirendos, ut innocentes; mandat puniri, ut nocentes; parcit & sævit; dissimulat & animadvertit; quid temetipsum censura circumvenis? si damnas, cur non & inquiris? si non & inquiris, cur non & absolvis?* judicium est Tertulliani, Apol. c. 2. Nonnihil tamen remisit persecutio, inquisitione sublatâ per ipsos persecutores. Hadrianus Trajani successor mitigatus est literis Serenii Graniani Legati. Hic enim scriptis ad Cæsarem literis, *iniquissimum esse* dixit, *clamoribus vulgi innocentissimorum hominum sanguinem concedi, & sine ullo crimine nominis tantum, & sectæ reos fieri:* Euseb. in Chron. an. 128. Hinc factum, ut Hadrianus ad Minucium Fundanum Asiæ Proconsulem perscriberet, *ut nemini liceret Christianos sine objectu criminis, aut probatione damnare,* ut summam refert Oros. l. 7. hist. c. 13. ex Apologia Justini ad Antoninum Pium. II. *Judæi suorum scelerum & pertinacissimæ infidelitatis pœnas dederunt meritas.* Infensissimo erant Judæi animo in Christia-

I. Patrociniū Ecclesiæ.

II. Excidium Iudæorum.

Christianos, ut non modo ipsos in scholis execrarentur, sed & crudelissimè eosdem persequerentur; sicut factum est Barchocheba duce tumultuante; referente Justino Apol. II. pro Christ. Et quia sceptrum à sese ablatum indignius ferebant, cœperunt seditiones excitare primum sub Trajano, Hierosolymam recuperaturi, deinde sub Adriano non modò in Iudæa & Africa, sed etiam in Babylonia tumultuantes; Erat autem ἀποστασίας Ἰουδαϊκῆς ἀρχηγέτης, Barchochab. i. e. filius stellæ. Num. XXIV, 14. Sedes Pseudomessiæ erat Bitter, oppidum in tribu Benjamin; sed non modò *multa millia eorum vasta cæde deleta sunt*, uti loquitur Oros. l. 7. hist. c. 12. sed ipsa etiam Hierosolyma per Adrianum vastata postmodum Ælia cognominabantur. III. *Varia fuerunt ostenta & calamitates publicæ, quibus ad resipiscentiam Deus adducere impœnitentes allaborabat.* e.g. *Incendia.* Nam anno CV. juxta Eusebianum Chronicum, *Romæ aurea domus incendio conflagravit.* Explicat digitum Dei Orosius lib. VII. hist. c. 12. *ut intelligeretur, missa etiam ab alio persecutio in ipsius potissimè monumentis, à quo primum exorta esset, atq; in ipso auctore puniri.* non ita diu post, nempe anno CXI. *Pantheon Romæ fulmine concrematum*, dubio procul ideo, quod idololatria suo tempore Romæ esset expellenda. Anno CXXXII. *Templum Serapidis Alexandriæ incensum.* Anno CLXXXIX. *In Capitolio fulmen ruit, & magnâ inflammatione factâ, Bibliothecæ & vicinæ ædes concrematæ.* Anno CXCII. *Incendio Romæ facto, palatium & ædes Vestæ, plurimaq; urbis pars solo æquatur* Contigerunt & *terræmotus*, de quibus vide Euseb. Chron. an. 110. 114. 121. 129. 180. *Pestes*, vide an. 169. & 173.

APPENDIX.

Vacantibus pagellis, volui contexere catalogum Episcoporum Gallicanorum, ex Gallia potissimum Sammarthanorum Fratrum. Sit igitur (1) *Arelatensis*, nempe *Regulus*, à Trophimo ordinatus, &, juxta quosdam, Johannis discipulus, scribente Baronio Martyrol. 3. Kalend. Aprilis. *Felicissimus* Reguli successor. (2) *Avenionensis*, An Justus huc referendus? Sammarthani quidem subjungunt Rufo; & collocant ante Metianum, quem adscribunt anno 356. Neq; tamen certam isti ætatem assignant. *Bisonticenses* nulli Episcopi leguntur. Ipsorum tamen locum supplere possunt Ferreolus Presbyter, & Ferrucius Diaconus, uterq; discipulus Irenæi, Lugdunens. Episcopi;

Episcopi; & Martyres, ut videtur, sub Antonino Caracalla. *Bituricensi* Ursino subjungendus esset *Sevitianus*, nisi ipsius ætatem diligentissimi etiam Sammarthani nescivissent: Forsan & *AEtherius* & *Thecretus*, quorum meminerunt. Certiora igitur sectemur, ut est (2) *Lugdunensis* Irenæus legationibus, scriptis, autoritate, & laboribus insignis. Cui Sammarthani subjungunt *Zachariam* Presbyterum, & *Aelium* magnum sacerdotem; nulla tamen certa ætate assignata. *Narbonensi* Paulo Sergio subjungitur quidam *Stephanus*; sed omisso tempore aliisq;. (3) *Parisienses, Mallo, & Massus*, quorum hujus meminit Abbas Hilduinus in agone Dionysii & Eleutheri, dicens fuisse tertium à B. Dionysio Parisiorum Episcopum. (4) *Rotomagensis* ignoratur. Nam Nicasio, qui vixit seculo primo, subjungunt *Mellonum*, à Stephano I. qui vixit seculo 3. baptizatum, *Senonensis* Savinianus in incerto ab iisdem relinquitur, dissentientibus inter sese scriptoribus vetustioribus. *Tolosanus* Saturninus successorem habuit Honoratum, à Firmino ordinatum Episcopum Ambianensiū; nullâ additâ ætate. Certè ad hoc seculum non spectat, si Firminus, qui sub Diocletiano passus est, ipsum ordinavit. Multò minus successores Hilarius & Silvius. (4) *Viennensis* est Zacharias Martyr sub Trajano: cui successit Martinus; huic Verus; huic Justus; huic Dionysius, ad quem Victor P.R. scripsit in controversia paschali. (5) *Aquensis* Vincentius Martyr, huc referendus videtur. Nam Sammarthani conqueruntur inter ipsum & manifestos Episcopos spatium intercedere quatuor ævorum, aut ultra; & primum nominant Gratianum anno 506. Fuerit igitur Vincentius seculi II. Episcopus. Observatio, quam habent, de reliquis etiam valet Episcopis: *Post ipsum desiderantur plurimi sequentes Episcopi spatio quatuor ævorum, aut ultra, cujus rei incusamus temporum injuriam, bellorum his in locis frequentium casus, persecutiones sub Imperatoribus, potissimum verò in Ecclesiasticas res, paganorum sævitiam &c.* Certè Ecclesia Gallicana variis persecutionum procellis agitata est hoc seculo, ut mirum non sit, vel Episcopos locorum non fuisse, vel memoriam ipsorum intercidisse.

Seculi

SECULI III.

Articulus I.

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

Summa dicendorum. Auctores multi desiderantur. Nonnulli recensentur: Tertullianus, Theophilus, Bacchyllus, Polycrates, Heraclitus, Maximus, Candidus, Apion, Arabianus, Sextus, Iudas, Zepherinus P. R. Clemens Alexandrinus, Gaius, Minucius Felix, Hippolytus, Callistus P. R. Iulius Africanus, Ammonius, Origenes, Ambrosius, Trypho, Beryllus, Geminus, Vrbanus, Pontianus, Gregorius Thaumaturgus, Alexander, Anterus, Eusebius, Fabianus, Dionysius Alexandrinus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus II. Dionysius historicus, Cyprianus, Dionysius Romanus P. Felix, Eutychianus, Caius, Marcellinus, Zeno Veronensis, Novatianus, Malchion, Archelaus, Anatolius, Victorinus, Pierius, Pamphilus, Lucianus, Philetus, Methodius, Dorotheus, Pasicrates, Arnobius, Lactantius. Horum exponuntur personalia, scripta, judicia.

§. 1.

IN hoc seculo referuntur res gestæ sub Severo, Antonino Caracalla, Macrino, Heliogabalo, Alexandro Severo, Maximo, Balbino, Gordiano, Philippo, Decio, Gallo & Volusiano, Valeriano & Gallieno, Claudiano, Aureliano, Tacito, Floriano, Probo, Caro, Numeriano, Diocletiano, & Maximiano, Imperatoribus & Cæsaribus Romanis.

§. 2. *Scriptores* Ecclesiastici plures extiterunt, quorum hodie nec scripta omnia supersunt, nec omnium amplius nomina leguntur, Euseb. lib. V. hist. Eccles. c.26. (27.) mentionem ipsorum facit, his verbis: πλεῖστα μὲν οὖν παρὰ πολλοῖς εἰσέτι νῦν τῶν τότε σώζεται παλαιῶν καὶ ἐκκλησιαστικῶν ἀνδρῶν ἐναρέτου σπουδῆς ὑπομνήματα; ὧν γέ μην αὐτοὶ διέγνωμεν &c. i. e. *Complura certè apud multos veterum Ecclesiasticorum Scriptorum, qui tum* (sub Severo) *vixerunt, eximiæ virtutis & exquisitæ diligentiæ monumenta hucusque reservantur; tamen, quæ ipsi vidimus, sunt hæc solum.* Subjungit deinde aliquot, ut Heracliti, Maximi,

Candidi, Apionis, Sexti, Arabiani. Et addit: *Aliorum item pene infinitorum lucubrationes, quorum vel tempora scriptis mandare, vel memoriam rerum gestarum persequi, (præsertim cum nulla oblata sit occasio) importunum prope videretur. Et quanquam alii libri aliorum multorum Scriptorum Ecclesiasticorum verè de religione & fide sentientium, (sicut cujusq; expositiones in S. Scripturam editæ commonstrant) ad nos pervenerunt; tamen, quia auctores eorum nobis ideo incogniti sunt, quod illorum nomina in libris minimè inscripta reperiuntur, istorum nomina recensere non possumus.* Hæc ille. Et lib. VI. c.14. scribit; quod tempore (Origenis) *complures Ecclesiastici viri, eloquentiæ laude præstantes, floruerint, quorum epistolas, quas alter alteri scripserunt, adhuc reservatas,* nempe in Ælia Bibliotheca, *reperire licuerit.* Ex quibus apparet, quod Eusebii ætate plures extiterint Scriptores, iidemque orthodoxi, & præclari, citati autem ab ipso non sint, vel, quod occasio non tulerit, vel nomina fuerint incognita. Citavit aliquos, sed dissimulatis ipsis eorum scriptis. Hodie verò interciderunt plerique, exceptis paucis fragmentis, quæ in Eusebiana historia asservata sunt. Titulos auctorum, & scriptorum in suam historiam Eusebius, ex hoc in suum catalogum Hieronymus, Nicephorus autem in historiam suam transtulerunt; item Photius, Honorius Augustodunensis: Ex recentioribus Trittenhemius, & Sixtus Senensis, Possevinus; &c.

Tertulliani I. AEtas. §. 3. *Tertullianus* floruit sub Septimio Severo Imperatore, sub finem secundi, & sub initium seculi tertii, Eusebio, Beda, Freculpho Lexoviensi, Martino Polono, Urspergensi, Vincentio Bellovicensi, Hermanno Contracto, & Tritenhemio, testibus. Innuitur ætas ab ipso Tertulliano de pal. c. 2. cum scribit: *Quantum urbium aut produxit, aut auxit, aut reddidit præsentis imperij triplex virtus, Deo tot Augustis in unum favente. Quot census transcripti? quot populi propaginati? quot ordines illustrati? quot Barbari exclusi? Revera orbis cultissimum hujus Imperij rus est, eradicato omni aconito hostilitatis, & cacto, & rubo subdolæ familiaritatis, consitum & amœnum super Alcinoi pometum, & Midæ rosetum.* Quibus verbis pater respicere videtur, juxta Pamelium, ad tertium Imperii Severiani annum, quo Julianus & Pescenninus Niger invasores Imperii jam erant sublati; Severus autem, cum filio Antonino, & Albino pacato uteretur. Vel, quod probabilius sentit Baronius, refutato Pamelio, ann. 197. §. 6. ad annum decimum

decimum sextum Severi, quo Severus cum duobus filiis Antonino, & Geta, debellatis hostibus & pacato orbe, imperabat. *Nomen* ipsi fuit: Quintus Septimius Florens Tertullianus. *Quintus* dictus, quod quinto loco esset natus: *Septimius* à gente Septimia regia primum, deinde plebeja, denique consulari, & patritia. *Florens* à certa gentis familia; denique *Tertullianus* à Tertullo, ut Octavianus ab Octavio. *Patria* fuit Africa, & in specie Carthago, sicut ipse indicat de pall. c. 1. Sunt, qui ipsum confundunt cum Tertyliano JCto, & Tertullino Martyre, ut Rhegino, Hermannus Contractus, &c. Male. Nam Tertylianus JCtus floruit aliquandiu post Tertullianum nostrum, Alexandro Severo imperante; interea non negamus, & nostrum Tertullianum fuisse juris Romani scientissimum. Nam caussarum advocatus fuit. Tertullinus autem Martyr alius est à Tertulliano nostro, vel ipso nomine teste: & Martyrol. 4. & menol. 2. Augusti. *Parens* Centurio Proconsularis, juxta Hieron. catal. tit. Tertull. *Educationem* nactus est hactenus felicem, utpote cuncta seculi disciplina imbutus, nisi quod gentilismo deditus. Id quod ipse testatur Apol. c. 18. *Hæc & nos risimus aliquando, de vestris fuimus. Fiunt, non nascuntur Christiani.* Rhetoricam Carthagine docuit, caussarumque fuit aliquandiu patronus. c. I. de pal. c. 18. Apol. *Ingenij* fuit *acris & vehementis*, judice Hieronymo eodem. *Conversus* fuit ad Christianismum imperante eodem Severo. Instrumentum erat Scriptura sacra, cujus veritatem & antiquitatem vel ipsi gentilium Dii comprobabant: *Hæc testimonia Deorum vestrorum Christianos facere consueverunt, qua plurimum illis credendo in Christo Domino credimus. Ipsi literarum nostrarum fidem accendunt, ipsi spei nostræ fidentiam ædificant*: scribit ipse Apol. c. 23. Subjungit Pamelius in vita Tertull. *Neq; tamen inde* (ex responsis dæmonum) *solummodo, sed & ex fide Scripturarum sacrarum, quarum fidem Dij suo testimonio adprobabant.* Hæc Pontificius. Deditus erat primum orthodoxæ fidei, adeò, ut Montanistis esset infensior; Notat enim Phrygas istos, de præscr. c. 52. sed *postea invidia & contumeliis Clericorum Romanæ Ecclesiæ ad Montani dogma delapsus in multis libris novæ Prophetiæ meminit.* scribit Hieronym. in catal. Hunc suum transitum ipse indicat lib. advers. Prax. c. 1. *Nos quidem agnitio Paracleti atq; defensio disjunxit à Psychicis.* Per Psychicos intelligens Catholicos orthodoxos.

II. Personalia.

thodoxos. Neque hæc obstant caussæ ab Hieronymo assignatæ; ut quidem opinatur Baron. an. 201. §.7. Potuit enim Tertullianus & à Clero Romano vexatus, & à spiritu Montani invitatus in adversa castra transiisse. Acrius censebat vitia Cleri Romani, spectacula adire assueti, ut colligunt ex libr. de spectac. c. 25. Ex idololatris in ordinem Ecclesiasticum adlectis. de idol. c.7. *Pastorum in pace leonum, in prælio cervorum.* c.1. de cor. milit. Sunt, qui addunt aliam caussam, nempe Episcopatum Carthaginensem, quo exciderat, invidia Cleri Romani. Accedebat eloquentia Procli, inter Cataphrygas disertissimi, & rigida Montanistarum disciplina, quæ horrido aliàs viro valde arridebat, vide de monogam. c. 2. & notas ad marginem Baron. an. 201. §.12. *Sanctioris vitæ prætextu Tertullianus deceptus.*

III. *Scripta* orthodoxa: *Scripsit* varia opuscula, quæ *dividi* solent in certa, dubia, supposititia. Illa iterum in orthodoxa, & hæretica. *Orthodoxa* sunt: *de pallio*, quod primum omnium edidisse videtur adversus calumniatores pallii, ad quod à toga transierat, Christianus factus. Scalig. animadv. Euſ. fol.210. scribit: *Scripsit juvenis sub Severo opusculum de pallio primitias operum suorum scholastico Afrorum charactere. Libros quinq; adversus Marcionem.* Quos libros ideò scripsit, ut non tantum Marcion confunderetur, sed ut opusculum pridem adversus eundem scriptum, sed mendosius à quodam fratre postea editum, copiosius & emendatius prodiret. Mirificè libri hi commendantur à B. Rhenano in dedicatione. *Adversus Judæos* scripsit occasione disputationis inter se & quendam Judæum habitæ, uti ipse meminit lib. 1. advers. Iud. cap. 1. Mutuatus est multa ex Justini cum Tryphone dialogo, & in suum librum hunc transtulit. *Apologeticum* adornavit, cum, discedente ad bellum Arabicum Severo, Antistites Romani, & Pontifices sacrorum persecutionem contra Christianos moverent; huic ut occurreret, apologiam, alios secutus, edidit, in qua caussam Christianam plenè peroravit. Judice Chemnitio, *propterea lectu dignus est, quia describit statum veteris Ecclesiæ, cæremonias & disciplinam*: d. Cens. Patrum. De tempore dubitat Scaliger l. c. Videtur enim post mortem Severi scripsisse librum; leviori tamen conjecturâ. Addidit librum *de testimonio animæ*, in quo velut ab ipsa anima testimonium efflagitavit adversus idola; Vel enim Ethnici utebantur proverbiis: *Quod Deus dederit*; *Si Deus voluerit*;

erit; Benedicat te Deus, Deus videt omnia, Deo commendo, Deus reddet, Deus inter nos judicabit. A quo argumento non multum abludit liber *de fato*, cujus adhuc exstat fragmentum. Presbyter factus scripsit de *pœnitentia*, ut catechumeni nossent modum pœnitendi, & lapsi itidem; Item de *Oratione*, explicans orationem dominicam, & alias, quas Sacramentis usuri fundimus, & Collectas appellamus. *Ad Martyres* in persecutione Severiana carceribus mancipatos; Ad *Scapulam* consularem, & Carthaginis Præsidem, cum Christianos persecutione vexaret: Censet Scaliger l. c. scriptum esse librum sub Heliogabalo, mortuo jam Antonino Caracalla. *De patientia*, in eadem caussa, ut constanter Martyres ferrent calamitatem, vel saltem fugâ declinarent. *De præscriptionibus adversus hæreticos*, qui hinc inde per orbem, Africam quoque, grassabantur: *Egregium* hunc *adversus hæreticos commentarium* vocat Baron. an. 197. §. 21. post B. Rhenanum in dedic. *De Baptismo* adversus Quintillam, fœminam hæresiarcham, quod aquæ baptismum tolleret. *De spectaculis*, cum Carthagine ageretur agon Pythicus, & Romæ ludi seculares imminerent, ut Christianos ab illis spectandis avocaret. *De habitu muliebri, & de cultu fœminarum*, quod nimium in vestimentis ornatum, & in capillis cutibusque curandis luxum sectarentur. De *Idololatria*, solennia ludorum idololatriæ postulans. *Adversus Hermogenem* libros duos. Introducebat iste Hermogenes in Africa hæresin de materia Deo coæterna, ex qua, adeoque non de nihilo, mundum creasset; Huic errori Tertullianus duos opposuit libros, quorum prior agit de materia Deo coæterna, alter de descensu animæ ex eadem materia. Grassabantur & *Valentiniani*, quare & his librum opposuit, in quo magis recenset, quam refutat insipidos errores eorundem. Ut enim refutaret, sufficiebat vel solum recitasse. *Adversus Philosophos & hæreticos scripsit de anima*, quod immortalis esset. *De carne Christi adversus* 4. *hæreses*, eas nimirum, quæ, ut resurrectionem tollerent, veram Christi carnem abnegabant: Ipse citat lib. V. contr. Marc. c. 2. Subjungit de ipsa *carnis resurrectione*, adversus eosdem. Quos libros maximi fecit B. Rhenanus in dedicatione opp. Tert. Nam scribit: *In libro de carne Christi, & de resurrectione carnis, quantus in philosophia fuerit, apertè commonstrat, dum tantum argumentorum illinc profert, tam appositè, tam densè, tam acutè, ut nihil*

hil apud nos extet in hac re, quod cum illo conferri possit. *De corona militis* edidit libellum, in quo demonstrare conatus est, non licere militibus Christianis incedere coronatis. Subdidit *de velandis virginibus*, in quo ostendit, nō licere virginibus sine velo in publicis sacris comparere. *Adversus Praxeam*, qui ex Asia primus hæresin intulit, descendisse Patrem in virginem, natum, passum, & ipsum Jesum Christum esse. Tertullianus autem ostendit Ecclesiam credere tres subsistentes personas. *Scorpiacum contra Gnosticos* edidit, quod Scorpii isti hæretici Martyriis refragarentur. *Carminibus* complexus est libros V. adversus Marcionem. *De judicio* scripsit *Domini* nempe extremo; *Genesin*; *Sodomam*, elenchum Senatoris apostatæ. Negandum autem non est, in enarratis etiã hactenus libris multa zizania errorum hincinde reperiri, vide de anima c. 9. Liber adversus Praxeam totus est in fermento Montanistico. vide c. 1. De baptismo prælusit Agrippino, & deinde Cypriano, ut apparet ex lib. de Baptismo c. 14.

Heterodoxa. §. 4. *Heterodoxa.* De quibus ita Hieronym. in catalog. tit. Tertull. Specialiter autem, scribit, adversum Ecclesiam texuit volumina *de pudicitia*, adversus mœchos & fornicatores, docens, non esse pœnitentes recipiendos; *De fuga in persecutione*, quam negabat esse licitam, utpote quod persecutio sit divinæ voluntatis; *De jejuniis*, adversus Psychicos, in quo defendit jejunia propria, stationes, & Xerophagias. *Judicat* B. Chemnitius part. IV. exam. C. T. p. m. 219. *singulare beneficium Dei esse, quod scriptum illud Tertulliani de jejuniis denuò in lucem prodiit.* Neque enim in vetustioribus exemplaribus habebatur, sed Lutetianæ demum, opera Iohannis Gangneij Parisini Theologi, & Christianissimi Galliarum Regis primi eleemosynarii ex vetustissimo codice desumptum, & post eam Coloniensi additus est. *De monogamia*, asserens, semel tantùm esse ineundum matrimonium. *De ecstasi libros sex*; *& septimum, quem adversum Apollonium composuit.* Hactenus Hieronymus. Adde librum *de exhortatione castitatis*, scriptum ad quendam suum amicum viduum, cui secundas nuptias dissuadebat. Huc referri videtur *de nuptiarum angustiis*, ad amicum Philosophum; cujus libri meminit Hieron. lib. 1. contr. Iov. & epist. 22. ad Eustoch. Hos & similes *libros lectu non inutiles* censet B. Chemnitius. *Sunt enim in illis semina totius Papatus, sæpe totidem verbis, sicut nunc Papistæ docent.* Hæc ille de lect. Patrum.

§. 5.

§. 5. Hieronymus l. c. scribit, Tertullianum *multa, quæ non* *Perdita*, vel fragmenta. *extant, opuscula condidisse*, & ipse *quorundam, præter hos, librorum memi-minit à se compositorum, qui nec exstant*; ut habent verba Angeli Politiani enchirid. epist. 5. l. 4. Supersunt ex nonnullis fragmenta, ut de *nuptiarum angustijs*; *de ecstasi, de mundis & immundis animalibus, de circumcisione, de vestibus Aaronis, de Trinitate*, in quod volumen epitomen scripsit Novatianus, ejusdem argumenti: *De censu animæ adversus Hermogenem*, cujus ipse meminit lib. de anima c. 1. 3. n. 22. 24. *Adversus Apellitanos*, citante ipsomet Tertull. de carn. Christi. c. 8. *De Paradiso*, de anim. c. 55. *De spe fidelium*. lib. 3. advers. Marc. c. ult. Hieron. in c. 36. Ezech. *De baptismo* hæreticorum: & quidem Græcè. Postquam enim lib. de baptismo c. 14. disputasset adversus baptismum hæreticorum, subjicit: *sed de isto plenius jam nobis in Græco digestum est*. Optandum esset, ut superesset saltem *index Septimij Tertulliani*. Forsan plurium Tertulliani librorum fieret mentio. Meminit autem libri istius in tractatu *de vestibus Aaron*. vide Sixt. Senens. l. IV. Bibl. tit. Tertullianus.

§. 6. *Dubia* sunt liber *de Trinitate*, & *de cibis Iudaicis*; quorum Dubia. *iste* Tertulliano asseritur à Ruffino in Apologia pro Origene; ab Hieronymo autem Novatiano adscribitur. Certè Tertulliani non est, vel saltem interpolatus est. Nam in ipso fit mentio Sabellii, qui tamen post ætatem Tertulliani vixit. *Hic* autem est alicujus Episcopi; Tertullianus autem Episcopus non fuit.

§. 7. *Suppositítij* sunt: liber *de vera circumcisione*: *Ad amicum* Suppositítia. *ægrotum*: *de definitionibus fidei*; videatur Pamel. opp. Tertull. f. 567. Quos videtur respicere Salmeron Iesuita, cum in 2. Thess. II. disp. 2. §. 3. scribit: *Multi libri affinguntur vel Clementi, vel Tertulliano, vel Cypriano, vel Hieronymo, vel Augustino, vel Ambrosio, vel Athanasio, qui eorum non esse solidè revincuntur.*

§. 8. *Iudicia* de ipso cum veterum, tum recentiorum varia IV. *Iudicia*, (1) *Veterum*. ut Cypriani. extant. *Cyprianus* plurimum ipsi tribuit. Sic enim Hieronym. de Script. tit. Tertull. refert: *Vidi ego quendam Paulum Concordiæ, quod oppidum Italiæ est, senem, qui se B. Cypriani, jam grandis ætatis, notarium, cum ipse admodum esset adolescens, Romæ vidisse diceret, referreq; sibi solitum, nunquam Cyprianum absq; Tertulliani lectione unam diem præteriisse*: *Ac sibi crebro dicere, da mihi Magistrum, Tertullianum videlicet significans.* Ita tamen,

men, ut de hæresi ipsius nihil imbiberit. *Cyprianus Tertulliano Magistro utitur, cumq; eruditi & ardentis viri delectetur ingenio, Montanum cum eo, Maximillamq; non sequitur.* Scribit Hieron. in epist. ad Pammach. & Oceanum. Ad Paulinum scribit, quod sit *in sententiis quidem creber, sed in loquendo difficilis.* Lactantius lib. 5. div. instit. c. 4. *Septimius Tertullianus,* scribit, *fuit omni genere literarum peritus, sed in eloquendo parum facilis & minus comptus, & multum obscurus fuit. Ergo ne hic quidem satis celebritatis invenit.* Hilarius Pictavorum Episcopus ad c. 5. Matth. annotat : *Quanquam & Tertullianus hinc* (de oratione) *volumen aptissimum conscripserit; sed consequens error hominis detraxit scriptis probabilibus auctoritatem.* f. 454. opp. Atque hoc Hilarii judicio munit sese Bellarminus lib. 1. de Bon. Op. c. 5. ut respondeat ad objectionem. Eusebius, laudante Rhenano, in præfatione opp. cert. *omnium Ecclesiarum sermone celebratum* docet in Chron. an. 208.

Lactantii. Hilarii. Eusebii.

Hieronymi. Hieronymus t. 1. opp. de script. tit. Tert. ita judicat : Tertullianus *acris & vehementis ingenii fuit,* & t. 3. epist. ad orat. 149. *Quid Tertulliano eruditius? quid acutius? Apologeticus ejus & contra gentes libri cunctam seculi obtinent disciplinam.* Libr. advers. Helvidium idem scribit, *Tertullianum hominem Ecclesiæ non fuisse.* Ibidem, allegata ab Helvidio auctoritate Tertulliani, respondet : *Verum nugas terimus, & fonte veritatis omisso, opinionum rivulos consectamur.* In Apol. advers. Ruff. scribit: *In Tertulliano laudamus ingenium, sed damnamus hæresin.* Idem Eustochio suadet lectionem Tertulliani. Laudat Nepotianum, quod sedulus fuit in legendo & citando Tertulliano : *Illud,* ajebat, *Tertulliani, istud Cypriani.* Idem de institut. ad Paulinum : *Tertullianus creber est in sententiis, sed difficilis in eloquendo.* Augustinus *lapsum quibusdam locis miratur, quamvis hominem doctissimum,* ut habent verba Politiani lib. IV. epist. 5. Vincentius Lirinensis : *Tertullianus apud Latinos nostrorum omnium facile princeps est judicandus. Quid enim hoc viro doctius? quid in divinis ac humanis rebus exercitatius? Nempe omnem philosophiam, & cunctas Philosophorum sectas, auctores, assertoresq; sectarum, omnesq; eorũ disciplinas, omnẽ historiarum ac studiorũ varietatẽ mirâ quâdam mentis capacitate complexus est, &c. &c. Et tamen hic quoq; post hæc omnia, hic,* inquam, *Tertullianus Catholici dogmatis,* i. e. *universalis ac vetustæ fidei parum tenax, ac disertior multò, quam felicior, mutata deinde sententia, fecit ad extremum, quod de eo B. Confessor Hilarius quodam loco scribit : Sequenti,* inquit, *errore*

Augustini. Lirinensis.

detraxit

detraxit scriptis probabilibus auctoritatem, & fuit ipse quoq; in Ecclesia magna tentatio. Hæc ille. Cass. Chron. *scriptorem celeberrimum* vocat. Gelasius in Concilio Romano, inter ea, quæ *ab hæreticis, sive schismaticis conscripta, vel prædicata sunt, nec ullatenus recipit Catholica & Apostolica Ecclesia Romana*, refert etiam *opuscula Tertulliani, sive Africani, apocrypha.* Grat. dist. XV. Sancta Rom. Quo de decreto Gretserus Jesuita lib. lib. 2. de expurg. libr. c. 9. ita censet: *Extat decretum Gelasii de libris: in eo opera Tertulliani, & Origenis quædam censura notantur. Eadem censura notavit Gelasius aliorum itidem opuscula quædam, ut Cassiani, Clementis Alexandrini, &c. quod contineant errores nonnullos, vel Pelagianis, vel aliis hæreticis affines.* Et c. 10. Gelasius Pontifex *Tertullianum & Origenem, & alios, etsi valde antiquos, lege lata, ex orthodoxorum manibus & usu excussit.* Azor. t. 1. moral. lib. VIII. c. 8. §. de Tertull. sic scribit: *De Tertulliano fatemur, eum quidem in hæresin prolapsum, sed ejus tamen opera permitti in Ecclesia, ut privatim legantur, quia Gelasius* in c. Sancta Romana dist. 15. *habet: Opuscula Tertulliani apocrypha.* Objicit autem sibi. *sufficere hoc unum, quod à Gelasio sint pro apocryphis habita,* ut Joviani, Montani, &c. quæ tamen omnia scripta damnet Gelasius, adeoque & Tertulliani. ℞. *Apocrypha latè & amplè Gelasium accepisse, nimirum, ut eo nomine comprehendantur tum ea, quorum auctores damnati sunt, tum ea, quorum auctores sunt incerti, quæq; certos licet auctores habeant, non tamen publicè in Ecclesia legebantur, sed privatim.* Sic censuit & B. Rhenanus in dedicatione operum ad Stanislaum Turzonem Episcopum Olmucensem. Gelasii.

§. 9. *Recentiorum,* & quidem (1) *Pontificiorum.* Platina in vita Callisti I. vocat *virum acris ingenii.* Trittenhem. de script. Eccles. f. m. 195. ita censet: *Homo acris & vehementis ingenii, tam in divinis, quam in secularibus scripturis doctissimus.* Rhenanus in præf. opp. cert. ad lect. dicit *totum ardentem amore Christi, cujus religionem adversum veteres hæreticos tam enixè propugnat, tametsi ipse quoq; non perstitit, sed secessit.* confer dedicationem ad Stanislaum Turzonem Episcopum Olomucensem. Bell. lib. de confir. c. 1. sect. 13. scribit, quod Tertullianus *in ultima senecta Montanista fuerit.* Et de Script. Eccles. §. 203. *In Montani hæresin prolapsus contra Ecclesiam non pauca scripsit.* Pererius Jesuita in Gen. l. 4. q. 2. §. 115. *dammatum esse,* ait, *ab Ecclesia tanquam hæreticum* Tertullianum. Paradoxa Tertulliani numero 31. (II.) *Recentiorū, ut Pontificiorū.* vid. Trittenhemii. Rhenani, Bellarmini. Pererii.

antidoto addito, notavit Jacobus Pamelius f. 29. opp. *Summam* hac
Pamelii. in re Pamelii *diligentiam* admiratur & laudat Baron. an. 216. §. 16.
Baronii. Ineptus igitur est, cum idem in dedicatione ad Gregor. XIII. jactat,
ex Tertulliano omnium optimè controversias hujus seculi dijudicari & dirimi posse. Baronius ann. 197. §. 14. plurimum commendat Patris hujus eruditionem. Laudat enim *excellentem Christianæ Theologiæ scientiam*; Item *adversus omneis hæreticos, & Judæos, ut prætermittamus dicere de gentilibus, tam disertos, tam copiosos, adeoq; omni argumentorum onere refertos, è divinæ scripturæ thesauro depromptos tractatus, quos Christiana pietas hactenus admirari non cessat.* Sed an. 201. §. 12. reprehendit idem ejusdem credulitatem & fanaticum ingenium. Ann. 217. §. 7. Eidem, etsi adhuc catholico, tribuit *refractarium ingenium, atq; asperam nimis ac duram animi ejus insolentiam* culpat. Quid
Lutheranor. Azorius & Gretserus judicent, ex præmissis patet (II) *Lutheranorum*, e. g. Chemnitii; hoc est judicium: *Tertullianus inter Latinos Scriptores, eos quidem, qui exstant, vetustissimus est. Scripsit hic multa, quæ cum fructu legi possunt.* de lect. Patr. Calixtus de mysterio Trinitatis, & apparitione Filii Dei in V. T. locutus, hoc de Tertulliano protulit judicium: *Orthodoxia Tertulliano abjudicari non potest, sed saltem ἀκρίβεια, providè & accuratè, sive, si ita loqui libet, scholasticè de eo loquendi, & disputandi.* B. Dn. D. Hülsem. dialys. apol. §. 49. p. 66. examinat hoc Calixti judicium, & improbat, ideo cumprimis, quod D. Calixtus neget Tertullianum ideò bene locutum esse, quod scholasticè lo-
Reformatorũ cutus non sit. (III) *Reformatorum.* Scalig. proleg. ad Euseb. Chron. Tertullianum refert inter *summos pietatis vindices.* Montacutius part. II. annal. §. 15. *Erant*, inquit, *Clemens & Tertullianus par patrum in Ecclesia antiqua πολυμαθέστατον, Athenæis, Plutarchis, quibuscunq; Paganorum Philologis æquiparandi. Antiquissimus Latinorum Patrum Tertullianus, curiosissimus omnis doctrinæ indagator, & usq; ad miraculum eruditus, veteris moris & scientissimus, & tenacissimus.* §. 16. *Solertissimus omnium doctrinarum scrutator.* §. 50. *Vehementissimus & accuratissimus disputator* part. II. §. 82. Johannes Dallæus lib. de jejun. & quadrag. c. 4. p. m. 246. sic judicat de eodem: *Ille vir est non modo non stultus, sed etiam longè acutissimus ac solertissimus, & in caussis, etiam interdum pessimis, agendis callidissimus, planeq; mirabilis artifex.* p. 252. *Vir eruditissimus, & ad miraculum doctus.*

§. 10.

§. 10. Diu neglecta jacuere Tertulliani opera, dubio procul ideò, quod & ab Ecclesia damnatus auctor, & horridus Africæ stylus difficilior esset intellectu, donec à B. Rhenano Selestadiensi *primum è tenebris eruta, atq; à situ pro virili vindicata, adjectis singulorum librorum argumentis, adnotationibusq; prodirent Anno* 1521. Quâ de editione legenda est epistola dedicatoria, quam editor præmisit ad Stanislaum Turzonem. Nam in ipsa occasionem, labores & fastidia editionis procuratæ egregiè describit. Huic editioni Parisina addidit: De Trinitate, de testimonio animæ, de anima, de spectaculis, de Baptismo, adversus Gnosticos Scorpiacum, de idololatria, de pudicitia, de jejunio adversus Psychicos, de cibis judaicis, de oratione; Opera Johannis Gagneii, de quo supra. Successit Jacobus Pamelius Brugensis Theologus, Archidiaconus Andomaropolitanus, qui novam editionem ann. 1579. procuravit, *argumentis & adnotationibus toti operi interjectis, quibus cum loci obscuriores explicantur, tum, quicquid ad antiquitatem Ecclesiasticam spectat, illustratur*, sicut habent verba editioni præfixa. vapulat tamen hinc inde editio ab ipso Baronio Annalista, propter errores varios cum chronologicos, tum historicos. Novissimè Nicolaus Rigaltius manum operi haud infeliciter admovit. Separatim quoque unus vel alter libellus, ut Apologeticus, de pallio, de præscriptionibus &c. prodierunt. *Analysin* librorum omnium instituit Abrahamus Scultetus in medulla Patrum part. I l. 7. c. 1. *Locos communes* collegerunt ex Pontificiis Petrus Campensis libris IV. Paris. 1603. Hermannus Rathmannus Dantiscanus; Dn. D. Joh. Conradus Dannhavverus, post Centuriatores Magdeburgenses. *Notas* in eundem vel totum, vel ex parte scripserunt Rhenanus, Pamelius, Ludovicus de la Cerda, Petrus Halloix Jesuita, Claudius Salmasius, Franciscus Junius, Gottofredus. *Vindicias* adversus corruptelas adversariorum adornarunt antea laudati Dn. D. Dannhavverus Christeid. p. 968. & Rathmannus th. 49. 173. 174. 179.

§. 11. *Theophilus* Episcopus Cæsareensis, juxta Hieron. de script. Eccles. Alexandrinus dicitur à Trittenhemio, siquidem is est, quem Hieronymus putat. Sed non est. Nam quem Hieronymus putat, vixit seculo tertio sub Severo; Sed quem Trittenhemius laudat, est qui vixit tempore Chrysostomi sub Theodosio & Va- *Theophili. (1.) ætas.*

lentiniano anno 390. cum quo varias habuit contentiones. Errat
(2) igitur editor Bibliothecæ Patrum, cum Hieronymi testimonio jun-
Scriptum. git Trittenhemii tanquã de eodem loquerentur. Floruit sub Severo
Principe, & Victore P. R. cum agitaretur controversia Paschalis,
ipse cum cæteris Episcopis synodicam valde utilem composuit epistolam: ut so-
nant verba Hieronymi. Meminit ejusdem Eusebius lib. V. hist. Ec-
clesf. c. 22. Chron. ann. 197. quod decretum Episcoporum istorum
ad sua usque tempora *scriptis custoditum sit.* Mentionem quoque fa-
Bacchylli (1) cit *Bacchylli* Ecclesiæ Corinthiacæ Episcopi, quem Hieronymus di-
ætas cit, quod *de Paschate ex omnium, qui in Achaja erant, Episcoporum persona*
(2) *elegantem librum scripserit.* Et hujus libri memoriam ad sua usque
scriptum, tempora durasse scribit Eusebius in Chronico. *Elegantem librum* vo-
(3) elogium. cat Honorius in catalogo. *Polycrates* Ephesinus Episcopus eadem
Polycratis tempestate vigebat, ut l. c. Eusebius docet: & suffragatur Hiero-
(1) nymus in catalogo. Scripsit ipse epistolam synodicam, pro Quar-
ætas, todecimanis adversus insolentiam Victoris P. R. Quam conser-
(2) scriptum, vavit nobis industria Eusebii lib. V. hist. c. 23. & Hieronymi in Ca-
(3) tol. tit. Polycrates. Apparet ex epistolæ fragmento singularis Epi-
auctoritas. scopi hujus gravitas, eaque adversus Pontificem R. Quo fine Hie-
ronymus adjecit ipsa verba, nimirum *ut ingenium & auctoritatem Viri*
Heracliti *ex parvo opusculo demonstrarem.* Hæc ille. *Heraclius*, ut nominat Hie-
(1) ætas ronymus & Codex Martiniensis in Belgio, vel *Heraclitus*, ut habet
(2) Euseb. l. 5. hist. c. 26. Floruit sub *Conrado* nescio quo, juxta Possev.
scriptum. in appar. Rectius sub Zepherino Papa, juxta Platinam sub Severo,
In Apostolum Commentarios composuit: ut habent verba Hieronymi in
Maximi Catalogo. *Maximus* Heraclito ab Eusebio adjungitur sub eodem
(1) Principe, & laudatur scriptum περὶ τοῦ πολυθρυλλήτου παρὰ τοῖς αἱρεσιώ-
ætas, ταις ζητήματος, τοῦ πόθεν ἡ κακία, καὶ περὶ τοῦ γενητὴν ὑπάρχειν τὴν ὕλην.
(2) i. e. *de controversa illa apud hæreticos multum jactata exagitataque, nimirum*
scripta, (3) *unde vitium natum sit? tum de materia, quod ortum habeat.* Verba sunt
elogium. Eusebii l. 5. c. 26. Elogio scriptum exornat Hieronymus in Catalo-
go: *Maximus sub iisdem Principibus* (Commodo & Severo) *famosam*
quæstionem insigni volumine ventilavit, unde malum, & quod materia à Deo
facta sit. Hæc ille. Et ex illo Honorius Augustodunensis; & Plati-
Candidi na in vita Zepherini. *Candidus* in eandem incidit ætatem. Nam
(1) ætas. contiguo ordine ejus meminerunt Eusebius & Hieronymus. Pla-
tina

tina in vita Zephetini. Differt igitur à Candido Isaurico, qui tres
libros historicos scripsit: à Photio laudatos. Hic noster autem (2)
scripsit *εἰς τὴν ἑξαήμερον, in opera sex dierum* Commentarium: uti scriptum.
Eusebius loquitur. Hieronymus elogium & judicium addit: (3)
ὡραίας συνέταξεν ὁμιλίας, pulcherrimos composuit sermones. Extant & Elogium.
Apionis, (quem Honorius *Appium* vocat) Græcæ facundiæ Professo- *Apionis*
ris, & sacrarum literarum amatoris, qui eodem tempore floruit, in ætas &
eandem Hexaemeron tractatus, sive Commentarii, juxta eosdem. scriptum.
In nonnullis à fidei regula recessisse dicit Possevinus in apparatu. *Brabia-* *Arabiani*
nus uti Hieronymus, vel Arabianus, uti Eusebius appellat l. c. sub ætas &
eodem fuit Principe, & edidit quædam opuscula *τῶν χριστιανῶν δόγμα* scripta.
προσήκοντα, Christianorum doctrinam concernentia, uti Hieronymi in
catalogo verba sonant. *Sextus* coævus præcedentibus de *resurrecti-* *Sexti* ætas
one scripsit, testibus iisdem. *Judas* paulo post edidit scriptum de & scriptum.
LXX. apud Danielem hebdomadibus, & chronographiam superi- *Judæ* ætas,
orum temporum usque ad decimum Severi annum perduxit. Juxta scripta &
Hieronymum *ἀκριβῶς ἐξηγήσατο, accuratè explicuit* tempora; Nisi elogium.
quod, & juxta Eusebium, in eo errarit, quasi adventus AntiChristi
ea tempestate instaret, isque ideò, quod immanissimè persecutio-
nes grassarentur. Non autem omninò falsus est Judas. Cœpit
enim sese movere jam AntiChristus in Victore Pont. Roman.
dominatum in alios sibi arrogante. Euseb. hist. Eccles. l. VI. c. 6.
Hieron. catol. tit. Judas. *Zepherinus* Pontifex R. vixit, juxta li- *Zepherini*
brum Pontificalem, temporibus Antonini & Severi; Et, si genui-
næ sunt, scripsit epistolas duas, quæ habentur t. 1. concil. Prior
numerat 70. canones Apostolorum, cum tamen ipsi Pontificii toti-
dem pro legitimis seu incorruptis non habeant.

§. 12. *Titus Flavius Clemens Alexandrinus* vixit temporibus Se- *Clementis*
veri Imperatoris. Sic enim Eusebius hist. lib. VI. c. 5. scribit: *Cle-* *Alexand.*
mens in primo libro operis, quod στρωματεῖς inscripsit, annalium serie notata, (1)
& exposita, tempora ad Commodi usq; mortem describit, adeò, ut non obscu- ætas.
rum videatur, illud opus, regnante Severo, cujus tempora liber, quem habemus
in manibus, explanat, ab eo elaboratum fuisse. Quo verò id tempore
fuerit, declarat idem in Chron. ann. 195. *Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ*
Presbyter, & Pantænus stoicus Philosophus in disputatione dogmatis nostri di-
sertissimi habentur, conjungens discipulum Præceptori. Παχυλῶς

autem tempus annotat. Nam aliquanto post Præceptorem Pantænum discipulus floruit, & patet ex illis ipsis στρωματέων libris, utpote in quibus facit mentionem persecutionis adversus Christianos, quæ contigit anno decimo Severi. *Nomen* ipsius, ut scripsimus, legitur apud Euseb. lib. VI. hist. Eccles. c. 11. & scribit Photius Cod. CXI. quod in pervetere exemplari perscriptum invenerit. Differentiæ gratia dicitur Alexandrinus à loco ubi docuit. Fuerunt enim & alii Clementes, Romanus præsertim, cujus ipse erat ὁμώνυμος, ut Euseb. l. 5. hist. c. 11. loquitur. Item quidam Platonicus Philosophus gentilis. *Patria* dubia est. Sunt enim, qui Atheniensem, sunt & qui Alexandrinum censent, referente Epiph. hæres. 32. *Præceptoribus* usus est variis, cumprimis autem Pantæno: quorum ipse laudes canit in libris hypotypώσεων, apud Euseb. lib. 5. hist. c. 11. Vocat enim *beatos homines, qui sint omnium revera præconiis merito celebrandi:* & recenset mox: *Unus Jonicus genere, in Græcia vixit; Alter magnam Græciam incoluit; alter in Cœlesyria natus, ibidem commoratus est; alter ex AEgypto oriundus fuit; alij orientem doctrina Evangelica imbuerant, quorum unus est ex Assyria prognatus, alius in Palæstina antiqua Hebræorum stirpe editus. Et cum demum ipse hominem in AEgypto delitescentem vestigassem, inq; eum postremo incidissem, qui virtute & doctrina erat re ipsa omnium primus, tandem cum illo conquievi.* Hæc ille. Intelligit autem Pantænum scholæ Alexandrinæ doctorem κατηχήσεων, cui & in schola successit, sicut ipsi Origenes. Egregios habuit discipulos, in quibus celebriores ille ipse Origenes, Alexander Hierosolymitanus, ut ipse fatetur apud Eusebium libro VI. c. 13. Arnobius. *Libros* edidit multos, varios, Euseb. chron. an. 205. & eruditissimos. Ut sunt: Στρωματεῖς q. d. *centones, stragula*, sicut ipse rationem nominis explicat lib. 1. strom. ob *admixtam veritatem philosophiæ decretis*: τῶν κατὰ τὴν ἀληθῆ φιλοσοφίαν γνωστικῶν ὑπομνημάτων στρωματεῖς, uti Euseb. lib. VI. c. 13. loquitur: & plurimum libros hosce commendat, καὶ ἄλλως, inquiens, πλείστης χειρομαθείας ἔμπλεοι οἱ δηλούμενοι τυγχάνουσι τοῦ ἀνδρὸς λόγοι. i. e. *Libri hujus viri maxima optimarum disciplinarum materia referti sunt. Stromateus* inde dictus est ipse Clemens. Subjungit ὑποτυπώσεις, sive *explanationum*, aut, ut Sixtus Senensis vertit, *informationum* libros. De quibus Richardus Montacutius in originibus ita loquitur: *Opus Hypotypώσεων, si extaret, multiplici*

(2) **Personalia.**

(3) **Scripta.**

multiplici procul dubio doctrina, ut ille alter λόγος στρωματεῖος, *nos recrearet. Dicitur illud opus tessellatum extare apud Patriarcham Alexandrinum, ut scripsit Clariss. Fronto ad Cl. Savilium.* Hæc Montacutius. Meminit & Cassiodorus lib. I. div. instit. cujusdam *explanationis in epistolas canonicas*, & reprehendit in quibusdam scriptorem, quæ an ea sit, quæ tom. VI. in Bibliotheca Patrum habetur, Bellarminus dubitat. de script. an. 204. Photius cod. 109. Myriobl. refert, *hypotyposes* istas continuisse locorum aliquot Vet. & N. T. explanationem: nempe Genesis, Exodi, Psalmorum, Epistolarum Pauli, ac Catholicarum. Promisit autem in lib. I. strom. se in *Genesin* scripturum, & sunt, qui dicunt, eum luculento volumine fidem exsolvisse, quorum fidem nec astruit, nec temerè infringit Sixt. Sen. l. 4. Bibl. tit. Clemens. *Hortatorius ad Gentiles:* seu: προτρεπτικὸς πρὸς Ἕλληνας: in quo, teste Photio, τὴν Ἑλλήνων ἐλέγχει ἀθεότητα, i. e. *Græcorum redarguit impietatem*; Agit autem, notante Daniele Heinsio, *de inventione & origine, de materia, templis, imaginibus gentilium Deorum, & judicio de iis saniorum inter gentiles:* Adeoque, velut ex disciplina Pythagoræ, ἀποκάθαρσιν instituit, seu *purgationem* eorum, qui ad sacra Christianorum admittendi erant; ad quæ gravissimis adhortatur verbis, ut est vis vocis apud P. Vict. var. lect. l. 4. c. 18. *Pædagogus* habet tres libros; quem dixeris quandam quasi μύησίν τε καὶ κατήχησιν, *initiationem* purgatorum; Tradit enim in istis libris rationem honestè vivendi. Alius est: *Quisnam dives sit, qui salvetur*; Etsi sint exemplaria, in quibus octavum Stromateων librum constituit hic libellus; referente Photio Cod. CXI. *De Paschate unus, disputationes de jejunio. Liber obtrectationis; Hortatorius ad patientiam; Ad nuper baptizatos; Canon Ecclesiasticus*, in quo agitur adversus Quartodecimanos, cum Judæis Pascha celebrantes. Unde errat interpres Photii Codice CXI. & Gesnerus in Bibl. tit. Clemens, cum putant distincta hæc esse volumina. Eusebius enim pro iisdem habet, utpote cujus verba hæc sunt: κανὼν ἐκκλησιαστικὸς, ἢ πρὸς τοὺς Ἰουδαΐζοντας, *Canon Ecclesiasticus, sive contra Iudaizantes.* Et Photius aliter græcè, quam Latinè sonat. Græca sic habent: περὶ κανόνων Ἐκκλησιαστικῶν, κατὰ τῶν ἀκολουθούντων τῇ τῶν Ἰουδαίων πλάνῃ. i. e. *Liber Canonum Ecclesiasticorum, contra eos, qui Iudæorum errorem sequuntur.* Præterea de *resurrectione, de nuptiis, de continentia* scripsit, qui tamen libri hodie non comparent. Hactenus scripta. *Iudicia* (4) *Iudicia.*

alia

1. alia ſunt veterum, alia recentiorum. *Veterum*, ut Alexandri Epiſco-
Veterum. pi Hieroſolymitanorum in epiſtola ad Antiochenos, ſuper ordina-
ut tione Aſclepiadis Confeſſoris, ſcripta, in cujus fine hæc habentur
Alexandri. verba: *Hæc vobis, Domini ac fratres, ſcripta transmiſi*, διὰ τοῦ εὐλαβεστάτου
Κλήμεντος, ἀνδρὸς ἐπιφανοῦς, καὶ δεδοκιμασμένου *per Clementem B. Presbyte-*
Euſebii. *rum, virum illuſtrem & probatum.* Euſebius lib. VI. c. 13. hiſtor. Eccleſ.
laudat τῶν κατὰ τὴν ἀληθῆ φιλοσοφίαν γνωστικῶν ὑπομνημάτων στρωματεῖς,
i. e. *Commentarios variâ ratione contextos, qui multiplicem veræ ac divinæ*
Hieronymi. *Philoſophiæ cognitionem complectuntur.* vide ſequentia. Hieronymus
l. c. cenſet, *inſignia* hujus viri eſſe *volumina, plena eruditionis & eloquen-*
tiæ, tam de ſcripturis divinis, quàm de ſecularis literaturæ inſtrumento. In
epiſtola ad magnum oratorem, meo judicio, ſcribit, *omnium eſt eru-*
ditiſſimus. Quid in illis libris indoctum? Imò, *quid non è media philoſo-*
Ruffini. *phia?* Ruffinus in Apol. pro Orig. vocat, *Presbyterum & Magiſtrum*
Eccleſiæ, magnum virum in omnibus catholicum, & valdè *eruditum.* Me-
morat autem, quod Ariani hujus viri ſcripta pro ſeſe citarint, tan-
Gelaſii. quam *Filium creaturam* dixiſſet. Gelaſius Pontifex in Concilio Ro-
mano diſt. 15. decret. Grat. in cenſum librorum Apocryphorum re-
tulit. Forſan, quod, referente Photio Myriobl. Cod. 109. quæ-
dam in ſcriptis ſuis *impiè omninò, fabuloseque diſſeruerit.* Loquitur au-
tem de libris hypotypώσεων. Secus enim judicat de libris Pæda-
gogi & Protreptico, quod nihil tale contineant, & inſuper ſint di-
ctione florida, & gravitate quâdam temperata. Quod verò atti-
net octavum στρωματέων librum, in hoc quoque ſunt, quæ οὐχ ὑγιῶς
non ſanè ſeſe habent. Honorius Auguſt. catal. ſcript. §. 200. ita
2. judicat: *Scripſit inſignia volumina, plena eruditionis & eloquentiæ, tam de*
Recentiorũ. *ſcripturis divinis, quàm de ſecularis literaturæ inſtrumento.* *Pontificij* inter-
ut dum laudant virum. Sixt. Sen. l. IV. Bibl. tit. Clemens. ita judicat:
Pontificiorũ *ſcripſit inſignia volumina plena eruditionis, & eloquentiæ, tam de ſeculari lite-*
ratura, quàm de ſacris Scripturis. Interdum in meliorem partem
Bellarmini. de patre hoc non loquuntur, aut auctoritatem admittunt. Bell.
de ſcript. §. 204. laudat quidem, ut *virum doctiſſimum*, ſed ſubjungit;
Non deſunt in hoc inſigni auctore ſententiæ aliquæ, quæ errorem ſapiunt, quas
in libris noſtris controverſiarum notavimus, & ob quas Gelaſius Papa, in
concilio quodam Romano, Clementis hujus opuſcula inter apocrypha retulit.
Utrum autem ſententiæ illæ ab hæreticis inſertæ ſint, ut aliqui piè credunt,
an au-

an auctori more humano exciderint, ignoramus. Desinant igitur Pontificii nos premere auctoritate huius Patris. Possev. app. tit. Clemens, vocat ejus scripta: *Insignia volumina, plenaq; eruditionis & eloquentiæ tam de Scripturis divinis, quam de secularis literaturæ instrumento:* Quæ sunt verba Hieronymi. Gentianus Hervetus Canonicus olim Rhemensis insigne quoque elogium scripsit pro Clemente, quod exhibet l. c. Possevinus: Sed tamen & aliorum. Baron. an. 196. §. 22. vocat *Clarissimum suorum temporum Ecclesiasticum tractatorem:* *Mox eruditissimos libros stromatum.* §. 23. *vigilantem in omnibus scientiis perscrutandis;* Dissimulare tamen non potuit *aliquos nævos;* in ipso occurrentes, & cautelam Gelasii eo fine datam: *ne occasione ejus nominis celeberrimi fideles ad omnia sectanda, quæ ab ipso scripta essent, incautè in errorem adducerentur.* Hæc ille. Maldon. Comment. in Johann. VI. n. 113. cum auctoritate Clementis premeretur, respondet, *allegoricè & concionatoriè ita scripsisse.* Melchior Canus lib. X. Loc. Theol. c. 4. in specie notat errorem: *Clemens Alexandrinus,* scribit, *Philosophiam ait Græcis à Deo, veluti proprium testamentum, esse datam.* Gretser. l. 2. de expurg. libr. c. 9. Inter Patres à Gelasio notatos, adeoq; eos, qui *continent errores nonnullos, vel Pelagianis, vel aliis hæreticis affines,* refert etiam Clementem. Josephus Scaliger in præfatione Chronici Eusebiani vocat *eruditissimum omnium* Clementem. *Analysin* instituit Scultetus part. I. medull. Patr. l. 5. c. 1. seqq. *Corruptelas* adversariorum detexit Dn. D. Dannhavv. Christeid. p. 949. seqq. *Edita* sunt opera Græcè Florentiæ, studio Petri Victorii; Latinè autem reddita sunt à Gentiano Herveto, & Commentariis illustrata, sed à Frontone Ducæo in compendium redactis: qui & Collectanea addidit editione Parisiensi.

Possevini. *Herveti.* *Baronii.* Maldonati. Melchioris Cani. Gretseri. Iosephi Scaligeri.

§. 13. *Gajus* Presbyter Romanus, deinde Episcopus gentium, floruit Antonino, Severi filio, imperante, & Zepherino P. R. sedente, juxta Hieron. de script. Eccles. tit. Gajus; post Euseb. lib. VI. hist. c. 14. Scripsit disputationem adversus Proculum Montani sectatorem, valdè insignem, refutans scilicet novam Prophetiam, quam ille defendendam susceperat. Eusebius l. c. ad sua usque tempora pervenisse ait scriptum. Alium quoque laudant librum hujus scriptoris adversus Artemonis hæresin: Item de *Labyrintho* scriptum; Nam falsò tribuitur Origeni; Item *de universi natura.*

Gaji (1) ætas, (2) scriptum,

ut ipse sub finem Labyrinthi testatur. An verò hic ipse ille sit, qui Josepho tribuitur, in dubio relinquit Photius Myriobl. Cod. 48. Eloquentissimique viri elogium ipsi tribuit.

(3) elogium. *Spectatissimæ vitæ & eruditionis* in Ecclesia laudatur à Baron. an. 215. §. 1.

Minucii. *Minucius Felix.* Romæ insignis Caussidicus ad nunc ipsam ætatem refertur ab Hieron. l. c.

(1) ætas. nempe quo tempore Christiani sub Severo fuerant persecutione pressi, & calumniis gravati.

(2) scriptum, Scripsit autem dialogum Christiani & Ethnici, sub nomine Cæciliani, disputantium. Fuerunt, qui Arnobio accenserent librum inter suos octavum. Adde librum de fato, vel contra Mathematicos, laudante Lactantio, ab eodem scriptum, si tamen Minucii est. Nam Hieronymus loc. c. dubitat, quod stilus non conveniat cum superiore.

(3) elogium. *Elogium* vel judicium Lactantii de viro hoc est: *Ex iis, qui mihi noti sunt, Minucius Felix, non ignobilis inter caussidicos loci fuit. Hujus liber, cui Octavio titulus est, declarat, quam idoneus veritatis assertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset.* lib. V. instit. c. 1. Hieronymide eodem t. 3. opp. epist. ad orat. Mag. hoc est: *Minucius Felix, Caussidicus Romani fori, in libro, cui titulus Octavius est, & in altero contra Mathematicos, si tamen inscriptio non mentitur auctorem, quid gentilium scripturarum dimisit intactum?* Hæc ille.

Hippolyti *Insignis Romæ Caussidicus* vocatur à Platina in Urbano I.

(1) ætas, *Hippolytus* olim urbis Senator, si, quod Baronius Martyr 22. August. putat, idem est, cujus Hieronymus meminit, epist. ad orat. t. 3. opp. Deinde Metropolitanus Arabiæ, uti Gelasius in de duabus in Christo naturis tradit, deinde à Callisto P. R. creatus, juxta Zonaram, Episcopus Portuensis, & Martyr, Distinctus ab altero illo Antiocheno Presbytero, quem tamen cum Portuensi confudit Prudentius in hymno XI. Sicut & in eo errant, quod cum Nonno Theodosiano eundem putent. Vixit temporibus Origenis; Nam præsente ipso aliquando in Ecclesia habebat concionem, & Origenes, Hippolyti æmulus, per Ambrosium quendam excitatus (Photius tamen Cod. 121. nonnihil aliter) est, ut perinde scriberet. Hieron. de script. Eccles.

(2) scripta, Multa scripsit, quæ recenset l. c. Hieronym. nempe: *Rationem Paschæ, temporumq; canones usq; ad primum annum Alexandri Imperatoris, & sedecim annorum circulum, quem Græci* ἑξκαιδεκαετηρίδα *vocant, repperit, & Eusebio, qui super eodem Pascha canonem 19. annorum circulum, i. e.* ἐννεακαιδεκαετηρίδα *composuit, occasionem dedit.* Editus

est

est iste Canon ab Josepho Scaligero Græcè cum Commentario. Pridem Romæ inventus in statua marmorea, quæ sedebat in cathedra, utrinque literis Græcis inscripta. *Scripsit nonnullos in Scripturas Commentarios, è quibus hos repperi: In ἑξαήμερον, in Exodum, & in Canticum Canticorum, in Genesin, in Zachariam, de Psalmis, in Isaiam, de Daniele, de Apocryphis,* qui Commentarii Basileæ superiori seculo videbantur inventi, sed ambigebatur, an hujus Hippolyti essent. Nam desiderabatur sueta Hippolyti eruditio & copia. Sixt. Senens. l. 4. Bibl. tit. Hippolytus. *De Proverbiis. de Ecclesiaste, de Saul, de Pythonissa, de AntiChristo, de resurrectione, contra Marcionem, de Pascha adversum omnes hæreses, & περὶ ὁμιλιῶν, de laude Domini Salvatoris.* Addit Euseb. lib. VI. hist. Eccles. c. 16. in partes quasdam Ezechielis; & subjungit: *Extant præterea nonnulla alia ejus monimenta, quæ apud multos conservata invenias.* Excerpta quædam ipsius *de Theologia,* & *de incarnatione* extant apud Canis. t. 5. antiq. lect. Oratio de *consummatione mundi,* & secundo Domini adventu habetur tom. VII. Bibliotheca Patrum. Photius Myriobl. §. 121. legisse sese dicit ejusdem libellum contra duas & triginta hæreses, à Dositheanis usque ad Noëtianos, quem collegerit ex disputationibus Irenæi, quem Præceptorem habuit, adversus hæreses institutis. *Demonstratio ejusdem* contra Judæos latinè à Turriano reddita exhibetur à Possevino in apparatu tit. Hippolytus. *Multa, & penè incredibilia volumina* dicitur scripsisse, ait Tritenhemius de script. d. Quo exemplo excitatus Ambrosius Origenis ἐργοδιώκτης auctor ipsi fuit, ut & ipse manum scribendo admoveret, suppeditatis, qui scriberent, notariis, & sumptibus. Tandem factus est Martyr, & extat elogium ipsius in martyrologio, his verbis: *In portu Romano S. Hippolyti Episcopi eruditione clarissimi, qui sub Alexandro Imperatore, ob præclaram fidei confessionem, manibus pedibusque ligatis, in altam foveam, aquis plenam, præcipitatus, martyrii palmam accepit; cujus corpus à Christianis apud eundem locum sepultum fuit.* Meruit statuam, & memoriam, quæ quidem antiquitate collapsa sunt, tandem tamen effossa. Erat autem *simulachrum marmoreum solio insidens, in quo circumcirca literis inscripti sunt cycli paschales annorum sexdecim, quod inde Romam delatum, (ex agro Verano) positum est in Vaticana Bibliotheca, &c.* referente Mariano Victorio in scholio primo ad illius vitam, Baronio teste Martyro l. c. Tritenhem. de script. Eccles. tit. Hippo- (3) Elogium.

lytus, vocat *virum in divinis scripturis & studiosum, & eruditum.* Sixt. Senens. l. IV. Bibl. tit. Hippolytus, laudat *virum in divinis scripturis eruditissimum, & allegoriarum, quantum ex ejus fragmentis apparet, studiosissimum.* Istæ tamen laudes cum grano salis sunt accipiendæ. Fuit enim & hic pater suis erroribus obnoxius. Intelligas hoc ex Johannis Pici, Parisiensis Senatus Præsidis, & orationis de consummatione mundi interpretis, præfatione ad Illustrissimum Principem, Cardinalem à Lotharingia Carolum. Notat enim duos insignes errores, alterum, quod neget B. Johannem esse mortuum, alterum, quod neget Antichristum verum corpus habiturũ esse. vide t. 7. Bibl. Patr. *Callisti* Pontificis R. epistolæ duæ huc referuntur. Vixit enim, juxta librum Pontificialem *temporibus Macrini & Heliogabali*; Habentur t. I. concil. f. 273.

Callisti.

Iulii Africani

(1) ætas

§. 14. *Sextus Julius Africanus*, discipulus Heraclæ. Euseb. VI. hist. c. 24. Vixit sub Imperatore M. Aurelio Antonino, qui Macrino successerat, juxta Hierony. de Script. Annis superior Origene. Nam filium hunc suum appellat. Sub Anthero collocatur à Platina, adeoque sub Maximino Imperatore. Enormiter ergò erravit Bodinus, cum Eusebio juniorem facit; castigatus à Vossio lib. 2. de hist. Græc. c. 15. *Scripsit temporum historias*, uti vocat Hieron. t. 3. op. ad orat. m. f. 149. Sozom. l. 1. hist. c. 1. *Epitomen temporum vocat* Basilius in Homilia de Spiritu Sancto, *librum* de temporibus ab origine mundi usque ad Macrinum Imperatorem, sub quo vixit. *Quam provinciam, ut susciperet, honesta æmulatio, & aliæ caussæ, sed ante omnia amor Dei* virum *impulit. Non enim se ad hanc scriptionem contulit, ut gentium duntaxat pertinaciam obtunderet, sed & præcipuè, ut Christianorum errori succurreret, quibus nulla sacræ historiæ certa constabat ratio, &, quantum temporis à primo homine ad suum ævum interfluxerat, non magis ipsis exploratum erat, quam quantum à se ad seculi* συντέλειαν *superesset.* Verba sunt Scaligeri proleg. ad chron. Euseb. Quoad stylum *concisus quidem est, nihil tamen cognitu necessarium omittit*, judice Photio Cod. 34. Myriobl. Adeò, ut Eusebius in suis Chronicis *nihil luculentum, vetustum, excellens habeat*, quod ex Africano non sit mutuatus, etsi, quæ hominis ingratitudo fuit, Africani non meminerit, nisi ubi ab ipso dissensit: Ut censet Scaliger. Idem Julius de *Susannæ historia* epistolam contexuit ad Origenem, ostendens, quod neque in Hebræorum libris legatur

(2) scripta.

gatur, neque veritati congrua sit. Adde, quod *ad Aristidem* scripsit de genealogia Salvatoris, *an inter Matthæum & Lucam sit discrepantia?* Demonstravit autem nullam esse. Eusebius lib. 1. hist. Eccles. c. 7. & Aug. l. 3. contr. Faust. fragmentum epistolæ recitat. confer lib. VI. hist. c. 24. lib. X. de præp. Evang. c. 10. Niceph. Call. lib. 1. hist. c. 11. Phot. l. c. Versio Latina Abdiæ Babylonii eidem tribuitur, sed falso, judice Possevino in app. tit. Julius. *Elogia* ex dictis facile emergunt. (3) Elogia. Eusebius in Chronico scribit, fuisse virum *inter eruditos sui temporis clarum.* Sixt. Senens. l. IV. Bibl. tit. Julius, commendat auctorem ab elegantia, & dexteritate disputandi. Qui plura velit, adeat prolegomena Josephi Scaligeri, quæ præmisit Chronologiæ Eusebianæ. Interciderunt scripta, nisi quod in Eusebiano Chronico & historia quædam supersint: & apud Basilium, qui pro glorificatione Spiritus S. cum Patre & Filio fragmentum citat ex libro V. Africani. Superest & epistola de historia Susannæ, & fragmentum ex altera ad Aristidem. Extant t. 2. opp. Origenis. Latinè versa & edita ab Ambrosio Mediolanensi, Monacho Cassinensi, & Abbate, *Viro trium linguarum peritissimo*, Sixt. Sen. l. c.

§. 15. *Ammonius* cognomento Alexandrinus, ut ab aliis distinguatur ὁμωνύμοις, floruit sub Alexandro Cæsare; Tritenhem. de script. tit. Ammonius. Philosophus fuit Platonicus & Rhetor insignis, tandem Christianus. Origenis Præceptor. *Scripsit*: De *consonantia Mosi & Jesu*; Item *Evangelicos Canones, quos postea secutus est Eusebius Cæsareensis*; referente Hieronymo de script. Eccles. tit. Ammonius. Extant Canones in orthodoxographia Patrum, & decem numerantur, sed Eusebiani, una cum præfatione Eusebii ad Carpianum, in qua exponit discrepantiam suorum canonum à canonibus Ammonii. Unde fallit inscriptio in orthodoxographia canonibus istis imposita: Ammonii Alexandrini canones in quatuor Evangelia. Neque enim Ammonii sunt isti, sed Eusebii, ab Ammonio recedentis, ut clarè ex præmissa patet epistola. Sed neq; *Harmonia Evangelica* in eadem orthodoxographia canonibus præmissa est Ammonii, cui tamen tribuitur ab Ottomanno Luscinio interprete, quo anno 1523. ex Græcis in Latinum transtulit. Neque enim servat harmonia ista ordinem Matthæi, quod de Ammonii harmonia scripsit ad Carpianum Eusebius, sed alium ordinem sequitur,

Ammonii. (1) ætas, (2) Scripta.

quitur, ut αὐτοψία ostendit, & post Victorem Capuanum B. Chemnit. c.2. proleg. harm. observat.. Non est igitur, cur Baron. an. Chr. 174. §.5. seqq. & post ipsum Bellarm. de script. §. 226. Possev. in apparatu; reprehendant Victorem Capuanum Episcopum, qui circa 450. annum floruit, quod Ammonio hanc harmoniam abjudicarit. Neque satisfacit rationi objectæ Baronius, quæ desumpta est ab ordine Matthæi turbato in hodierna harmonia; quod negare non potuit Cardinalis, respondens *maxima* saltem *ex parte* Mathæi ordinem esse servatum. At dicit Eusebius de Ammonii harmonia: *Trium Evangeliorum sensus exceptos, omnes similes contentusq́, Mathæi Evangelio, quasi ad unum congestos annexuit:* Clarè dicens, Mathæum fuisse basin, non alium Evangelistam. Interea non negamus, scripsisse olim Ammonium harmoniam. Cum enim videret Tatiani diatessaron opus non placere, cum ob auctoris infamiam, tum ob aliquot insignes suos defectus, ipse *unum ex quatuor* elaborare aggressus est, ita quidem, ut Mathæi ordinem sequatur, & interserat ex reliquis Evangelistis, ubi vel eadem, vel similia scripserunt. Successu autem temporis, inprimis Hieronymi ætate, harmonia ista miserè dilacerata latinè extabat, vitio sive scriptorum, sive variarum translationum. Videtur adhuc alios scripsisse libros, qui tempore Eusebii eruditorum manibus terebantur. καὶ ὅσοι ἄλλοι παρὰ τοῖς φιλοκάλοις εὕρηνται: *& si qui alij ab amatoribus literarum inveniantur.*

(3) Elogium. Commendatur mirificè auctor à præstantia eruditionis, vel ipso Porphyrio Ethnico teste. Nam in vita Plotini narrat, quod nemo Præceptorum alius Plotino potuerit satisfacere, quam Ammonius. Mentitur autem, quod ex Christiano Ethnicus evaserit, arguente Eusebio lib. VI. hist. c. 13. Hieron. de script. tit. Ammon. Baron. an.234. §.4. Eusebius ait, viri hujus libros *magnâ elaboratos industriâ, multarumq́, commendatione fuisse approbatos*: παρὰ τοῖς πλείστοις εὐδοκιμοῦντος. Idem testimonii retulit ex Longino Philosopho, ut verba dictus allegat Porphyrius. Hierocles in libro de providentia, Ammonium vocat Θεοδίδακτον, *divinitus edoctum*, laudatque à restituta puriore philosophia, traditaque Plotino & Origeni. Phot. Myriobl. §.251. Honorius quoque cumulat laudes de script. §.230. Sixtus Senensis lib.IV. Bibl. vocat *virum disertum, & in secularibus disciplinis eruditissimum.*

§.16.

§. 16. *Origenes* Clementis Alexandrini auditor, & Ammonii, juxta quosdam, discipulus, floruit sub Alexandro Severo Imp. usq; ad Gallum & Volusianum Imperatores. Sic enim Hieronym. de script. *Vixit usq; ad Gallum & Volusianum*, i. e. *usq; ad 69. ætatis suæ annum, & mortuus est Tyri, in quâ urbe & sepultus est.* Desumpsit ex Euseb. lib. VII. hist. c. 1. probante Photio Myriobl. c. 118. denatus anno Christi 256. juxta computum Baronii. *Nomen* ipsi fuit Origenes Adamantius. Origenes, q. d. ἐν ὄρει γεννηθεὶς in monte natus, ut Ascetæ : οἱ ἐν τοῖς ὄρεσι dicti ; Ἀδαμάντιος autem, juxta Photium, appellatus, ὅτι ἀδαμαντίνοις δεσμοῖς ἐῴκεσαν, οὓς ἂν δήσειε λόγους, *quod rationes, quas colligaret, adamantinis quibusdam quasi vinculis non absimiles viderentur.* Myriobl. cod. 118. Nuncupatus etiam est Συνταχθήειος ἢ Συντακτικὸς, vel Συντάκτης, διὰ τὸ πεποιηκέναι πολλὰ βιβλία, *Compositor, quod multos libros composuerit,* ut ex Epiphanio & Suida docet David Höschelius in notis ad Origenis lib. 1. contra Celsum. Sed & Chalcenterus nomen obtinuit, sic ipsum appellante Hieronymo in epistola ad Marcellam, forsan, quod æneus esset in perferendis laboribus. Sunt quidem, qui duos comminiscuntur Origenes, alterum Adamantium, alterum Gnosticum, sed destituuntur auctoritate probatâ. *Parentem* habuit Leonidem, quo martyrio coronato, sub matre vidua, cum 6. liberis erat angusta admodum re familiari, utpote in fiscũ redacta; Unde Deus excitavit aliam viduam locupletem, quæ Origenem aleret. Neque id sine fructu. Siquidem ingenium divinissimum Alumnus optimis disciplinis imbuit; Philosophus fuit insignis, geometria, arithmetica, & aliis id genus artibus excellens. Philologus egregius. Nam linguam hebræam exactè scivit, raro id temporis exemplo. Comparavit sibi Exemplaria hebraica, & in Interpretes inquisivit. Theologus acutissimus, quod discas, non modo ex institutione paterna à teneris cœpta, & proprio studio adjuta, sed etiam ex schola Alexandrina, quã excoluit, κατηχήσεων primum, deinde altioris Theologiæ Professor, adeò ut vel gentiles ad ipsum audiendum confluerent. De quibus in sequentibus plura dabimus: Nunc digito notasse sufficiat. *Scripsit* plurima, ita ut ad sena librorum millia numerus ascenderet, ut Epiphanius in hæresi Origenis 64. testatur. Vincentius Lirinensis Comm. c. 23. dicit: *neminem mortalium plura scripsisse, ut mihi sua*

Origenis (1.) ætas.

sua omnia non solum non perlegi , sed ne inveniri quidem posse videantur. Plurima tamen perierunt. vide Euseb. VI. hist. c. 18. 29. Hieron. t.3. ad Ocean. & Pammach. de error. Origenis f. 87. Scripta Hieronymus dividit in scholia, homilias, & tomos, præfat. Comment. in Ezech. explicante Sixto Senens. l.4. Bibl. tit. Origenes: & addente ex Eusebio duo alia genera ἐπιστολικὸν & ἑρμηνειατικὸν, i. e. *epistolare & interpretativum.* Usus autem est, suppeditante quodam Ambrosio, ex Marcionita orthodoxo, notariis septem, vel pluribus, in quibus & Pamphilus fuit, teste Hieronymo, etiam puellis scitè pingentibus, (sicut aliàs puellarum erat studiosior) referente Eusebio, l.VI. hist. c.17. *Extant* scripta (1) *Commentarij*, sive homiliæ in Genesin 17. vide Ruff. l.2. Apol. contr. Hieron. in Exodum 13. In Leviticum 16. In Numeros 28. In Iosuam. 26. In Judices 9. In Reges 1. In Job. 3. & 4. præter Commentarium. In Psalmum 26. 37. 38. Homiliæ 9. In Canticum Canticorum libros decem distinctis temporibus elaboravit. In Iesaiam 9. Eusebius l. 6. c. 25. ait, triginta scripsisse in Esaiæ tertiam partem; vidisse sese scribit: Jeremiam 14. Ezechielem. 14. Eusebius 25. numerat 1. c. In Matthæum tractatus. 35. In Lucam Homiliæ 39. In Johannem tractatus 32. In diversa N.T. loca homiliæ X. In epist. ad Romanos l. 36. Huc referri potest Philocalia de difficilioribus Scripturæ locis; Historia Susannæ, & epistola ad Africanum de eadem. (2) *Versiones. Tetrapla*, ex versione LXX. interpretum, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, contexta; *Hexapla*; quæ adjunctas habent duas græcas, alteram Hebraicis, quam quintam, in Hiericunte Palæstinæ urbe inventam, dixit, alteram græcis literis expressam, quam Nicopoli in litore Actiaco, dolio inclusam invenit, & sextam appellavit. *Octapla*, adjunctus duabus aliis sine nomine extantibus. Quibus ipse addidit novam versionem græcam, ex LXX. & Theodotionis versionibus coagmentatam, additis asteriscis, & obeliscis. Confer Epiphanium de ponderibus, & mensuris. Sixt. Senens. l. 4. Errasse dicitur ab Augustino, referente Platina in vita Callisti l. c. (3) *Dogmatica & Elenchtica*, ut de principiis lib. IV. Recta in Deum fide dialogus, contra Celsum libri VIII. contra Marcionistas dialogi. *Controversi* tamen sunt ex his libris nonnulli, ut Homiliæ in Leviticum; Nam & inter Cyrilli opera comparent: Libri tres in Jobum.

(2) scripta.

Jobum. Origenis enim esse negant Baron. die 7. Januar. Martyrol. Bellarm. de script. §. 726. Sixt. Senens. l. IV. Bibl. tit. Orig. Genebr. collect. de vita Orig. c. 6. n. 1. Possev. in appar. tit. Orig. Hülsem. Anti-Hag. disp. XVIII. §. 36. p. 938. In dubio relinquit Jacobus Billius lib. 1. observ. sacr. c. 8. sic enim scribit: *Sive Origenes, sive alius quispiam, antiquus certè vir, & eruditus.* confer c. 7. & l. 2. c. 1. Homiliæ in Psalmos in dubio relinquuntur: Magis suspectæ sunt homiliæ in quædam Evangelii loca; Nam mentionem faciunt Manichæorum, Arianorum, fragmentorum Hieronymi, Gregorii; vide Bellarminum l. c. Tractatus quintus in Matthæum latinitatem redolet: quare Origeni nequit adscribi. Præter enumeratos autem libros & *alia scripsit*, nempe, literas ad parentem in carcere; ad varios alios, in fasciculum ab Eusebio collectas, numero centum & amplius, lib. VI. hist. c. 29. Alias, quarum argumenta recenset libro sexto Apologiæ, in quibus fidei suæ reddit rationem; vocant epistolas circulares, & in his, professionem fidei ad Fabianum Pontificem. De resurrectione stromata numero decem, Euseb. l. VI. c. 18. In XII. Prophetas minores; *c. 21.* *Interpretatio Hebraicorum nominum* citatur sub ejus nomine à quodam Justino in libro quæstionum, & Epiphanio de mens. & ponderibus. *in Exodum* excerptorum librum unum laudat Ruffinus Apol. 2. Item in Leviticum; l. c. Item in totum Psalterium; meminitque Tritenhemius se 159. tractatus ejusdem vidisse. In Proverbia Salomonis commentarium citat Pamphilus. In Ecclesiasten, commemorante Methodio Olympi Episcopo. Ex homiliis in Jeremiam 45. saltem, Rabano visis, tantum extant 14. Utinam extaret index operum, ut aliorum, sic Origenis, quem Eusebius adornavit, uti meminit, c. 25. vel saltem Hieronymi, quem ad Paulum misit: uti ipse meminit catal. script. tit. Origenes. *Corrupta* autem sunt scripta ab hæreticis; sic enim in epistola ipse Origenes conqueritur: *Quidam auctor hæreseωs, cum sub præsentia multorum habita fuisset inter nos disputatio, & descriptum accipiens ab his, qui descripserant Codicem, quæ voluit, addidit, & quæ noluit, abstulit, quod ei visum est, permutavit, circumferens, tanquam ex nomine nostro insultans, & ostendens ea, quæ ipse scripsit.* Ruff. Apol. pro Origine. Quæsitus autem corruptor quare fecisset? respondit: *Quoniam magis ornare volui disputationem illam atq; purgare.* Nec diffiteri potuit

Hieronymus, Origeni licet infensus, quod hæretici quædam in Origene corrupissent. Nec Vincent. Lirin. c. 23. commen. sed & *supposita* sunt quædam Origeni, quorum ipse auctor non fuit. Circumferebatur liber de singularitate Clericorum, quem librum alii Cypriano, alii Origeni attribuebant; Malè autem Origeni, ut probat Baron. an. 253. §. 44. 45. Liber de pœnitentia. Est & de Labyrintho liber, quem, cum tamen sit Caij, Origeni tribuunt, notante Photio Myriobl. cod. 48. Item elegantissimæ aliquot Homiliæ in Canticum, quas alii Hieronymo, alii Ambrosio, alii, ut Sixt. Senens. l. 4. Origeni assignant. De visione τετραπόδων eidem tractatus tribuitur, sed falso.

(3) *Judicia* veterum ut Demetrii.

§. 17. *Judicia* de Origine varia cum veterum, tum recentiorum extant, aliis benè, aliis malè, aliis utrumque judicantibus. Primum adversarium ex Christianis insignioribus habuit *Demetrium* Episcopum Alexandrinum, eumque ideò, quod Presbyteratum ab Alexandro & Theoctisto Episcopis Palæstinis, & non à Demetrio accepisset. Hinc Demetrius accensus ira collecta Synodo Origenem de statione & dignitate Presbyteriali dejecit, epistolas contra ipsum per universum ferè orbem scripsit, ut famæ officeret. Sumpsit autem argumentum ex castratione Origenis; pharmaco sumpto procurata; talem enim indignũ esse honore sacerdotali. *Gregorius Thaumaturgus* contra Panegyricum in Origenẽ scripsit, v. Hieron. catal. tit. Theodorus. *Pamphylus* quoq; *Martyr* celebris, Euseb. teste lib. VI. hist. c. 26. apologiam pro Origene fecit; Non refragante Hieronymo de scriptoribus tit. Theophilus. Postea tamen in libro de erroribus Origenis, & apologia contra Ruffinum censuit, Pamphili eam non esse, sed *Eusebij* Cæsareensis, argumento ducto ab autographo Eusebii, quod in Cæsareensi Bibliotheca invenisset. Verum ipse Eusebius l. 6. c. 26. nodum solvit, docens, adjutum sese à Pamphilo esse in dicta apologia. Quo nomine citatur etiam à Socr. l. 3. hist. c. 5. Photio myriobl. c. 118. ita tamen, ut hic dicat quinq; priores libros à Pamphilo, sextum ab Eusebio esse elaboratũ. Additque de aliis magnis viris, quod editis apologiis pro Origene steterint. Refertur tamen liber iste à Gelasio in numerum Apocryphorum dist. 15. decr. Grat. Fuit autem Eusebius insignis Origenis admirator, cujus describit *pueritiam* literis sacris ediscendis, &

Gregorii Thaumaturgi. Pamphili. Eusebij.

profundi-

profundius tractandis transactam, parente Leonide ἱερωδιώκτῃ; *Adolescentiam*, ut literis humanioribus excultus ludum sui sustentandi & proximi juvandi caussa aperuerit; deinde Christianæ scholæ fuerit præfectus, Martyres juverit, virtutibus aliis studuerit; discipulos habuerit plures & Martyres: *Juvenem* & virum, crescente fama eruditionis cum sacræ, tum secularis, ut omnes & Ethnici, & Christiani ipsum fuerint admirati. In specie nominat Porphyrium, & allegat verba apostatæ Origeni satis honorifica. Laudat enim studium Platonis, Numenii, Oronii, Apollophanis, Longini, Moderati, Nicomachi, & aliorum illustrium Pythagoreorum; Chæremonis item & Cornuti, quorum libros assidua manu versabat. *Virum & senem*, cum animum ad scribendos libros applicuisset. Edidit autem plures; plures quoque insignes discipulos reliquit: Photius myriobl. §. 232. n. 11. in compendio recitat quosdam Origenis fautores: Athanasium, Titum Bostrensem, Gregorium Theologum, Nyssenum, Dionysium Alexandrinum, Theotecnum Cæsareensem, Alexandrum Hieropolitanum. Etsi, quod Nyssenum attinet, Germanus Patriarcha scripserit Apologiam, ostensurus Origeni hunc Nyssenum non favisse, secus ac Pamphilus in apologia allegarit. Socr. l. IV. hist. c. 22. Idem cod. 117. citat quendam ἀνώνυμον, qui libros V. pro Origine scripsisset, occupatos in eo potissimum, ut docerent, Origenis eam sententiam non fuisse, quæ ab adversariis tribuebatur, vel hæreticis supponebatur. In eandem sententiam Basilius & Gregorius Nazianzenus Arianis responderunt, cum hi Origenis auctoritatem pro sese allegarent, teste Socrate lib. IV. c. 21. confer Sixt. Senens. l. IV. Bibl. tit. Origenes. *Hieronymus* autem, etsi debitas Origeni laudes non denegaret, vide epistolam ejus ad Tranquillinum, tamen propter errores, & propter suspicionem, inter præcipuos extitit adversarios Origenis, sicut testantur literæ t. 3. opp. f. 86. ad Oceanum & Pammachium de erroribus Origenis; Adversus Ruffinum, Origenis & Pamphili pro Origene ὑπερασπιστὴν t. 2. opp. *Ruffinus* enim pro Origene, ejusdemque libro περὶ ἀρχῶν, defensionem susceperat pro Pamphilo & Eusebio; *Anastasius* Pontifex & ipse intervenit scriptis ad Hierosolymorum Episcopum literis, quibus sese excusabat ob versionem à Ruffino adornatam. Exarserat tum temporis & paulo post acre bellum inter

Hieronymi.

Ruffini.

Anastasii.

Aliorum. Origenistas & ipsorum adversarios. Patroni Origenis erant Didymus Alexandrinus, Isidorus, Evagrius Ponticus, & hujus discipulus, Ruffinus, item Palladius Galata; nec non Johannes Hierosolymitanus, & quædam Melania; Contra eos stabant Hieronymus, Epiphanius, Theophilus, Socr. l. 6. c. 7. Anastasius autem P. R. Theotimus Episcopus Scythiæ, sicut nec Chrysostomus, non potuere adduci, ut Origenem & libros condemnarent. Referente eodem, & probante Socrate historico l. VI. c. 11. 12. 13. Pachomius contra eremita celebris adeò abhorrebat ab Origene, ut ne fœtorem quidem legentium libros istius ferre potuerit, imò in fluvium ipsos libros abjecerit. Gretser. l. 1. de lib. prohib. c. 15. Timotheus Arianus Origenem perpetuò legit. Socr. l. 7. c. 6. In caussa Nestoriana ab orthodoxis provocabatur ad Origenem. c. 32. *Vincentius Lirinensis* lib. comm. c. 23. ex professo de Origene verba faciens, docet, quam graves tentationes ex lapsu Originis viri incomparabilis emerserint. *Tanta*, inquit inter alia, *vis ingenij, tam profundi, tam acris, tam elegantis, ut omnes penè multum longeq́ superarit; tanta doctrina, ac totius eruditionis magnificentia, ut pauca forent divinæ, pene fortasse nulla humanæ philosophiæ, quæ non penitus assequeretur.* tamen paulò post censet: *Libri tamen sub nomine ipsius editi magnæ sunt tentationi, qui multis blasphemiarum vulneribus scatentes, non ut alieni, sed quasi sui & leguntur, & amantur.* In synodo quinta universali, Constantinopoli habita, de Origene quoque actum, & sententia adversus ipsum & libros lata est. Evagr. l. IV. c. 37. Ehinger. can. concil. p. 356. confer judicium Justiniani satis durum apud Baron. annal. 538. Macarius Episcopus Hierosolymitanus tutatus est Origenem, donec sede moveretur. Evagr. l. IV. c. 36. *Cassiodorus* de instit. div. lect. sic judicat: *De Origene conclusivè dictum est; ubi benè, nemo melius; ubi malè, nemo pejus. Et ideò cautè sapienterq́ legendus est, ut sic inde succos saluberrimos assumamus, nec pariter ejus venena perfidiæ, vitæ nostræ contraria, sorbeamus. Cui & illud convenienter aptari potest, quod Virgilius, dum Ennium legeret, à quodam, quid faceret? inquisitus, respondit: aurum ex stercore quæro.* Photius myriobl. §. 8. blasphemum ait esse Origenem in libro περὶ ἀρχῶν. Et ut ad *recentiores* veniamus, Tritenhem. de script. tit. Orig. ita loquitur: *Vir magni & excellentis ingenij fuit, ita ut studio & eruditione similem nunquam habuerit.* & paulò post: *Magnis tamen notatur erroribus, quibus*

Marginal notes: Vincentii Lirinensis (beside "ab orthodoxis provocabatur"); Cassiodori (beside "veretur. Evagr."); Photii (beside "tius myriobl."); *Recentiorū*, ut Pontificiorū (beside "Et ut ad recentiores").

quibus vel ipse desipuit, vel aliis inserentibus falsa scriptis depravatus fuit. Semper enim de Origene varia fuit Doctorum opinio, quibusdam hæreticum asserentibus, aliis sibi fraudem affirmantibus impositam. Hæc ille. Picus Mirandulanus Comes, Platina in vita Zepherini, ut & Gilbertus Genebrardus, cum in Chronico ad annum Christi 230. tum in epistola dedicatoria ad Carolum IX. Regem Galliarum, quam convasato magno numero encomiorum veterum pro Origene editioni Parisiensi præmisit, & Petrus Halloix Jesuita ad Innocentium X. Leod. 1648. fol. ediderunt apologias pro Origene. Quibus dicam scribunt Ribera in proœm. Malach. Gretserus l. 2. de lib. prohib. c. 9. Alii rejiciunt Origenis auctoritatem, non tantùm cum pro erroribus pugnat, sed etiam cum pro veritate, in genere Bellarm. de script. n. 226. l. 2. de purg. c. 2. Ribera proœm. in Malach. Canus lib. VII. Loc. c. 3. n. 11. Espencæus append. ad tit. Gretser. l. 1. de lib. prohib. c. 91. lib. 2. c. 9. Azor. t. 1. moral. lib. VIII. c. 16. In specie De matrimonio, Bell. de matrim. c. 5. De sanguineo Christi sudore. Matth. XXVI. 29. Maldon. comm. in l. c. Visione Dei beatifica negata ante diem supremum. Sixt. Senens. Bibl. lib. V. an. 64. VI. 264. Staplet. lib. 1. def. Eccles. De Corpore Christi in Eucharistia. Sixt. Senens. lib. VI. Bibl. an. 66. de aperto in partu utero Mariæ. Mald. ad Luc. II. 23. De Filio Dei & Spiritu S. Bell. lib. 1. de Christ. c. 10. Mald. in Joh. I. 51. 60. De corporibus aëreis angelorum. Salmeron. lib. I. epist. Pauli part. 3. proleg. disp. VI. sub fin. De liberatione ex inferno, Bell. l. 2. de purg. c. 1. de Paradiso, serpente, animarum origine. Bell. de grat. I. hom. c. 10. lib. III. de amis. grat. c. 3. IV. 11. Perer. in Joh. I. disp. 23. In Genes. lib. IV. q. 1. n. 110. Mald. in Joh. I. 9. n. 97. Supersedeo plures allegare. Sufficiant hæc scopo nostro, qui est, ostendere, quanti apud Pontificios Origenes æstimetur. Colophonis loco nostrum facimus judicium Hieronymi in epistola ad Tranquillinum: *Ego Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Ecclesiasticos scriptores Græcos pariter & Latinos; ut bona eorum eligamus, vitemusq; contraria, juxta Apostolum dicentes: omnia probate, quod bonum est, tenete.*

§. 18. *Ambrosius* circa Origenis tempora floruit, utpote cujus ope ex Valentiniano factus est catholicus, Euseb. lib. VI. hist. Ec- *Ambrosii* (1.) ætas.

 clef.

clesf. c. 13. Hieronymus (de script. tit. Ambrosius) Marcionitam facit eundem; Et Ecclesiæ Diaconum, divitem cumprimis, sed tenacem; Ipse quidem nihil legitur scripsisse, nisi *epistolas* ad Origenem; *Pro Theoctisto tamen liber Origenis de martyrio scribitur*; ut l. cit. Hieronymus memorat. Id certum est, quod ipso impulsore, & notarios, notariasque suppeditante, Origenes *infinita volumina dictitaverit*. Ex epistolis apparuit, quod vir fuerit *non inelegantis ingenij*, judicio Hieronymi. Ipse Origenes præfat. in Evangel. Johan. hoc de ipso elogium reliquit: *O Ambrosi! vere homo Dei, & homo in Christo, & qui pro virili contendis esse spiritualis, nec amplius homo.* Et in epistola de Susanna ad Africanum idem Ambrosii meminit, quod sua (Origenis) scripta perlegerit, & interdum *correxerit*; quare non vulgaris eruditionis fuisse oportet.

(2) scripta.

(3) judicia.

§. 19. *Tryphon.* Inter discipulos Origenis celebriores extitit. *Scripsit* multa opuscula, quæ sparsim Hieronymi ætate exstabant; præcipuè autem laudatur ejus liber *de vacca ruffa in Deuteronomio, & de dichotomimatibus, quæ cum columba, & turture Abraham ponuntur in Genesi.* Verba sunt Hieronymi de script. Platin. in Urbano I. Addit, quod *in scripturis fuerit eruditissimus.* Baronius an. 233. §. 21. suspicatur philosophum fuisse Platonicum, illum, qui Plotinum redarguit, quod Numenii quædam surripuisset, ut habet in vita Plotini Porphyrius.

Tryphonis (1) ætas (2) scripta. (3) Elogia.

§. 20. Inter discipulos Origenis referri potest & *Beryllus* Arabiæ Bostrenus Episcopus. Cum enim in hæresin incidisset, quæ Christum ante carnem extitisse negabat, Origenes disputando eo ipsum adegit, ut errorem fateri & abjurare cogeretur. Quâ de re exstabat dialogus Origenis & Berylli, in quo hic hæreseos coarguebatur. *Scripsit* ipse *varia opuscula, & maximè epistolas, in quibus gratias Origeni agit*; Teste Hieronymo de script. tit. Beryll. & Euseb. lib. VI. hist. c. 14. *Varios ipsum libellos ex optimis scriptoribus, tanquam flosculos excerptos, unà cum epistolis & aliis operibus post se reliquisse, scribit.* Epistolas idem ait extitisse in Bibliotheca Hierosolymitana, Alexandro asservante. C. 26. denuò scriptoris hujus meminit, quod historiam rerum cum Origene, & suo tempore gestarum consignarit, & ad posteros transmiserit. Refert autem eundem in numerum *disertorum* virorum: & in Chronico inter *claros scriptores.*

Berylli (1) ætas, (2) Scripta. (3) elogia.

§. 21.

§. 21. In iisdem *claris scriptoribus* nomen habet etiam *Gemi-* *Gemini*
nus Presbyter Antiochenus: Nam & ipse sub Alexandro Principe (1)
floruit. *Pauca ingenij sui monumenta composuit*, ait Hieronymus de Elogia.
script. tit. Geminus. Neque tamen meminit, quæ illa scripta fue- (2)
rint. Hoc ipso tempore floruit *Urbanus* P. R. cujus t. 1. extat epi- ætas,
stola ad fideles de variis. *Pontianus* Papa Romanus, cui attribuunt ali- 3.
quot epistolas, nempe 1. ad Felicem de honore Sacerdotum; 2. de Scripta.
fraterna dilectione. *Urbani & Pontiani.* P. P.

§. 22. *Gregorius Thaumaturgus* floruit paulo post tempora Ori- *Gregorii*
genis, cujus fuit discipulus. Pridem appellabatur *Theodorus*; teste *Thaumatur-*
Hieronymo de script. tit. Theodorus: deinde *Moses*, ab ipsis veri- *gi*
tatis hostibus, teste Encomiaste Basilio de Spiritu Sancto c.29. Item (1)
Thaumaturgus, à miraculis, quibus claruit, de quibus vide Voët. t.2. ætas,
disp. select. p.1014. *Magnus* etiam, Basil. epist. ad Neocæs. 62. 63. 64. (2)
Malè confunditur à Nicephoro cum Gregorio Armeno lib. VIII. Personalia.
c.14.35. Patria fuit Cappadox, religioni Ethnicæ primum addi-
ctus. Postquam verò Origene usus est Præceptore, Christianismũ
amplexus, & tandem NeoCæsareensis, etsi adolescens adhuc, pro-
pter admirabilem eruditionem factus est Episcopus. *Scripsit* varia, (3.)
quæ adhuc Hieronymi ætate extabant, ut testatur ad Oratorem ma- Scripta.
gnum t.3. opp. In juventute πανηγυρικὸν εὐχαριστίας Origeni, quod
& ipso præsente, solenni in auditorio, recitavit: prodiit græcè &
latinè, ex editione Gerardi Vossii præpositi Tungrensis. Item *Me-*
taphrasin in Ecclesiasten, juxta Hieronymum in 4. Eccles. qui refutat
eos, qui Gregorio Nazianzeno tribuunt, *brevem quidem*, sed, judicio
Hieronymi, *valde utilem*; Confer Hieronym. comment. in 4. Ec-
cles. Haymo l. 7. Christian. rer. cap. 25. Extat in orthodox.
Patr. f. 377. & t.1. Bibl. Patr. cum Præfatione & Commentariis Ja-
cobi Billii Prunæi. *Brevem fidei Confessionem*, quam didicisse fertur
ex B. Johanne Evangelista sibi cum B. Virgine Deipara apparente:
Teste Nysseno in panegyrico Thaumaturgi, & recitante integram.
Magni fiebat apud posteros hæc confessio, utpote in V. Synodo
Oecumenica allegata; & ab Apocrisiariis Gregorii IX. P.R. produ-
cta adversus Germanum Juniorem Episcopum Constantinopolit.
Expositionem fidei adversus Ælianum diversam à priore, ut patet ex
allegatis apud Basil. epist. 64. ad NeoCæs. quam quidem Gerardus

Vossius

Vossius sese invenisse, & edidisse censet, sed refutatur à Bellarm. de script. §. 233. qui ostendit, recentiorem esse ætate Thaumaturgi. Quod adversus Arianos sit exarata. Imò erant quondam, qui in dubium revocarent, an unquam fidei expositionem scripsisset Gregorius? ut hoc modo eludere sese posse testimonium inde allegatum censuerit Leontius scholasticus de sectis art. 8. *Epistolam Canonicam*, quæ extat t. 1. Bibl. Patr. à Balsamone Commentario illustratam. Scripta autem est, cum ob incursionem Barbaricam mores in deterius ruerent. Baron. an. 263. §. 24. Et non parvi æstimata à Synodo sexta, quæ ipsam recepit. *Epistolæ* quædam aliæ vulgo ferebantur tempore Hieronymi, uti meminit de scriptoribus. Circumferuntur etiam *duodecim anathematismi*, qui extant Græcè & Latinè apud Henr. Canis. lect. antiq. tom. 3. & huic Gregorio tribuuntur à Gerardo Vossio. Imperitè iterum, judice Bellarmino, quod feriant hæreticos Nestorianos, & Eutychianos diu post Gregorium nostrum grassantes. *Tres* de *annunciatione B. Virginis sermones* ejusdem sunt farinæ. Prodiit scriptum ex antiquario Cardinalis Sirlesi, latinè factam à Guilielmo Lindano Episcopo Ruremundensi, memorante Baronio Martyrol. 25. Martij. ut & de *Baptismo* Christi sermo; item disputatio *de anima* ad Tatianum: t. VIII. Bibl. Patr. Certè apud veteres mentio ipsorum non est; Neque Bellarminus audet inter certos referre Gregorii libros.

(4) Iudicia. *Sabellianismi* fuit suspectus, quod inde factum est, quod Patrem & Filium hypostasi unum esse diceret Gregorius; Quare multum laboravit Basilius in epist. 64. ad Ecclesiam NeoCæs. ut maculam hanc abstergeret Thaumaturgo. Dicit, *non dogmaticè, sed contentiosè*, οὐ δογματικῶς, ἀλλ' ἀγωνιστικῶς *adversus AElianum*, qui Ethnicus Christianis, Trinitatem colentibus, objecerat Tritheismum, *dictum esse*. Non igitur diffiteri potuit, incommoda quædam verba & phrases excidisse Gregorio, ut *creatura, factura*, &c. quæ *hæreticis* sequentium temporum *plurimum addebant roboris*. Sententia tamen à Sabellio abhorruisse idem testatur, sic ad NeoCæsareenses perscribens: *Sabellij namq; pestem olim quidem motam, traditione verò Magni Gregorij consopitam, renovare conantur*. Hæc ille. Alio modo responderi posset ex Evagrii lib. III. c. 31. ubi Monachi Palæstinæ literas perscribunt ad Alcisonem, in quibus meminerunt, quod hæretici libros sæpe depravarint, attribuentes

Athanasio,

Athanasio & Gregorio Thaumaturgo, qui Apollinarii erant. Sic igitur illi ipsi poterant inserere, quod Ario, vel aliis faveret *Elogia* viri insignia habes apud Euseb. lib. VI. hist. c.23. Basilium & Gregorium Nyssenum, quos exscribere nolumus. Discrepantes à Latina vulgata allegationes in scriptis viri occurrentes notavit Ludovicus de la Cerda c.163. §.4. p.421. seqq.

§. 23. *Alexander* Episcopus Cappadociæ sub Decio coronatus est martyrio. Scripsit epistolas aliquot: De pace Ecclesiæ ad Aaronitas: Possevinus legit Antinoitas; pro Origene contra Demetrium, ad Origenem, ad Antiochenses. Multa doctrina & sanctitate effulsit, juxta Hieronym. de script. tit. Alex. Cappad. Trittenh. de script. tit. Alexander. Baron. 18. Martij Martyr. *Anteri* Pontificis legitur epistola ad Episcopos Provinciarum Bæticæ & Toletanæ t. 1. concil. f.306. meminit in ipsa cujusdam *Eusebij* Episcopi Alexandrini, qui scripsisse dicitur 18. *sermones, non ita pridem in vetustissimo libro Bibliothecæ Cryptæ ferratæ, ut testatur Turrianus c. 12. l. c. inventos, in quorum uno usus est verbo homousii &c.* verba sunt notæ ad t.1. Concil. l.c. f.313. Cæterum errorem hunc esse, inde patet, quod nemo Alexandrinorum Episcoporum hoc quidem seculo legitur Eusebius; sive apud Eusebium historicum & Chronologum; sive apud Nicephorum Chronologum, sive alios probatos auctores. *Fabiani* Papæ extant t.1. Concil. f.317. epistolæ tres, cum aliquot decretis ex Gratiano collectis. Priorem esse interpolatam fatetur editor in notis f. 321. Sed & secundam inter Apocryphos à quibusdam referri dissimulare non potuit, ex Possevino edoctus.

Alexandri (1) ætas (2) scripta. (3) Elogia. *Anteri.* *Eusebii.* *Fabiani.*

§. 24. *Dionysius Alexandrinus* & ipse fuit inter Origenis discipulos; Heraclæ in schola Alexandrina successor, & Episcopus tandem Alexandrinus, Euseb. lib. VI. hist. c.28. *Scripsit* varia, quæ tamen, præter epistolam ad Basilidem, inter canones Ecclesiasticos Græcorum, cum notis Balsamonis extantem t.1. Bibl. patr. Et quandam adversus Samosatenum, laudante Hieronymo de script. tit. Dionysius, græcè & latinè editam Romæ Anno 1608. Ut & nonnulla apud Eusebium fragmenta; interierunt. Quæ jactura ideò dolenda est, quod epistolæ istæ historiam sui temporis accuratè habuerint, ita ut Eusebio in conscribendo septimo præsertim historiæ Ecclesiasticæ libro magno fuerint usui, & ipsa

Dionys. Alex (1) ætas, (2) Scripta.

αὐλοψία ostendit. Citat enim plurima ex ipsis verba. Nec sextus liber caruit hac utilitate. Nam meminit lib. VI. hist. c.33. lib.VII. c. 10. Epistolæ ad Germanum perscriptæ de persecutione sua, & fuga, cujus & fragmentum recitat. Item ad Fabianum Episcopum Antiochenum, c.34. quam prolixè recitat; Refert autem de persecutionis sub Decio furore, cujus occasione Novatus errorem suum disseminare cœperit, ut vel ipse Fabius, vel Fabianus nutaret, adeoque literis à Dionysio esset confirmandus. c.36. fragmentum extat. Ad ipsum etiam Novatum perscripsit, quas idem c.37. citat literas. Subjungit scripta alia ejusdem, ut de pœnitentia epistolam, & librum de eadem materia ad Cononem Hermopolitanæ Ecclesiæ Episcopum; Alium ad Ecclesiam Alexandrinam hortatorium: De martyrio ad Origenem: epistolas ad fratres Laodiceæ, etiam de pœnitentia: Ad Cornelium P.R. Ad fratres Romæ de ministeriis Ecclesiæ; De pace; aliam de pœnitentia, adversus Novatum ad Confessores Romanos; duas alias ad reversos; ad Hermammonem: Extat fragmentum lib.VII. Euseb. c.1. 9. Ad Stephanum P. R. de baptismo c.2. nempe, an opus sit lapsos in hæresin rebaptizare? c. 4. 5. fragmentum habetur epistolæ. Ad Romanos alteram. Eadem de materia, nempe tertiam epistolam, scripsit ad Philemonem Presbyterum Romanum; verba habentur c. 6. quartam ad Dionysium Romanum c.7. Quintam ad Xistum c. 8. omnium verba ll. citatis repetit. Ἑορτασικὰς, seu de festorum celebritate epistolas: Ad compresbyteros Alexandrinos c.15. Ad Hieracem Episcopum Ægyptium, repetitis ab Eusebio verbis. c.16. Ad fratres Ægyptios de Festis celebrandis c. 18. Duos libros de promissis c.19. refutans Chiliasmum Nepotis, & differens de Apocalypsi Johannæa, non modò adversus Nepotem, Euseb. l. VII. c. 19. sed etiam Irenæum Lugdun. Episcopum Chiliasmo addictum, uti docet Hieronym. lib. XVIII. in Esaiam. De natura librum; De tentationibus alterum; In principium Ecclesiastis, memorante Procopio Gazæo in c.3. Genes. & Euseb. c.21. in 1. Corinth. citante Hieronymo ad Pammachium. Epistolam ad Telesphorum, Euphran. Hieron. de script. aliosque: subnectitque l.VI.c.37. quod fuerint, qui cupiditate incensi libros ipsius legendi & epistolas, multiplicem ac varium inde fructum perceperint. Variè olim de ipso judicatum fuit. Favisse

(3) judicia.

ipsum

ipsum sententiæ, quæ baptizatos ab hæreticis rebaptizandos censuit, in confesso est: ex Hieron. de script. tit. Dionys. Alex. Erant autem qui ipsius autoritate starent; erant, qui nollent; Certè Basilius epist. 41. Dionysium hunc in multis locis non admittit, maximè ubi hæresin Arianam videtur confirmare. Id verô non ideò factum est, quod putaret, Arianum ipsum fuisse, sed, quod nimio Sabellii Lybis, adeoque suæ diœcesi subjecti, oppugnandi studio abreptus, in alteram partem nimium inclinarit. Pentapolitani enim, ubi legissent Dionysii sui epistolam adversus Sabellium, ad Ammonium, vid. Euseb. lib. VII. c. 21. & Euphranorem perscriptam, ipsum detulerunt ad Dionysium Romanum Episcopum, qui coacto Concilio Romano literas dedit ad Alexandrinum, in quibus rationem fidei ab ipso petebat. Alexandrinus igitur, ut maculam elueret post alias, edidit etiam responsionem, seu elenchum, & apologiã adversus calumnias sibi intentatas. vide Euseb. lib. VII. c. 21. hist. Eccles. & prolixè hac de controversia Athanasium in Commentario, quem de Dionysio adversus Arianos; & in libello, quem de Synodis scripsit; ubi fragmenta ex scriptis Dionysii hodie ἀνεκδότοις recitat. Legitur & apud Gennadium de Ecclesiasticis dogmatibus libro satis rigorosum de Dionysio judicium: *Nihil creatum, aut serviens in Trinitate credamus, ut vult Dionysius fons Arij.* Neque Basilius hoc tantum in articulo *de Christo* censuit, sed & de Spiritu Sancto ἐκ ἐναγεῖς αὐτὸν ἀφεῖναι φωνὰς, *impia illum verba fundere*, ut habet Photius myriobl. cod. 232. §. 52. n. 1. Contra Athanasius hunc ipsum defendit, *Dionysius*, inquiens, *nunquam sensit cum Arianis, nec veritatem ignoravit, nec ab aliis Episcopis impietatis damnatus est, nec Arianas vices locutus est, tanquam docendo.* Quale judicium & Theodoretus de hoc Dionysio fert, citante eodem Photio n. 2. Ruffinus de adult. lib. Orig. sic conciliare satagit, ut dicat, nihil errorum Dionysii fuisse, sed ab Arianis fuisse additum, quicquid ipsis faveret. Verumenimverò Athanasius ejus corruptelæ non meminit, quod dubio procul fecisset, si quid Ariani corrupissent. Distinguendum igitur fuerit inter scripta Dionysii priora, quæ suis erroribus non caruerunt, & inter posteriora, in quibus correxit, quæ incauto exciderant. Sixto Senensi l. IV. Bibl. est *omnibus disciplinis tam sacris, quàm profanis imbutus.*

Cornelii (1) ætas, §. 25. *Cornelius* floruit Imperatore Decio, juxta quosdam, sed juxta Eusebium chron. an. 252. & Hieron. de script. tit. Cornel. Gallo & Volusiano, Decii successoribus, imperantibus. Pontificatum Romanum, Fabiano martyrio coronato, eodem tempore suscepit. (2) scripta, *Scripsit* epistolas aliquot *ad Flavianum, Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum, de Synodo Romana, Italica, Africana*; *& aliam de Novatiano, & de his, qui lapsi sunt. Tertiam de gestis Synodi, quartam ad eundem Flavianum valde prolixam, & Novatianæ hæreseως caussas, & anathema continentem.* Hæc Hieronymus. Tom. 1. concil. habentur ejusdem Epistolæ VI. (1) de translatione corporum Apostolorum Petri & Pauli, & de Novato, aliisque hæreticis. Sed fatetur post Baron. an. 221. §. 6. editor Conciliorum in notis, errorem esse, ex libro Pontificali derivatum, quasi Cornelius transtulisset ista corpora. (2) ad Rufum, vel Rusticum. (3) Ad Fabium Antiochenum de Novatiano. ex Euseb. VI. hist. c. 35. (4) Ad Lupicinum, quæ & t. 1. Bibl. Patr. habetur. (5) Ad Cyprianum de confessoribus ad unitatem regressis. (6) Ad eundem de factione Novatiani. Sed, uti dictũ, fatentur ipsi Pontificii, primam esse vel corruptam, vel omninò supposititiam. Vide notas ad Cornelii vitam f. 363. Secundam à quibusdam velut apocrypham rejici fatetur Possevinus in apparatu. Neque tamen veretur Bellarm. de sanct. beat. l. 1. c. 19. & l. 2. de imag. c. 3. Ex 1. epist probare velle invocationem Sanctorum, & translationem reliquiarum. Secunda citatur ab Ivone lib. IV. decret. Sed nec hæc est exploratæ fidei, utpote data Maximo & Decio Consulibus, quales, sedente Cornelio, nulli fuerunt, ut innuit Cyprianus epist. 74. in qua negat baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos. Orthodoxus ipse fuit in eo, quod Novatianis & Anabaptistis masculè restitit.

Sixti II. *Sixtus II.* sedit post Stephanum. Autor à Ruffino dicebatur libri sententiarũ, t. 3. Bibl. Patr. seu Proverbiorũ, qui tamẽ erat Sixti Philosophi Ethnici; notante Hieronymo in epistola ad Ctesiphontem, adversus Pelag. August. l. 2. retract. c. 42. Ludovico Hillesemio Anderaco præfat. in Sixti sententias ad Gregorium XIII. P. R. Non certior est decretalis prima. vid. Coc. cens. vet. p. 70. Decreta quædam ejusdem citat Gratian. 2. q. 6. si quis. Ivo p. 6. c. 318. 3. q. 6. si quis. Huc quoque referri potest *Dionysius* quidam, cujus meminit Jornandes

Dionysii. de rebus Gothicis c. 19. quod illo tempore pestis grassata sit, *Dionysio historico*

historico super hanc cladem lacrymabiliter exponente. Vide Vos. de script. latin. l. 2. cap. 4. *Lucius* successor fuit Cornelii, & circumfertur epistola, ex qua probare vult Bellarminus de Pontifice Romano l. 2. c. 34. successionem papalem; At de script. Eccles. non audet inter indubitatas referre. Forsan quod data sit Gallo & Volusiano Coss. qui Lucii tempore Coss. non fuerunt. vide Baron. an. 256. §. 1. decreta quædam ejusdem ex Gratiano collecta habes t. 1. Concil. f. m. 444. Plures epistolas scripsisse ex Cypr. ep. 67. colligit idem scholiastes. Neque tamen earum una est, quæ inter Cypriani 79. exstat. Fuit enim alterius Lucii. Baron. an. 257. §. 4. *Stephanus* succedit. Scripsit ad Hilarium Episcopum epist. 1. Ad omnes Episcopos 2.

Lucii.

Stephani.

§. 26. *Cyprianus* Cornelii fuit σύγχρονος, ut testantur epistolæ ultro citroque scriptæ, & controversiæ invicem motæ. *Nomen* ipsi est Cæcilius Cyprianus; Istud accepit à *Cæcilio* quodam Presbytero, à quo baptismum, simul & nomen, ut filius Parentis in Christo, sortitus est: teste Cypriano ep. 69. ad Florentium: & Pontio Diacono in vita Cypriani, & Hieronymo de script. Ecclesiasticis tit. Cyprianus. Dictus est & Caprianus à quodam calumniatore, teste Lactant. lib. V. instit. c. 1. vel, ut legit Baron. an. 250. §. 5. Coprianus. q. d. Stercorarius. Item Thascius, ut ipse se vocat in epist. *Distinctus* ab alio quodam Cypriano Antiocheno, & Nicomediensi Martyre, qui una cum Justina passus est sub Diocletiano. vide Phot. cod. 184. myriobl. Baron. an. 250. §. 5. Martyrol. ad 14. & 26. Septembr. Menol. Græc. 2. Octobr. Vapulant igitur Gregorius Nazianzenus in Panegyrico Cypriani, & Prudentius in hymno in laudem ejusdem Martyris decantato, & ab his deceptus Metaphrastes, quod hunc Antiochenum cum Carthaginiensi Cypriano confundant, vide notam marginalem, ad l. c. Photii. Distinctus est etiam ab illo Unizibirensi Antistite & Martyre, Cypriano; Item à quodam Pictaviensi, quem cives die 13. Julii festo colunt; Nec non ab Abbate Petragorico ὁμωνύμῳ, cujus meminerant Beda, & Usuardus in Martyrol. die 9. Xbris. Nactus est genus illustre, patriam Carthaginem, indolem generosam, dignitatem senatoriam, religionem pridem Ethnicam, professionem oratoriam & Rhetoricam, quam summa cum laude exercuit caussarum patronus

Cypriani
(1) ætas
(2) Nomen.
(3) Personalia.

tronus, donec ad Christianismum transiret, in quo ea celeritate profecit, *ut presbyterium & sacerdotium statim acciperet*, quæ Pontii verba sunt: Paulo post etiam Episcopatum, defuncto Carthaginiensium Episcopo Donato. Tandem martyrio, post multas afflictiones, coronatus est. Tertullianum in scriptis frequentissimè imitatur. Nam, teste Hieronymo in vita Tertulliani, nullum abire diem passus est, quo non Tertulliani quædam legeret, utpote *Magistri* κατ᾽ ἐξοχὴν dicti. *Scripsit multa, per quæ memoria digni nominis supervivat*, ut habent Pontii verba. Typis excusa sunt Parisiis anno 1512. Extant tamen antiquiores editiones, Venetiis impressæ Anno 1483. Ab Erasmo edita sunt opera anno 1525. 1530. Dividuntur scripta in epistolas, tractatus, sermones & libros. *Epistolæ* ab Erasmo in editione Lugdunensi distributæ sunt in IV. libros, ab aliis, nempe Pamelio & Goulartio in epistolas 83. ita inter sese contextas, ut & intelligi ipsæ, & historia istius temporis facilè queat. Sciendum tamen, non omnes illas esse Cypriani literas. Nam & occurrunt aliorum, ut Cleri Romani, Cornelii, Lucii, Donati, quibus ipse respondet. *Tractatus* sunt: *contra Demetrianum* Africæ Proconsulem & Ethnicum, quod diceret, Christianis imputanda esse mala, quotquot tunc orbem premerent, eaque propter neglectum Deorum cultum. Cyprianus igitur apologiam scripsit, & ostendit, gentilibus potius esse imputanda ista, quod verum Deum non colerent. Atque in hoc tractatu, judice Erasmo, stylus est elaboratior, & Tertullianam scholam redolens; *De habitu Virginum*, in quo mulieres ad pudicitiam & mundi contemptum hortatur, addito virginum officio. Rectius autem titulus sic formatur: de disciplina & habitu Virginum. Nam Pontius Diaconus ipsum innuit his verbis: *Quis Virgines ad congruentem pudicitiæ disciplinam & habitum sanctimonia dignum, velut frænis quibusdam lectionis Dominicæ, coërceret?* Hæc ille in vita Cypriani. Imitatur autem in hoc libro Tertullianum de virginibus velandis, & habitu mulierum, & de cultu fœminarum. *De simplicitate Prælatorum*, sive *de Unitate Ecclesiæ*, adversus Novatianum schismaticum, ostendens præpositos Ecclesiæ ad innocentiam simplices esse oportere, & prudentes in observandis Dei præceptis. *De idolorum vanitate*, sive, *quod idola Dii non sint*, adversus idololatras, ostendens, quod non sint Dii idola, utpote

(4) Scripta.

pote

pote olim homines. neque regna ab horum nutu pendere, sed unum esse verum Deum, quem Christiani colunt. Peculiare hujus tractatus elogium extat apud Hieron. in ep. ad Orator. Magnum. *Sermones* sunt de *eleemosyna*, in quo hortatur ad opera pietatis & misericordiæ. *De zelo & livore*, cujus describit originem & damna; *De bono patientiæ*, quam laudavit ab exemplo Christi, aliorumque sanctorum, summaque necessitate, eo potissimum tempore, quo schismata Ecclesiam concutiebant: *De mortalitate*, quæ sit communis omnibus hominibus, adeoque fortiter subeundam esse mortem, charitate sic jubente; Scripsit autem librum sive sermonem tempore pestis, quæ vehementissimè grassabatur, de qua vide Pontium in vita Cypriani. *De lapsis*, an, & quomodo recipiendi essent? Decio enim sublato, & pace Ecclesiis redeunte, lapsi pridem glomeratim ad Ecclesiam revertebantur; hos igitur sine prævia disciplina & pœnitentia recipi noluit Cyprianus. Imitatur Tertullianum de pœnitentia. *De Oratione Dominica*, (imitatus Tertullianum de oratione) qua utendum esse docet, & quomodo; librum mirificè commendat Hilarius in Matthæum, & Cassiodor. divin. lect. c. 19. *De exhortatione Martyrii* libellus duodecim capitibus distinctus, & ad Fortunatum quendam exaratus: Summa & scopus libelli est, *milites Christi ad cæleste & spirituale certamen animare*, quæ ipsiusmet verba sunt. *Adversus Judæos* extant libri tres, in quibus docet Judæos à vero Deo recessisse, Christianos autem in locum ipsorum successisse; deinde, Messiam jam in carnem venisse, juxta vaticinia Scripturæ. Dedicatus est liber cuidam Quintino, qui ex Cypriano petierat, ut ipse hic testatur in epistola ad Quirinum perscripta. Tertius liber continet præcepta vitæ christianè instituendæ. *De hæreticis baptizandis ad Jubajanum*, in quo ostendere vult, baptizatos ab hæreticis verum baptismum non cepisse, sed primum ab orthodoxis baptizari. *Ad Pompejum contra epistolam Stephani*, agit de materia eadem. Erasmus duos hosce libellos ab epistolis distinxit; Pamelius autem inter epistolas retulit, & sunt num. 73. 74. sicut & ultimam epistolam ad Quirinum vel Quintum de eadem quæstione. Est autem n. 71. Subjungunt vota & suffragia Episcoporum in Concilio Carthaginiensi de baptizandis hæreticis. De ordine horum scriptorum vide Pontium in vita Cypriani, & Jac. Pamelium præfat. tom. II. opp. Cypriani.

Inter

Dubia.

Inter *Suppoſititia*, vel certè *dubia* Cypriani ſcripta refert Bellarminus de ſcript. §.250. Eraſmum ſecutus, hæc ſequentia: De monte Sina, & Sion; qui allegoricè & ex Hebræis explicantur. Liber videtur eſſe aliquantò vetuſtior. De revelatione capitis Johannis Baptiſtæ, facta ſcilicet Pipino Galliarum Rege. Expoſitionem ſymboli Ruffini fœtum. De ſingularitate Clericorum; Etſi Baronius an. 753. §. 44. Cypriano ſcriptum aſſerat, & Bellarmini rationes refutet. De operibus Cardinalibus Chriſti: De laude Martyrii, de diſciplina & bono pudicitiæ. Ad Novatianum de ſpe veniæ lapſis non deneganda; quæ tamen ſcripta non adeò abhorrent à genio & ſtylo Cypriani; de duplici martyrio, (liber eſt admodum recens) de aleatoribus, de cœnæ diſpoſitione, (non ſapit doctum auctorem) de 12. abuſionibus ſeculi, auctore quodam, ſive Eberhardo, ſive Johanne Climaco, juxta Pamelium. De ſpectaculis, de judaica incredulitate ad Vigilium. Antiquiſſimus eſt dialogus inter Jaſonem Chriſtianum, & Papiſcum Hebræum, in latinum ex Græco verſus Celſo quodam vertente. vid. Origen. l. IV. contr. Celſ. Hieron. in Geneſin. De Judæis, qui inſecuti ſunt Chriſtum, librum ſatis vetuſtum. Carmen Geneſ. 2. Carmen Sodoma, ad apoſtatam Senatorem, quæ nonnulli Tertulliano tribuunt. Hymnum de paſcha, orationem pro Martyribus, quæ incipit: *ἅγιος*, & alteram, quæ incipit: *Domine ſancte Pater.* Plerique inter hos libri ſunt eruditi ac docti, ſed Eraſmus Cypriano abjudicavit, objicit ſtyli potiſſimũ diſſimilitudinem, argumento non ſemper infallibili. Extat & alius de cœna liber MSC. Dunenſis & Tornacenſis, ut & in Bibliotheca Argentoratenſi, concinnatus à quodam Mauro ad Lotharium Sereniſſimum Romanorum Regem, in quo cœna à Deo parata cum ſuis hoſpitibus, diaconiis, ferculis, vinis, furtis & ſimilibus recenſetur. Jacobo Pamelio videtur Italus quidam eſſe auctor, quod vina Italica tam probè noverit. Addit Pamelius de Spiritu Sancto libellum §. XVIII. p. 27. in quo Spiritus Sanctus à Patre & Filio dicitur procedere. Spectat autem ad Cardinalia Chriſti opera. Paulus Diaconus ſcribit quidem Cyprianum in Evangelia peroraſſe optimè, commentario exarato; ſed potior eſt Hieronymo fides habenda in epiſtola ad Paulam, dum ſcribit: *Quum* (Cyprianus) *totus eſſet in exercitatione virtutum, occupatus perſecutionum anguſtiis, de*

Scripturis

Scripturis sacris nequaquam differuit. Interim non negamus, multum fuisse ipsum in Scripturis sacris citandis. Ejusdem ferè momenti est, quod idem Diaconus de *Chronicis* Cypriani scribit. Meminit Grat. dist. XV. inter apocryphos & libri de pœnitentia Cypriano attributi; & dicti Christi pœnitentia. Sic verum est, quod Salmeron. in 2. Thess. II. disp. 2. §. 3. scribit: *Multi libri affinguntur &c. Cypriano, Hieronymo &c. qui eorum non esse solidè revincuntur.*

§. 27. De Cypriano variè olim fuit judicatum, & adhuc judicatur. *Vivus* adhuc dimicare coactus est adversus Felicissimum quendam Presbyterum pro Episcopatu, quem hic isti invidebat, qua de lite vide ipsum Cyprianum epist. 40. & 38. Deinde adversus lapsos, qui sine satisfactione Episcopo & Ecclesiæ præstita à martyribus, & Presbyteris quibusdam veniam consequebantur. Presbyteri erant: Felix, Jovinus, Maximus, Repostus, & Fortunatus, qui alterum extremum sequebantur, in excessu peccantes, sicut Novatus in defectu. Hic enim neminem lapsorum recipiendum esse statuebat. Conjunxerunt tamen arma adversus Cyprianum, qui sibi non defuit, excommunicato Felicissimo. Hanc tempestatem alia excepit. Cum enim, Fabiano defuncto, Novatus Novatianum quendam Presbyterum Romanum creasset Episcopum, abdicato legitimè creato Episcopo Cornelio, Cyprianus schismaticis acriter restitit; Nam excommunicavit. Nondum hæc tempestas prorsus conquieverat, cum Privatus quidam hæreticus Cypriano novum bellum indiceret, creato Carthaginensium Episcopo Fortunato. Id verò fecit, quod in Concilio Africano non fuisset admissus. Serpsit etiam ad Romanos Pontifices controversia. Felicissimus enim, & Fortunatus ad Cornelium P. Rom. appellabant: Cyprianus igitur scriptis ad Cornelium literis, reclamabat appellationi. Jam tum enim Pontifices Romani cæperant in alienam messem suas mittere falces, & ἀλλοτρι ἐπισκοπεῖν. Discas id etiam ex Stephano, alio P. Romano. Cum enim Basilides & Martialis Episcopi Hispani, libellatici, & lapsi, ideò excommunicati essent, Cypriano procurante, Stephanus appellantes ad suum tribunal recepit, id quod indignè tulit Cyprianus, scriptis eapropter literis. Alterum adversus eundem certamen erat de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis essent baptizati. Fallitur enim

(5) Iudicia. Veterum.

Niceph. lib. VI. hist. c. 2. cum ait, Cyprianum nec lapsos recepisse, nisi rebaptizatos. Cyprianus negabat legitimum & verum esse baptismum, quem quis ab hæretico suscepisset; Contra affirmabat Stephanus, quemcunque à quocunque susceptum esse ratum. Uterq; incautius ista; Cyprianus, quod rejiceret baptismũ etiã eorum hæreticorum, qui in nomine Trinitatis baptizabant; Stephanus autem, quod approbaret & illum baptismum, quem hæretici Trinitatis hostes ministrassent. Qua de lite lege epistolam Cypriani ad Pompejum. Certè eo usque progressus est Stephanus, ut Cyprianum *Pseudo-Christum, Pseudo-Apostolum, & dolosum operarium* censeret, dignum, qui, tanquam *apostata*, excommunicaretur. vide August. c. 14. de unico baptism. Bell. lib. 2. de concil. c. 5. sect. 1. lib. IV. de P. R. c. 7. post Cassandr. in consult. art. 7. Baronius equidem Augustino, Cassandro & Bellarmino contradicens, an. 258. §. 5. asserit. *Cyprianum nequaquam à Stephano Papa Apostolica communicatione privatum*; Sed aliud sonant verba Orientalium, quæ scripserunt de Stephano: *Peccatum quam magnum tibi exaggerasti, quando te à tot gregibus scidisti, excidisti enim teipsum; noli te fallere: siquidem ille est verè schismaticus, qui se à communione Ecclesiasticæ unitatis apostatam fecerit. Dum enim putas omnes à te abstineri posse, solum te ab omnibus abstinuisti.* Hæc illi calamo Firmiliani usi. vide Dn. D. Dannhavv. Christeid. p. 488. An resipuerit Cyprianus? in dubio relinquitur ab ipso Augustino epist. 48. plus tamen in affirmativam, quam negativam inclinat. confer de unit. bapt. contra Petil. c. 14. Huc videtur respicere Gratianus dist. 15. ubi refert Gelasii judicium *de pœnitentia Cypriani*. Refertur enim liber inter apocryphos. Certè natalem hujus Martyris Ecclesia subsequens celebravit, ut haud obscurè innuit August. lib. VI. contr. Donatist. c. 2. & explicat Evagr. l. 4. hist. c. 16. Baron. Martyr. 14. Septembr. Lactantii de Cypriano hoc extat judicium: *Unus præcipuus & clarus extitit Cyprianus; quoniam & magnam sibi gloriam ex artis oratoriæ professione quæsierat; & admodum multa conscripsit in suo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioso, suavi, & (quæ sermonis maxima est virtus) aperto, ut discernere nequeas, utrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit.* lib. V. div. instit. c. 1. Sugillat deinde librum ejusdem adversus Demetrianum, eo potissimum nomine, quod ex sacris literis alieno ab

Ethnicis

Ethnicis principio disputarit; sed defenditur Cyprianus à Baronio annal. 256. §. 30. Hieronymo in c. 60. Isai. *Cyprianus est Vir sanctissimus & eloquentissimus Martyr*, qui, sicut & Hilarius, *excelsa in seculo arbor ædificavit Ecclesiam.* Et in de script. Eccles. tit. Cyprianus, idem scribit: *Hujus ingenii superfluum est indicem texere, cum sole clariora sint ejus opera.* Augustinus de baptism. contr. Donat. lib. VI. c. 2. hoc habet judicium: *Non solum malos catholicos nullo modo comparamus, sed nec bonos facilè coæquamus beato Cypriano, quem inter raros & paucos excellentissimæ gratiæ viros numerat pia mater Ecclesia.* Multum hujus patris auctoritas negotii facessebat Augustino, Donatistis ipsam in controversia de rebaptizandis hæreticis, allegantibus; Quibus haud fortius occurrere poterat, quam opponendo scripturas patrum auctoritati. Celebris est ipsius sententia l. 2. contr. Crescon. Gramm. c. 32. ubi apertè profitetur, quo loco habeat literas Cypriani sibi objectas, nempe, *non habere ut canonicas, sed eas ex canonicis considerare, & quod in eis divinarum scripturarum auctoritati congruit, accipere, quod autem non congruit, respuere.* & c. 31. *Nos nullam Cypriano facimus injuriam, cum ejus quaslibet literas à canonica divinarum scripturarum auctoritate distinguimus.* confer l. 2. contr. Donat. c. 1. epist. 111. ad Fortunatianum. Vincentius Lirinensis commonit. c. 9. Cyprianum vocat *Sanctorum omnium & Episcoporum, & Martyrum lumen.* Gregorii Nazianzeni extat Panegyrica inter alias oratio, decantans Cypriani laudes. Legitur & Prudentii hymnus in eundem. Habet & breviarium antiquum Toletanum hymnum Cypriano dicatum. Maximus duos recitavit sermones, Chrysologus unum, nempe 129. in honorem Cypriani, post Augustinum, memorante Possidio in indiculo serm. 113. 114. 115. 116. & editione Parisiensi §. 12. Templum Carthaginienses, vel duo, ut habet Victor lib. 1. de pers. Wand. erexerunt in honorem Martyris. Gelasius dist. XV. inter libros probatos recipit *opuscula beati Cypriani Martyris, & Carthaginiensis Episcopi*: uno excepto, de pœnitentia. Sic enim subjungit: *liber, qui appellatur pœnitentia sancti Cypriani, apocryphus.* Ottoni Frisingensi chron. lib. III. c. 37. & Hermanno Contracto an. 257. Cyprianus est *Doctor Eximius.* Cassiodorus de div. lect. c. 19. *Impossibile est omninò complecti, quantum inter alios Scriptores, præterita ratione baptismatis (quam usus gratia repudiavit Ecclesia) conferat beatissimus Cyprianus velut oleum*

decurrens in omnem suavitatem, lingua composita, declamator insignis, Doctorq; mirabilis. Platina in vita Lucii I. vitam Martyris, & laudes breviter describit. Robertus Fortunatus Macloviensis in præfatione operum Cypriani mirificè auctorem commendat.

Pontificiorũ §. 28. *Pontificii* auctoritate hujus Patris non semper stare volunt, agnoscentes ipsum in materia de baptismo errasse, vide Bellarm. lib. 2. de Christ. c. 1. art. 3. Item de traditionibus, quas repudiabat. lib. IV. de V. D. c. 11. unde Gretser. l. 2. de expurg. libb. c. 10. consultum censet, ut aliis Patribus, sic & Cypriani scriptis, *antipharmacum* addi. Et licet alias hoc effugio utantur, ut distinguant inter Cypriani sententiam privatam & communem, tamen ubi cum aliis etiam sentit Patribus, eundem sequi nolunt. vide Mald. in Matth. XXVI, 29. ubi quæstio est de sanguine Christi. Imprimis hoc palam est ex controversia, de rebaptizandis iis, quos hæretici baptizarant. Nam cum Cypriano sentiebant plerique Africæ & Asiæ Episcopi & Theologi. Dionysius Alexandrinus dicit, sententiam Cypriani probatam fuisse ἐν ταῖς μεγίσταις τῶν Ἐπισκόπων συνόδοις, *in maximis Episcoporum Synodis* Euseb. lib. VII. c. 4. vide Coster. Enchir. c. 1. Bellarm. lib. I. de sacr. c. 26. l. 2. c. 22. Lindan. Panopl. l. 2. c. 10. Confer qui ex professo de hac materia scripsere, Rivet. Crit. sacr. c. 7. Vindic. epist. ad Balsac. c. 6. §. 24. Guil. Rivet. de lib. Eccles. Gall. part. 3. c. 3. p. 319. seqq. Voet. desp. caus. Papat. lib. 3. sect. 1. c. 11. Lutherus noster in libello de Conciliis multum tribuit Cypriano, & hactenus excusat ipsius sententiam de anabaptismo, quod nostri Anabaptistæ ad ipsius auctoritatem provocare nequeant, utpote qui negavit verum ab hæreticis baptismum accipi, quod isti affirmant, & tamen reiterant. Urbanus Regius in concione de Eleemosynis docet, quomodo accipienda sit Cypriani de hac materia sententia, & quantum in aliis auctoritati viri sit tribuendum.

§. 29. Analysin scriptorum instituit ex nostris Rathmannus; Ex Reformatis Abrahamus Scultetus medul. patr. part. I. l. 8. c. 1. p. 305. seq. Ex Pontificiis Locos communes extraxit Petrus Campensis lib. IV. Vindicias adornavit Dn. D. Dannhavv. Christ. p. 996. Et Rathmannus hinc inde. imprimis lib. VII. c. 1. Germanicè versus prodiit per M. Melchiorem Ambach Pastorem Francofurtanum An. 1553.

§. 30. *Div-*

§. 30. *Dionysius* Romanus Episcopus scripsit decretum ad Urbanum Præfectum, & epistolam ad Severinum Episcopum. Habentur tom. I. Concil. *Felici* tres attribuuntur, quæ ibidem locorum habentur. t. I. Concil. f. m. 567. additur quarta, ad Maximum Episcopum & Clericos Alexandriæ, de *Christi divinitate & humanitate.* Non tamen integra, sed fragmentum ex Concilio Chalcedonensi, & Cyrilli Apologia. vide Vincent. Lirin. common. c. 42. Baron. 273. §. 11. 12. 13. Notas ad l. c. Conciliorum. Citantur à Pontificiis pro variis suis erroribus stabiliendis, imprimis eminentia papali probanda; sed Chronologia non respondet. vide Coc. cens. vet. p. 71. *Eutychiani* subjunguntur. Sunt autem ad Episcopos Beticæ, Cilicasque. Alii legunt ad Episcopos per Siciliam; Subjunguntur t. 1. Concil. f. m. 581. ejusdem decreta, *si in ipso Eutychiani nomine error non est,* ut habet editio novissima Conciliorum. Certè in prioribus editionibus non habentur, sed *ex Gratiano Ivone, & aliis* sunt desumpta. *Cajus* unicam de variis habet, sed ita comparatam, ut vel ipse Baronius pro dubia saltem habeat. Sic enim sonant verba: *Fertur ejus epistola hoc anno, iisdemq; Coss. ad Felicem Episcopum data.* vide Coc. p. 72. *Marcellini* extant epistolæ, 1. ad Salomonem Episcopum, in qua confutatur error dicentium, Patrem esse Filio majorem, 2. de variis, imprimis judiciis Ecclesiasticis. *Dionysius. Felix. Eutychianus Cajus. Marcellinus*

§. 31. *Zeno Veronensis* Episcopus & Martyr in hæc tempora conjicitur à Bell. lib. de script. Eccles. §. 260. Disputat Baron. martyrol. die 12. April. de numero Zenonum, & de ætate authoris aliquot sermonum. Ostendit ex ipso contextu, diversos fuisse sermonum istorum auctores, vel certè interpolatos esse; Esse alium vetustiorem, alium recentiorem, adeoque ipso Ambrosio Mediolanensi juniorem. Dissentiens adeò in quibusdam ab Augustino Valerio Cardinale, & Episcopo Veronensi, cujus jussu & diligentia prodierunt opera Zenonis. Ipse etiam Bellarminus loc. cit. non adeò certus est, cum dicat: *Extant sub nomine ejus sermones;* & subjungit, de quibus sermonibus, qui sint Basilii auctoris; & in Psalmos, quod inter Hilarii opera compareant. Concludit ita: *Male me habet, de his sermonibus nullam extare apud veteres mentionem.* Sixtus Senens. l. IV. Bibl. tit. Zeno, ulterius progreditur, dicens, quendam Guarinum Veronensis pro genuinis Zenonis sermonibus *Zenonis Veronensis. (1.) ætas. (2) homonymia (3) Scripta.*

centum abhinc annis edidiſſe volumen *diverſi generis*; Subjungit,
ſermones hodie exſtantes eſſe collectos *majori ex parte ex diverſis au-*
(4) *Iudicia* *thoribus*. Cæterum elegans ſtylus eſt, judice Caſp. Barthio adverſ.
c. XLIII. c. 10. *Cum Zenonis Veronenſium quondam antiſtitis ſermones lego,*
Chriſtianum quendam Apulejum legere mihi videor, adeo eruditus eſt & den-
ſus in ſignificandis per pauca multis is nobiliſſimus auctor. confer lib. II. c. 15.

Novatiani §. 32. *Novatianus* Donatus vocatur ab Honorio Auguſto-
(1) dunenſi, ex errore, ut videtur: notante Suffrido Petro ad l. c. Ho-
ætas, norii. Presbyter fuit Romanus, & tandem Pſeudo-Epiſcopus. di-
ſtinctus à Novato, quem ſeductorem habuit. Cum enim Nova-
tus Romam veniſſet, & Novatianum Cornelii prælatione malè
contentum deprehendiſſet, invitavit ipſum contra Cornelium. Sic
enim Euſebius in Chronico: *Novatus Presbyter Cypriani Romam veni-*
ens, Novatianum & cæteros Confeſſores ſibi ſociat, eo quod Cornelius pœniten-
tes Apoſtatas recepiſſet. Malè igitur hi duo inter ſeſe confunduntur.
(2) ſcripta, *Scripſit*, juxta Hieron. de ſcript. tit. Novatianus, *de paſcha, de ſabbato,*
de circumciſione, de ſacerdote, de oratione, de cibis judaicis, de inſtantia, de At-
talo, multaq; alia. Et de Trinitate grande volumen, quaſi ἐπιτομὴν *operis Ter-*
tulliani faciens, quod pleriq; neſcientes, Cypriani exiſtimant. Hæc ille. Mul-
tus fuit præſettim in epiſtolis ſcribendis & mittendis, ad Alexan-
drinos cumprimis, vide Hieron. de ſcript. tit. Dionyſius Alexan-
drinus. Socrat. lib. IV. hiſt. c. 23. ſed vapulavit hincinde à Corne-
lio P. R. Dionyſio Alexandrino, Cypriano & aliis, qui ab ipſius
errore abhorrebant. Docebat autem lapſis veniam non eſſe
dandam.

Malchionis §. 33. *Malchion.* Eccleſiæ Antiochenæ fuit Presbyter diſer-
(1) tiſſimus, utpote Rhetoricæ Doctor. Floruit, notante Hieronymo,
ætas, ſub Claudio & Aureliano. Juxta Platinam ſub Stephano I. & Dio-
nyſio I. Celebris evaſit ex diſputatione adverſus Paulum Samoſa-
tenum hæreſiarcham inſtituta, & à notariis excepta. Meminit ejus
dialogi Hieronym. de ſcript. tit. Malchion, quod ſuo adhuc tem-
(2) Scripta. pore extiterit. Idem meminit alius ejusdem epiſtolæ grandis,
quam nomine Synodi ſcripſerit ad Dionyſium, & Maximum Ro-
manæ & Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopos. Extat epiſtola apud
Euſeb. lib. VII. hiſt. Eccleſ. c. 24. Ubi c. 23. & *Elogium* Malchionis in-
ſigne habetur, ut & apud Hieronymum in epiſt. ad Orat. Magnum.

§. 34. *Arche-*

§. 34. *Archelaus* Episcopus Cascharorum Mesopotamiæ, floruit, juxta Hieron. de script. tit. Archelaus, sub Imperatore Probo. Disputavit adversus Manetem hæresiarcham, teste Epiphanio, lib. de mensuris, & hæres. 66. quam suam disputationem Syro sermone ipse scripsit; translatus tamen est & in Græcum sermonem, teste l. c. Hieronymo. vide Cyrill. Catech. VI. Baron. Martyr. 26. Decemb. Vir doctus & acutus disputator vocatur à Trittenhem. de script. Eccles. tit. Archelaus. *Archelai* (1) ætas, (2) scriptum, (3.) judicium.

§. 35. *Anatolius* patria Alexandrinus, Laodicenus Episcopus, floruit, Probo & Caro Impp. *Scripsit* non adeo multos libros. Inter eos volumen de Paschate, & decem libros de Arithmeticæ institutionibus, ex quibus apparet, ipsum *miræ doctrinæ*, judice Hieronymo, virum fuisse: & in Arithmetica, Geometria, Astronomia, Grammatica, Rhetorica, Dialectica versatissimum. *Elogium* insigne extat apud Eusebium: *Anatolius cum ob eloquentiam, tum ob doctrinam humaniorem, & cognitionem philosophiæ inter homines nostri temporis, qui erant præstantissimi, facile principem locum obtinuit. Quippe qui in Arithmetica, Geometria, Astronomia, & differendi facultate in contemplatione & perspicientia naturæ, in oratorum quoq; disciplinis versatus ad summum; quarum rerum gratia fama est, cives Alexandrinos eum in ludo, in quo Aristotelis doctrina docebatur, Magistrum præfecisse.* Hæc ille. Hist. Eccles. l. 7. c. 26. ubi & fragmentum habetur ex libro de paschate. Mentio etiam fit aliorum ejusdem scriptorum, quæ *exempla ocij præclarè in s. literis ab eo collocati, & multæ in eisdem exercitationis perspicua argumenta dant:* Sunt ejusdem Eusebii verba. conf. Hieronym. t. 3. opp. epist. ad Orat. M. Niceph. lib. VI. hist. c. 36. Platinam in vita Felicis I. ubi laudat Anatolium, quod Manichæis restiterit. Et in vita Eutychiani I. ubi vocat *multæ doctrinæ virum, qui præclara in mathematicis scripta ediderit.* Baron. Martyrol. 3. Iulii. *Anatolii* (1) ætas (2) Scripta. (3) Elogia.

§. 36. *Victorinus* Pictabionensis seu Pitabionensis, ut habet Sixt. Sen. l. 4. sive Pictaviensis, ut legit Baronius. Dubitantibus tamen Sammarthanis in Gallia Christiana l. 2. f. 867. Episcopus & Martyr, sub Diocletiano anno 303. passus est, ut adeò sub finem seculi III. floruerit. Platina sub Cajo I. P. R. collocat. *Scripsit* Commentarios in Genesin, Exodum, Leviticum, Isaiam, Ezechielem, Habakuk, Ecclesiasten, Cantica Canticorum, Apocalypsin, adversus *Victorini* (1) ætas, (2) scripta.

sum omnes hæreses, & multa alia: teste Hieronymo de scriptoribus Eccles. tit. Victorinus. Circumfertur hodie *Commentarius in Apocalypsin*, cum præfatione Hieronymi ad Anatolium. Sed dubio auctore; eo quod non pro Chiliastis, ut Victorinus, sed contra disputet. Victorinum autem Chiliasmo favisse auctor est Hieron. in epistola præliminari modo citata. de script. tit. Papias, & Tom. in Ezech. c. 16.

(3) Iudicia. *Judicium* ejusdem de eodem non adeò magnificum est: *Non æquè Latinè, ut Græcè noverat. Unde opera ejus grandia sensibus, viliora videntur compositione verborum.* Et in epist. ad Orat Magn. *Victorino Martyri in libris suis etsi desit eruditio, tamen non deest eruditionis voluntas.* allegante Bell. lib. 1. de sanct. c. 5. Et ad Paulinum: *Inclyte Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non potest.* Certè Hieronymus stare noluit auctoritate hujus Victorini, in exercitatione adversus Helvidium, inter *opinionum rivulos* ejus sententiam referens. Gelasius Papa inter Apocryphos retulit Victorini libros, utpote Chiliasmo infectos, dist. XV. decr. Forsan & ideo, quod negavit, animos fidelium videre Deum ante diem extremum, notante Stapletono def. auct. Eccles. lib. 1. §. Sed maneamus. Est tamen Jesuita, Serarius, qui proleg. in lib. Maccab. præloq. 3. ex Victorini commentario petit testimonium pro canonica auctoritate Maccabæorum.

Pierii (1) ætas §. 37. *Pierius* fuit Presbyter Alexandrinus, floruit Caro & Diocletiano Impp. sub quibus & martyrium est expertus. Baron. Martyrol. 4. Novembr.

(2) scripta. *Scripsit* varios, & referente Tritenhemio, *infinitos Tractatus*, qui adhuc Hieronymi ætate extabant, imprimis longissimum tractatum de Propheta Osee, quem in pervigilio paschatis peroravit.

(3) elogium. *Elogium* ejus insigne habet Euseb. lib. VII. hist. Eccles. c. ult. Refert enim virum inter homines suæ ætatis *rarissimos & præstantissimos*, cum ob eximiam continentiam, tum ob eruditionem philosophicam, & Theologicam sive theoriam, sive praxin velis. Nec minus est, quod habet Hieronymus de script. Eccles. tit. Pierius: & epist. ad Oratorem Magnum. Dicit inter alia, quod *Origenes junior* sit appellatus propter *elegantiam suam.*

Pamphili (1) ætas, §. 38. *Pamphilus* Presbyter, & Eusebii Cæsareensis familiaris, Martyr factus est sub Maximino. Baron. Martyrol. 1. Junii.

(2) scripta, *Scripsit* juxta quosdam apologiam pro Origene. vide sup. tit. Origenes.

genes. §. 17. & contra Mathematicos librum unum; *epistolas* quoque *plenas fide & eruditione*, memorante Trittenhemio de script. tit. Pamphilus. Potissimum fuit occupatus in colligenda Bibliotheca, quam instructissimam effecit. Eo fine maximam partem librorum Origenis suâ manu descripsit, quos tanti Hieronymus, in cujus manum venerant, æstimavit, ut *crediderit sese Crœsi opes habere.* tit. Pamphilus de script. Eccl. Eusebius quoq; ipsũ tanti fecit, ut nomen ex ipso assumeret, & angustiores pagellas judicaret, quæ tanti Viri laudes caperent, lib. 7. hist. c. ult. Totos idem tres libros in ejus vita describendo consumsit, teste Hieronymo in epistola ad Marcellam 191. Refertur inter præstantissimos viros ab eodem in epist. 83. ad Oratorem M. Item epist. 65. ad Pammach. (3) Aestimium.

§. 39. *Lucianus.* Ecclesiæ Antiochenæ fuit Presbyter, & Martyrium subiit Maximino furente. Euseb. lib. IX. hist. Eccles. c. 5. Baron. Martyr. 7. Jan. *Scripsit* præclarissima ingenii monumenta, Lucianea dicta, quo nomine venit & versio S. Scripturæ Græca ab eodem elaborata, & ab Orientalibus usurpata. vide Hieron. epist. ad Chromat. 107. & ad Suniam 131. Sixt. Senens. l. IV. Bibl. qui mirificè scriptum commendat. Inventa est autem versio ista Nicomediæ in turre quadam apud Judæos calce illita, jam defuncto Luciano, sub Constantino M. Apologiam pro Christianis scripsit paulo ante Martyrium. Feruntur ejusdem *de fide* libelli, & breves ad nonnullos epistolæ, memorante Hieronymo de script. §. 87. tit. Lucianus. *Elogium* Viri insigne est apud Athanasium in Synopsi ad Constantem Augustum. Nam vocat *Sanctum, Magnum, religiosumq́; Martyrem.* Ex quo patet, falsam fuisse Arianorum jactantiam, quum suæ sectæ hunc Martyrem facere vellent, quasi divinitatem Filii negarit, unde & Collucianistæ dici voluerunt. Nam confessio ejusdem ab eisdem prolata contrarium docuit. Soc. lib. 3. hist. c. 5. Hieronymus l. c. vocat *Virum disertissimum, qui multum in Scripturarum studio laboravit.* In epistola ad Orator. M. præstantissimis Viris eundem annumerat. Chrysostomus panegyricum ejus laudibus cecinit, qui extabat olim in Bibliotheca Cardinalis Sirleti. Laudavit eundem Trittenhemius de script Eccles. tit. Lucianus. Platina in vita Marcellini I. Sixt. Senens. l. IV. Bibl. tit. Lucianus.

Luciani. (1) ætas (2) scripta. (3) elogium.

Phileæ. (1) ætas, (2) scripta, & elogia.

§. 40. *Phileas* Tmueos in Ægypto Episcopus, martyrium subiit sub Diocletiano. vid. Euseb. VIII. hist. c. 12. Baron. Martyrol. 4. Febr. *Nobili genere, nec parvis opibus fuit*, docente Hieronymo de script. Eccles. tit. Phileas. *Scripsit*, juxta eundem, *elegantissimum librum de Martyrum laude.* Item disputationem *contra judicem iniquum*: referente Trittenhemio, qui addit *multa* alia scripta, quæ feruntur à Patribus.

Methodii. (1.) ætas. (2) Scripta. (3) Iudicia.

§. 41. *Methodius.* Episcopus fuit Olympi, deinde Tyrensis, alii Pataviensem dicunt, tom. II. Bibl. patr. Floruit tempore Diocletiani, sub quo & Martyrium sustinuit. vide Baron. Martyr. 18. Septembr. Voss. de script. Græc. l. 2. c. 16. Dictus & Eubulius, juxta Epiphanium. *Scripsit*, juxta Hieron. de script. tit. Meth. *adversum Porphyrium libros, & sympositum X. Virginum, de resurrectione opus egregium, contra Origenem, & adversus eundem de Pythonissa, & de autexusio. In Genesin quoq; & in Cantica Canticorum Commentarios, & multa alia, quæ vulgo lectitantur.* Interciderunt hodie præter fragmenta satis prolixa ex libro *de resurrectione*, apud Epiphan. hæres. 64. Phot. Myriobl. §. 234. Idem citat ejusdem *expositionem Apostolicorum* quorundam dictorum ex eodem contra Origenem libro. Refert quoque ex libro ejusdem *de creatis* quædam §. 235, Supposititius est liber ejusdem nomine inscriptus, *de revelationibus*, qui habetur orth. Patr. f. 385. Tom. II. Biblioth. Patr. f. m. 514. ex paraphrasi auctoris incerti. Quas Prophetias quidam Clericus Augustanus Wolfgangus Aitinger commentariis illustravit apud Wolfium in memor. cent. XVI. f. 2. ann. 502. Habetur fragmentum S. Methodii ex segregationibus studiensium Monachorum in append. Bibliot. Patr. sed alterius est Methodii, utpote, qui Basilii meminit. *Errorem* secutus est Origenis de creatis ante corpora animabus, & propter peccata in corpora detrusis. vide Maldon. in Johan. I. 9. n. 97. confer Torniel. annal. m. 1756; §. 2. Salian. an. 1950. §. 2. Bould. de Eccles. ante leg. l. 2. c. 2. *Nitidi compositiq; sermonis Scriptorem genuinum* fuisse, Hieron. l. c. censuit: *vir benè doctus, & veritatis intelligentissimus* à Vossio loc. cit. dicitur.

Dorothei. (1) ætas.

§. 42. *Dorotheum* Tyri Episcopum huc refert Bell. de script. Eccles. §. 285. qui tempore Diocletiani exilium passus esse dicitur. Differt ab alio Dorotheo Tyrio, Presbytero, cujus memoriam celebrant:

brant Latini, 5. Junii, & Græci etiam 7. idus Octobr. Martyris sub Juliano passi: ut confirmat chronicon Anastasiii, quod manuscriptum extabat in Bibliotheca Cardinalis Sirleti. Qui scripsit, juxta Sixt. Senens. l. IV. Bibl. Synopsin Scripturæ sacræ, circa annum Christi 360. Differunt igitur ætate & dignitate. Ætate autem sola differt ab alio Episcopo Tyrio, qui vixit temporibus Leonis Imperatoris, ad quem epistolam insignem scripsit de fide Catholica, t. 2. concil. *Scripsisse* dicitur *Synopsin* de vita Prophetarum & discipulorum Christi, quam Græci in menologio mirificè commendant, his verbis: *Hæc*, (de Pauli quibusdam discipulis) *beatissimus Dorotheus, cum esset Romæ, Romana lingua scripta reliquit: Non solum autem de his, sed & de reliquis Apostolis, & aliis sanctis viris, & sacris Prophetis historiam accuratè conscripsit. Fuit enim vir ille & multarum rerum peritia insignis, ut quivis alius.* Hæc illi in menol. 18. Kalend. Maj. Meminit Baronius l. c. codicis ex Bibliotheca Vaticana, in quo Abbas vocatur. Cæterum quod Synopsin istam attinet, non meretur id laudis, adeo ineptus est auctor vel in solis 72. discipulis nominandis. Siquidem in horum numerum retulit etiam fœminas, adeoque omnes, quorum Paulus in suis epistolis nomina laudat, etsi & Ethnici fuerint. Imperitè. vide Bell. lib. 2. de P. R. c. 2. de script. Eccles. §. 285. Possev. app. tit. Dorotheus, Bignè in tom. 7. Bibl. f. Et tamen, quæ est hominis vertigo, ipse Bell. eandem citat lib. 2. de P. R. c. 4. ut probet, Petrum Romæ usque ad mortem Episcopum fuisse. Et Copus dial. 3. c. 21. ut obtineat cultum sanctorum, reliquiarum honorem, & invocationem Sanctorum. &c. (2) Scripta. (3) *Iudicia.*

Huic adjungi potest *Pasicrates*, S. Martyris Georgii servus, cujus iste vitam scripsit, editam ex cryptæ ferratæ bibliotheca, curante Aloysio: & memorante Surio tom. II. ad 23. Aprilis. Sed Gelasius inter apocrypha refert. vide Voss. de script. græc. l. 2. c. 16. *Pasicrates.*

§. 43. *Arnobius* natione Afer, *sub Diocletiano Principe Siccæ apud Aphricam florentissime Rhetoricam docuit.* teste Hieronymo de script. tit. Arnobius. Distinctus ab Arnobio Juniore. *Scripsit adversus gentes* volumina VII. (octavum enim est Minucii Felicis auctoris) Ideo autem dicitur scripsisse contra gentes, ut Christiani ipsi fidem haberent, aliàs non credituri tantum virum sacris ipsorum sese serio applicaturum. vide Trittem. h. tit. Arnobius. & Sixt. Senens. lib. *Arnobii.* (1) ætas. (2) scripta.

IV. Bibl. Attribuuntur eidem Commentarii *in Psalmos*, sed Junioris eos esse, inde constat, quod in ipsorum explicatione meminerat hæresis Photinianæ, Prædestinatianæ, &c. ut de stylo prorsus diverso nihil dicamus, de quo Sixt. Senens. l. 4. Bibl. quod notandum contra Erasmum, qui in præfatione opp. Arnobii in Psalmos, enixè contendit, esse veteris istius Rhetoris. Intereà non negamus pervetusti esse auctoris: forsan Augustini ætate viventis: Nam Laurentio & Rustico Episcopis inscripsit Commentarium: At hi vixerunt tempore Augustini. Bellarminus de amis. grat. l. 4. c. 9. de lib. arbitr. l. 5. c. 26. Feruntur & *annotatiunculæ* in varia loca Evangelii in orth. Patr. f. 399. *sed*, judice Bell. de script. §. 285. *parvi momenti, neq; certum est, an sint Arnobii.* Laudatur alias Scriptor adversus gentiles ab eruditione singulari ab Hieron. in epist. ad Orat. M. Etsi stylum inæqualem, & confusum in epistola ad Paulinum reprehendat. *Pontificii* negare non possunt, & hunc patrem in aliquot errores lapsum esse. vide Azor. moral. t. 1. lib. VIII. §. 16. Nominatim in ipso reprehendunt Origenis errorem, de animabus ante corpora creatis, & in ipsa velut in carceres detrusis, vide Salmer. comment. in epp. Pauli lib. 1. part. 3. proleg. disp. VI. sub finem. Editiones aliquot exstant. Cum notis prodiit Parisiis, studio Desiderii Heraldi ann. 1605. Item plenioribus Elmenhorsti.

Lactantii. §. 44. *Lactantius* Firmianus, hujus Arnobii discipulus flo-
(1) ruit sub Diocletiano Principe, & docuit Nicomediæ Rhetoricam,
ætas. sed Latinus in Græca civitate paucos habuit auditores, unde ad
(2) scribendum sese contulit. *Scripsit* autem Symposium, ὁδοιπορικὸν
scripta. Africanum, hexametris versibus; item librum: qui dicitur Grammaticus; Alium *pulcherrimum* de ira Dei, & septem institutionum divinarum ad gentes, in quibus fortissimè adversus Ethnicos scripsit, judice Hieron. in epist. ad Orat. M. & ad Ocean. & Pammach. t. 3. opp. f. 87. & epitomen ejusdem operis libro uno acephalo, & ad Asclepiadem libros duos; De persecutione unum, ad Probum libb. IV. epistolarum; Duos ad Demetrianum, ad eundem de opificio Dei librum unum. *Dubia* sunt scripta poetica, ut carmen de resurrectione, paschate, & passione, potius sunt Venantii Fortunatiani, & incertorum poetarum. *Suppostitium* est carmen de Phœ-
(3) Judicia. nice. vide Voss. de script. Lat. l. 2. c. 7. qui addit elogia vel judicia.

De

De scriptore hoc varia extant. Quædam cum veterum, tum recentiorum subjungamus. Chronicon Eusebianum anno 318. ita scribit: *Vir omnium suo tempore eruditissimus, sed adeo in hac vita pauper, ut plerumq; etiam necessariis indiguerit. Præceptor in latinis literis Crispi filii Constantini.* Hieron. tom. 3. opp. f. 87. in ep. ad Ocean. & Pammach. sic censet: *Lactantius in libris suis, & maximè in epistolis ad Demetrianum Spiritus Sancti negat substantiam, & errore Judaico dicit, eum vel ad Patrem referri, vel ad Filium & sanctificationem utriusq; personæ sub ejus nomine demonstrari.* Hæc ille. Bellarminus de script. §. Lactant. ita judicat: *Scripta Lactantii, quemadmodum ad eloquentiam Tullianam proximè accedunt, ita erroribus variis sic deformata sunt, ut non sine causa Gelasius Papa in Concilio Romano apocrypha censeri voluerit.* Lorin. in Actor. II. 2. ait: *Lactantius eloquentior, quàm solidè doctus.* Errorem Chiliasticum in ipso reprehendunt Salmeron. proleg. in ep. Pauli lib. 1. prrt. 3. disp. 26. Sixt. Senens. lib. V. Bibl. annot. 233. Alium de carentia visionis beatificæ ante diem extremum notant Staplet. lib. 1. de auctor. script. cap. 2. Sixtus Senens. VI. ann. 264. Sed quid opus est singulis enumerandis paginas implere, cum alii jam in compendium redegerint, nominatim Antonius quidam Raudensis Theologus Pontificius, ipse tamen in quibusdam erroneus. Ex Reformatis idem præstitit Cl. Thysius p. 664. editionis Lactantii.

§. 45. Digeramus in certas classes, quoad fieri possit, scripta horum auctorum. Sunt igitur I. *Commentarii* in Scripturam sacram, eamque sparsim, ut Philocalia Origenis: vel in V. T. ut in Hexaëmeron edidit Candidus, Apion, Hippolytus, in Genesin, Hippolytus, Origenes, Methodius; Trypho autē specialiter in dichotomiam columbæ & turturis, Gen. XV, 9. In Exodum Hippolytus, Origenes, Victorinus. In Leviticum Origenes; idem in Numeros. De vacca rufa Num. XIX. 2. Trypho: In Judices, Josuam, & Reges Origenes. De Saul & Pythonissa Hippolytus, & Methodius. In Psalmos Hippolytus, Origenes, Arnobius. In Proverbia, Hippolytus, Ecclesiasten idem, ut & Gregorius Thaumaturgus; item Dionysius Alexandrinus. In Canticum Hippolytus, Origenes. In Esaiam Hippolytus, Origenes, Victorinus. Jeremiam Origenes: Ezechielem Origenes & Victorinus. Oseam

Summa scriptorum.

Pierius, Idē de LXX. hebdomadib. Danielis: Zachariam Hippolytus. Versiones adornavit Origenes & Lucianus. De historia Susannæ invicem scripserunt Julius Africanus & Origenes. In N. T. Heraclitus, Origenes in diversa loca; Methodius & Arnobius. In epistolas canonicas Clemens Alexandrinus. De discrepantia inter Matthæum & Lucam Julius Africanus. Harmoniam Evangelicam Ammonius. Matthæum Origenes, idem in Lucam. II. *Catechetæ.* Et quidem in genere Arabianus, Clemens Alex. Hippolytus; Iste scripsit hypotyposes & Pædagogum; De recta in Deum fide Origenes; idem professionem fidei ad Fabianum; & de principiis. Gregorius Thaumaturgus expositionem fidei; Dionysius Alexandrin. eandē in epistolis variis Lucianus de fide; Lactantius institutiones. In specie de Trinitate Tertullianus & Novatianus; de ira Dei opificioque Lactantius. De Christo Hippolytus; de divinitate & humanitate Felix P. R. De incarnatione Hippolytus: de paradiso Tertullianus; idem de animæ immortalitate. De ministerio Ecclesiastico Pontifices in epistolis; & Dionysius Alexandrinus, de circumcisione Tertullianus, ut & Novatianus. De mundis & immundis animalibus, idem; De vestibus Aaron, idem; Idem de pallio. De spe fidelium, idem. De patientia, idem; pœnitentia Dionysius Alex. Martyrio Tertullianus, Dionysius Alex. Cyprianus, Phileas. De fœminarum cultu, habitu muliebri, & velandis virginibus Tertullianus; de habitu virginum Cyprianus; de spectaculis Tertullianus; Eleemosyna, zelo, & livore, & bono patientiæ Cyprianus; De pudicitia, exhortationem castitatis, deq; nuptiarū angustiis, deq; monogamia Tertullianus; de jejuniis idem; Exhortationes ad has similesque virtutes alias legerunt apud Gregorium Thaumaturgum & Dionysium Alex. De resurrectione Tertullianus, Sextus, Hippolytus, Methodius, Lactantius; Consummatione mundi Hippolytus. De Antichristo Hippolytus. *Elenchtica.* Judæos refutavit Tertullian. Hippolyt. Cyprian. & Novatianus. *Ethnicos* Tertullianus; Nam scripsit apologeticum; ad Scapulam; Clemens προτρεπτικὸν & stromata; Minucius Felix Dialogum; Origenes contra Celsum Epicuræum; Demetrianum Cyprianus; Porphyrium Methodius; gentes Arnobius. *Hæreticos* in genere, Tertullianus, Hippolytus, Gregorius Thaumaturgus,

Victorinus,

Victorinus, & Dionysius Alexand. in epistolis hinc inde; In specie contra Marcionem Tertullianus; Idem contra Quintillam, Hermogenem, Valentinianos, Praxeam, Gnosticos, Apellitanos; Contra Novatianos Dionysius Alex. Cornelius, Cyprianus; Nepotem Dionysius Alex. Paulum Samosatenum Malchion; Manetem Archelaus; Origenem Methodius, Mathematicos Minucius Felix & Pamphilus; de Paschate Theophilus, Bacchyllus, Polycrates, Hippolytus, Novatianus, Anatolius. De lapsis Cyprianus, contra Stoicos Maximus. III. *Historici*, ut Hippolytus, Julius Africanus, Gregorius Thaumaturgus panegyricum; Dorotheus de vita Prophetarum; Pontius vitam Cypriani. Pasicrates vitam Georgii. Lactantius hodœporicon; Quibus addi possunt *Epistolæ* Origenis variæ, Ambrosii, Berylli, Alexandri Cappadocum; Dionysii Alex. Cornelii, Cypriani, Novatiani, Luciani, & Lactantii.

§. 46. Præcipuæ sunt hæ materiæ, de quibus auctores scripsere. unde videre est, quam multi fidei articuli tum non fuerint accuratius tractati; quamque stragem passa sit antiquitas. Si enim conferamus cum scriptis, quæ hodie extant, plura perierunt, quam supersunt. Extant quidem multa adhuc, sed vel manifestè supposit, vel certè corrupta, aut dubia & incerta. Si quæ genuina extant, sunt potissimam partem vel hæreticorum, vel certè eorum, quorum auctoritatem ipsi Pontificii minoris æstimant; puto Tertullianum, Gregorium Thaumaturgum; Dionysium Alexandrinum, Cyprianum, Origenem. Hoc fine subjunximus judicia non antiquitatis tantum, sed etiam ipsorummet Pontificiorum, ut discant in solis sacris literis acquiescere, & antiquitatem eidem subordinare.

* * *

SECULI III.

Articulus II.

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

Argumentum Sectionis I.

Ministerii Ecclesiastici distinctio ab aliis Statibus, Nomina sua insignia habet; Vocantur enim ordo Ecclesiasticus, Pastores, Præpositi, Antistites, Ministri Dei, & hominũ, Gubernatores, Rectores, Clerici, Senatus, Magistratus, Senatores, Fraternitas, Collegæ in Christo. Descriptiones. Causa ejus principalis est Deus, & κατ' ἐξοχὴν Christus Propheta. Minus principalis sunt homines, nempe Ecclesia ex omnibus tribus statibus collecta. Vocati ordinabantur. Digni & idonei qui fuerint; Officii ipsius descriptio: Consistit in prædicatione Verbi, administratione Sacramentorum, clavium, regimine externo. Dividebantur in varios ordines, sed dissimiles: Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Acoluthos, Exorcistas & Lectores. Adduntur Doctores scholastici. Aequalitas inter Episcopos & Presbyteros. Conjugium, Salarium, Honor, Virtutes, Vitia, remedia. Fata. Communio.

§. I.

Ministerii Ecclesiastici I. *Nomina.* Ordo Ecclesiasticus,

Ministerium Ecclesiasticum distinctum est à reliquis hominum ordinibus, qui ipsi contradistincti dicuntur *Laici.* Sic enim Tertullianus cap. 17. de baptism. ubi recensuisset Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, subjungit *Laicos.* verba vide infra §. 13. Sic & Clerus Romanus in literis ad Cyprianum discernit inter *Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Confessores,* & *Laicos* epist. 31. Cypr. Inter *Clerum & plebem* epist. 60. §. 4. Insigne fuit titulis suis & nominibus. Tertullianus exhort. ad castit c. 7. appellat *ordinem*; & laudat *Ecclesiastici Ordinis consessum* distinctum à *plebe.* Clemens Alex. lib. 1. pæd. f. m. 99. de sese Presbytero & aliis scribit: ποιμένες ἐσμὲν οἱ τῶν ἐκκλησιῶν προηγούμενοι, κατ' εἰκόνα τοῦ ἀγαθοῦ ποιμένος, i. e. *Pastores sumus, qui Ecclesiis præsumus ad imaginem boni Pastoris.* Præesse igitur Ecclesiæ dicuntur etiam Presbyteri, & quotquot Deus gregi suo pastores præfecit. Cypr. epist. XI. 1. Congruit cum hoc titulo præpositura,

Pastores,

Præpositi,

ſitura, à qua dicuntur *Præpoſiti.* Quod *Eccleſiis dominicis in toto mundo divinâ dignatione ſint præpoſiti*: uti explicat Cyprian. ep. 63. Id nominis ſibi, & aliis, tribuit Clerus Romanus, Epiſcopo ſuo deſtitutus, in literis ad Clerum Carthaginenſem apud Cyprian. epiſt. 3. §. 1. *Videmur*, ſcribit, *Præpoſiti eſſe & vice Paſtoris.* Clerus igitur etiam Carthaginenſis, Cypriano ſeceſſu ſibi conſulente, præpoſiti erant, & paſtores, ſicut & Romanus, qui iſtum ſui officii commonefaciebat. Confirmatur ex epiſt. 21. §. 3. ubi Celerinus ad Lucianum ſcribit: *Præceperunt eos Præpoſiti tantiſper ſic eſſe, donec Epiſcopus conſtituatur.* Ergò erant Præpoſiti, cum nondum eſſet Epiſcopus. Applicatur ad Epiſcopos epiſt. 27. §. 1. per quos *præpoſitos omnem actum Eccleſiæ gubernari* docet Cyprianus. Repetit ep. 10. §. 3. 11. §. 1. 55. §. 1. & ep. 68. §. 4. ep. 69. §. 5. Fruſtra igitur ex hoc titulo & officio Pamelius in notis ad ep. 3. Cypr. allaborat *prærogativam ſedis Romanæ, & Eccleſiarum omnium ſolicitudinem* comprobare; Niſi & Clerum Carthaginenſem velit iſtius prærogativæ & ſolicitudinis participem reddere. *Antiſtites* vocat, cum vult *immaculatos & integros Antiſtites eligi,* Antiſtites,
epiſt. 68. §. 2. Ne tamen eminentiam ſibi aliquam juſto celſiorem arrogent, eosdem hinc inde vocat *Miniſtros*, imitatus Origenem, qui ad Luc. I. hom. 1. vocat *miniſtros ſermonis*, f m. 134. tom. 2. opp. quorum eſt *deſervire altari*, uti explicat Cypr. ep. 68. Quod ipſum nomen Hieroſolymitanis tribuit Euſebius ex verſione Chriſtophorſoni lib. VI. hiſt. Eccleſ. c. 8. Et meritò. Nam dependent ex Deo, unde dicuntur *Sacerdotes Dei*, cujus eſt *Sacerdotium.* epiſt. 68. §. 1. quo Sacerdotes.
funguntur, qui *ſanctè & dignè ſacrificia ipſi offerunt*, ut ſunt *preces, quas faciunt pro plebis Dominicæ incolumitate.* §. 2. unde non ſoli Epiſcopi id nominis gerunt, ſed omnes Eccleſiæ paſtores. *Epiſcopi & Presbyteri una ordinatio eſt. uterq; enim Sacerdos eſt. Ambr.* III. 1. Tim. 3. *Divino ſacerdotio honorati*, Cypr. ep. 66. §. 1. *In clerico miniſterio conſtituti.* l. c. *Miniſtri* Miniſtri Dei
Dei. l. c. *Militantes Deo.* l. c. *Servi Domini* epiſt. 63. §. 1. Hinc manat, quod ejusmodi miniſter non niſi Domini ſui arbitrium ſequi debeat, *excuſatus apud omnes, quod nihil ſibi arroganter aſſumat, qui offenſam Domini timere compellitur, niſi faciat, quod jubetur*, uti ipſe mox explicavit. Serviunt autem Deo, ſi diſpenſant ipſius myſteria, unde dicuntur *diſpenſatores* epiſt. 55. §. 6. Fit autem diſpenſatio iſta Eccleſiæ, un- & hominũ.
de *Eccleſiæ miniſtri à miniſterio Eccleſiaſtico* nuncupantur, epiſt. 28. §. 2.

Quod tamen auctoritati ipsorum nihil derogat, quippe qui alibi dicuntur *gubernatores*, ut docet Cyprianus epist. *69.* & ibidem *Rectores altaris* nuncupat. Frequentior est vox *Clerus*, usurpata ut alibi, & de aliis, ita epist. 34. §. 1. de Celerino quodam *clero nostro non humana suffragatione, sed divina dignatione conjuncto*: & ep. 66. §. 1. ubi citatur canon, *ne quis de Clericis, & Dei ministris tutorem, vel curatorem testamento suo constituat*, additâ ratione, quod *singuli divino sacerdotio honorati. & in clerico ministerio constituti, non nisi altari, & sacrificiis deservire, & precibus, atq; orationibus vacare debeant.* Origenes lib. 3. contr. Cels. p. m. 129. honorifico titulo appellat βυλὴν ἐκκλησίας, *senatum Ecclesiæ*, & qui pastor est Ecclesiæ, ἄρχοντα ἐκκλησίας, *Magistratum Ecclesiæ*, & βυλευτὴν, *Senatorem*, seu *consiliarium*. In his tamen cum sit æqualitas, vocantur *fraternitas*, à Cypr. epist. 55. §. 6. *Collegæ in Christo.* ep. 22. Hi & similes *clerum Christi ministeriis Ecclesiasticis adornabant*; ep. 34. §. 1. *Dispensabant verbum*, dispensatione sibi concredita, uti loquitur Origen. hom. X. in Gen. 22. f. m. 20. Et, uti ibidem describit, *accepta à Domino distribuenda familiæ dominicæ tritici mensura.*

Gubernatores & Rectores. Clerici. Senatus. Magistratus. Senatores. Fraternitas.

§. 2. Deus, & κατ' ἐξοχὴν Christus, auctor est ministerii etiam mediantibus hominibus constituti. Paulo ante audivimus appellari *Dei sacerdotes & ministros*, à Cypr. ep. 40. & 42. Quod alibi confirmat, cum tribuit iisdem *Ecclesiæ gubernandæ sublimem ac divinam potestatem.* ep. 35. & 55. Et laudat *divino sacerdotio honoratos.* ep. 66. innuens, id potestatis & officii non ex hominibus esse natum, sed divinitus acceptum. Est autem vocatio alia immediatè, alia mediatè divina. Immediatè, cum Deus nullo hominum usus ministerio designat Ecclesiæ suæ ministros. Refert Eusebius lib. VI. hist. Eccles. c. 22. de Fabiano quodam Romano, quod populo in electione Episcopi occupato, ipsius capiti nescio quæ columba insederit, quam populus Spiritum Sanctum esse ratus, ut olim super Christum ferebatur, Fabianum mox Episcopum sibi adsciverit. Cyprianus ep. 34. addit Celerinum, *qui cum consentire dubitaret Ecclesiæ*, ipsum ad sacerdotium postulanti, *ipsius* Dei *admonitu & hortatu in visione per noctem compulsus est, ne negaret.* Affinis est huic vocationi *interna* illa, uti vocant, cum illustribus donis hominem exornat Deus, & digitum velut indicem in ipsum Ecclesiæ suæ ministrum eligendum intendit. Urget hanc vocationem Cypr. ep. 33. cum scribit:

II. Caussæ. (1) Efficientes. vel principalis, ut Deus.

scribit: *Aurelius frater noster, illustris adolescens, à Domino jam probatus, & à Deo vocatus est, in annis adhuc novellus, sed in virtutis & fidei laude profectus, minor in ætatis suæ indole, sed major in honore.* Hoc eo fine scripsit, ne adolescentia hominis ab ejusdem electione Clerus & plebs sese deterreri pateretur. *Mediata*, quam dicunt, electio non minus est divina, quam ista, etsi in hac ministerium hominum interveniat. Disputat hac de re acerrimè Cyprianus adversus æmulos suos Felicissimum & Fortunatum in literis ad Cornelium epist. 55. & urget, quod de providentia divina Matth. 10, 29. habetur, & infert: *Existimat aliquis summa & magna*, si cum passeribus & capillis comparaveris, *aut non sciente, aut non permittente Deo, in Ecclesia Dei fieri, & sacerdotes, i. e. dispensatores ejus, non de ejus sententia ordinari?* Hæc ideo, ut exaggeret delicta adversariorum, qui legitimis sese Episcopis opponebant. Clarissimè idem scribit ep. 68. §. 4. *Quod & ipsum*, ita loquitur, *videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos, plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atq; idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur.* Respicit autem ad exempla V. & N. T. Num. X. Actor. I. & VI. Etsi autem ministerii vocatio sit opus totius Trinitatis, utpote in creaturis terminatum, tamen κατ᾽ ἐξοχὴν tribuitur secundæ Personæ, quæ Propheta est Maximus, & sui ministerii auctor. Illustris locus est Cypr. 27. §. 1. quem integrum adscribam: *Dominus noster, cujus præcepta metuere & observare debemus, Episcopi honorem & Ecclesiæ suæ rationem disponens in Evangelio loquitur, & dicit Petro: Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: Et tibi dabo claves regni cœlorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunq; solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. Inde per temporum & successionum vices Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem Præpositos gubernetur.* Occasio epistolæ erant importunæ postulationes lapsorum, in Ecclesiam recipi expetentium. Hos enim reprehendit Cyprianus, quod vim facerent suo officio, quod tamen non humanitus, sed *divina lege* accepisset, nempe à Christo, qui Petrum, & cum ipso omnes Episcopos substituerit Ecclesiæ sustentandæ, eosdemque potestate clavium muniverit. Obiter observa, quod Pontificii suo Petro soli adscribunt, nempe sustinere Ecclesiam, & habere

imprimis autem Christus.

habere claves, id Cyprianum sibi quoque, & omnibus aliis Episcopis assignare. Neque vero Christus solum instituit ministerium, sed & conservat; *Christus*, scribit Cyp. ep. 55. §. 7. *sacerdotes aut constituit, aut protegit.* Sed & docet eosdem, ut discant alios quoque docere. Respicit eo Clemens Alexandrinus, qui verbum Dei suum agnoscit Pædagogum, inprimis lib. 1 pædag. c. 7. Dicit enim & quærit, quis sit noster pædagogus? & respondet: Καλεῖται δὲ Ἰησοῦς, *Vocatur autem Jesus*; Uberius illustrat ex Joh. 10. ubi Pastor vocatur, ex Ose. V. ubi legit hæc verba: ἐγὼ δὲ παιδευτὴς ὑμῶν εἰμὶ. *Ego sum vester Præceptor*: Intellige per ministerium docens & exhortans: ut erant in Vet. T. Moses, Esaias, Salomon, David, &c.

vel minus principalis, ut Angeli,

per quos locutus est Pædagogus; πάλαι μὲν οὖν διὰ Μωσέως ὁ λόγος ἐπαιδαγώγει, ἔπειτα καὶ διὰ προφητῶν. i. e. *Olim itaq; per Mosen verbum erat pædagogus, deinde etiam per Prophetas.* vide infra in officio Christi prophetico. Idem lib. VII. strom. f. m. 701. subordinat Christo Angelos, docens, eos esse ministros ministerii; Fecerat mentionem hierarchiæ cum politicæ, tum Ecclesiasticæ, & utramque inter sese contulerat, cum subjungit: ταύτας ἄμφω τὰς διακονίας ἄγγελοί τε ὑπηρετοῦνται τοῦ Θεοῦ κατὰ τὴν τῶν περιγείων οἰκονομίαν, i. e. *Ambobus his ministeriis Angeli Deo serviunt in dispensatione & œconomia rerum humanarum.*

& homines.

§. 3. In vocatione *mediata* quia cum Deo concurrunt homines, ideo videndum est, qui isti sint. Dicamus uno verbo: Tota Ecclesia, collecta ex tribus hierarchiis, politica, Ecclesiastica & œconomica; Et quidem ita, ut laici non modo præsentes sint electionibus, sed etiam jus, & auctoritatem, & potestatem habeant, divinitus acceptam, suffragia ferendi de eligendis, & judicandi, & vel dignos confirmandi, si vocatio aliunde in dubium vocaretur, vel indignos recusandi, & removendi. Si quis igitur ad Ecclesiasticæ administrationis officia erat promovendus, & numero Presbyterorum adscribendus, convocabatur populus, & scrutinium instituebatur singulorum, de eligendi sive dignitate, sive indignitate, & tum demum isto scrutinio, examine, judicio, & suffragio præmisso eligebatur. Plebs igitur erat *præsens*: & quidem ex mandato divino epist. 68. §. 4. *Videmus*, scribit Cyprianus, *de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur,*

deligatur, & dignus atq; idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur: Plebs igitur non modo *præsens* erat, sed etiam *judicium*, & *testimonium* perhibebat; & *comprobabat* eligendos. Pergit: *Coram omni Synagoga jubet Deus constitui sacerdotem, i. e. instruit & ostendit ordinationes sacerdotales, non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut, plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata.* Hæc ille. Suffragatur Origenes hom. VI. in Lev. c. 8. ad verba: *Convocavit Moses Synagogam, & dicit ad eos &c.* Sic annotans: *Licet ergo Dominus de constituendo Pontifice præcepisset, & Dominus elegisset, tamen convocatur & Synagoga. Requiritur enim in ordinando sacerdote, & præsentia populi, ut sciant omnes, & certi sint, quia, qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, & hoc adstante populo, ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem, quod & Apostolus præcepit in ordinatione sacerdotis, dicens: Oportet autem illum & testimonium habere bonum, ab iis, qui foris sunt.* Jure igitur divino, & non indulgentia mere humana, populo Christiano competit potestas judicandi, examinandi, suffragandi in electionibus & ordinationibus Clericis. Dico *potestas.* Sic enim ipse Cyprianus paulo ante scripserat: *Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, à peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere; quando ipsa maximè habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi.* Ecce laudat populi *potestatem*, & dividit in potestatem eligendi, recusandi, separandi sese ab indigno. Praxin habemus in Ecclesia Romana, uti refert Euseb. lib. VI. hist. c. 22. Refert enim, quod defuncto Antero, omnes fratres Episcopi deligendi gratia in Ecclesia convenerint; & mox explicat, quos fratres intelligat, nempe *populum universum*, qui Fabianum uno animorum consensu Episcopatu dignum esse clamarit, & absque mora abreptum in sede Pontificali collocarit. Atque ex hoc fundamento, si cujus vocatio in dubium revocabatur, provocabat ad populum, & judicium ipsius exspectabat. Exemplum iterum præbet Cyprianus epist. 40. Cum enim à Felicissimo & aliquot Presbyteris vocatio ipsius vellicaretur, literas ipse scripsit ad *plebem*, & in his significavit, quod *Episcopatum suum, immo suffragium* plebis, &

Dei judicium maligni isti & perfidi æmuli exagitare non desinerent. Cum plebe conjungendus est ordo etiam Ecclesiasticus. Sic enim Cyprianus epist. 52. §. 4. de Cornelio Pontifice Romano electo scribit: *Factus est Cornelius Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio, & de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio: cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, i. e. cum locus Petri, & gradus cathedræ sacerdotalis vacaret, quo occupato de Dei voluntate, atq; omnium nostrûm consensione firmato &c.* Insignis locus est, qui docet etiam eas electiones, Deo auctore fieri, quæ fiunt ab hominibus; homines autem istos esse plebem & sacerdotes, etiam in eligendis Romanis Pontificibus accedente consensu transmarinorum. Universa itaq; Ecclesia collecta instituebatur *examen* ordinandi; Sic enim Cypr. epist. 33. scribit: *In ordinationibus Clericis, fratres charissimi, solemus vos ante consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare.*

Ordinatio. §. 4. Vocationem & electionem sequebatur *ordinatio*: quæ ab efficiente & objecto dicebatur *Sacerdotalis & Clerica* à Cypr. ep. 27. & 33. Tenendum tamen, quod ordinare interdum idem significet, quod vocare & eligere; Nos verò h. l. sumimus pro ritu præsentationis publicæ, quo sensu accipitur à Cypriano epist. 41. §. 1. ubi Cornelii *Collegæ sui jam dilecti, & ordinati, & laudabili multorum sententia comprobati*, meminit. *Efficiens* erant Episcopi ordinariè, quod videas ex Palæstinis nonnullis, qui Origeni Presbytero manus imposuerunt: ut refert Euseb. l. VI. hist. Eccles. cap. 7. & 17. Ritus igitur erat *impositio manuum*, ut patet ex epist. 46. §. 1. derivatus ex 2. Tim. I. 14. ut innuit libellus de aleatoribus; sic enim habet: *Apostolus Paulus commemorat, quando ad Timotheum docendum, & corroborandum in fidei firmitate, ne quid Deum fallat, & ne malignum orationibus justorum intercedat, providus & solicitus dicit: O Timothee fili, commendatum serva, noli spernere donum, quod in te est per impositionem manuum Seniorum.* Hæc ille, quisquis est auctor libelli f. 531. §. 3. *Finis* ritus hujus erat, ut sacerdos *dignus atq; idoneus publico judicio ac testimonio comprobaretur*, uti explicat Cypr. ep. 68. Hoc eodem fine mittebantur literæ ad alios sive Episcopos, sive Presbyteros, sive Ecclesias, quæ intimarent electionem & ordinationem. Id discas ex literis Cypriani, ad Clerum & plebem missis de electione Celerini Lectoris. ep. 34.

ejusdem

Ejusdem ad Presbyteros, Diaconos, & plebem universam, intimantis ordinationem Presbyteri cujusdam Numidici, quam intimationem sequebatur ex adversa parte vel comprobatio, vel improbatio. quod idem docet epist. 42. §. 4. ad Cornelium Episcopum Romanum; Verba, quia digna sunt lectu, integra adscribam: *Quod scripta Collegarum nostrorum, qui illic ordinationi tuæ affuerunt, desideravimus, non veteres mores obliti, novum aliquid quærebamus; Nam satis erat, ut tute Episcopum factum literis nunciares, nisi esset ex diverso discrepans factio, quæ criminosis, & calumniosis commentis suis collegarum pariter ac fratrum plurimorum turbaret mentes, & corda confunderet.* Respicit Cyprianus ad electionem & ordinationem Cornelii Romæ factam, reclamante Novatiano cum sua factione. Ut enim hæc compesceretur, misit Caldonium & Fortunatum suos collegas, qui *ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem scissi corporis membra componerent, & Christianæ charitatis vinculum copularent.* ut §. 1. scribit: Ipse etiam Romanus Episcopus literis scriptis suam ordinationem Carthaginensi Cypriano intimabat; quibus tamen non contentus Cyprianus ob dissidium mutuum, suorum quoque collegarum literas requirebat, quo fine? addit: *ut scribentium nobis inde collegarum nostrorum firma & solida auctoritas pararetur, qui moribus ac vitæ, & disciplinæ tuæ condigna literarum suarum testimonia prædicantes, æmulis quoque, & rerum vel novitate, vel pravitate gaudentibus, omnem ambigendi & discrepandi scrupulum sustulerunt.* Opus ergo erat electionem Pontificis Romani legitimam comprobare Episcopo Carthaginiensi; & hanc non à Papa solum ipso, qui erat testis de domo, adeoque suspectus, sed etiam ab aliis extra diœcesin Romanam versantibus. Tantum igitur abest, ut hinc præeminentia aliqua papalis cum Pamelio quæratur, ut potius æqualitas inter Episcopos, & fraterna communio apertè deducatur. Ubi autem semel comprobata erat electio, & ordinatio legitima, æmulis & accusatoribus locus non supererat. Nam ubi Cyprianus ex literis intellexisset, legitimè electum & ordinatum esse Cornelium, *ea, quæ ex diverso in librum ad se transmissum congesta fuerant acerbationibus criminosis, respuit, considerans pariter & ponderans, quod in tanto fratrum religiosoque conventu considentibus Dei sacerdotibus, & altari posito, nec legi debeant, nec audiri.* §. 2. & epist. 41. *Schismatici, cum in statione invidiosis quoque convitiis, & clamoribus turbulentis*

lentis proruerent, & flagitarent, ut crimina, quæ se adferre & probare dicebant, publicè à nobis, & à plebe cognoscerentur, gravitati nostræ negavimus convenire, ut collegæ nostri jam delecti, ordinati, & laudabili multorum sententia comprobati ventilari ultra famam ore maledico & æmulantium voce pateremur. Poterat igitur judicari de Pontifice Romano ab aliis etiam Episcopis & Ecclesiis, debito tamen observato ordine, quem malitiâ æmulantium hoc in casu turbabat.

Materialis. §. 5. *Objectum* vocationis & ordinationis de jure non erant, nisi habiles, & idonei ad obeundum officium tam divinum, tamq; sanctum. Attendebant ante omnia Christianismum, qui censetur ex baptismo, legitimè suscepto. Unde non facile assumebant Ecclesiæ Episcopum ex Clinicis, qui in lecto baptizati essent, uti colligimus ex epistola quadam Cornelii ad Fabianum, apud Euseb. lib. VI. hist. Eccles. c. 35. Pietatem & virtutes cæteras. Origenes expressit hom. VI. in Lev. 8. quis eligendus: nempe, *qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligatur ad sacerdotium.* Agmen veluti ducebat confessio, cujus tum in persecutionibus crebris erat non una occasio. Dignos enim censebant, *ut, qui sublimiter Christum confessi essent, Clerum postmodum Christi ministeriis Ecclesiasticis adornarent*: Cypriani verba sunt, de Celerino concepta, quem refert *virtutibus pariter & moribus gloriosum, Clero non humana suffragatione, sed divina dignatione conjunctum.* epist. 34. §. 1. Eadem fere scripserat de quodam Aurelio epist. 33. In genere præmiserat, quod ii soleant ministerio sacrò admoveri, quorum *mores & merita* examen sustinuissent: Addidit de charactere etiam divino, qui in vocandis & eligendis accuratè esset observandus; est autem iste donum heroicum unum vel alterum, quo nonnulli insigniuntur, ad officia sacra ideo habiles habendi, etsi ætate adhuc inferiores fuerint. Solebant enim ad ætatem etiam respicere, ne admodum juvenes gravissimæ stationi admoverentur, nisi dona singularia defectum ætatis compensarent, ut factum in Aurelio. *Aurelius frater noster*, ita scribit Cyprianus, *illustris adolescens, à Domino jam probatus, & à Deo vocatus est, in annis adhuc novellus, sed in virtutis ac fidei laude provectus; minor in ætatis suæ indole, sed major in honore.* Subdit de ejusdem confessione semel iterumque gloriosè præstita, *ut appareat illum divinitus reservatum, qui*

ad Ecclesiasticam disciplinam cæteris esset exemplo, quomodo servi Dei in confeßionibus fidei vincerent, post confeßionem moribus eminerent. Etiam ad cognatos eligendorum respiciebant, an eâdem virtute excelluerint? qua deprehensa optimam spem etiam de ordinando concipiebant; Quod videas ex eodem Cypriano, cum Celerinum electum intimat ob confessionem & suam, & suorum; *per vestigia cognationis suæ graditur, parentibus ac propinquis suis honore consimili divinæ dignationis æquatur.* Nec immeritò hæc attenduntur. Nam plurimum refert ad vim ministerii, si honestam sui generis & cognationis existimationem secum attulerint. Atque hæc Dei potissimum gratia observabant. Sed & ad eas respiciebant virtutes, quæ ad Ecclesiam, & imprimis Collegas referuntur. Juvat iterum audire Cyprianum, quid in hanc sententiam ad Caldonium, Herculanum & cæteros scripserit epist. 38. Præmissis enim præmittendis addit: *Simul etiam & ætates eorum* (promovendorum) *& conditiones & merita discerneretis, ut jam nunc ego, cui cura incumbit, omnes optimè nossem, & dignos quoq;, & humiles, & mites ad ecclesiasticæ administrationis officia promoverem.* §. 1. Humiles igitur & mites digni censebantur, qui Ecclesiæ administrandæ præficerentur. Molestum enim est, & periculi plenum habere Collegas superbos, contentiosos & inquietos; jucundum contra usurpare humiles & pacificos. Huc spectat modestia in ambiendo officio. Indigni enim sunt, qui se ipsi intrudunt importunis flagitationib9, & cursitationibus. Orig. l. 8. cōtr. Cels. Egregia contra laus est, quā Cornelio Episcopo R. tribuit Cyprianus ep. 52. §. 4. quod inferiores ministerii gradus prius triverit, quam superiores: *Non iste ad Episcopatum subito pervenit, per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in divinis administrationibus Dominum sæpè promeritus, ad Sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus adscendit.* Pergit: *Tum deinde Episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit, nec, ut cæteri, quos arrogantiæ & superbiæ suæ tumor inflat, invasit; sed quietus & modestus, & quales esse consueverunt, qui ad hunc locum divinitùs eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ, non ut quidam* (Novatianus) *vim fecit, ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet.* Habemus igitur, quod per inferiores ministerii gradus fuerit ordinariè adscendendum ad sublimiores; neque decorum habitum fuerit importunius

ambire dignitates; decorum autem expectare ab aliis delatas. Nec insuper habebatur *eruditio.* Digitum intendit auctor epistolæ Zepherini secundæ. §. 2. cum præcipit: *Probabiles & doctos Viros ad hoc opus provehite, ut de eorum societate & adjumento plurimum gaudeatis.* Loquitur autem de ordinationibus Presbyterorum & Levitarum. t. 1. concil. f. m. 273. Certè Origenes eapropter factus est Presbyter ab Episcopis Palæstinis, quod insigni eruditione valeret. Eandemque ob causam Heraclas, scholæ Alexandrinæ pridem Doctor, promotus est ad Episcopatum Alexandrinum, teste Euseb. lib. VI. hist. Eccles. c. 24. Idem innuit de Anatolio Episcopo Laodiceno; Quia enim variâ eruditione excellebat, factus est primum Doctor scholasticus, & ex Doctore tandem Episcopus; lib. VII. c. 26. Tanti hæc æstimabatur, ut compensaret defectum ætatis. Nam Gregorius & Athenodorus fratres, & Origenis discipuli, eousque eruditionis sacræ pervenerant intra quinquennium, ut, dum adhuc ambo adolescentes essent, Ecclesiarum in Ponto crearentur Episcopi. lib. VI. c. 23. Et via esset ad Presbyteratum, ut aliis, ita Malcho, scholæ Antiochenæ quondam Doctori, lib. VII. c. 23. sicut vice versa illiteratus ineptus erat ad administrationem officii sacri. Codex decretorum XVI. libb. lib. V. c. 9. allegat quoddam Fabiani Pontificis decretum: *Sacrificium non est accipiendum de manu Sacerdotis, qui orationes, vel actiones, & reliquas observationes in missa secundum ritum implere non potest.* Inscriptio habet: *Ut Presbyter illiteratus missam celebrare non audeat.* t. 1. concil. f. 337. Eruditionis autem istius requisitum vel primarium erat orthodoxia. Nam Paulus Samosatenus eo nomine sede suâ dejectus fuit, quod heterodoxam doctrinam sectaretur, ut patet ex literis Concilii Antiocheni Synodicis apud Euseb. lib. VII. hist. Eccles. c. 24.

Formalis. §. 6. Ex dictis facilè apparet, quæ vitia ineptum reddiderint eligendum. Sepositis igitur istis videamus id, quod legitimum Ecclesiæ ministrum constituit. Habet ministerium sua *jura*, uti

Potestas. appellat Tertull. exhort. ad cast. c. 7. *Actus*, ut vocat Cyprianus ep. 27. *Munera*, ut vocantur à Tertull. de præscr. c. 41. *Magna & cœlestia Ecclesiæ munera*; uti Cypr. ep. 75. §. 15. *Religiosam administrationem*, epist. VI. §. 2. *Diaconium sanctæ administrationis*, ut habet phrasis Cyprian. epist. XLIX. §. 1. *Sublimem ac divinam potestatem Ecclesiæ guber-*

gubernandæ. epist. 55. *Sacerdotalem auctoritatem & potestatem.* ep. 40. Distribuitur vulgò in potestatem ordinis & jurisdictionis. Ista concernit *sermones & Sacramenta*, uti loquitur personatus Fabianus in II. epistola §. 2. t. 1. concil. f. 324. vel, ut nos appellamus, prædicationem verbi & administrationem Sacramentorum. *Verbi*; *quid enim* (scribit auctor de bono pudicit. §. 1.) *aliud in Ecclesia Domini utilius geri, quid accommodatius officio Episcopi potest inveniri, quam ut doctrina divinorum per ipsum insinuata collataq; verborum, possint credentes ad repromissum regnum pervenire cœlorum? Hoc certè mei & operis & muneris quotidianum votivum negotium absens licet obtinere connitor*; nempe per literas, ut adeo verbum vel ore, vel scriptis prædicetur; quod his non minus operosum est, quam ore prolatum: *Ideo enim*, pergit, *convenio*, scilic. literas scribendo, *ut Evangelicæ radicis firmitate solidati, adversus omnia diaboli prælia sitis semper armati.* Hoc nomine celebratur Ecclesiæ Antiochenæ quondam Episcopus Serapion, apud Euseb. lib. VI. c. 10. Clemens & Origenes Alexandrini Presbyteri c. 11. & 12. Victorinus Episcopus Pictaviensis apud Trittenhem. de script. tit. Victorinus. f. m. 199. opp. Requiritur autem ex Ministro verbum non hominum, sed Dei; ita ut *Sacerdos Dei Evangelium teneat, & Christi præcepta custodiat*: juxta Cypr. ep. 55. §. 19. edoctus *Evangelicæ veritatis ac Dominicæ traditionis tenere rationem*; *nec ab eo, quod Christus Magister & præcepit, & gessit, humana & novella institutione decedere.* epist. 63. §. 1. *Nam si sacerdotes Dei & Christi sumus*, rationem addit, *non invenio, quem magis sequi, quam Deum & Christum, debeamus, quando ipse in Evangelio maximè dicat: Ego sum lumen seculi. Qui me secutus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Ne ergo in tenebris ambulemus, Christum sequi & præcepta ejus observare debemus.* §. 14. Seponit igitur alibi Patres, auctoritatem papalem, traditiones, gloriam Martyrum, exempla, consuetudines, epist. 63. §. 13. ep. 74. §. 2. §. 13. ep. 75. § 4. 5. 17. ut infra, de principio fidei acturi, demonstrabimus. Quia autem verbum Dei in s. literis continetur, opus erat Scripturas discere, ruminari, & accuratè scrutari, & explicare. Hoc fine *scholæ* erigebantur, in quibus præprimis celebratur Alexandrina, utpote quæ insignes sacrarum literarum interpretes habuit, Heraclam, Origenem, & alios. Absolvebatur hæc officii pars variis actibus. Habebant enim publicas conciones. Hoc nomine per-

Ordinis ut Prædicatio Verbi.

Conciones.

laudatur quidam Nicomediæ Episcopus Lucianus, quod fuerit *doctus atq; disertus, & in declamandis homiliis ad populum excellentis ingenii,* à Tritenh. de script. Euseb. VII. 26. laudat quendam Alexandrinum Presbyterum, quod *in disceptationibus concionibusq; publicè in Ecclesia faciendis* fuerit exercitatissimus. Duo autem indigitat, artificium concionandi, & disputandi; quorum hoc non minus requiritur ab Ecclesiæ ministro, quam istud. Erant enim etiam tum hæretici & pravi doctores, qui Ecclesiam corrumpere studebant; resistendum igitur erat lupis, confutatis eorundem erroribus. Hoc dono excellebat quidam Gajus, Phrygum antagonista; Nam ipsorum audaciam in novis scripturis contexendis confudit. Euseb. lib. VI. c.14. Origenes, qui Beryllum devium disputando in viam revocavit. c. 26. Et Arabes ab errore suo liberavit. c.30. Et Helcesaitas pro concione confutavit. c.31. Dionysius etiam; Nam exorta hæresi Nepotiana, duobus libris compositis errores in ruborem dedit. lib. VII. c.19. Malchion Presbyter Antiochenus; Nam in publica disputatione Paulum Samosatenum debellavit. c. 23. Firmilianus Episcopus Cappadociæ, qui pedem cum hæretico palam & cominus contulit Antiochiæ, ubi concilium agebatur. c. 24. Archelaus Episcopus Cappadociæ, judicio Trittenhemii, cui est *disputator acutus*; tit. Archelaus de script. Quia autem etiam ad mores auditorum est respiciendum, ideoque etiam ἐπανόρθωσις Ministro Ecclesiæ debet esse commendata. Hoc fine Cyprianus multa scripsit, quæ mores Christianorum docerent & promoverent, secutus in plerisque magistrum suum Tertullianum.

Disputationes.

Administratio Sacramentorum.

§. 7. Verbum prædicatum obsignatur Sacramentis, quorum administratio est ministerii. *Sacerdos offert & tinguit,* totundè scribit Tertullian. exhort. ad castit. c.7. Et de Baptismo c. 17. ulterius mentem suam explicat: *Dandi* (baptismum) *jus habet summus sacerdos, qui est Episcopus. Dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiæ honorem: Quo salvo, salva pax est. Alioquin etiam Laicis jus est. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest, nisi Episcopi jam, aut Presbyteri, aut Diaconi vocantur.* Potestas igitur administrandi baptismi spectat ad ministerium, ita tamen, ut Ecclesia possit ordinem quendam sancire inter ministros, ut exercitium potestatis ordinarium sit penes certum gradum, ut Episcopatus.

patus erat, post hunc Presbyteris competat, post Presbyteros Diaconis; post hos etiam Laicis, ut ibidem Pater addit. Cyprianus ad Jubajanum allegat institutionem Christi, Matth. XXVIII, 18. & infert §. 6. *Unde intelligimus non nisi in Ecclesia Præpositis, & in Evangelica lege ac dominica ordinatione fundatis licere baptizare.* Quæ hactenus bene scripsit, si de ordinaria potestate intelligit; malè autem, quod inde voluit concludere, baptismum hæreticorum esse invalidum. De quo alibi. Idem epist. 63. §. 1. innuit, *Episcopos* occupatos fuisse *in calice Dominico sanctificando, & plebi ministrando.* Suffragatur Cornelius in literis ad Fabium de Novatiano scriptis, docens, quod *fecerit oblationes & singulis partem Sacramenti distribuerit*; Euseb. lib. VI. hist. c. 35. Quid si autem ordinarius sacerdos impediretur morbo, vel alio casu, an licebat & alii administrare Sacramentum? Dionysius Alexandrinus in literis ad Fabium meminit exempli, ex quo patet, licere & aliis, quam Presbyteris, ministrare. Nam refert de Serapione jamjam morituro, quod S. Cœnam sibi à Presbytero ministrari petierit; decumbens autem Pastor ipse non potuerit ministrare; quare puero suo sacra dederit symbola, qui ad ægrotantem deferret, eidemque propinaret, quod & factum. c. 36.

§. 8. Jurisdictionis internæ insignia sunt claves, ligans & solvens, quas ministerium accepit à Christo. Hic enim *Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens in Evangelio loquitur, & dicit Petro: Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: Et tibi dabo claves regni cœlorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunq; solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. Inde per temporum & successionum vices, Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit; ut Ecclesia super Episcopos constituatur.* Et Epist. 75. Firmilianus Cappadociæ Episcopus, allegatis Christi ad Petrum, & cæteros Apostolos verbis ex Matth. XVI. 19. Joh. XX. 22. 23. concludit: *Potestas ergo peccatorum remittendorum Apostolis data est, & Ecclesiis, quas illi, à Christo missi, constituerunt, & Episcopis, qui eis ordinatione vicaria succedunt.* Claves igitur Petrus non à semetipso, sed à Christo; neque pro sese solo, sed pro omnibus Episcopis accepit. Est autem duplex illa clavis; *Solvens*, quæ est potestas remittendi pœnitentibus peccata sua. Differit hac de potestate adversus Novatianum, istius clavis hostem, Cyprianus in

Potestas jurisdictionis vel internæ.

literis ad Antonianum: ep. 52. §. 19. *Neminem putamus à fructu satisfactionis & spe pacis arcendum, cum sciamus juxta Scripturarum divinarum fidem, auctore & hortatore ipso Deo, & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atq; indulgentiam pœnitentibus non denegari*: & §. 20. docet, istam veniam atque indulgentiam dari per ministerium: seu, quod idem est, pœnitentibus *per sacerdotes pacem posse concedi*; Salvo tamen ordine, qui consistit in pœnitentia prius præstanda: *Admittendus est plangentium gemitus, & pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus.* Iudicium verò quoad primam instantiam, uti vocant, erat penes Episcopum; Indignatur enim Cyprianus Episcopus Presbyteris nonnullis, quod *nec loci sui memores, neq; futurum Domini judicium, neq; nunc sibi præpositum Episcopum cogitantes, quod nunquam omnino sub antecessoribus factum est, cum contumelia & contemptu præpositi*, lapsos ante præstitam Ecclesiæ satisfactionem recepissent; contra laudat *memores loci episcopalis, ad sese literas dirigentes, & petentes sua desideria examinari & pacem dari.* epist. 10. repetit ep. 11. §. 1. Nam, præmissâ objurgatione, de Presbyteris scribit: *Petitiones & desideria vestra Episcopo servent, & ad pacem vobis petentibus dandam maturum & pacatum tempus expectent.* Ita servavit ille alias facilior in venia danda Lucianus epist. 22. *Exposita caussa apud Episcopum & facta exomologesi habeant pacem.* præsertim Romani. ep. 25. & ep. 12. §. 1. castigat eosdem Presbyteros, *Episcopo honorem sacerdotii sui & cathedræ non reservantes.* Episcopus tamen cum Presbytero, & cum plebe communicabat: *Examinabuntur singula* (desideria) *præsentibus & judicantibus vobis*, scribit Cyprianus ad *plebem*, epist. 12. §. 1. ep. 26. §. 4. vel scribebat ad Clerum plebemque, quid fieri vellet, ut Cyprianus, *dans formam* rei agendæ, epist. XIII. XIV. Atque iste plebis in talibus concursus adeo evidens est, ut ipse etiam Baronius annal. 255. §. 9. fateatur. Refutaturus enim Socratis de Presbytero pœnitentiario sententiã, rationem hanc subjungit: *Lapsorum restitutio (quod ii publicè deliquissent) non erat tale opus, quod uni posset demandari Presbytero, quippe cum nec id solus præstare soleret Episcopus, quem, convocatâ Ecclesiâ, id non tantum facere oporteret fratrum suorum consensu, sed etiam populi rogata sententia.* Altera clavis est *ligans*, nempe potestas retinendi peccata. Graviter de hac potestate loquitur Cyprianus: vocat *debitam severitatem divini vigoris.* epist. 31. §. 1. quem, qui observat, *disciplinæ rationem custodit*;

&

& *gladium spiritualem* usurpat. ep. 62. §. 3. Hæc potestas est quidem à Deo concessa, sed merè spiritualis est, non corporalis; ut pœnis externis adeo subjici ab ordine sacro non possit, qui ipsi obedire noluerit: *Tunc quidem* (immorigeri) *gladio occidebantur, quando adhuc & circumcisio carnalis manebat; nunc autem, quia circumcisio spiritualis esse ad fideles servos Dei cœpit, spiritali gladio superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur.* Verba sunt Cypriani ex epist. 62. §. 3. Viderint igitur Pontificii, qui defendant duos sui Pontificis gladios, & potestatem hæreticos extremo supplicio afficiendi. Cyprianus certè ad pædagogiam judaicam refert violentiam istam, ubi & circumcisio erat corporalis. Nec locum ipsi relinquit in Ecclesia Christiana, quæ sola spiritualia remedia ordini ecclesiastico concedit. De externa disciplina, clavi huic annexa, dicamus §. sequenti. *Objectum* hujus potestatis erant peccatores, ut sunt scortatores; *Consultè & cum vigore fecisti, frater charissime, abstinendo diaconum, qui cum virgine sæpe mansit, sed & cæteros, qui cum virginibus dormire consueverunt.* epist. 62. §. 3. scribit Cyprianus ad Pomponium: Homicidæ, qualis erat Philippus Imperator, quem Episcopus eousque à sacris arcebat, donec pœnitentiâ delictum expiâsset, si modo contigerunt, quæ scripsit Eusebius lib. VI. hist. c. 27. vide Joseph. Scalig. animad. ad Chron. Euseb. an. 2260. f. m. 214. Histriones. *Puto, nec Majestati Divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor & honor Ecclesiæ, tam turpi & infami contagione fœdetur.* judicium est ejusdem in epistola 62. ad Eucharium.

§. 9. *Potestas externa* in variis occupatur. Ministerii erat peccatoribus disciplinam, & disciplinæ certum tempus dictitare, vel remittere; epist. 59. §. 1. Cyprianus conqueritur de Therapio quodam, nimis facili in danda pace, seu receptione peccatorum. *Quæ res nos satis movit, recessum esse à decreti nostri auctoritate, ut ante legitimum & plenum tempus satisfactionis, & sine petitu & conscientia plebis, nullâ infirmitate urgente, ac necessitate cogente pax ei concederetur; sed librato apud nos diu consilio satis fuit objurgare Therapium collegam nostrum, quod temerè hoc fecerit, & instruxisse, ne quid tale de cætero faciat.* epist. 28. §. 2. ad Clerum scribit: *Si quis immoderatus & præceps, sive de nostris Presbyteris, vel Diaconibus, sive de peregrinis ausus fuerit ante sententiam nostram communicare cum lapsis, à communione nostra arceatur apud omnes*

Vel externæ. In dictitanda disciplina.

nos

nos caussam dicturus temeritatis suæ, quando in unum, permittente Deo, convenerimus. Ministerio igitur competebat *auctoritas decretorum faciendorum* in conventibus suis congregato. Exemplum illustre est apud Cyprianum, epist. *66.* §. 1. Nam cum quidam Presbyter tutorem sese constitui passus fuisset, Cyprianus ea propter succensuit, allegato Concilii decreto: *Ne quis de Clericis aut Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat.* & §. 2. *Episcopi antecessores nostri religiosè* (divina præcepta) *considerantes, & salubriter providentes, censuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam, vel curam Clericum nominaret, ac, si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.* Pergit, & concludit, pro Victore sic disponente non esse offerendum, *ut sacerdotum decretum religiosè & necessariè factum servetur à nobis; simul & cæteris fratribus detur exemplum, ne quis sacerdotes, & ministros Dei altari ejus, & Ecclesiæ vacantes, ad seculares molestias devocet.* Sanxerunt igitur; & vindicarunt, quod sancitum erat. Nec licebat singulis recedere de decretis istis, aut dispensare, *sine petitu & conscientia plebis,* aut sinè urgente aliqua *necessitate,* ut est articulus mortis. *Dicas:* Hoc verò repugnat iis, quæ §. 8. præcedente dicta sunt de potestate merè spirituali Ministerio competente; Nam disciplina Ecclesiastica à ministerio, vel Ecclesia dictitata, non versabatur circa merè spiritualia, sed corporales afflictiones, planctus, lachrymas, humicubationes, jejunia, cilicia, & quæ porrò disciplinæ fuerunt instrumenta. Sed hæc sibi invicem non repugnare palam dabo ex distinctione inter pœnam propriè sic dictam, & disciplinam ideo dictitatam, ut peccatores suam testentur pœnitentiam seriam, & alios à similibus peccatis absterreant. Licet igitur Ecclesiæ, & ministerio Ecclesiastico disciplina certam formam instituere, quæ ordinis gratia observetur; Non licet autem potestati merè spirituali violenta irrogare supplicia adversus legem præsertim Ecclesiasticam aliquam impingenti.

Faciendis decretis.

§. 10. Licebat convocare conventus, & censuras, examina, judicia formare de personis, vel rebus potestati Ecclesiasticæ subjectis. Epist. VI. §. 1. Cyprianus ad Clerum scribit, se exoptasse conventum institui, *ut ea, quæ circa Ecclesiæ gubernacula utilitas communis exposcit, tractare simul, & plurimorum consilio examinata limare possimus.* Epist. XL.

Epist. XL. 30. *Placuit*, scribit ad plebem, *tam nobis, quam Confessoribus, & Clericis urbicis, item universis Episcopis, vel in nostra provincia, vel trans mare constitutis, ut nihil innovetur circa lapsorum caussam, nisi omnes in unum convenerimus, & collatis consiliis cum disciplina pariter & misericordia temperatam sententiam fixerimus.* Quia verò erant, qui huic sententiæ refragarentur, indignè id tulit Cyprianus, *quod contra hoc consilium nostrum rebelletur, & omnis sacerdotalis auctoritas & potestas factiosis conspirationibus destruatur.* Repetit epist. 27. Cum lapsi nonnulli intempestivè sese insinuarent, Cyprianus opponit auctoritatem suam Episcopalem à Christo acceptam. Ministerio igitur competit *auctoritas & potestas* consilia dandi de casibus dubiis, & *sententias figendi* de externa œconomia clavium. Item de vita & moribus Clericorum. Refert enim Cyprianus epist. 66. §. 1. quod in quodam *concilio Episcoporum statutum fuerit, ne quis de Clericis & Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat.* Epist. XXVIII. §. 2. comminatur communicanti cuicunque cum lapsis censuram *apud omnes nos caussam dicturo temeritatis suæ, quando in unum, permittente Deo, convenerimus*; Hæc ille ad Presbyteros & Diaconos. In conventibus igitur ejusmodi judices sedebant non Episcopi solum, sed & Presbyteri & Diaconi, utpote quos h. l. judicio suo futuro includit Cyprianus, & talibus conventibus sistebantur non Laici modo, ut vocant, sed & Presbyteri, & Diaconi. Neque plebs excludebatur ab ejusmodi conventibus. Epist. XIV. §. 2. clarus locus est. Quæstio erat: An lapsi essent recipiendi? Cyprianus respondet in conventu hæc esse ventilanda: *Hoc enim & verecundiæ & disciplinæ, & vitæ ipsi omnium nostrûm convenit, ut Episcopi plures in unum convenientes, præsente & stantium plebe, quibus & ipsis pro fide & timore suo honor habendus est, disponere omnia consilii communis religione possimus.* Hæc ille. Et epist. XXXI. §. 5. vult *collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Confessoribus, pariter ac stantibus Laicis facta, lapsorum tractare rationem*: addit rationem inter alias etiam hanc: *quoniam nec firmum decretum potest esse, quod non plurimorum videbitur habuisse consensum.* Hinc patet, fuisse quidem ministerii aliquam auctoritatem, neque tamen infinitam, excluso prorsus judicio auditorii.

§. 11. *Dispensatio bonorum Ecclesiasticorum* erat penes Ministerium, imprimis Episcopum, Cypr. ep. VI. 2. scribit ad Clerum de cura pauperum ac Confessorum, & quia absens erat ipse, vult ipsos *vice sua fungi circa gerenda ea, quæ administratio religiosa deposcit*, ad quam refert *pauperum curam*, & *confessorum* in distribuendis vitæ subsidiis. Epist. LX. §. 4. scribit ad Episcopos Numidas: *Misimus sestertia centum millia nummum, quæ isthic in Ecclesia, cui de Domini indulgentia præsumus, Cleri & plebis apud nos consistentis collatione collecta sunt: quæ vos illic pro vestra diligentia dispensabitis.* Conferebantur igitur Symbola etiam ab Ecclesiasticis de propriis suis facultatibus, & tradebantur in manus Episcopi, qui vel ipse distribuebat, vel ad alios distribuendas mittebat per Diaconos, vel Acoluthos.

III. *Divisio.* in varios gradus inter se distinctos.

§. 12. Ministerium Ecclesiasticum, παχυλῶς acceptum, in varios sive ordines, sive gradus, sive officia erat distinctum. Nam Cypr. ep. 33. de Aurelio Lectore scribens laudat *clericæ ordinationis ulteriores gradus & incrementa majora.* Epist. XXXIV. §. 4. *Ulteriorem gradum, ad quem profici in Ecclesia possit*, forsan *Presbyterii honorem*; Nam Lectori destinaverat *sportulas*, quibus *Presbyteri honorabantur.* Ep. 52. §. 4. commendat Cornelium Romanorum Episcopum ab ordine observato, quod *ad Episcopatum subito non pervenerit, per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in divinis administrationibus Dominum sæpè promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit.* Ep. 35. scribit de Numidico Presbytero electo: *Promovebitur, cum Deus permiserit, ad ampliorem locum religionis suæ.* Erant igitur ministerii gradus, & incrementa, & officia, & loca, alia aliis ulteriora, & ampliora, & sublimiora, ita tamen comparata, ut, nisi negotiorum moles obstaret, potuerint conjungi in eadem persona, fatente Baron. ann. 253. §. 3. Postquam enim retulisset de ritu Ecclesiæ Africanæ, quæ Diaconos & Lectores diversos faciebat, subjicit: *Diversam in hoc Africanæ Ecclesiæ à cæteris Latinis fuisse consuetudinem potest intelligi; Cum Romæ & in aliis Ecclesiis eam functionem solerent Diaconi exercere; In Africa verò Lectores minorum ordinum Clerici inter Acoluthos constituti.* Hæc Annalista. Diaconatus igitur & Lectoratus idem erant, idemque officium; si vera est sententia Baronii. Non video autem, qui conciliari possit cum illo Cornelii, quod ad Fabium Antiochenum scripsit apud Euseb. lib. VI. hist. c. 35. verba sic habent:

Novatum

Novatum omnino præteriit, unum solum Episcopum oportere esse in hac Catholica Ecclesia, in qua tamen non ignorabat Presbyteros esse 46. Diaconos 7. Subdiaconos 7. Acoluthos 42. Exorcistas, & Lectores, una cum ostiariis 52. Viduas, & alios morbo atq; egestate affectatos 1500. quos omnes Domini gratia & benignitas abunde sustentabat. Hæc Pontifex de Ministerio suæ i.e. Romanæ Ecclesiæ. Distinguit autem Diaconos à Lectoribus, & istos priore, hos posteriore loco collocat. Igitur Ecclesiæ Romanæ non erat diversa consuetudo ab Ecclesiis Africanis, quod attinet Diaconatum & Lectoratum. Dicamus nostram sententiam, ut hoc ἐναντιοφανὲς concilietur. Diaconorum erant varia & distincta officia, quæ variis negotiis cumulatis non poterant simul administrare, igitur exonerandi erant, rejectâ onerum parte in aliorum humeros, ut essent alii Subdiaconi, alii Lectores, alii Acoluthi. Colligimus sententiam ex Cypr. epist. 24. & uberius exponemus infra §. 16.

§. 13. Colligimus ex Cornelii modo allegatis verbis, quod ministerium fuerit divisum in octo gradus, qui erant Episcopus, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acoluthi, Exorcistæ, Lectores & Ostiarii. Atque hoc ordine recensentur etiam in libro de RR.PP. tit. Cajus. Sic enim author ille, quisquis fuerit, de Pontifice dicto refert: *Hic constituit, ut omnes ordines in Ecclesia sic ascenderent: Si quis Episcopus fieri mereretur, ut esset ostiarius, Lector, Exorcista, Acoluthus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & exinde Episcopus ordinaretur.* Hæc si vera sunt, Cornelii & reliquorum Pontificum tempore, licet fuerint diversi ministerii gradus, tamen nondum erat ita *constitutum*, ut ordines observarentur, sicut à Cajo, Cornelii & interjectorum successore, constitutum est. Quidquid autem hujus rei sit, id certum est, quod ministerium verbi & Sacramentorum non nisi Episcopis, Presbyteris, & Diaconis fuerit ordinariè commissum. Sic enim ex Tertull. de baptism. c. 17. discimus: *Superest ad concludendam materiolam de observatione quoq; dandi & accipiendi baptismum commonefacere. Dandi quidem habet jus summus Sacerdos, qui est Episcopus; dehinc Presbyteri, & Diaconi; non tamen sine Episcopi auctoritate.* Divina ne? Non. *Propter Ecclesiæ honorem. Quo salvo, salva pax est. Alioquin etiam Laicis jus est.* Ecce accuratissimus Afer verba facit de ordinariis baptismi ministris, & nominat solos Episcopum, Presbyteros & Diaconos, im-

Interdum octo interdū pauciores

mediatè his ſubjungens Laicos: omiſſis aliis ordinibus. Ipſe Clerus Romanus epiſt. 31. §. 5. ad Cypr. non niſi trium diſtinctorum & perpetuorum ordinum meminit, dum meminit *collationis conſiliorum cum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus, pariter ac ſtantibus Laicis factæ.* Imo integrum concilium non meminit plurium. Sic enim Antiocheni in epiſtola Synodica ſcribunt: *Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi.* Plus dicamus: Duo tantum realiter diſtincti erant ordines, Presbyteratus & Diaconatus. Sic enim nos docet antiquiſſimus hujus ſeculi doctor Clemens Alexandrinus lib. VII. ſtrom. f. m. 700. τὴν μὲν βελτιωτικὴν οἱ πρεσβύτεροι σώζουσιν εἰκόνα· τὴν ὑπηρετικὴν δὲ οἱ διάκονοι: i. e. *ejus quæ facit meliores, Presbyteri ſervant imaginem; ejus autem, quæ ſervit, Diaconi.* Dubio procul reſpicit ad primævam Diaconorum inſtitutionem, ubi nonniſi eleemoſynarii erant, vacantes menſis; Apoſtoli autem altaribus, in quorum locum ſucceſſerunt Presbyteri, ſacerdotes. Et ne effugio ullus ſuperſit locus, teſtetur Urbanus ipſe Pontifex de æt. & qual. ordin. c. à multis. F. deſervit. non ordi. capit. miramur. Nam clare habet, primitivam Eccleſiam non habuiſſe, niſi Presbyteratum & Diaconatum.

Episcopi (1) Nomina. §. 14. *Epiſcopatus*, conſuetudine humana & Eccleſiaſtica, ſupremum obtinebat locum, fatente Riveto part. 3. def. lib. Eccleſ. c. 3. Nam *Sacerdotii ſublime faſtigium* à Cypriano epiſt. 52. §. 4. vocatur. Tertullianus c. 17. de bapt. appellat *ſummum Sacerdotem Epiſcopum*, poſt quem demum Presbyteri & Diaconi ſacris operentur. Atque hæc fuit communis omnium Epiſcoporum eminentia: Id quod ipſe Baronius an. 216. §. 9. confitetur, & alibi quoque, die 9. April. Martyr. annotavit. Intelligimus autem ſummum Sacerdotem inter homines. Alias enim *propriè Epiſcopus Dominus Jeſus eſt*, juxta Origen. hom. 23. in Matth. Similiter & alii tituli nominaque communia erant. Dicebantur *Papæ*, ut ipſe Romanus Clerus Cyprianum Epiſcopum Carthaginienſem appellat in literis ad Carthaginienſium Clerum perſcriptis epiſt. 3. confer epiſt. 17. 26. &c. Fatetur igitur Pamelius Pontificius: *Papæ nomen priſcis temporibus accommodatum fuiſſe aliis Epiſcopis, quàm Romanis, ſatis conſtat, tum ex hac epiſtola, ac aliis infra Cleri Romani, ac Confeſſorum ad Cyprianum, tum ex epiſtolis Divi Ambroſii, Hieronymi, & Auguſtini.* in notis ad epiſt. 3. Cypr. Addebatur interdum Epitheton: *beatiſſimus ac glorioſiſſimus Papa.* Cypr.

Cypr. epist. 26. *benedictus Papa*. ep. 3. *sanctissimus*. ep. 1. Appellabantur & *Presbyteri*. Nam Cyprianus ep. 19. 36. 38. 41. §. 2. compellat Rogatianum & Primitivum *Compresbyteros*. Presbyter igitur fuerit & Cyprianus. *Apud veteres iidem Episcopi & Presbyteri fuerunt*, ad Oceanum scribit Hieronymus. Et confirmat in catal. scripto. tit. Geminus. Nam in Græco habetur, quod Heraclas constitutus fuerit Ἀλεξανδρέων Ἐκκλησίας πρεσβύτερος, in latino autem vertitur: *Alexandrinæ Ecclesiæ Pontifex*. Nicephorus lib. IV. cap. 23. Zoticum quendam vocat Presbyterum, quem Apollinaris apud Euseb. lib. V. c. 25. dicit Episcopum: fatente Baronio annal. 205. §. 27. etsi obtendat *hallucinatum esse* Nicephorum; ratione addita: *Jam enim his temporibus satis dilucidè distinctum erat nomen Episcopi à Presbytero*. Distinctum utique, at consuetudine humana, seu Ecclesiastica, uti superius indigitavit Tertullianus. *Sacerdotes*; Sic enim Cypr. epp. 11. 30. 40. appellat, *à sacerdotii sublimi fastigio*; ep. 52. §. 4. *Summos sacerdotes Episcopi*, Tert. c. 17. de bapt. *Præpositos & Pastores*, in literis Romanor. ad Carthaginienses Cypr. ep. 3. *Principes* ab Orig. hom. XI. in Num. 18. lib. VIII. contr. Cels. sub fin. *Origo* est divina. Nam (2) Efficiens. *Apostolos, i. e. Episcopos & Præpositos Dominus elegit; Diaconos autem post ascensum Domini in cœlos Apostoli sibi constituerant Episcopatus sui & Ecclesiæ Ministros*. scribit Cypr. ep. 65. §. 4. Episcopi igitur Apostolis à Christo immediatè creatis *ordinatione vicaria succedunt*, ut habet Firmilianus Cappadocum Episcopus ep. 75. §. 14. Id verò non eo intellectum volumus, quasi Episcopi immediatè à Deo vocentur, & eligantur, postquam Apostolorum temporibus alia successerunt. Nam sicut in aliis Ecclesiæ ministris, ita & in his observatum est, ut totius Ecclesiæ arbitrium, judicium, & suffragium rogaretur: *Apud nos quoq;, & ferè per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quiq; conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusq; actum de ejus conversatione perspexit*. scribit Cypr. ep. 68. §. 6. Concurrebant igitur in eligendis Ecclesiæ ministris, Episcopis, duo ordines, Ecclesiasticus, & œconomicus, politico per Ethnicismum absente. Sed excipias, plebem quidem fuisse *præsentem*, neque tamen *ferendi suffragii jus habuisse*, ut vitilitigatur Baronius annal. 254. §. 45. sibi ipse & antiquitati

contrarius; sibi, nam ita scribit: *Hæc ipse* (Cyprianus) *de pluribus, suffragium ad Clerum, judicium verò, quod idem est, quod testimonium, ad plebem referens, licet hoc ipsum alibi appellet quoq; suffragium.* Antiquitati; Nam ad marginem habet epist. 52. quam scripsit Cyprianus ad Antonium de Cornelio Episcopo Romano electo adversus Novatianum æmulum schismaticum, & §. 4. Ita de Cornelii vocatione refert: *Factus est Cornelius Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio, & de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio.* Scribit igitur de Episcopo Romano, & tribuit in electione ejus Clero *testimonium*, plebi autem *suffragium.* Testimonium igitur & suffragium non ita sibi invicem opponuntur, ut unum qui fert, alterum ferre non possit. Nam Clero competit testimonium, cui, per Baronium, competit etiam suffragium; & plebi competit suffragium, cui & testimonium competit. Neque licet testimonium & suffragium pro synonymis habere, ubi de plebe sermo est, quod facit Baronius, & eadem distinguere, quando Clero attribuuntur. Vis aliud exemplum? dabo unum, & hoc de Pontifice Romano, Fabiano, satis illustre. Illum enim *populus universus*, juxta versionem Pontificii Episcopi Christophorsoni, *uno sacrati spiritus instinctu commotus magna cum alacritate, & uno animorum consensu eo dignitatis gradu dignum clamavit, & absq; mora abreptum illum in sede pontificali collocavit.* apud Euseb. lib. VI. hist. c. 22. Populus igitur divino jure habet jus eligendi etiam summos Pontifices, & in sede collocandi; an hoc merum est testimonium? *Objectum* ipsorum est Ecclesia. Sunt enim *Episcopi sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ*, uti appellantur à Cypr. epist. 46. §. 3. Ita tamen, ut Ecclesiastica sit potestas, non politica, nempe, ut recentiores loquuntur, ordinis, & jurisdictionis; ordinis, ut est prædicatio verbi, & administratio Sacramentorum, θειοτέρα καὶ ἀναγκαιοτέρα λειτουργία *magis divina ac necessaria administratio*, ut appellat Origenes lib. VIII. contr. Cels. p. m. 428. Nam *in aliqua civitate, ubi nondum nati Christiani sunt, si accedat aliquis, & docere incipiat, laboret, instruat, adducat ad fidem, ipse postmodum iis, quos docuit, princeps & Episcopus fiat*; idem asserit hom. XI. in 18. cap. Num. Origenes igitur nullos titulares, vel seculares, & politicos, otiososque novit Episcopos, sed qui *omnium rationem habent, suorum quidem, ut indies proficiant,*

(3) Objectum.

(4) Potestas.

ant, extraneorum verò, ut eos ad pietatis ac religionis doctrinam simul & opera pertrahant, ita ut verè Deum colendo, &, quoad licuerit, erudiendo quamplurimos, Dei verbo ac divinæ legi adjungantur, atq; unum fiant cum Deo, &c. Hæc Presbyter Alexandrinus adverſ. Celſ. lib. VIII. *Sacramentorum administrationem* quod attinet, audivimus ex Tertulliano, ordinem fuiſſe inter Epiſcopos & Presbyteros, & Diaconos, ut jure Eccleſiaſtico Epiſcopus baptiſmum adminiſtraret primus, Presbyteri autem & Diaconi ipſo facultatem faciente. Sicut autem Epiſcoporum erat prædicare & adminiſtrare Sacramenta, ita & vi ordinis Epiſcoporum erat *ordinare*, voce latius ſumpta, ſi qui judicio Cleri & populi digni officiis Eccleſiaſticis erant declarati. *Feciſſe me ſciatis Lectorem Saturum, & Hypodiaconum Optatum confeſſorem, quos jam pridem communi conſilio Clero proximos feceramus*: ſcribit Epiſcopus Cyprianus. Et porrò: *Nihil ergo à me abſentibus vobis novum factum eſt, ſed quod jam pridem communi conſilio omnium noſtrum cœperat, neceſſitate urgente promotum eſt.* ep. 24. Sicut autem non ordinandus erat, niſi quem plebs probaſſet, ita nec ordinare licebat quenquam, ſine Epiſcopi ordinarii præſcitu, & approbatione. Nam ex hoc fundamento Cyprianus Epiſcopus improbat ordinationem Feliciſſimi à Novato inſtitutam, quod hic Cypriano *nec permittente, nec ſciente, ſua factione & ambitione Feliciſſimum ſatellitem ſuum Diaconum ordinaſſet*, apud D. Hülſem. de miniſtr. ord. §. 51. Atq; ex eadem ratione credo Demetriū Ep. Alex. indignè tuliſſe ordinationē Origenis ſuæ diœceſi ſubjecti, factam ab Epiſcopis Palæſtinis, ſe præterito. Sicut autem Epiſcopi habebant jus ordinandi Presbyteros & Diaconos, ſic & habebant jus de electis judicandi, eoſdemque, ſi deliquiſſent, reprehendendi, & deponendi. Cyprianus hujus rei aliquot ſuppeditat exempla. Lapſi nonnulli, intercedentibus confeſſoribus, recipiebantur in Eccleſiæ ſinum à Presbyteris, ſibi præpoſitum Epiſcopum non cogitantibus, epiſt. X. §. 1 *nec honorem* ejus, ep. XI. cum *contumelia & contemptu præpoſiti*; Nam veniam dederant inſcio & invito Epiſcopo, quare indigniſſimè id tulit Cyprianus, *honorem ſacerdotii ſui & cathedræ non reſervari*, epiſt. 26. §. 4. Alii igitur dignitatem Epiſcopi ſervantes, *ante conſtitutionem Epiſcopi nihil innovandum putaverunt*, epiſt. XXXI. §. 8. Accidit etiam, ut quidam Diaconus Epiſcopo ſuo Rogatiano gravis eſſet, de quo conſultus Cyprianus reſpondit

respondit *pro Episcopatus vigore & cathedræ auctoritate posses de illo statim vindicari, certus, quod collegæ tui omnes gratum haberemus, quodcunq; circa Diaconum tuum contumeliosum sacerdotali potestate fecisses:* allegatis dictis Deut. XVII. 12. Num. XVI. 1. 1. Sam. VIII. 7. Eccles. VII. 29. 31. subdit: *Et ideo oportet Diaconum, de quo scribis, agere audaciæ suæ pœnitentiam, & honorem sacerdotis agnoscere, & Episcopo præposito suo plena humilitate satisfacere.* epist. LXV. §. 1. Quid si autem Diaconus satisfacere recusaverit? Respondet Cyprianus: *Eum vel deponas, vel abstineas.* Ergone, dicas, absoluta erat dignitas, vel auctoritas Episcoporum? absit. *A primordio mei Episcopatus statui, nihil sine consilio vestro,* (Presbyteri & Diaconi) *& sine consensu plebis meæ, privata sententia gerere, sed cum ad vos, per Dei gratiam, venero, tunc de iis, quæ vel gesta sunt, vel gerenda, sicut honor mutuus poscit, in commune tractabimus:* scribit Cyprianus ep. VI. §. 5. confer ep. 12. 14. 46. Destinabant etiam scholis doctores, ut Demetrius Episcopus Alexandrinus Origenem scholæ Alexandrinæ, Euseb. lib. VI. hist. c. 3. Pauperibus, Confessoribus, peregrinis, viduis, ipsi etiam Clero suas portiones & sportulas de collectis agapis, ut ex epist. V. §. 1. & ep. XXXIV. §. 3. Cypriani patet. Absente vel mortuo Episcopo Presbyterium vices sustinebat; Nam Clerus Romanus ad Carthaginensem scribit, incumbere ipsi, qui *videatur Præpositus esse, & vice Pastoris, custodire gregem;* Et Cyprianus absens ad suum Presbyterium: *Hortor & mando, ut vos vice mea fungamini circa gerenda ea, quæ administratio religiosa deposcit.* Erant & duo interdum Episcopi, altero velut emerito, ut Hierosolymis, ubi præter Narcissum ex eremo reducem, sedebat & Alexander Episcopus. Euseb. lib. VI. hist. c. 9. *Vestes* distinctæ erant Episcopis. Pontius enim Diaconus in Martyrio Cypriani scribit: *Cyprianus in agrum Sexti perductus est, & ibi se lacerno birro exspoliavit. Et cum se Dalmatica exspoliasset, & Diaconibus tradidisset, in linea stetit, & cœpit spiculatorem sustinere.* Vestes igitur erant birrus Dalmatica, & linea, quod de *lineo indumento* Ephod interpretatur Baronius ann. 261. §. 40. Sed & *sedes* suas habebant. *Sedes Episcopalis* laudatur ab Urbano t. 1. concil. f. m. 291. §. 4. *Cathedra,* seu *thronus sacerdotalis* memoratur ab Hieron. catal. tit. Novatianus.

(5) Adjuncta.

Presbyteri. §. 15. *Presbyteri* erant & ipsi Clerici. Sic enim Cyprianus ep. 35. scribit: *Numidicus Presbyter adscribatur Presbyterorum Carthaginiensium*

nienſium numero, & nobiſcum ſedeat in Clero. Officium erat inſigne. Nam Euſeb. lib. VI. c. 7. vocatur *ampliſſima dignitas & ſummus honoris gradus, & magna gloriæ claritas*, vertente Chriſtophorſono. Pamphilus, vel quisquis auctor eſt, Apol. pro Orig. maximi facit, quod Origenes *Presbyterii dignitate in Eccleſia ornatus fuerit.* Cyprianus ep. 34. §. 4. laudat *honorem Presbyterii*, quem Epiſcopus ſolebat decernere. Vacabant Sacramentis poſt Epiſcopos miniſtrandis, juxta Tert. de bapt. c. 17. apud Martyres cumprimis & confeſſores, Cyprian. ep. 5. §. 2. epiſt. 11. §. 1. Confeſſionibus audiendis. Sic enim Cypr. ep. 13. ſcribit: *Si* (lapſi pœnitentes) *incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra apud Preſbyterum quemcunq; præſentem, vel, ſi Presbyter inventus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoq; exomologeſin facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in pœnitentiam impoſita veniant ad Dominum cum pace.* Hoc fine conſtituebatur *Presbyter pœnitentiarius* dictus. Nam, referente Socrate, *Eccleſiarum Epiſcopi canoni adjunxerunt, ut in ſingulis Eccleſiis Presbyter quidam pœnitentiarius eſſet; quo, qui poſt baptiſmum lapſi eſſent, coram Presbytero, ad eam rem deſignato, peccata ſua confiterentur.* lib. 5. c. 19. Excipit Baron. ann. 255. §. 9. *commentum* hoc eſſe Novatiani; & probare vult. Aut enim publicis delictis, aut privatis audiendis, & judicandis fuiſſe præfectum; non iſtis; id enim fuiſſe Epiſcopi, & totius Eccleſiæ; Nec his, hoc enim *ſemper in Eccleſia fuiſſe oportuit.* ℞. Privata audivit; ſed occulta. Quod quidem Baronius dicit in Eccleſia ſemper fuiſſe uſitatum, ſed non probat. Fuerit autem uſitatum, potuit obſolevilſe, ut reſtaurandum eſſet, eo præſertim tempore, quo plurimum erat lapſorum: vel alio modo fuiſſe uſitatum. Id certum eſt, confeſſionem fuiſſe uſitatam: *Circumſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum, proba prius medicum, cui debeas languoris cauſſam exponere, ut, ſi is intellexerit & præviderit, talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari; ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè ſanari.* Monet Origen. in Pſalm. 37. Vide Chemnit. part. 4. exam. p.m. 107. Exercebant claves & diſciplinam, Epiſcopo tamen non excluſo. Cypr. ep. 10. 12. 16. 31. Interdum etiam Scholaſtica tractabant, ut Clemens Alex. Origenes, Heraclas, Malchion. Euſeb. VI. 5. VII. 23. Literas ferebant Cypr. ep. 52. §. 1. Habebant vicarios, qui *Presbyterium ſubminiſtrabant,*

strabant. Cypr. ep. 19. Erant & *Presbyterissæ*, viduæ, matres, quæ *cæteras & consilio & solatio juvarent*, uti loquitur Tertull. c. 9. de vel. virg.

3. Diaconi. §. 16. III. *Diaconi* habebant suum distinctum *officium ac ministerium*, Cypr. epist. 65. §. 1. quod ὑπηρεσίαν vocat Clem. Alex. lib. VII. strom. f. 700. illudque sanctum. Nam epist. 49. §. 1. laudatur *Diaconium sanctæ administrationis*, etsi Nicostrati, perfidia violatum. κατ' ἐξοχὴν sic dicebantur septem illi ab Apostolis creati; apud Origen. hom. 23. in Matth. Et XVI. in Jos. Constituebantur ab Episcopis, Apostolorum successoribus. Cypr. ep. 65. §. 4. Vacabant, deficiente Episcopo, vel Presbytero, etiam Sacramentis, ut Baptismo, administrandis. Tert. c. 17. de bapt. vel confessionibus audiendis. Ita enim Cypr. epist. 13. scribit: *Si* (lapsi pœnitentes) *incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata præsentia nostra apud Presbyterum quemcunque præsentem, vel, si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exomologesin facere delicti sui possint; ut manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace.* Ordo igitur quidam fuit inter ministros, in quo tertium locum tenebant Diaconi. Alias variè Ecclesiis inserviebant. Vacabant n. & lychnis oleo in vigiliis instruendis, ut est locus apud Euseb. lib. VI. hist. c. 8. curandis per carceres confessoribus; Nam his inserviebant cum suis Presbyteris, jubente Cypriano, epist. 5. §. 2. ep. 11. §. 1. *In præteritum semper sub antecessoribus nostris factum est, ut Diaconi ad carcerem commeantes, martyrum desideria suis consiliis & scripturarum præceptis gubernarent.* Portandis hinc inde literis, aut expediendis Episcoporum mandatis, sicut Demetrii Episcopi Alexandrini jussu diaconi accersiverunt Origenem, apud Euseb. lib. VI. hist. c. 13. sub fin. Distribuendis inter pauperes pecuniis, vel asservandis iisdem. Nam epist. 49. Cyprianus conqueritur *de Ecclesiasticis pecuniis à Nicostrato quodam Diacono sacrilega fraude subtractis, & viduarum, ac pupillorum depositis denegatis.* Oportet igitur pecunias illas diacono administrandas fuisse commissas. Atque hoc ex prima institutione erat officium Diaconorum. Postea demum accessit ordo prædicandi verbi & ministrandi Sacramenta. vide M. Ant. de Dom. hier. Eccles. l. 2. c. 4. §. 45. seqq.

4. Subdiaconi. §. 17. IV. *Subdiaconi* erant loco Diaconorum absentium, vel aliàs occupatorum. Innuit Cyprianus epist. 24. Cum verba facit

de

de Hypodiacono à sese constituto: *Nihil à me absentibus vobis novum factum est, sed quod jam pridem communi omnium nostrûm consilio cœperat, necessitate urgente factum est.* Ministrabant igitur vel cum Diaconis, vel vicediaconorum pauperibus, viduis, orphanis, captivis, confessoribus & martyribus, occupati circa agapas: vel perferendas Episcoporum literas; Cypr. epist. 4. & 43. Ita tamen, ut cum diaconi *vix ad ministerium quotidiani operis sufficiunt*, tum demum *necesse sit novos aliquos constituere, qui mittantur*; ut ejusdem verba habent. Constituebantur ab Episcopis necessitate sic exigente. Cypr. ep. 24. Nam ibi scribit: *Fecisse me autem sciatis lectorem Saturum, & Hypodiaconum Optatum confessorem: quos jam pridem communi consilio Clero proximos feceramus.* Patet hinc Subdiaconatum à Christo aut Apostolis non esse institutum, neque esse Sacramentum, quo gratia interna confertur; Sed ab Ecclesia succedanea usu & necessitate sic exigente esse ordinatum pro externis operibus manualibus. Quod adeò verum est, ut Lomb. dist. 24. in IV. fateatur, ab Ecclesia esse subdiaconos institutos; suffragante Gratiano dist. 21. decreti. Petr. Blesf. serm. 47. Ipso etiam Bellarmino non audente ad Hierarchicum referre ordinem, sed potius ad ministeria Hierarchiarum, c. 2. de ord.

§. 18. V. *Acoluthi.* Distinctum erat à præcedentibus officium, & occupatum in variis Ecclesiæ ministeriis. Nuncii erant & ministri in erogandis eleemosynis. Sic enim Cyprianus epist. 36. *Misi per Naricum Acoluthum aliam portionem, ut largius & promptius circa laborantes fiat operatio*: Gerendis literis: ut Cyprianus misit per Nicephorum, epist. 46. §. 4. ep. 49. 1. Saturum, ep. 55. Fuit igitur & hoc officium merè externum, de quo fatetur Sotus de just. & jur. l. 9. q. 7. art. 1. juris esse positivi; Bellarminus autem l. c. concedit minus esse probabile, quod Sacramentum sit, quam Subdiaconatus. (5) Acoluthi.

§. 19. VI. *Exorcistæ* ad Clerum referebantur. Sic enim Martyres ex carcere ad Cyprianum scripsere ep. 17. *Præsente de Clero, & Exorcista, & Lectore*: Nisi illum, qui de clero præsens erat, dixeris fuisse distinctum à reliquis duobus. Horum mentio fit hinc inde. Officium ipsum honorifico titulo vocatur *religiosa disciplina* à Firmiliano & Orientalibus in literis 75. ad Cyprianum. Singulare erat (6) Exorcistæ.

donum Dei; Quod §. 10. innuit Cyprianus, quando laudat *exorcistam* inspiratum *Dei gratia,* ut fortiter restiterit dæmoni; *divinamq;* in ipso *potestatem* ep. 76. §. 11. celebrat; sicut & in aliis, quos ep. 75. §. 10. *vocat fortes ac laudabiles in fide,* puto, miraculosa, ad quam ἐνέργεια ista pellendi dæmonas spectabat: item donum discernendi spiritus, sicut ille ipse Exorcista ostendit esse illum *nequissimum spiritum, qui prius sanctus putabatur.* Solebant autem, qui id doni a Deo acceperant, *immundos & erraticos spiritus, qui se expugnandis hominibus immerserint, ad confessionem minis increpantibus cogere, conflictantes, ejulantes, gementes, incremento pœnæ propagantis, extendere, flagris cædere, igne torrere. Res illic geritur, nec videtur, occulta plaga, & pœna manifesta:* adeoque *in omnem adversarii grassantis exercitum imperioso jure dominari:* verba sunt Cypriani epist. 11. §. 2. Illustrari possunt ex epist. 76. §. 11. ubi scribit, quod suo adhuc tempore *per Exorcistas voce humana, & potestate divina flagelletur & uratur, & torqueatur diabolus; & cum exire se, & homines Dei dimittere sæpè dicat, in eo tamen, quod dixerit, fallat, & id, quod per Pharaonem prius gestum est, eodem mendacio obstinationis & fraudis exerceat. Cum tamen ad aquam salutarem, atq; ad baptismi sanctificationem venitur, scire debemus, & fidere, quia illic diabolus opprimitur, & homo, Deo dicatus, divina indulgentia liberatur.* Addi potest, quod §. 12. disserit adversus Demetrianum, & alios Ethnicos, dæmonolatras; *O si eos audire velles, & videre, quando à nobis adurantur, & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur, quando ejulantes, & gementes voce humana, & potestate divina flagella, & verbera sentientes, venturum judicium confitentur! Veni, & cognosce vera esse, quæ dicimus.* Hæc ille. Ex his verbis habemus partim *potestatem,* quæ *divina* fuit, partim tempus, quo utplurimum adjurabantur, nempe baptismi, partim ritum; Solebant enim energumenos flagris cædere, igne torrere, verbis increpare, partim effectum, quod dæmones exierint, etsi cum dolore & inviti; Nam ejulantes gementesq; exibant, sublimiorem humanam potestatem sentientes & indignantes. Nimirum gentiles cultui dæmonum addicti quondam, cum ad baptismum venirent: hoc ritu partim docebantur, in cujus hactenus potestate & cultu fuissent, partim liberabantur ab isto execrabili hospite, qui in ipsis habitabat. Etiamsi autem Christianorum liberi non sint obsessi à dæmone, ut gentiles, adeoque neq;

eo fine adhibendus sit exorcismus, tamen per & propter originale peccatum sunt sub potestate diaboli & mortis, perituri, nisi Deus per Baptismum, medium salutis ordinarium, succurreret, quo fine in nonnullis Ecclesiis Evangelicis ritus iste Exorcismi hodie adhuc non immerito servatur. *Exemplum* recitant Orientales in literis ad Cyprianum 75. §. 10. Narrant enim, ut mulier quædam δαιμονόπνευστος nonnullis imposuerit, *donec unus de Exorcistis vir probatus, & circa religiosam disciplinam benè semper versatus, exhortatione fratrum plurimorum, qui & ipsi fortes ac laudabiles in fide aderant, excitatus, erexerit se contra illum spiritum nequam revincendum; ostenderitq́ʒ esse spiritum nequissimum, qui prius sanctus putabatur.* Unde apparet, quam procul mimi Papistæ absint ab illis priscis Exorcistis, utpote destituti fide miraculosâ, dono discernendi spiritus, potestate nolentes volentes per vim ejiciendi.

§.20. VII. *Lectores*. Infimus, juxta quosdã erat in Ecclesia gradus, per 7.
quẽ adscendendũ erat ad officiũ Ecclesiasticum, seu ulteriores ejus- Lectores.
dem gradus. Sic enim Cypr. ep. 33. de Aurelio Lectore constituto: *Merebatur talis clericæ ordinationis ulterioris gradus, & incrementa majora, non de annis suis, sed de meritis æstimandus; sed interim placuit, ut ab officio lectionis incipiat* Lectoratus igitur erat principium inter officia Ecclesiastica. In Ecclesia quidem Africana; Nam in Romana diaconi erant Lectores, uti observavit Baron. ann. 253. §. 93. Utrobique tamen Lectores erant *de Clero*, ut innuere videntur Martyres in literis ex carcere scriptis. ep. 17. Cypr. quo funguntur, qui *celebrandis divinis lectionibus personant.* ep. 33. Ministerium autem honorificum. *Nam divinus honor, honor Ecclesiasticus, honoris claritas* nuncupatur. Ordinabantur ab Episcopis & Presbyterio: & ordinati aliis intimabantur; ep. 24. *Hunc igitur,* (scribit idem) *fratres dilectissimi* (Presbyteros, diaconos & plebem putat) *à me, & à Collegis, qui præsentes aderant, ordinatum sciatis, quod vos scio & libenter amplecti, & optare tales in Ecclesia nostra quamplurimos ordinari.* ep. 33. & ep. 24. *Necesse fuit novos aliquos constituere, qui mitterentur. Fecisse me autem sciatis Lectorem Saturum, & hypodiaconum Optatum confessorem, quos jam pridem communi consilio clero proximos feceramus.* Habebant igitur Episcopi quidem potestatem ordinandi Clericos, ita tamen, ut prius *cum Presbyteris doctioribus lectores diligenter probarẽt, examinantes, an congruerent illis*

omnia, quæ esse debent in his, qui ad Clerũ parabantur. ep. 24. Imò & absentes fratres *solerent ante consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare.* ep. 33. Deprehendentes autẽ idoneos, ut erant, qui *virtutibus & moribus gloriosi*, &, si fieri posset, *omnibus virtutis ac laudis insignibus condecorati, hos super pulpitum, id est, super tribunal Ecclesiæ oportebat imponi, ut loci altioris celsitate subnixi, & plebi universæ pro honoris sui claritate conspicui, legerent præcepta & Evangelia Domini.* Objectum igitur Lectoratus erat Scriptura sacra, & in hac Evangelium, quod prælegebant ex eminentiore pulpito, veluti textum futuræ concionis, sive enarrationis. Fiebat autem lectio die *dominico*, ut erat *Paschæ*; ep. 24. 33. & prima veluti *dedicabatur*. ep. 33. Patet autem hĩnc, quod Lectoratus non vacaverit explicando verbo, aut administrandis Sacramentis, adeoque nec Cleri pars fuerit univoca, ut vocant; Etsi *Clero proximus*, ut qui Lectores fierent, *Clero proximi fierent.* epist. 24. *vel ad Clerum pararentur.* Poterant & alia officia conjungi. Nam Cyprianus *Optatum inter Lectores doctorem audientium constituit.* ep. 24. Audientes erant Catechumeni, quorum doctores alio nomine dicebantur Catechistæ.

8. Ostiarii, & alii.

§. 21. VIII. *Ostiarios* Cornelius subjungit Lectoribus. Officium erat valvas in locis sacris occludere, & recludere, & similia opera manuaria facere, adeò, ut & Laici, Catechumenique rudes officio huic pouerint admoveri, ut habet Socr. lib. 5. hist. c. 21. & fatetur Gelas. epist. 6. Atque hinc apparet, si ordines fuerint, quotquot ad ministeria Ecclesiæ adhibebantur, plures, quam septem fuisse: imprimis si sequentia tempora conferamus, ubi & Laborantium, Psalmistarum, Cantorum mentio fit.

Et Doctores scholastici.

§. 22. Doctores scholastici aliquo saltem modo ad Lectores possunt referri. Habebant veteres hujus seculi Christiani suas scholas, cum profanas, tum sacras. Discimus hoc ex Euseb. hist. Eccles. lib. VI. c. 5. Refert enim de Pantæno defuncto, & successore Clemente, quod doctor fuerit constitutus *ad fidei principia* Alexandriæ docenda. Discipulum, & in officio successorem habuit Origenem; Nam & hic, adolescens licet adhuc, tamen præfectus est scholæ Alexandrinæ, ut auditores principiis fidei Christianæ imbueret. Demandaverat autem id officii Episcopus Demetrius. cap. 3. Divisæ erant scholæ in Philosophicas, & Theo-

logicas.

logicas. Origenes enim, sicut à parente olim elegantioribus literis imbutus est puer, apud Euseb. lib. VI. hist. c. 2. ita deinde ipse alios quoque paupertate coactus. c. 3. Grammaticam, & alias liberales disciplinas docuit, ut patet ex Euseb. lib. VI. 3. 13. Quale quid fecit & Anatolius, postea Episcopus. Nam Alexandrinæ scholæ peripateticæ fuit præfectus, lib. VII. Euseb. c. 26. Si licet & alios, Christianos tamen, addere, Ammonius Philosophiam Alexandriæ docebat, ut habet Porphyrius in vita Plotini. Non carebant suo fructu scholæ istæ inter Christianos philosophicæ, imprimis Platonicæ. Multa suis operibus inseruit Plato, quæ redolent divina mysteria. Explicata igitur philosophia Platonica, auditores Ethnici sensim sensimque disponebantur ad ipsam doctrinam divinitus revelatam facilius recipiendam, vel minus odio habendam. Illustre exemplum habemus duos fratres Theodorum & Athenodorum. Illi enim ex patria sua Cappadocia contendebant Berytum, inde Cæsaream Palæstinæ , ut latinas & græcas literas discerent. Origenes utriusque Præceptor erat: *Hortatus igitur est eos ad philosophiam,* καὶ κατὰ μέρος εἰς τὴν τοῦ Χριστοῦ πίστιν εἰσάγων, *& paulatim Christi fidem* (erant enim Ethnici) *subintroducens sui quoq; sectatores reddidit.* Hier. catal. *Si non comprehendit quidem græca philosophia veritatis magnitudinem, & est adhuc imbecilla ad mandata Dei exequenda; at maxime regali quidem certè doctrinæ viam præparat, utcunq; castigans, & mores prius formans, & ad suscipiendam veritatem confirmans eum, qui opinatur providentiam.* verba sunt Clem. Alex. lib. VI. prom. Objectiones recitat, & refellit lib. 1. strom. Objiciebant enim osores disciplinarum philosophicarum *(1)* esse ἔξωθεν καὶ περιττά, *extranea & supervacanea,* (2) καὶ πρὸς κακοῦ ἂν τὴν φιλοσοφίαν εἰσδεδυκέναι τὸν βίον, i.e. *Philosophiam cum maximo malo, & ad hominum perniciem venisse in vitam.* R. ad 1. esto inutilis, tamen vel ideo solum operæ pretium est nosse philosophiam, ut scias, esse inutilem. Esto, non facere ad esse Christiani doctoris, facit tamen ad bene esse. Revera autem nec inutilis nec supervacanea est, si exactè cognoscatur. Ad 2. resp. distinct. inter vitia philosophiæ ipsius, & philosophorum; horum, utpote sophistarum, sunt ista vitia & errores, non philosophiæ, confer Euseb. lib. VI. hist c. 11. 13. Origenes postea literas philosophicas cum Theologicis commutavit , factus doctor sacrarum literarum.

Cæterum

Cæterum Theologicæ scholæ erant vel pro incipientibus, dictæ Catecheticæ, vel pro profectioribus. Indicat discrimen ipse etiam Euseb. lib. cit. c. 12. Nam refert de Origine, quod socium scholæ fecerit Heraclam, præficiendo ipsum lectionibus catecheticis, sibi vero institutionem profectiorum reservarit. Et Hieronymus in catalogo, titulo: Dionysius Alex. scribit, quod sub *Heracla scholam κατηχήσεων Presbyter tenuerit.* Quique sic docebant, dicebantur Patres: apud Clem. Alex. l. 1. strom. Postquam enim præmisisset: *Pulcherrimum esse & honestum existimo, iis etiam, qui postea futuri sunt, bonos filios relinquere, Ac filii quidem corporum, animi autem liberi sunt scripta:* Αὐτίκα πατέρας τοὺς κατηχήσαντάς φαμεν, i. e. *Iam Patres eos dicimus, qui nos Catechesi instituerunt.* Eo autem eruditionis venerunt interdum doctores, ut etiam cum hæreticis congredi auderent, quale nobis exemplum præbet Malchion scholæ Antiochenæ Doctor. Nam Paulum Samosatenum Episcopum Antiochenum disputando vicit, & confudit lib. VII. 23. Unde non mirum est, si & Presbyteri fuerunt creati, ut Clemens Alexandrinus, Origenes, Heraclas, Malchion scholæ Rectores. vide Hieronym. tit. Malchion in catalogo.

AEqualitas inter Episcopos & Presbyteros.

§. 23. *AEquales* inter sese erant Episcopi & Presbyteri; quod attinet potestatem ordinis & jurisdictionis internæ. Cypriano *Presbyteri* sunt *Coepiscopi*; Sic enim epist. 12. §. 2. scribit; *Cum ad vos per Dei misericordiam venerimus, convocati Coepiscopi plures secundum Domini disciplinam & confessorum præsentiam beatorum Martyrum literas & desideria examinare possimus.* Loquitur de conventibus in urbe fieri solitis quotiescunque negotium alicujus momenti jubebat; in quibus assidebant Presbyteri, ep. 46. §. 2. ep. 66. §. 1. cognitores & judices. Vicissim Episcopi dicebantur *Compresbyteri*, epist. 38. Multò magis autem æquales inter sese erant Episcopi: ut nullus esset cæterorum dominus, sicut quidem Pontifex Romanus vult videri. Apparet ex aliquot argumentis (1) *Ex nominibus.* Nam Cyprianus epist. 4. appellat Cornelium Episcopum Roman. suum *collegam*, quæ vox indicium est æqualitatis inter Episcopum Rom. & Carthaginensem. Loca aliquot occurrunt. Ep. 4. scribit Cyprianus ad Clerum Romanum, *de excessu boni viri Collegæ sui*; putat Fabianum Cornelii antecessorem martyrio coronatum, vocant &

fratrum

fratrem: ut Cyprianus Cornelium: *Cyprianus Cornelio fratri*; epist. 41. 42. 43. 45. *Cornelius Cypriano fratri.* ep. 46. 48. &c. Hinc Archiepiscopi Hispani, præsertim Segoviensis & Granatensis, in Concilio Tridentino contenderunt: provocantes inter alios etiam ad Cyprianum: *Unum esse Episcopatum, cujus à singulis in solidum pars teneatur, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii sint, omnes ejusdem esse meriti, ejusdem sacerdotii, Papam Romanum esse Episcopum, ut alii sunt; Ipsum atq; hos esse fratres inter se, filios unius Patris, nempe DEI, unius matris, Ecclesiæ; unde à Pontifice etiam fratres appellentur, &c. Si Papa institutus est à Christo, ab eodem pariter & se constitutos esse Episcopos. Nec dici posse Papam eos vocare fratres per speciem humanitatis & humilitatis. Nam & incorruptis seculis Episcopos alios Romanum appellasse fratrem. Extare epistolas Cypriani ad Fabianum, Cornelium, Lucium, & Stephanum, in quibus ipsos compellat titulo fratrum.* Hæc illi. Vid. Hülsem. de minist. ord. §. 59. Nec valent, quæ ad l. c. excipit Pamelius (1) etiam fratres appellari Episcopos, quæ tamen vox omnium est Christianorum; An autem omnes Christiani æquales fuerint Episcopis? (2.) Etiam inæquales dici collegas, ut Episcopos & Presbyteros in Concilio IV. Carthaginiensi. (3.) Comitatis id & lenitatis fuisse, ut Episcopi Rom. sese collegas aliorum dici paterentur. Respond. Episcopi & reliqui Christiani utique sunt æquales in eo tertio, in quo dicuntur fratres, nempe Christianismo; Ita & Episcopi Episcopis sunt æquales in eo tertio, in quo dicuntur collegæ; Lenitas autem & comitas non excludunt rei veritatem. Sed redimus è diverticulo. Dicebatur Episcopalis gradus omnium supremus, ut colligitur ex Cypr. epist. 52. §. 2. Et fatetur Baron. annal. 216. §. 9. & Martyrol. d. 9. April. *Fuit olim vetus ille usus in Ecclesia, ut Episcopi omnes non tantùm Pontifices, sed & summi Pontifices dicerentur, eo quod Episcopatus summum sacerdotium appellaretur.* Si summi omnes Episcopi, E. nullus altero est superior. Excipit quidem Baronius l. c. Romanum fuisse superiorem, utpote *Maximum* à Tertulliano dictum; sed frustra. Ironicæ locutiones, ut est illa Tertulliani, non sunt logicæ, adeoque nec veri, nec falsi capaces. Sed de hoc loco pluribus infra. (2.) *Ex origine.* Nam Matth. XVI. 18. Christus in Petro, *qui unus pro omnibus loquens, & Ecclesiæ voce respondens, ait: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*, ep. 55. §. 8. &c.

Probatur (1) ex nominib.

(2) Ex origine.

Zzz *Episcopi*

Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disposuit. Ita, ut inde per temporum & successionum vices, Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrat, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem Præpositos gubernetur. Cypr. ep.27. Similia ferè habet Origen. tr. 1. in Matth. Igitur ex sententia Cypriani, quod dictum & datum est Petro, idem dictum datumque est etiam Cypriano, & omnibus Episcopis, nempe sustinere Ecclesiam, & tenere utramque clavem; Nam Cyprianus id fundamentum sternit adversus lapsos, disciplinæ sese intempestivè subtrahentes, ut pro auctoritate sua ipsos objurgare possit. Igitur & Cyprianus est inter illos Episcopos, super quibus posita est Ecclesia, & participat æqualem portionem de Episcopatu in Ecclesia, unico Petro præfigurante: *Hoc erant utiq; & cæteri Apostoli,* ait Cyprianus, *quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.* Si igitur Apostoli Episcopis succedunt, æquali potestate succedere necesse est, vide de rep. Eccles. M. Ant. de Dom. t.1.lib.1. c.3. *Unitatem Ecclesiæ tenere & vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut Episcopatum quoq; ipsum unum atq; indivisum probemus:* scribit Cypr. de unit. Eccles. innuens unum esse non Episcopum, sed Episcopatum omnibus Episcopis communem. *Una est Ecclesia à Christo per totum mundum, in multa membra divisa: item Episcopatus unus Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus.* Idẽ scribit. vide M. Ant. de Dom. de rep. Eccles. t.1. lib.III. c.1.§.14. seqq. conf. quæ Orientales adversus Stephanum de successione Petrinâ gloriantem scripsêre epist. 75. stylo Firmiliani. Nam allegatis dictis Matth. XVI. 19. Joh. XX. 22. 23. concludunt: *Potestas ergo peccatorum remittendorum Apostolis data est, & Ecclesiis, quas illi, à Christo missi, constituerunt, & Episcopis, qui eis ordinatione vicaria succedunt.* Cumque Stephanus plus æquo in successione Petrina gloriaretur, ridebant illi *Stephani stultitiam, quod, qui sic de Episcopatus sui loco gloriatur, & se successionem Petri habere contendit, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, multas alias petras inducat, & Ecclesiarum multarum nova ædificia constituat, dum esse illic baptisma sua auctoritate defendit.* Hæc illi, in hypothesi quidẽ baptismi errantes, dum irritũ censuerunt, qui revera non erat, in thesi verò nequaquam, censentes Papam Romanum errare posse, & dicta Scripturæ malè applicare. Multum gloriantur Pontificii

tificii de eo, quod Joh. XXI. 17. dictum est Petro: Pasce oves meas; At ipse Clerus Romanus ad Carthaginiensem scribens dictum explicat etiam de Presbyteris & Clero universo Carthaginiensi, postquam Cyprianus Episcopus secessisset, ep. 111. Et innuit Cyprianus epist. 67. §. 6. *Etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus, & oves universas, quas Christus sanguine suo & passione quæsivit, colligere & fovere debemus.* Hæc ille ad Stephanum Episcopum Romanum negligentius Novatianis irascentem. Orig. tract. 1. in Matth. quærit: *An verò soli Petro dantur à Christo claves regni cœlorum, nec alius beatorum quisquam eas accepturus est?* Ita igitur Petrus accepit claves, ut & cæteri acceperint. Cyprianus de simpl. Prælat. expressè habet Christum *Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuisse.* (3.) *Ex judiciis habitis.* Nam Pontifici Rom. non licebat citra Presbyterii consensum caussas audire, examinare, aut decidere, uti nec aliis licuit. Sic enim Cornelius ep. 46. ad Cyprianum scribit: *Omni actu ad me perlato placuit contrahi Presbyterium. Adfuerunt etiam Episcopi quinq; qui & hodie præsentes fuerunt, ut firmato consilio, quid circa personam eorum observare deberet, consensu omnium statueretur.* Quid opus fuisset Presbyterium contrahi? consilium firmare? consensum expectare? si absoluta fuisset Pontificis potestas? Nullum hujus vel minimum apparet vestigium. Imò licebat ipsum etiam R. Episcopum censura notare. Epist. 74. Cyprianus ad Pompejum scribit: *Misi tibi rescripti ejus* (Stephani) *exemplum, quo lecto magis ac magis ejus errorem denotabis, qui hæreticorum caussam contra Christianos, & contra Ecclesiam Dei asserere conatur.* Quis credat Cyprianum virum sanctissimum tam acri censurâ usurum fuisse adversus Romanum Episcopum, si ejus æqualis non fuisset. Acrius adhuc in eundem invehitur Firmilianus Cappadociæ Episcopus cum suis orientalibus per totam, quæ §. 75. habetur epistolam. Certè Cyprianus caussam suam noluit committere Stephani Papæ judicio, ep. 76. *Ostendi, quid nos, quantum in nobis est, sentiamus, nemini præscribentes, quò minus statuat, quod putat unusquisq; Præpositus, actus sui rationem Domino redditurus.* Dominum igitur agnoscit judicem, non Stephanum, i. e. Pontificem Romanum. Imò, Ecclesia Carthaginiensis judicium tulit de caussa inter Cornelium Papam & Novatianum schismaticum agitata; sicut Romana inter Cyprianum & Felicissimum. epist. 42.

(3) Ex judiciis

Ita Episcopi Gallicani Martianum Episcopum *suæ provinciæ* Arelatensem judicârunt, & condemnârunt, non exspectato Stephani Episcopi Romani judicio: *Cum Martianus* (ex Novatianis) *esse cœperit, & se Novatiano conjungens, adversarius misericordiæ & pietatis extiterit, sententiam dicat, non accipiat; Nec sic agat, quasi ipse judicaverit, de collegio sacerdotum, quando ipse sit ab universis sacerdotibus judicatus.* Erat igitur jam *judicatus à sacerdotum collegio*, jam *abstentus*, non demum *abstinendus*. Hæc Cyprian. Quia autem Stephanus Pontifex Romanus (cui tamen Novatianus ille potissimùm erat oppositus) morabatur hunc ipsum sua quoque censura notare, Cyprianus Carthaginiensis, cujus erat *consulere & subvenire corpori*, scripta allegata epistola acriter ipsum corripuit, & severè monuit, ut officium faceret: *Facere te oportet plenissimas literas ad Coëpiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Martianum pervicacem & superbum & divinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum collegio nostro insultare patiantur.* In sequentibus addit comminatoriam Dei correptionem, Ezech. XXXIV. v. 6. Ut mirer Baronium ann. 258. §. 9. seqq. gloriam hinc quærere Papæ suo, tanquam *Rom. Pontificis sit deponere lapsos Episcopos*; ut in margine notat; non aliorum, quod supponendum est, si quid velit ad rem dicere. Supponi autem nequit, cum jam à Cypriano aliisque sacerdotibus fuerit ille depositus, Pontifice Romano dormitante, eoque nomine correpto. *Hæc exinde oriri*, dicit Cyprianus, *& schismata nasci, si, qui unus in Ecclesia ad tempus sacerdos est, & ad tempus judex vice Christi*, ut ipse Carthagini, *universa fraternitas*, quæ diœcesi subest, non obtemperet, vide Guil. Riv. def. lib. Eccles. part. III. c. 3. (4.) *Ex appellationibus.* Indignissimè tulit Cyprianus, cum Basilides Hispaniarum Episcopus, sed ab Ecclesia Hispanica depositus, Romam appellasset, epist. 68. §. 6. negatque, eapropter decretam antea depositionem abrogari posse; *Nec rescindere ordinationem jure perfectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propriâ confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longè positum, at gestæ rei, ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi se injustè in Episcopatum, de quo fuerat justè depositus.* Hæc Cyprianus consultus ab Ecclesiis Hispanicis cum suis XXXV. Episcopis cordatè respondit: Depositus igitur erat, & justè quidem, validèque Basilides, citra consensum Rom. Pontificis, nec poterat, licet appellaret,

(4) **Ex appellationibus.**

pellaret, ab hoc restitui. Adeò, ut Cyprianus succenseret Pontifici Stephano ob *lubricam* hominis *fidem, neglectam disciplinam, turbas, ruinas, & fidei naufragia.* Et epist. 55. §. 16. item Cyprianus invehitur in schismaticos, quod Romam appellârint: *Nam cum statutum sit ab omnibus nobis, & æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusq; causâ illic audiatur, ubi est crimen admissum, &c. oportet utiq; eos, quibus præsumus, non circumcursare, &c.* Et infra: *Nisi si paucis desperatis ac perditis, minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum.* Ecce Cyprianus vult cujusque caussam audiri, *ubi est crimen admissum*; Non ergò omnes Romæ, nisi dixeris, omnia ibi crimina admitti; Et hoc ideò, quod par sit *auctoritas Episcoporum* in Africa, & alibi locorum, quæ est Romanorum; Excipiunt Pontificii, factiosos illos censuisse, quod ne quidem prima, ut vocant, instantia spectaret ad Africanos, sed ad Romanum Episcopum, id igitur à Cypriano fuisse notatum censura. At reclamant verba Cypriani, & manifestè ostendunt, non voluisse ipsum semel judicata Romæ iterum disceptari: *jam caussa eorum cognita est; jam de iis dicta sententia est, nec censuræ congruit sacerdotum mobilis atq; inconstantis animi levitate reprehendi.* Sic ille. Quotusquisque inferiorum judicum sic loquitur, ubi superest appellatio ad superiores? Pergunt excipere: Non licuit appellare ad Romanam sedem in caussis minoribus, ut erat Felicissimi & Cypriani; licuit autem in majoribus. Vanum effugium! inter Cyprianum enim & Felicissimum quæstio erat: uter esset genuinus Episcopus? an hæc est minor caussa? Imò de *sublimi fastigio sacerdotij*, deq; *summo Sacerdote Episcopo* controversia erat! vide §. 24. (5.) *Ex fraternis mutuisq; precibus*, admonitionibus, communicationibus. Coronato per martyrium Fabiano Clerus Romanus *Præpositi* instar & *vice Pastoris* literas dat ad Carthaginiensem, suamque exponit sententiam de Cypriani fuga, & qualem sese gerat Clerus Carthaginiensis, nihil pro auctoritate imperans; sed *fratres* amicè hortatur, adductis in medium rationibus, ep. 3. Similiter egit Cyprianus, scribens ad Jubajanum: *Hæc tibi breviter pro nostra mediocritate scripsimus, frater charissime, nemini præscribentes, aut præjudicantes, quo minus unusquisq; Episcoporum, quod putat, faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem.* Si *unusquisq;* habet arbitrii sui liberam potestatem, faciendi, quod putat: qui fieri potest, ut Papa Romanus omnibus vel ulli

(5) Ex communione mutua.

pro auctoritate imperet? *Superest, ut de hac ipsâ re, quid singuli sentiamus, proferamus. Neminem judicantes,* ait idem in Concilio Carthaginiensi, *aut à jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum esse constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adegit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non possit; cum nec ipse possit alterum judicare, sed & spectemus universi judicium Domini Jesu Christi, qui unus & solus habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi.* Attamen communicarunt suam sententiam Stephano R. Episcopo. Ergo aliquam ejus supra se auctoritatem recognovere? Absit; *Hæc ad conscientiam tuam, frater charissime, & pro honore communi, & pro simplici dilectione pertulimus:* ita illi ad Stephanum. *Honoris* ergò erat *communis*, & *dilectionis*, non *subjectionis*, quod fecerunt. Maneat igitur, quod Origenes tract. 31. in Matth. monet: *Peccat in Deum quicunq; Episcopus, qui non quasi conservis, servus ministrat, sed quasi Dominus.* Et hom. VI. in Jes. *Qui vocatur ad Episcopatum, non Principatum vocatur, sed ad servitutem totius Ecclesiæ.* Imprimis memorabilis est Origenis Commentarius ad Matth. XX. qui extat tract. 12. f. m. 55. qui ex versione Gilberti Genebrardi Pontificii ita sonat: *Quoniam duo fratres* (Jacobus & Johannes Filii Zebedæi) *super cæteros Apostolos sibi gloriam præripere voluerunt, indignantibus cæteris, inde occasionem accipiens Jesus, regulam justitiæ fidelibus ponit, quomodo quis apud Deum potest obtinere primatum. Principes gentium non contenti tantum regere suos subjectos, violenter eis dominari nituntur. Inter vos autem, qui estis mei, non erunt hæc. Ne fortè, qui videntur habere aliquem in Ecclesia principatum, dominentur fratribus propriis, vel potestatem in eos exerceant. Quoniam sicut omnia carnalia in necessitate sunt posita, non in voluntate, spiritualia autem in voluntate, non in necessitate; sic & Principes spirituales, Principatus eorum in dilectione subjectorum debet esse positus, non in timore corporali. Sed & qui voluerit apud Patrem meum major esse comparatione fratrum suorum cæterorum, efficiatur minister eorum, quibus vult esse major. Et qui principatum desiderat Ecclesiæ, debet fieri omnium servus in humilitate servili, ut obsequatur omnibus in his, quæ pertinent ad salutem. Et hæc docet nos sermo divinus. Nos autem sive non intelligentes voluntatem divinam positam in scripturis, sive contemnentes talem commendationem Christi tales sumus, ut*

etiam

etiam malorum principum mundi excedere superbiam videamur: & non solum quærimus, sicut reges acies præcedentes, & terribiles nos, & accessu difficiles maximè pauperibus exhibemus, & tales sumus ad eos, qui nos interpellant, ut propter aliquid deprecentur, sicut nec tyranni, & crudeliores Principibus mundialibus ad subjectos. Et est videre in quibusdam Ecclesiis, præcipuè Civitatum maximarum, Principes populi Christiani nullam affabilitatem habentes, vel habere ad se permittentes. Illustris locus est, in quo duo potissimum dicit Adamantius; (1.) à ministris Ecclesiæ alienam esse temporalem potestatem. (2.) Inter eosdem nullius esse majorem præ altero auctoritatem & potestatem. Utrumque deducit ex quæstione & responsione, ista Zebedeidum, hac Christi. Quod enim illi quærebant, hoc hic denegabat. Petebant autem illi dominatum & eminentiam præ reliquis; utrumque igitur Christus denegavit. Bellarminus citat locum lib. IV. de Pap. R. c. 21. sed truncatim, ut inveniret, quod ad speciem responderet. Negat Origenem *excludere à Principe Ecclesiastico coactivam potestatem*; At qui non excludat, cum dicat: *Principatus eorum* (spiritalium) *in dilectione subditorum debet esse positus, non in timore corporali?* Regerit: *tantum monet ejusmodi principes officii sui.* Ita est, sed eo ipso *ad spiritalia* eos remittit, exclusis *carnalibus*, seu mundanis rebus, ut est regimen politicum. Neque, quod amplius addit Jesuita, principis officium minus est, voluntate & benevolentia regere subditos, quam Ecclesiæ ministri suos auditores. Etiam politicus Princeps *debet omnino procurare, ut subditi amore potius ducantur, quam timore, quanquam, ubi non potest impetrare, ut libenter & ex amore bene vivant, debet etiam vim coactivam adhibere, ut saltem timore pœnæ non perturbent externam Ecclesiæ pacem.* Quare nulla est in hoc tertio differentia inter politicum & Ecclesiasticum Principem, quam tamen solicitè constituit Christus, & ex Christo Origenes. Ergone regimen politicum est illegitimum? Absit. *Non enim ideo abstinent, quod ista publica vitæ munia refugiant; sed quod se servent divinioribus & magis necessariis muniis Ecclesiæ ad salutem hominum,* quod idem respondet lib. VIII. contr. Cels.

§. 24. Excipit Bell. lib. 2. de P. R. c. 23. *Cyprianum ægrè tulisse appellationes eorum, qui de manifestissimis criminibus convicti & judicati fuerant; non autem omninò appellationes sustulisse.* Confirmat ex lib. 1. ep. 4. (68) ubi Cypriano *non tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est;* Exceptiones Bellarmini.

(Stephanus

(Stephanus P. R.) *quam hic* (Basilides) *execrandus, qui fraudulenter obrepsit*; Si igitur Stephanus non fuit culpandus, E. justè ad ipsum appellatum est. Vel, ut Bellarmini utar verbis: *Si non licuisset Stephano appellationes ullo modo admittere, valde certè esset culpandus, quod appellationem non rejecisset, etiamsi justam caussam Basilides habuisset.* Resp. Cur Cyprianus ægrè tulerit appellationem, figmento opus non habet; Nam clarè dicit, cur ægre tulerit, nempe, quod ea ratione *auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum* infringatur; quare non ideò reprehendit, quod bene fuerit causa decisa; sed ideò, quod in decisione non acquieverint, facta ibi locorum, ubi scelus erat admissum. Cyprianus abstracta caussæ sive bonitate, sive pravitate loquitur: *Statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusq; causa illic audiatur, ubi est crimen admissum; & singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque, & gubernet, ratione sui actus Domino redditurus; oportet utiq; eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola & fallaci temeritate collidere, sed agere illic caussam suam, ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possunt; nisi si paucis desperatis & perditis minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui jam de illis judicaverunt, & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam judicij sui nuper gravitate damnarunt.* Hinc patet, quod non [illegible]*ietas*, sed *auctoritas* Episcoporum Africanorum ista intempestivâ appellatione fuerit in discrimen adducta; Instat Bellarminus: *Si hoc decreto prohiberentur appellationes, non solum prohiberentur ad Romanum Pontificem, sed etiam ad quemlibet alium judicem.* Resp. utique ad quemlibet, nisi fuerit superior; bonitas enim caussæ non eripit injusto judici ipsam auctoritatem & eminentiam, aut concedit alii justo judici auctoritatem judicandi de iis, qui ipsius inferiores non sunt. Secus fieri posset, ut quis appellaret à supremo magistratu sive politico, sive Ecclesiastico injusto; ad inferiorem, quod quam absurdum! Cyprianus quidem Stephanum *non tam* culpat, ut Basilidem; at interea culpat, quod admiserit appellantem; N. G. non tam culpat, E. prorsus non culpat. Et si *Episcopi Africæ non fuerunt minoris auctoritatis, quam sufficeret ad eam caussam judicandam*; quæ iterum Bellarmini exceptio est, utique tantæ fuerunt, quantæ R. P. Nam agebatur de controversia inter Cyprianum & Felicissimum Episcopos, qui

qui supremum in Ecclesia locum, per hypotheses Pontificiorum occupant. Si igitur de his potuerunt judicare, cur non & de inferioribus & aliis?

§. 25. Ministro Ecclesiæ licet uxorem non modò ductam olim retinere, sed & ducere. Tertullianus ipse, Presbyter licet, tamen uxoratus fuit, ut testantur literæ ejusdem ad uxorem; Marcionis parens fuit Episcopus, ut idem auctor est de præscript. c. 51. Felix Presbyter uxorem habuit Victoriam, quod testatur Cypr. ep. 19. Chæremon Episcopus *uxorem* habuit, cum qua in persecutione fugit. Euseb. lib. VI. hist. c. 34. Excipit clerogamiæ osor infensissimus Alanus Copus dial. VI. p. m. 955. *Non apparet Chæremonem post initiationem uxorem sibi adscivisse, aut aliter postea cum ea, quam cum sorore, habitasse.* Resp. Nec apparet ante initiationem adscivisse, aut ut sorore usum esse. Historico non limitante vel tempus, vel usû, indefinitè nos accipimus, Episcopos nempe uxores & habuisse, & usurpasse. Ex uxoribus suscipiebant liberos. Innuitur à Cypriano epist. 68. Refert enim inter alia crimina, ob quæ Martialis Hispaniarum Episcopus fuerit ab officio remotus, quod *filios in eodem collegio, exterarum gentium more, apud profana sepulchra deposuerit, & alienigenis consepeliverit.* Filios dubio procul suos, quippe qui in alienos nihil habuit potestatis. Antiocheni patres in literis synodicis apud Euseb. lib. VII. c. 24. meminerunt Domini cujusdam, Demetriani olim apud sese Episcopi filii, & ipsius Episcopi facti. Imò erant Sacerdotes digami, illique inter Psychicos, i. e. sinceros & orthodoxos Christianos. Nam Tertullianus Montanista reprehendit, quod & *Digami præsideant* lib. 2. de exhort. ad cast. c. 12. contendens vicissim, *unius matrimonii esse oportere, quos adlegi liceat in ordinem sacerdotalem.* Conjugium.

§. 26. Ministris Ecclesiæ dabatur Salarium, tanquam decimæ *ex fructibus*: Cypr. ep. 66. 2. quas etiam in N. T. præceptas esse contendit Origenes hom. II. Num. *Hanc (de decimis) legem observari etiam secundum literam, sicut & alia nonnulla, necessarium puto. Sunt enim aliquanta legis mandata, quæ etiam N. T. discipuli necessaria observatione custodiunt.* Hæc ille. Sportula dicebatur, voce desumpta ex Romanis, apud quos sic dicebatur portio à divitibus & patronis data pauperibus, & clientibus. Apud Christianos autem sic appellaban- Salarium.

pellabantur *divisiones, quantitates, portiones, sumptus, stipendia*, à fidelibus singulis mensibus, si possent, aut vellent, liberè collata. vide Tert. Apol. c.39. Episcopus vel mensurnas, vel diurnas dabat Presbyteris, Diaconis, Lectoribus, *Sportulantibus* inde dictis epist.66. §.2. Easque ex quarta parte bonorum Ecclesiæ. Cypr. ep.34. §.4. scribit de Celerino & Aurelio Lectoribus ordinatis; *Presbyterii honorem designasse nos illis jam sciatis, ut & sportulis iisdem cum Presbyteris honorentur, & divisiones mensurnas æquatis quantitatibus partiantur.* De seipso meminit epist.36. ut & de pauperibus, quibus reliquum dabatur: *Viduarum & infirmorum, & omnium pauperum curam peto diligenter habeatis* (Presbyteri & Diaconi). *sed & peregrinis, si qui indigentes fuerint, sumptus suggeratis de quantitate mea propria, quam apud Rogatianum Compresbyterum nostrum dimisi, quæ quantitas, ne fortè jam universa erogata sit, misi eidem per Noricum Acoluthum aliam portionem, ut largius & promptius circa laborantos fiat operatio.* Episcopis igitur suprema bonorum Ecclesiasticorum cedebat administratio, ep.4.§.1. ep.38. §.2. ep.60. §.4. qui distribuebant per inferiores ministros inter pauperes domesticos, vel peregrinos, erogata interdum sua quoque portione seu quantitate. Hoc nomine Cyprianus laudatur à Confessoribus Romanis ep.26. §.4. Poterantque illi suspendere indignos à participatione, ep.28. §.2. Ordinat Cyprianus Episcopus de Philumeno & Fortunato hypodiaconis lapsis: *Interim se à divisione mensurna tantum contineant, non quasi à ministerio Ecclesiastico privati esse videantur, sed ut integris omnibus ad nostram præsentiam differantur.* Dignos autem non omninò obruebant divitiis. vide Origenem tract.31. in Matth. ubi explicat verba Christi Matth. XXIV. 45. monentis, ut simus dispensatores fideles; i.e. *Non devoremus, quæ sunt viduarum, & memores simus pauperum, nec occasionem accipientes ex eo, quod scriptum est:* Dominus constituit iis, qui Evangelium prædicant, de Evangelio vivere; *Amplius quæramus cibo simplici, & necessariis vestimentis, ut ne amplius teneamus nobis, quam demus esurientibus fratribus, & sitientibus atque nudis, & eis, qui necessitatem patiantur in secularibus curis.* Sacerdotes igitur cibo & vestimentis tenuibus ad necessitatem erant contenti. Sacerdotibus Pharaonis comparat, qui fundos possidebant. hom.16. in Genes. Ad salaria referri possunt & ædes Episcopales. Fuisse enim domos Ecclesiæ ministris assignatas patet ex historia

Pauli

Pauli Samosateni. Nam depositus ille ab officio suo nolebat egredi de domo *ejus Ecclesiæ propria*, hactenus autem ab ipso inhabitata, donec Aureliani Imperatoris decreto exire juberetur: Referente Euseb. lib. VII. hist. c. 24.

§. 27. Honorandum est ministerium. Nam Cyprianus *Ecclesiasticum honorem* epist. 34. vocat *debitum honorem* epist. 30. utpote de *Dei dignatione concessum*. ep. 55. Atque ex eo fundamento crimina objecta ministerio satis probato negat esse audienda epist. 41. Alibi laudat *loci sui honorem*, & collegarum suorum Compresbyterorumque *auctoritatem*. ep. 38. *Gravitatem & sanctitatem sacerdotalem*, epist. 42. etiam *dignitatem*, de aleat. f. m. 530. utpote quod ministerio *honor tantus de Dei dignatione concedatur, ut quisq; sacerdoti ejus ei ad tempus hic judicanti non obtemperaret, statim necaretur*; urgente Cypriano ep. 55. §. 1. Honores.

§. 28. Studeat virtutibus cum officii, tum morum; De officio superius est dictum. De moribus palam est ex Origen. lib. 3. contr. Cels. p. m. 129. Disputans enim pro efficacia & sanctitate Christianæ doctrinæ adversus Epicuræum, ita inter alia loquitur: *Senatum Ecclesiasticum si componas ad Senatus singularum Civitatum, invenies quosdam Senatores Ecclesiasticos dignos ubi vis gentium administrare divinitus constitutam Remp. Senatores vero istos, qui passim reperiuntur, nihil in moribus habere eximium præ plebejis hominibus: Eodem modo Magistratus Ecclesiastici cum urbanis Magistratibus conferendi; ut intelligas Magistratus Ecclesiæ, etiam qui inter collegas paulò frigidius versantur in officio; tamen in morum & virtutum ratione vulgaribus Senatoribus atq; Magistratibus præcellere.* Cypr. epist. 62. §. 2. *Cum omnes omninò disciplinam tenere oporteat, multò magis Præpositos & Diaconos curare hoc fas est, qui exemplum & documentum cæteris de conversatione & moribus suis præbeant. Quomodo enim possunt integritati & continentiæ præesse, si ex ipsis incipiunt corruptelæ, & vitiorum magisteria procedere?* Respicit ad scandalum profectum ex diacono, qui cum virginibus Deo dicatis solebat dormire. Fugiant Polypragmosynen & ἀλλοτριοεπισκοπίαν. Extat hac de re decretum alicujus Episcoporum Concilii, apud Cypr. ep. 66. §. Indignatur enim quendam *Geminium Faustinum Presbyterum tutorem testamento quodam esse nominatum, cum tamen jampridem in Concilio Episcoporum statutum fuerit, ne quis de Clericis & Dei ministris tutorem vel curatorem testa-* Virtutes.

mento suo constitueret: Quando (rationem addit) *singuli divino sacerdotio honorati, & in Clerico ministerio constituti, non nisi altari & sacrificiis deservire, & precibus atq; orationibus vacare debeant.* Subjungit dictum Scripturæ 2. Tim. II. 4. Ratio generalis est, ne, *qui divinis rebus ac spiritualibus occupantur, molestiis & laqueis secularibus obligentur.* quare nullo negotio seculari sese implicent Ecclesiarum Ministri: Imprimis abstineant à mundanis eminentiis: *Donum est non prosilire ad eas, quæ à Deo sunt, dignitates, & Principatus, & mysteria Ecclesiæ. sed imitari Mosen, & dicere cum eo, provide alium, quem mittas. Neq; enim ad Principatum Ecclesiæ venit, qui salvari vult, etsi præest, sed ad servitutem Ecclesiæ, si oportet dicere & de Evangelio: Principes quidem gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in illis, Magistratus vocantur; Non sic autem erit in vobis; Nec enim dominantur Principes in vobis, sed qui vult vestrum esse major, erit omnium minimus.* Orig. hom. VI. in Jes. Viderint Domini spirituales in Papatu, qui hæc cum suo statu plusquam regio concilient. Confiteantur fidem verbo & opere, ut Fabianus P. R. ep. 4. Custodiant gregem. Sic enim Clerus R. scribit ad Carthaginensem: *Incumbit nobis, qui videmur Præpositi esse, & vice pastoris, custodire gregem.* ep. 3. Cypr. §. 1. qui scil. *integritate administrationis* fungitur: ut Fabianus Episcopus Rom. ep. 4. Sit Minister Ecclesiæ imperterritus adversus minas. *Si comminantur* (Impii excommunicati) *sciant, qui à sacerdotibus DEI non timentur: Neque enim & Antichristus, cùm venire cœperit, introibit Ecclesiam, quia minatur, aut armis ejus & violentiæ ceditur, quia resistentes perempturum sese profitetur,* ep. 55. §. 19. Paulò ante §. 2. reprehenderat Cornelium Episcopum R. quod passus fuerit minis Felicissimi sese commoveri; *Prudens* tamen; Nam Cypr. ep. V. 2. vult quidem Presbyteros & Diaconos administrare Sacramenta Martyribus, sed alternatim, & circumspectè, *temporibus servientes, & quieti prospicientes, & plebi providentes.* Hoc ipsum ipse fecit. *Nam cum ipsum clamore violento frequenter populus flagitâsset, non tam suam salutem, quam quietem fratrum publicam cogitans, interim secessit, ne per inverecundam præsentiam suam seditio, quæ cœperat, plus provocaretur.* ep. XV.

Vitia. §. 27. Ministerium suis etiam vitiis obnoxium est, partim adversus primam, partim adversus secundam decalogi tabulam; Innuit Origenes hom. II. in c. 2. Num. *Putasne, qui sacerdotio funguntur,*

guntur, & in sacerdotali ordine gloriantur, secundum ordinem suum incedunt, & agunt omnia, quæ illo ordine digna sunt? Similiter autem & Diaconi, putas secundum ordinem ministerij sui incedunt? Et unde est, quod sæpe audimus blasphemare homines, & dicere, Ecce qualis Episcopus, aut qualis Presbyter, vel qualis Diaconus? Et Cyprianus de lapsis, disserens de causis motæ sub Decio persecutionis: *Non erat*, conqueritur, *in sacerdotibus religio devota, non in Ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina.* Et paulò post: *Episcopos plurimos, quos & hortamento esse oportet cæteris, & exemplo divina procuratione contempta, procuratores rerum secularium fieri; derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari, esurientibus in Ecclesia fratribus non subvenire, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus fœnus augere.* *Primam*, ut sunt heterodoxiæ, apostasiæ, syncretismus. Pontifex Romanus Praxeæ sese erroribus maculavit; ut habet Tert. advers. Prax. c. 1. *Nam idem tunc Episcopum Romanum agnoscentem jam Prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiæ & Phrygiæ inferentem, falsa de iis Prophetis & Ecclesiis eorum adseverando, & Præcessorum ejus auctoritates defendendo, coëgit & literas pacis revocare jam emissas, & à Præposito recipiendorum charismatum concessare. Ita duo negotia diaboli Praxeas Romæ procuravit, prophetiam expulit, & hæresin intulit, Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit.* Ecce, Zepherinus Pontifex *agnovit* Montani errores, & ita agnovit, ut scriptis literis *pacem Ecclesiis Asiæ & Phrygiæ* fermento Montanistico infectis *inferret*, imò in ipsâ urbe, fidei scil. Magistra Roma, locum daret; alias *prophetia expelli* non potuisset. Unde frustra est Pamelius, distinguens inter hæresis *agnitionem*, quam largitur, & *approbationem*, quam negat; quasi verò *non approbet*, qui in communionem recipit professores doctrinæ alicujus. Bellarminus igitur lib. IV. de P. R. c. 8. alio emplastro vulnus obligare allaborat; Tertulliani primum fidem in dubium revocat; sed quia opponi poterat, temerè in dubium revocari fidem patris tam antiqui sine data causa, & frustra alios accusari hæreticos scil. si & ipsi hoc responso utantur, itaque alio effugio utitur, dicit, Zephyrinum errasse in quæstione facti, non juris, nempe circa personam, utpote *persuasum, doctrinam Montani non esse diversam à doctrina Romanæ Ecclesiæ*: Præclarum verò Pontificem Romanum, eumque

controversiarum omnium judicem! qui nesciat distinguere doctrinam orthodoxam à veneno hæretico; & tam temerè rejiciat Majorum suorum sententiam orthodoxam de hæreticis, sine sufficienti præmissa vel causa, vel cognitione. Porrò cum dicat Tertullianus Praxeam Zepherino persuasisse, ut *literas pacis revocaret* à Montanistis, & hæresin *Romæ intulisse*, haud obscurè innuit, Zepherinum è Scylla in Charybdin incidisse, & ex Montanista factum esse Praxeanum. Alii pravis moribus sese prostituebant: ut Marcellinus alius Papa. Nam Nicolaus ipse Pontifex in literis ad Michaelem Græcorum Imperatorem de suo antecessore fatetur: *Tempore Diocletiani & Maximiani Augustorum, Marcellinus Episcopus urbis Romæ, qui postea insignis Martyr effectus est, adeo compulsus est à paganis, ut in templum eorũ ingressus, grana thuris super prunas poneret.* Hæc Pontifex de Pontifice. Secundam quidam Felicissimus Cypriani æmulus Episcopus, *schismatis extitit & dissidii auctor, pecuniæ commissæ sibi fraudator, stuprator virginũ, matrimoniorum multorum depopulator atq; corruptor.* Cypr. ep. 55. §. 1. Cui addendus ille Diaconus, epist. 62. qui cum virginibus Christo dedicatis *mansit in uno lecto*: Credo fructus hos fuisse cœlibatus jam tum supra vires, & citra donum singulare affectati. Alii curis sese secularibus implicabant. Cyprianus epist. 66. conqueritur, quod quidam *Geminium Faustinum Presbyterum tutorem testamento suo nominaverit; cum tamen jam pridem in Concilio Episcoporum statutum esset, ne quis de Clericis & Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constitueret*; additâ ratione, *quando singuli divino sacerdotio honorati, & in Clerico ministerio constituti, non nisi altari & sacrificiis deservire, & precibus atq; orationibus vacare debeant.* Adde sequentia. Alii lites & discordias excitabant, ut quinque illi Presbyteri Felicissimo adhærentes, *instaurantes veterem contra Cyprianum impugnationem, & sacrilegas machinationes insidiis solitis denuò renovantes.* Dissidiis erant scissi non singuli solum Episcopi, sed totæ Ecclesiæ; ut Africana, & Asiatica, i. e. *ex oriente, Aegypto & Africa complures Episcopi*, fatente Baronio ann. 258. §. 49. à Romana, ita, ut mutua adversus se invicem concilia celebrarent, & invectivas scriberent præcipui Ecclesiarum Doctores, Cyprianus, Firmilianus, Stephanus P. R. Quod eo fine repeto, ut desinant Pontificii nobis mutua objicere dissidia, & religionem nostram ideo exagitare, quandoquidem in illa primitiva longè

attrociores

atrociores fuerint rixæ inter eos, quos ipsi pro summis Pontificibus, & magnis Ecclesiæ luminibus habent. Alios fastus inflabat: *Etiam malorum Principum mundi excedere superbiam videmur* (Sacerdotes) *& non solum quærimus, sicut reges, alios præcedentes, & terribiles nos, & accessu difficiles maximè pauperibus exhibemus, & tales sumus ad eos, qui nos interpellant, ut propter aliquid depreeentur, sicut nec tyranni, & crudelioribus principibus mundialibus ad subjectos.* Orig. tract. XII. in Matth. f. m. 55.

§. 28. *Remedia* his malis tollendis adhibebantur. Erant *censuræ.* Sistebantur enim judicio Ecclesiastico, & in illo severè objurgabantur. Quibus censuris summi quoque Episcopi erant obnoxii, nisi per vim, vel artes impedirent ipsam accusationem; ut fecit Paulus Samosatenus apud Euseb. lib. 7. c. 24. *Privatio Salarii;* Epist. 28. §. 2. Hypodiaconi pridem lapsi; sed deinde ad Ecclesiam reversi, jubentur sese *à divisione mensurna continere: non quasi à ministerio Ecclesiastico privati esse videantur, sed ut integris omnibus ad nostram præsentiam differantur.* Etiam scriptis literis reprehendebantur. Ita cum in Pentapoli nonnulli Episcoporum in Sabellii hæresin inclinarent, Dionysius Alexandrinus scriptis literis docebat, Christum verum hominem, id est, distinctam à Patre personam exstitisse: uti refert Athanasius de sententia Episcopi Alexandrini f. m. 140. & seqq. Alii *suspendebantur* ab officio; Sic enim de quibusdam *temerariis, incautis, & tumidis* præcipit Cyprianus ep. X. §. 4. *Interim prohibeantur offerre, acturi & apud nos, & apud Confessores ipsos, & apud plebem universam caussam suam;* Alii prorsus excommunicabantur & removebantur ab officio. Laudat enim Cyprianus epist. 28. Presbyteros & Diaconos, quod Gajo Diddensi Presbytero, & Diacono ejus lapsis noluerint communicare, donec acta pœnitentia cum Ecclesia reconciliarentur. Ipse de Felicissimo schismatico ep. 38. §. 2. scribit: *Accipiat sententiam, quam prior dixit, ut abstentum se à nobis sciat, quando ad fraudes ejus & rapinas, quas dilucida veritate cognovimus, adulterii etiam crimen accedit;* Id ergo tum fiebat, si scelera graviora, & manifesta essent. Sic enim pergit: *Quod fratres nostri graves viri deprehendisse se nunciaverunt, & probaturos se asseverarunt.* Dicamus aliquanto explicatius. Jus removendi Ecclesiastas erat totius Ec- Remedia.

(1) clesiæ, nempe Cleri & Episcoporum; sicut Felicissimus schismaticus Cypriani & *plurimorum Coepiscoporum sententia damnatus fuit.* ep. 55. §. 1. Nequaquam igitur solus Pontifex Romanus id potestatis habuit. Cum enim Paulus Samosatenus in hæresin incidisset, à Patribus Antiochenis est loco motus, non exspectato suffragio Romani Episcopi; Imò scriptis ad ipsum non minus, ac alios literis, voluerunt nullas amplius ab ipso accipi communionis literas, vel ad eundem scribi; sed ad Dominum successorem. Euseb. lib. VII. hist. c. 24. Neque statim ab Ecclesiæ communione rescindebatur, quem ille volebat rescissum. Cyprianum Stephanus P. R. excommunicaverat, mansit tamen Cyprianus in Ecclesiæ unitate, teste Augustino lib. 2. de baptism. contra Donatum cap. 3. & 6. Deinde & populi; coram quo & causa disceptabatur: *Conjura-*
(2) *tionis suæ pœnas soli subeant, qui olim secundum vestra suffragia, nunc secundum Dei judicia, sententiam conjurationis & malignitatis suæ subire meruerunt.* Loquitur ad plebem, quam paulò ante monuerat: *Procul ab hujusmodi hominum contagione recedite, & sermones eorum, velut cancer, & pestem fugiendo vitate*; ep. 40. §. 5. Huic plebi tribuit etiam *suffragia*, ut §. 1. quæ sunt *divina* suffragia, secundum quæ degeneres sacerdotes de *Ecclesia* depelluntur. Alibi probat ex Num. XVI. 1. seqq. quippe ubi *Deus per Mosen præcepit, ut ab eis* (Core, Dathan, & Abiron) *populus separetur, ne facinorosis conjunctus eodem facinore & ipse perstringatur,* & §. 4. infert: *Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis & Deum metuens, à peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa habeat maximè potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi.* Illustris locus, in quo vult Cyprianus, ut plebs à malo sese sacerdote separet, additâ ratione, quod habeat ipse maximè potestatem *Sacerdotes* etiam *indignos recusandi.* Facessat igitur ista ἀσυλία papalis, qua negant auditores de suo pastore judicium ferre vel posse, vel debere, multò minus removere ipsum, & meliorem sibi constituere. Nonnulli sponte sua suo sese officio abdicabant, & in Laicorum ordinem communionemque transibant. Sic enim Cyprian. ep. 68. de Basilide scribit: *Cum Basilides adhuc insuper præter libelli maculam, cum in infirmitate decumberet, in Deum blasphemaverit, & se blasphemasse confessus sit; Et Episcopatum pro conscientiæ suæ vulnere sponte deponens, ad agendam pœniten-*

pœnitentia conversus sit, Deum deprecans, & satis gratulans, si sibi vel laico communicare contingeret &c. Habes *crimina* quædam, quorum gratia deponi ab officio poterant Episcopi, & sponte sua sese abdicantem, *laicáque communione* contentum. Etiam scortatio, vel saltem suspecta mulierum cohabitatio in causis remotionis erant: *consuetè & cum vigore fecisti, frater charissime, abstinendo Diaconum, qui cum virgine sæpe mansit, sed & cæteros, qui cum virginibus dormire consueverant:* scribit ad Pomponium Cyprianus & collegæ. ep.26. §.3. præmissa ratione generali, §.2. *Cum omnes omnino disciplinam tenere oporteat, multo magis Præpositos, & Diaconos curare hoc fas est, qui exemplum & documentum cæteris de conversatione & moribus suis præbeant.* Sed quid si dixerint extra matrimonium sese vivere non posse? R. Cyprian. ep.62. §.1. *Si perseverare* (virgines Deo dicatæ) *nolunt, vel non possunt, melius est nubant, quam in ignem delictis suis cadant;* Quæ ratio, utpote generalis, etiam de Ecclesiæ Ministris valet.

§. 29. Ministri Ecclesiæ variis molestiis, & periculis, & adversitatibus erant obnoxij. In persecutionibus enim præcipuè Episcopi & reliquus Clerus petebantur. Exempla aliquot dabimus: Cyprianus Episcopus Carthaginensis *aliquoties flagitatus & quæsitus* fuit ad necem, scribente ipso, epist. VI. §.1. Et Ep. XV. *Orto statim turbationis impetu primo, me clamore violento frequenter populus flagitabat.* Sic volebat decretum illius inter Romanos imperatores, Cyclopis, Busiridis, Scyronis, Phalaridis, Typhonis, Gygis, uti appellant apud Julium Capitolinum, Maximianum nam, referente Euseb. lib. VI. c. 21. hist. *jussit solos Ecclesiarum Præsides, tanquam auctores doctrinæ Evangelicæ, necidari.* Item factum erat sub Decio, ut Clerus Romanus perscribit ad Cyprianum epist. 31. Meminit enim Episcoporum Romæ latitantium, *quos ex aliis provinciis longe positis persecutionis istius* (Decianæ) *ardor ejecerat.* Sub Valeriano simile, quod patet ex literis Cypriani epist. 77. inscriptis: *Nemesiano, Felici, Lucio, alteri Felici, Litteo, Poliano, Victori, Jaderi, Dativo, Coëpiscopis, item Compresbyteris, & Diaconibus, & cæteris fratribus in metallo constitutis.* Sed de his infra in articulo de accidentibus, & quidem persecutionibus, plura.

Fata.

Maximinus.

Communia. §. 30. Ministri Ecclesiæ in his & similibus casibus inter sese & cum tota Ecclesia solebant communicare. Scribebant enim sive Episcopi, sive Presbyteri, sive martyres, & confessores, invicem literas ex charta confectas, suisque inscriptionibus, & subscriptionibus insignitas, easque tradebant utplurimum Diaconis, Hypodiaconis, Acoluthis, Lectoribus hinc inde portandas; In his vel sententiam suam dicebant, vel consilium quærebant, & recipiebant, vel suadebant, vel dissuadebant, vel probabant, vel improbabant, objurgabant, comminabantur, consolabantur, animabant trepidos; confirmabant dubios. Exempla vel Dionysij Alexandrini, vel solæ Cypriani, aliorumque inter Cyprianeas epistolæ præbent. Priores præcipuè occupantur circa disciplinam Ecclesiasticam, quam violare satagebant Confessores nonnulli, lapsis veniam intempestivè vel concedentes, vel orantes, & exorantes; Sequuntur aliquot intimatoriæ; Nam ordinato aliquo vel Lectore, vel Acolutho, vel Diacono, vel Presbytero, scriptis ab Episcopo literis ordinatio Ecclesiis intimabatur. Excipiebant has aliæ, potissimum concernentes schisma inter Cyprianum, & Cornelium, horumque æmulos, imò inter illum, & istum, successoresque. Deprehendes autem nihil imperiosius agi vel ab Episcopis Carthaginiensi & Romanis inter sese, vel ab Episcopis in Clerum, vel Plebem istis subjectam: Nam alter alteri gesta sua enarrat, judicium, vel consilium expetit, exspectat, probat, & sequitur. Liberè etiam censet, arguit, improbat, modeste, fraternè, ut decet inter sese Christianos. Habebant etiam inter sese suos *Conventus Ecclesiasticos*, *vel collegia Sacerdotum*, uti Cypri. vocat. in quibus vel ministros Ecclesiæ examinabant, eligebant, vocabant, censebant, corripiebant, vel de dubiis quæstionibus & casibus inter sese deliberabant.

Erant autem horum Conventuum assessores non soli Clerici, sed etiam Laici, de quo more superius, §. 10. art. 2. & §. 14. pluribus egimus.

Argu-

Argumentum
SECTIONIS II.
DE EPISCOPIS, PRESBYTERIS, & DOCTORIBUS INSIGNIORIBUS IN SPECIE.

Episcoporum non omnium vitæ habentur descriptæ, caussæ redduntur. Ne quidem Romanorum omnium. Sunt autem hi: Zephyrinus, Callistus, Vrbanus, Pontianus, Anterus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus 2. Dionysius. Felix. 1. Eutychianus, Cajus, & Marcellinus. Iudicium breviter fertur. Antiocheni sunt Asclepiades, Philetus, Zebinus, Babylas, Fabius, Demetrianus, Samosatenus, Domnus, Timæus, Cyrillus, & Tyrannus. Alexandrini, Hierosolymitani, AEgyptij, Afri, Amaseni, Apameenses, Arabes, Armenij, Babylonij, Bernicenses, Cæsareenses, Cappadocum, Cilicum, Cretensium, Iconiensium, Laodicensium, Mesopotamiæ, Nicomediæ, Nili, Pentapolitani, Pontici, Tyrij, AEduenses Galli, Aginenses, Ambianenses, Aquileiensis, Arelatenses, Augustani, Bavari, Bisonticenses, Bononienses, Britanni, Claromontani, Diensis, Ebroicensis, Engolismensis, Lugdunensis, Mediolanensis, Moguntini, Remenses, Rhotomagenses, Sisciensis, Tholosanus, Treverenses, Tungri, Turonenses, Viennenses. Iudicium generale subjungitur.

§. 1.

DUbium equidem nullum est, quin, Evangelio per orbem disseminato, plures, in oriente cumprimis, fuerint Episcopi, & alij Ecclesiarum Doctores; Certe Eusebius lib. VII. hist. c. 22. enumeratis nonnullis in Concilio Antiocheno præsentibus, præterea μυρίυς ἄλλυς laudat; Sed præterit ipsorum nomina, brevitatis studiosus; Id quod in aliis quoque fecit, ut memoria ipsorum hodie nulla exstet. Forsan deerant ipsi, ut & aliis, superioris seculi monumenta, quæ furor persecutorum, Diocletiani cumprimis, aboleverat: vide Baron. an. 253. §.3. Vel nihil, aut parum ipsi gesserunt Episcopi, cujus gratia poste-

Episcoporum historia imperfecta.

posteris memorarentur; vel posteri ipsi, ut in papatu caliginoso factum est, monumenta intercidere passi sunt, aut fabulis variis interpolarunt, ut videre est etiam in Martyrologiis, in quibus alias Episcoporum & Doctorum Ecclesiæ aliorum mentionem requireret diligens lector; Jam verò corruptelas in ipsis tot & tantas deprehendas, ut merito de reliquorum quoque fide dubitaveris. Largitur nobis Baronius, ille alias antiquitatis etiam suspectæ acerrimus vindex, acta Aureæ an. 229. §.7. Ursulæ an.229. §.11.13. Pontij an.246. §.9. Secundiani, Marcellini, Veriani, an.253. §.29. Cypriani, an.260. §.35. Laurentij, an.261. §.8. Dignæ & Emeritæ, an.262. §.57. Marthæ & aliorum, an.270. §.8. Chrysanthi & Dariæ, an.284. §.6.7. Aliorum, an.290. §.33.34.35. Severæ, an.298. §.16. Confer Melchioris Can.lib.XI. Loc. p.331. Martyrol. Rom. Baron. c.2.3.

Et Corrupta,

Etiam Romanorum.

§. 2. Pontificum quidem Romanorum nomina annotata leguntur, sed in reliqua ipsorum historia multum desideres. *Inopia scriptorum, res magni momenti, nempe Martyrium Victoris Pontificis, & alia hujus temporis sub sævissimo Plautiano, Ecclesiæ Romanæ certamina, obvoluta ferme silentio, cogimur præterire*; querela est Baronij, an.205.§.3. Cui gemina est Papirij Masson. in vita Marcel. 2. *Nihil* (ita loquitur) *tam incertum inter historiarum scriptores, quam tempus, quo quisque* (Pontificum) *in Episcopatu fuit, & qui fuerint parentes singulorum, quæ patria, quæ ætas, qui mores, quibus consulibus, quibus regibus & Cæsaribus vixerunt.* Hæc ille. Potius tamen est, quod parum, aut etiam nihil de doctrina ipsorum annotatum habeatur, qui tamen pro Ecclesiæ capitibus à pontificiis venditantur. Nam quæ scriptores vitarum congesserunt, concernunt pleraque ordinationes à singulis factas, & leges (ponamus enim verè ab ipsis esse positas) utplurimum frivolas, tempo[ra] denique, quæ qui[s]que in Episcopatu transegerit. Neque tamen vel hæc pari suffragio; Tot enim sunt discrepantiæ, quot ferè auctores; quo fine subjicere voluimus quorundam singulorum annos, menses, dies, ut appareret egregius scil. consensus auctorum circa hoc pontificiæ Synagogæ vel primarium fundamentum. Addidimus tamen & alia ex aliis scriptoribus,

ea

ea cumprimis, quæ aliquem in Ecclesia usum habent, de doctrina ipsorum, & rebus gestis, sive bene, sive malè. Neq; enim decet affectibus hic suis indulgere, & vel vera dissimulare, vel falsa simulare.

§. 3. Inter *Pontifices* hujus seculi *Romanos* I. fuit *Zephyrinus*. *Sedit* imperante Severo, juxta Platinam & Massonum. Anastasius ordine turbato scribit sedisse Antonino & Severo imperantibus. *Pater* ipsi fuit Abundius, *Patria* Roma. *Constituit*, juxta Platinam, summam esse Sedis Romanæ auctoritatem, ut excommunicari non possit ullus, nisi ista volente & approbante. Cæremonialia lubentes præterimus. *Ordinationes* aliquot fecit, in quibus tamen referendis auctores dissentiunt; sicut & in *annis*. Nam sunt, qui ipsi tribuunt Episcopatus annos 18. qui 17. qui, 8. Et menses 7. vel 2. vel nullos. *Elogium* insigne meruit Optati Milevitani. Nam *inter assertores Ecclesiæ Zephyrinus Vrbicus* refertur ab ipso, referente Baron. an. 210. §.8. Massonus *Excellentissimum* ipsum prædicat, & *sanctissimum*. Videntur respicere ad historiam disputationis habitæ inter Gajum orthodoxum, & Proclum Montanistam. Nam habita est Zephyrino sedente. Euseb. lib. VI. hist. c.14. Hieron. d. script. Eccles. tit. Gajus. Cæterum non usque adeo bene audit Papa, propter Montani errores, quos imbiberat. Tertullianus enim c. 1. advers. Prax. auctor est, quod Zephyrinus *agnoverit Prophetias Montani, Priscæ, & Maximillæ*, priusquam Praxeas Romam venisset. Hoc vero Romam ingresso, Montanum quidem repudiaverit, sed Praxeæ erroribus subscripserit: Verba Afri sunt hæc: *Idem* (de Praxea loquitur) *tunc Episcopum Romanum* (Zephyrinus erat) *agnoscentem jam prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiæ & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis prophetis, & Ecclesiis eorum adseverando, & præceptorum ejus auctoritates defendendo, coegit & literas pacis revocare jam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum concessare. Ita duo negocia diaboli Praxeas Romæ procuravit, prophetiam expulit, & hæresim intulit, Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit.* Hæc ille. Atque hæc adeo clara sunt, ut Beatus Rhenanus ad marginem loci adjecerit: *Episcopus Romanus Montanizat.* Cæterum Pontificii animadvertentes

Qui fuerunt I. Zephyrinus.

agi de prora & puppi suæ Romæ, omnes ingenij nervos intenderunt, ut vim argumenti declinarent, & suum Zephyrinum salvarent. Bellarminus lib.IV.de P.R.c.8. primum fidem referentis Tertulliani in dubium revocat: *Tertulliano non est omnino fides habenda in hac parte, quandoquidem ipse Montanista erat:* Sed quia retorqueri poterat, nec Papistis igitur fidem esse habendam, ut Eccio, Cochleo, Staphylo, Pistorio, cum de Luthero narrationes proferunt; imò temere rejici auctoritatem Tertulliani, testantis de suæ ætatis historia, facile confundendi, si mentitus fuisset; ideoque *distinguit* inter *personam*, & personæ *fidem:* istam esse agnitam à Zephyrino largitur; hanc minimè; At reclamat Tertullianus glossæ. Nam non dicit, agnovisse Montanum, qui persona erat, sed Montani *prophetias:* quæ sunt ipsi Montanius errores. Nec melioris commatis est effugium Pamelij. Negat ipse, quod approbaverit Zephyrinus Montani errores; fatetur antem *agnovisse:* At agnoscendo approbavit; Nam ita prius agnoverat, sicut deinde expulit: At expulit improbando; Ergo agnoverat prius approbando. Transeo cætera, quæ excipiunt, sibi ipsi contrarij & præjudicantes.

II. Callistus. §. 4. II. Callisti, vel Calixti *ætas* varie refertur. Alij enim sub Macrino, alij sub Heliogabalo, alij sub Antonino Caracalla collocant. Dissentiunt & in annis Episcopalibus. Nam Eusebius V. Anastasius autem VI. annos assignant. *Pater* fuit ipsi Domitius, *vir*, judice Massono, *præclarissimus*; Roma *patria.* Feruntur aliquot ejus *constitutiones* de jejunio, & delatoribus Clericorum. *Ordinationes* quoque Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum. *Opera* quoque, nempe ædificia, Basilicæ, & Cæmeterium celeberrimum. *Martyrio* coronatus est sub Alexandro, in puteum, Ulpiano procurante, abjectus. *Elogium* sanctitatis, modestiæ, & prudentiæ tulit à Massono, plura forsan habiturus, si historiæ suppeterent. *Vbi* enim, ait Papyrius, *mutæ sunt veteres historiæ; ibi necesse est paucissima dicere.* in vit. Callisti.

III. Urbanus. §. 5. III. *Vrbanus.* Dissentiunt in hujus quoque *ætate* referenda historici. Nam Platina Heliogabalo subjicit; Papyrius

pyrius Severo. Major diſſenſus eſt in tempore Epiſcopali. Sedit enim annos, IX. juxta Euſebium; ſed juxta Anaſtaſium ſolum octo; juxta Platinam. IV. juxta alios. VI. *Patriam* habuit Romam, *Patrem* Pontianum. *Conſtituit*, bona à fidelibus oblata recipi, & in communem Clericorum uſum diſtribui. Secus ac hodie Pontificum Romanorum mores ferunt, conquerente Platina, querela tamen iſta per indicem expurgata eſt. *Ordinavit* in ſacris vaſa argentea adhiberi. *Officium* probe fecit. Nam multos ad Chriſtum convertit, eaque propter ſub Maximino Confeſſor, & tandem Martyr evaſit. Vide Baron. Martyr. 25. Maj. & annal. 233. §. 4. *Elogio* Maſſoni eſt *ſanctiſſimus & glorioſiſſimus*.

§. 6. IV. *Pontianus.* Sequitur immediatè Urbanum; IV. Pontianus.
ſecius ac Anaſtaſius collocavit, qui Anterum præmiſit, oblitus, quod in Antero ſcripſerat. *AEtas* controverſa eſt. Nam Anaſtaſius & Platina ſub Alexandro Severo ponunt; Contra Euſebius, Papyrius, Baronius, an. 237. §. 5. *6.* Scholiaſtes tom. 1. concil. f. 296. ſub Maximiniano & Gordiano. Idem diſſenſus eſt etiam in annis, quibus ſedem tenuit. Nam. 5. tribuit ipſi Anaſtaſius; Platina. *9. Patria* uſus eſt Roma, *Pater* ipſi Calpurnius, *Paſſus* eſt exilia primum, deinde martyrium, oſſa poſt mortem Fabianus Papa tranſtulit: judice Maſſono, erat *ſanctiſſimus.*

§. 7. V. *Anterus* ſucceſſit. Etſi enim recentiores quidam *Cyriacum* quendam Pontiano ſubjungunt, tamen diſplicent Baronio an. 237. §. 11. Schol. ad t. 1. conc. f. 305. In hoc collocando diſcrepant. Nam ſub Maximino Imp. ponitur ab Anaſtaſio & Platina; ſub Gordiano autem poſt Euſebium à Papyrio Maſſono, improbante Baronio an. 253. n. *6.* Potior diſſenſus eſt in reliquis. Nam Euſebius & Marianus Scotus menſem unicum Epiſcopatui ipſius concedunt; Damaſus XII. annos, menſemque unum; Volaterranus, Bergomenſis, & Henricus Erfordenſis annos. 3. & menſem unum; Nauclerus annum. 1. & 1. menſem largiuntur. *Natione* erat Græcus, nomine teſte, etiam in papatu ſervato. *Cur enim impoſitum ſibi nomen mutaſſet, ut ſucceſſores poſtea fecere?* merito quærit Maſſonus. Dicitur & *primus* V. Anterus.

ſtatuiſſe, ut res geſtæ martyrum diligenter exquiſitæ à Notariis ſcriberentur. referente Platina; Quî igitur primus Clemens id juſſerit? Noluit idem Epiſcopus de loco in locum transferri, humilitatis gratia. *Amantiſſimus divini cultus* fuit judicio Maſſoni.

VI. Fabianus. §. 8. VI. *Fabianus*. Vixit ſub Gordiano Imp. Juxta alios ſub Maximino; alios ſub Decio; ſub quo & Martyr factus eſt. Natione Romanus, Patrem habuit Fabium. Pontifex electus eſt à populo, Columba ſuper ipſum conſpecta. *Conſtituit* Diaconos Notariorum quaſi adjunctos. Chriſma quotannis renovari voluit. Cæmeteria ſtruxit. Novatianis acriter reſtitit, modo genuina eſt epiſtola, quod negat Baron. an. 238. §. 9. tempore diſſentiente, vid. Pacianum ad Symp. epiſt. 3. Philippum Imp. cenſurâ notaſſe Eccleſiaſtica fertur. Sedit annos XIV. donec martyrio coronaretur. Qua de re Cyprianus ad Clerum Romanum epiſt. 4. perſcripſit: *Accepi à vobis literas ad me miſſas per Clementium Hypodiaconum, quibus pleniſſimè de glorioſo ejus* (Fabiani) *exitu inſtruerer, & exultavi ſatis, quod pro integritate adminiſtrationis ejus, conſummatio quoq; honeſta proceſſerit*. Clerus enim Romanus ſcriptis ad Cyprianum literis, ut moris erat, martyrium ſui Epiſcopi Epiſcopo Collegæ ſignificaverat.

§. 9. Fabiano è medio ſublato ſedes papalis vacavit *anno uno & amplius*, fatente Baronio an. 253. §. 6. & 25. imo biennio, juxta Pamelium in vita Cypriani; quod tamen *pro monſtro habet* Baronius an. 254. §. 31. Monſtroſum igitur, etſi minus, fuerit, quod *anno uno & amplius* caruerit Eccleſiæ corpus ſuo capite, papa. Tandem ſucceſſit VII. *Cornelius*. Æmulum autem habuit Novatianum ſatis periculoſum. Nam accuſabat ipſe & aſſeclæ Cornelium violatæ per lapſorum receptionem religionis; Etſi Epiſcopatum tandem Cornelius obtinuerit, Cypriano cumprimis ſatagente, ut ex epiſt. 41. & aliis videre eſt. Sedit, Decio, Gallo, Voluſianoque imperantibus; annos, juxta Anaſtaſium, 3. juxta alios, 2. alios, 1. Confeſſor fuit ſub Decio, ſub ſucceſſoribus autem Martyr. Vide Baron. an. 255. §. 55. ſeqq. Natione fuit Romanus, patre natus Caſtino: Officio ſuo egregiè functus eſt, utpote hæreticorum, Novatianorum cumprimis, adverſarius acerrimus: cujus gratia Centumcellas in exilium

VII. Cornelius.

lium trusus est, quorsum literas Decio suspectas misit Cyprianus num. 57. Suos tamen & nævos habuit, ut coercendus fuerit. Nam cum Felicissimus & Fortunatus à Cypriano abjecti furtim ad reperent Cornelio, & hic non nihil in partes inclinaret, Cyprianus literis scriptis in officio Papam continuit, quo minus evagaretur. Hoc vero fecit Cyprianus, nullo iniquiore motus affectu, utpote qui alias Cornelii laudator & admirator extitit addictissimus. Sed de his alibi, sufficiat id saltem indicasse. Sed nec *ordinationes* fecisse legitur, credo propter immanem persecutionis violentiam. *Elogium* ejus insigne scripsit ad Antonium Cyprianus, in quo declarat, quomodo se gesserit ante Episcopatum, sub Episcopatu impetrando, & post eundem; epistola est n.52. Sed & Hieronymus ipsum laudat in Catal. tit. Cornelius.

§. 9. VIII. *Lucius* successit, Gallo & Volusiano imperantibus, natione Romanus, patre genitus Porphyrio, orthodoxus in controversia Novatiana, & propterea Cypriano charus. Extat hujus epist. 67. ad Stephanum Papam Romanum exarata, in qua §. 7. hortatur ipsum ad imitationem Cornelii & Lucii suorum antecessorum: *servandus est*, scribens, *antecessorum nostrorum beatorum Martyrum, Cornelii & Lucii, honor gloriosus, quorum memoriam cum nos honoremus, multo magis tu, frater charissime, honorificare & servare gravitate & auctoritate tua debes, qui vicarius & successor eorum factus es. Illi enim pleni spiritu Dei, & in glorioso martyrio constituti, dandam esse lapsis censuerunt* (Veniam.) Idem Cyprianus epist. 58. ad Lucium perscripta celebrat confessoris jam reducis laudes egregias. Etsi autem Lucius tum quidem vitam servarit suam, tamen postea, Valeriano grassante, amisit, martyr factus. Sedit autem vel annum unum, ut nonnulli volunt, vel tres, juxta alios, additis aliquot mensibus; imo octo solum menses. Adeo incerta est historia Pontificum. In hac autem functione sua aliquot fecit ordinationes, in his etiam Melanii Episcopi Rhotomagensis, si fides habenda fuerit Baron. annot. ad Martyr. Rom. 18. Octobris.

VIII. Lucius.

§. 10. IX. *Stephanus.* Sedit sub Gallieno annos sive tres, sive plures: Nam dissentiunt auctores. Romanus fuit. patre editus Julio. Diaconus pridem Lucii, postea successor.

IX. Stephanus.

In controversia Novatiana pro orthodoxis partibus stetit, Cypriano ipsum hortante. Minus feliciter versatus est in controversia de baptismo hæreticorum. Nam ut Cyprianus in unum, ita Stephanus in alterum extremum declinavit. Iste voluit omnes, hic nullos ab hæreticis baptizatos, iterum baptizari. Discas hæc ex ex verbis ipsiusmet Cypriani. Sic enim ep. 74. scribit: *Hæreticorum caussam* (Stephanus) *contra Christianos, & contra Ecclesiam Dei asserere conatur. Nam inter cætera vel superba, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria, quæ imperitè ac improvidè scripsit, etiam illud adjunxit, ut diceret: Si quis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Nota: *à quacunque hæresi*, igitur etiam ab ea, quæ mysterium Trinitatis violat, *à* quacunque *hæresi venientem baptizari in Ecclesia vetuit*, i. e. omnium *hæreticorum baptismata justa esse & legitima judicavit. Et cum* singulæ *hæreses* singula *Baptismata, & diversa peccata habent, hic cum* omnium *baptismo communicans*, universorum *delicta in sinum suum coacervata congessit.* Ut *Marcionis, Valentini, Apellis*, quæ Exempla expressit epist. 75. Hoc vero erroneum est; Qui enim verus fuerit baptismus, ubi non est verum verbum, sacramenti substantia? Scholiastes quidem in notis ad vitam Stephani t. 1. concil. ita format statum controversiæ: *An baptismus, quem minister hæreticus secundum legitimam Ecclesiæ Catholicæ formam, ac debitam ministri intentionem, scilicet in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti contulisset, invalidus sit, ideoque iterandus, quod à ministro hæretico administratus sit?* Sic ille format statum, & suo Stephano tribuit affirmativam. Sed quis credat, Marcionem aliquem, vel Valentinum, vel Apellem, vel alium aliquem Antitrinitarium baptismum secundum legitimam *Ecclesiæ Catholicæ formam, & debitam intentionem* administrasse? Forma Ecclesiæ Catholicæ consistit in agnitione & professione Trinitatis; Intentio debita est per baptismum regenerare & renovare hominem, quorum utrumque hæretici abnegabant. Erraverit igitur Stephanus, tales baptizatos volens verè baptizari. Cumulavit delictum, cum adversarios suos Cyprianum & collegas, Episcopos Africanos, Firmilianum Cappadociæ Primatem, & quos illi porro habuerunt asseclas, publicis scriptis, imo fulmine excommunicationis perelleret, legatos ad sese missos repudiaret, ipsorum consortio

alios

alios interdiceret. Quare mirum non est, quod Cyprianus, & Firmilianus concitati acrius in ipsum inveherentur, literis n. 74. & n. 75. scriptis. Tandem sub Gallieno martyr effectus est Stephanus, ideo potissimum, quod multos ex Gentilismo ad Christianismum traduxisset. vide acta è tenebris eruta apud Baron. an. 259. §. 20. Memoria ejusdem extat etiam in Græcorum menologio, ut idem an. 358. §. 56. memoravit.

§. 11. X. *Sixtus* vel *Xystus* II. Floruit sub Valeriano, sub quo primum exilio, tandem & capite mulctatus est. Errat enim liber Pontificalis, qui sub Decio, dudum ante defuncto, passum esse scribit. vid. Baron. an. 261. §. 9 Distinctus autem est ab alio aliquo Sixto, Pythagoræo philosopho, ut malitiosè fecerit Pelagius, citans ex hoc adversus Augustinum testimonium, tanquam Pontificis Romani esset, quam tamen fraudem, Augustino factam, postea detexit Hieronymus, distinctione inter duos Sixtos. Sixtus ille noster fuit patria Atheniensis, religione orthodoxus, utpote adversarius Catabaptistarum, in quem finem & Dionysius Episcopus Alexandrinus epistolas ad Sixtum exaravit, referente Euseb. lib. VII. hist. cap. 4. sed & Sabellianis adversatum esse Platina in Sixti vita scripsit. Insuper & dono prophetico pollebat, utpote qui Laurentio suo Diacono martyrium imminens prædixit, cum ipse ad martyrium duceretur. Mortem autem subiit sub Valeriano tyranno, & ita quidem, ut *elogia* illustrium Virorum meruerit, Cypriani in epistola ad Successum §. 82. Prudentii in hymno Laurentii, Augustini, Maximi Taurinensis, Leonis I. Papæ, Chrysologi in homiliis Laurentio dedicatis. Præfuisse officio suo variè refertur, aliis 11. alii. 8. aliis 2. aliis. 1. annum ipsi tribuentibus. X. Sixtus. II

§. 12. XI. *Dionysius.* Sub Claudio & Valeriano sedit, postquam sedes Romana annum unum, menses undecim & dies quindecim vacasset. Presbyter pridem Romanus, deinde Pontifex λόγιός τε καὶ θαυμάσιος *eruditus & admirandus*, laudante Dionysio Alex. apud Euseb. lib. VII. hist. cap. 7. Scripsit autem Alexandrinus ille ad Romanum literas, de baptismo, &c, ut calumnias sibi intentatas dilueret, quatuor insuper libros adversus Sabellium ipsi dedicavit. Orthodoxiæ igitur studuit, & insuper XI. Dionysius.

convertendis infidelibus, nec infeliciter. Nam Cyrillam Decii Cæsaris filiam cum Tryphonia matre, militum quoque 46. Christo lucri fecit. Transegit in papatu annos XI. juxta alios VI. alios pauciores. Dicitur *Ecclesias divisisse, & parochias dioeceses instituisse*, teste Anastasio. Quod non placet Baronio an. 270. §. 17.

XII. Felix I. §. 13. XII. *Felix*. I. Vixit Claudio & Aureliano imperantibus, sub quibus & martyrii coronam accepit, postquam sedi præfuisset annos 5. juxta Eusebium 4. juxta Damasum 2. juxta Anastasium. Parentem habuit Constantinum, patriam Romam, orthodoxam religionem, quod patet ex confessione quadam à patribus Chalcedonensibus repetita Act. 1. Et laudata à Cyrillo in Apologia, qui propterea egregiè virum commendat, suffragante Vincentio Lirinensi. Atticus *sanctissimi Episcopi & Martyris* elogium ipsi tribuit. Papyrio laudante fuit *fide, vita, & scientia clarus.*

XIII. Eutychianus. §. 14. XIII. *Eutychianus* successit Felici. Fasciculus de tempore interserit quendam *Marcum*, an vere? Viderint Pontificii. Eutychianus iste patrem habuit Marinum, aliis est Maximus; Decrevisse fertur consecrationem frugum, & sepulturæ certum ritum, quod martyres attinet. Fuit enim horum studiosissimus, adeo ut 342. sua ipsius manu sepeliverit. Vide Baron. an. 283. §. 16. *Tempus* sessionis diversum refertur. Annos 8. refert Anastasius, Platina unicum, Papyrius octo mensibus contentus est, refutatus à scholiaste t. 1. concil. Martyrio tandem vitam finiit.

XIV. Cajus vel Gajus. §. 15. XIV. *Cajus* vel *Gajus*. Vixit sub Caro, Carino, & Diocletiano, sub quo & ex cryptis extractus, & morte affectus est. Cæterum patriam nactus erat Dalmatiam, patrem Cajum, Diocletiani Gentilem; Baronius tamen an. 294. §. 5. ita refert, quod Diocletianus fratrem habuerit Maximum, qui duos genuerit filios Cajum & Gabinium, quorum hujus filia Susanna (insolens apud Romanos nomen!) cum Galerio nollet nubere, decollata fuerit. Cajus autem factus sit Episcopus Romanus. Decreta ipsi aliquot tribuuntur pro eminentia papali, sed quis credat in tantis persecutionibus, ut tum erant,

Episco-

Episcopos de suis fimbriis explicandis adeo fuisse solicitos? Cæterum sedit annos 15. juxta Eusebium, 12. juxta Erfordiensem; 11. juxta Damasum.

§. 16. XV. *Marcellinus*, cœpit esse Episcopus anno Chr. 297. juxta computum Eusebianum, Diocletiano sæviente. Natione erat Romanus, patre natus Projecto, pridem apostata, urgente persecutione: Nam thurificavit, postea resipuit in concilio Sinuessano, Diocletiano furente martyr evasit. Lapsum esse ipsum certum est; Nam lapsus ejus *extant argumenta, veneranda antiquitate signata, veteribus testata monimentis, ac tabulis Ecclesiasticis signata, plurimorumque (libræ occiduæ h. e. 72. hominum) testificationibus confirmata, ut ab his desciscere stultum, & tot testibus obniti temerarium existimari possit*, quæ ipsius Baronii an. 302. §. 95. verba sunt. Inter istos testes numeramus Nicolaum I. ipsum Pontificem, quippe qui ad Michaëlem Constantinopolitanum in hunc sensum scripsit: *Tempore Diocletiani, & Maximiniani Augustorum, Marcellinus Episcopus urbis Romæ, qui postea insignis martyr effectus est, adeo compulsus est à paganis, ut in templum eorum ingressus, grana thuris super prunas poneret.* Hæc Pontifex de Pontifice. Quare Baronius suo ipsius judicio stultus fuerit & temerarius, quod tot obnitatur testibus: desertus propterea & castigatus à domesticis suis Bellarm. lib. IV. de P. R. cap. 8. & Fr. Long. à Coriol. in summa concil. f. 160. XV. Marçellinus.

§. 17. Ex dictis apparent (1.) *discrepantia* auctorum circa assignandos non modo annos, menses, & reliquam Pontificũ ætatem, sed etiam ipsas interdum personas, quasdam vel inserendo, vel omittendo. (2.) *Errores* etiam in rebus fidei, ut videmus in Zephyrino, & Stephano. (3.) Scandala, quæ dederunt aliis, Stephanus cumprimis & Marcellinus. (4.) *Novitates* variarum, & sæpe ineptarum constitutionum. Baronius equidem, & alii Pontificiorum distinguunt inter novas, & renovatas constitutiones, sed qui annotarunt factas, de *novis* loquuntur, saltem *κατὰ ῥητὸν*, non de renovatis. *Iudicium* de prædictis.

§. 18. *Antiocheni.* Non minor horum, imo nonnullorum major in historia laus est, quam Romanorum Episcoporum. Ordine enumerabimus, subjectis singulorum, quæ ex- *Antiocheni.* (1) Asclepiades.

ſtant, elogiis. 1. *Aſclepiades*, ſedit annos IX. juxta Chronicon Nicephori, & obiit anno Chriſto 219. computante Baronio; Judicio Alexandri Epiſcopi Hieroſolymitani in literis, ad Antiochenos perſcriptis, vir fuit *propter fidei amplitudinem ad miniſterium accommodatiſſimus, qui in perſecutione ob conſtantem fidei confeſſionem multum laudis eſt conſecutus*, referente Euſeb. lib. VI. hiſtor. cap. 10.

2. Philetus. Succeſſor ipſi fuit (2.) *Philetus.* Sedit hic Annos XII. uti refert Euſebius hiſt. lib. VI. c. 15. & in Chron. Huic ſucceſſit (3.) *Zebinus*, vel *Zebenus*, quem Nicephorus in Chronico VI. annos; Baronius XI. ſedem tenuiſſe ſcribunt. Ejus meminit Euſeb. lib. VI. cap. 17. (4.) *Babylas.* Sedit annos XII. juxta alios. XIII. Interea officio ſuo egregie functus eſt. Fervebant perſecutiones immaniſſimè, nec erat ferè, qui juventutem Chriſtianiſmum doceret. Ipſe igitur Epiſcopus docendæ manus admovit, & ad conſtantiam hortatus eſt. Tandem igitur in carcerem & vincula conjectus obiit. Ferunt, cum Julianus Apollinem Daphneum Antiochiæ conſuleret, obſtitiſſe oraculo oſſa & catenas Babylæ ibi locorum ſepulti: Remotis autem hiſce, tum demum reſpondiſſe dæmonium. Chryſoſtmus in oratione quadam fidem hiſtoriæ conciliare contendit ex teſtimonio Senum juvenumque, qui tanquam teſtes idonei aſſeveraſſent. Cæterum ut non negamus Deum poſſe per contempta media diabolum confundere, & ſolere etiam interdum, occaſione & neceſſitate ita efflagitante: Ita non raro fit; ut verſipellis dæmon ſimulet fugam, vel dolorem aliquem, ut in ſuperſtitionem credulos vel inducat, vel confirmet. Dubium non eſt, quin λειψανολατρεία hinc nonnihil ſeminum acceperit, quod ſequutis temporibus magis magiſque excrevit. (5.) *Fabius* ſediſſe dicitur annos IX. à Niceph. in chron. pauciores alii habent. Nonnihil inclinabat in Novatianiſmum, quare Cornelius Romanorum, & Dionyſius Alex. Epiſcopi ſcriptis ad ipſum literis maturè malo occurrebant. Fecit autem Cornelius hac in parte ſuum quidem officium, ut erat ipſius, etſi non *præcipui*, ut vult Baron. an. 255. §. 34. *muneris*, Nam & Alexandrinus fecit, & operoſius fecit, pluribus ad alios quoque literis exaratis, ut in orthodoxa fide perſiſterent. (6.) *Demetrianus.* Præfuit Eccleſiæ annos 4.

3. Zebinus.

4. Babylas.

5. Fabius.

6. Demetrianus.

compu-

computante Nicephoro. Fuit uxoratus; Nam filium habuit Domnum, quem Antiocheni Paulo Samosateno substituerunt. Demetrio igitur successit (7.) *Paulus* à Samosata dictus Samosatenus. Infame hujus nomen est propter hæresin Artemonitarum, cui favebat palam. Unde & factum est, ut à concilio Antiochiæ congregato sede deponeretur, quo de infra in hæresi Samosateniana. Sit igitur successor (8) *Domnus* Demetriani Episcopi filius, vir, laudantibus Patribus Antiochenis, *omni genere virtutum, quæ Episcopum decent, exornatus.* Sedit, juxta Nicephorum, annos XVIII. Successor ejus fuit (9.) *Timæus* referente Euseb. lib. VII. 26. Et hujus, teste eodem (10.) *Cyrillus*, annorum XV. Episcopus, Denique (11.) *Tyrannus*, quo sedente exarsit persecutio Diocletiani.

7. Paulus. 8. Domnus. 9. Timæus. 10. Cyrillus. 11. Tyrannus.

§. 19. Inter enumeratos Episcopos Antiochenos deprehendimus aliquem hæresiarcham, Paulum nempe Samosatenum, & aliquem, qui de hæresi suspectus saltem, si non omnino convictus fuit, nimirum Fabium. Cum tamen Pontificii contendant, successores ipsos esse Petri, utpote qui septennium sedem presserit Antiochenam. Igitur successor alicujus orthodoxi, etiam Apostoli, etiam Petri, potest degenerare à sana antecessoris doctrina, ut ineptum sit argumentum, quod Pontificii sumunt ex successione locali. Oportet enim in sana doctrina succedere, qui velit successionis argumentativæ privilegio gaudere.

Alexandrini. (1.) Heraclas.

§. 20. *Alexandrini.* Inter hos est (1.) *Heraclas*, vel *Heracleas*, ut alii legunt, Origenis pridem in schola Alexandrina Collega, & postea propter celeberrimam eruditionem Episcopus. Nam, referente Euseb. lib. VI. hist. c. 24. (31.) Julius Africanus ad ipsum audiendum sese contulit διὰ πολλὴν φήμην, propter *celeberrimum nomen*; & addit, *ipsum* ἐπὶ λόγοις φιλοσόφοις, καὶ τοῖς ἄλλοις ἑλλήνων μαθήμασιν ἄγαν μάλα διαπρέψαντα τὴν ἐπισκοπὴν αὐτόθι ἐκκλησίας ἐγχειρισθῆναι *propter philosophiæ, & aliarum Græcarum disciplinarum cognitionem, quâ egregiè excellebat, ad Ecclesiæ illius Episcopatum administrandum delectum esse.* Optimè factum. Decet enim optimos quosque διδακτικοὺς καὶ ἐλεγκτικοὺς admovere functionibus sacris, ibi præsertim, ubi eruditæ sunt scholæ, Gymnasia, Academiæ, uti erant Alexandriæ. Consumpsit in Episcopatu annos 14;

Nam,

Nam, juxta Baronium, anno 234. successit Demetrio, & obiit anno 248. Dissentiente tamen Eusebio, qui XIX. annos tribuit. Successor ipsius fuit (2.) *Dionysius*, de quo art. 1. §. 24. prolixe mentio facta est. In computo autem Eusebii quid desideret Scaliger, vide ipsũ in animadv. ad chròn. an. m. 2264. Notandum est, quod Episcopus hic, si qui alius, plurimas epistolas ad diversos de diversis materiis, & casibus, varia forma & modo scripserit, ut desinant Pontificii id muneris suo solum Romano vindicare. Nihil hic hoc quidem seculo in rebus ad fidem & mores spectantibus egit, quod Dionysius non egerit Alexandrinus: persecutiones plurimas, & exsilia asperrima sustinuit; præter alia domestica mala, seditionem, luem, & alia, quibus implicitus est, donec moreretur. Successit ipsi (3.) *Maximus*, seu Maximianus. Presbyter pridem Dionysii insignis, & Socius confessoris, sicut ipse Dionysius scribit adversus Germanum quendam Euseb. lib. VII. cap. 10. Successorem nactus est (4.) *Theonam*: sic enim Eusebius cap. ult. *Postquam Maximus decem & octo annos Episcopatu Alexandriæ post mortem Dionysii fuerat perfunctus Theonas ejus potitur loco.* Theonam autem excepit (5.) *Petrus*, qui, eodem l. c. teste *duodecim annis continuis in eo officio fungendo cum summa dignitate inter primos floruit. Qui cum triennium prope ante persecutionis tempus in Ecclesia illa gubernanda contrivisset, de reliquo vitam duriore exercitatione & magis severa traduxit, &, uti omnibus constabat, Ecclesiarum utilitati omni cura ac studio prospexit. Ac propterea nono persecutionis anno, capite amputato, erat à Deo insigni Martyrii corona donatus.* Hactenus elogium Petri ex Eusebio.

(2.) Dionysius. (3.) Maximus. (4.) Theonas. (5.) Petrus.

§. 20. *Hierosolymitani.* Erant (1.) *Narcissus.* vir miraculis potens, moribus severus, & in suo officio cordatus, quare quorundam in sese odia concitavit & calumnias, tantas, ut ferre non posset. Nam deserta sua statione in eremum concessit. Interea sedi præerant (2.) *Dius* (3.) *Germanion* (4.) *Gordius* (5.) *Alexander.* Pridem hic Cappadocum fuerat Episcopus, sed cum Hierosolymam visendi gratia venisset, detentus est à fratribus, & Episcopus est adjunctus Narcisso decrepito, qui interea temporis è desertis suis redierat, sicut ex ipsis Alexandri literis refert Eusebius lib. VI. hist. cap. 9. Vixit autem Narcissus ille

Hierosolymitani. (1.) Narcissus. (2.) Dius. (3.) Germanion. (4.) Gordius. (5.) Alexander.

ille ultra 117. annos. Tandem vero in carcere diem obiit supremum, postquam ante causam Christi coram tribunali dixisset. Idem fatum fuit Collegæ; Nam, ut in Martyrol. Rom. die 28. legitur, & in literis Dionysii; *Beatus Alexander in carcerem conclusus, mortem beatam est consecutus*: Successor ejus fuit (6) *Mazabanes*, referente Euseb. lib. VI. c. 32. Chron. an. 252. Hujus (7) *Hymenæus*, qui, ut habet Euseb. lib. VII. c. 13. *multis annis nostro hoc ævi curriculo magna cum laude vixit.* Specimen orthodoxiæ dedit in concilio Antiocheno adversus Paulum Samosatenum collecto; c. 22. & 24. Denique (8) *Zambdas*, & (9) *Hermon*: Sic enim iterum Eusebius: *Hierosolymorum Ecclesiæ ministerium post Hymenæum Episcopum, Zambdas capessit; Paulo post, ipso mortuo, Hermon, postremus eorum, qui ante persecutionem, nostra memoria ibi concitatam, fuerunt Episcopi, in sede illa Apostolica ad hoc usq; tempus reservata collocatus fuit.* c. 26.

(6.) Mazabanes. (7.) Hymenæus. (8.) Zambdas. (9.) Hermon.

§. 21. Reliquos per Asiam & Africam Episcopos juxta loca sua & alphabetum recensebimus, ut facilius inveniantur. Sint igitur: *Ægyptij*, Hierax apud Euseb. VII. 8. *Afri* in compendio dicti, uti habentur in actis concilii Carthaginensis, operibus Cypriani annexis, sunt autem: Cæcilius à Bilta, Primus à Misgirpa, Polycarpus ab Adrumeto, Novatus à Thamugade, Januarius à Jambæse, Lucius à Castrogalbæ, Crescens à Cirta, Nicomedes à Segermis, Munnulus à Girba, Secundinus à Cedras, Felix à Bagai, Polianus à Mileo, Theogenes ab Hippone, Dativus à Badis, Successus ab Abir Germaniciana, Fortunatus à Tuchabori, Sedatus à Turbo, Privatianus à Sufetula, Privatus à Sufibus, Hortensianus à Laribus, Cassius à Macomadibus, Secundinus à Carpis Alius, Victoricus à Thabraca, Alius Felix ab Uthina, Quintus à Buradi, Castus à Sicca, Euchratius à Thenis, Libosus à Vaga, Lucius à Thebeste, Eugenius ab Ammedera, Alius Felix ab Ammacara, Alius Januarius Muzulensis, Adelphius à Thasualte, Demetrius Aleptiminus, Vincentius à Thibari, Marcus à Mactari, Satius à Sicilibba, Victor à Gor, Aurelius ab Utica, Confessor Jambus à Germaniciana, Lucianus à Rucuma, Pelagianus à Lucuperciana, Confessor & Martyr Inder à Midila, Alius Felix à Marrazona, Paulus à Bobba, Confessor Pomponius à Dionysiana, Confessor Venantius à Thunisa, Ay-

Reliqui, ut AEgyptii, Afri.

mnius ab Ausuaga, Saturnius à Victoriana, Alius Confessor Saturnius à Tucca, Marcellus à Zacra, Confessor Henæus ab Ululis, Donatus à Cybaliana, Zozimus à Tarassa, Julianus à Telepse, Confessor Faustus à Timida, Geminius à Furnis, Rogatianus à Nova, Confessor Therapius à Bulla, Confessor item alius Lucius à Mumbre, Alius Felix à Duslaconi, Alius Saturnius ab Avitinis, Quintus ab Aggya, Julianus à Marcelliana, Lenax ab Horri Scætiæ: Confessor Alius Victor ab Assuris, Donatulus à Capse, Martyr de Schismaticis, Verulus à Ruficade, Pudentianus à Cuiculi, Martyr Petrus ab Hippone Diarrito, Lucius ab Ausafa, Felix à Gurgisibus, Pasillus à Lamasta, Martyr Salvianus à Gazanfala, Honoratus à Tucca, Victor ab Octavo, Confessor Clarus à Mascula, Martyr Secundianus à Thambeis, Confessor Lyttæus à Gemellis, Natalis ab Oea, Innius à Neapoli, Confessor denique & Martyr Cyprianus. Inter quos referri potest Jubajanus, ad quem extat Cyprian. epistola. Sed & Cypriani successores Lucianus, quem Flavianus Martyr Episcopum fore prædixit. Baron. an. 262. §. 29. 30. Huic Mensuicus; huic Cæcilianus. Vide Optat. Milev. cont. Parmen. apud Baron. an. 261. §. 46.

Amaseni. Hactenus Episcopi Africani. *Amasenus* fuit Phædimus. Niceph. lib. VI. 17.

Apameenses. *Apameensis* Alcibiades, lib. V. c. 24.

Arabes. *Arabicus* Maximus, qui gregem suum pavit *insigniter & decore*, ut habet Euseb. VII. hist. c. 22. Interfuit & concilio Antiocheno, ut literæ Synodicæ testantur c. 24. Antecessorem habuit Beryllum, pridem in hæresin lapsum, sed ab Origene restitutum. Sed & *Titus* quidam Arabibus præfuit juxta Niceph. lib. VI. c. 32. Diversus tamen est ab alio illo Tito, cujus mentionem facit Hieronymi catalogus. Nam hic vixit seculo quarto.

Armenus. *Armenorum* fuit Merusanes, Euseb. lib. VI. 38.

Asturicensis. *Asturicensis* fuit Basilides, lapsus tempore persecutionis, & libellaticus idololatra, blasphemus insuper: qui quidem crimen confessus est, & laica communione contentus fuit. Ceterum cum videret sibi deposito quendam Sabinum esse substitutum, adeo indignatus est, ut Romam appellaret, Stephanumque Pontificem sibi conciliaret; Quare Cyprianus *utrumq; culpavit, & judicem obreptitium, cui obreptum erat, & reum obrepentem, quanquam hunc majoris delicti poposcerit, ut miranda sit frons*

frons Baronij, quod Stephanum excusare velit; Judicio B.Dn.D. Dannhaweri in nota marginali ad Baron. an. 58. §. 3. *Babyloniorum* Babylonius. Polychronius, apud Baron. an. 254. §. 27. *Bernicensium* Ammon. Bernicensis. Euseb. lib. VII. c. 21. *Cæsareensium* fuit Theoctistus Spectatissimus Episcopus, laudante eodem lib. VI. c. 7. Cæsareensis. Hic est, qui Origenem ordinavit Presbyterum, utpote quem tanti fecit, ut interpretem scripturæ constitueret. Nec obscurus fuit Theotecnus; Nam ipse Marinum quendam Confessorem animavit ad Martyrium. Euseb. lib. VII. 14. Sed & Concilio interfuit Antiocheno; & præterea suum officium diligentissimè exornavit, c. 24. 26. subjungit ipsi Euseb. *Agapium* re & nomine talem; nam erga suum gregem solicitè sese & peramanter gessit. Nec omnino prætereundus est *Pamphilus* Presbyter quidem, sed egregius, vir disertissimus, & verè Philosophus, laudante Eusebio, sed addictissimo, c. 26. *Cappadocas* docuit & rexit Firmilianus, ille Cypriani quidem con- Cappadox. junctissimus synathleta, sed Pontificis Romani adversarius acerrimus. Cætera orthodoxus fuit: Nam concilio Antiocheno interfuit; Origenem quoque maximi fecit, & præceptoris loco habuit. Vide Euseb. lib. VI. hist. c. 20. VII. 22. 24. *Cilicum* E- Cilicum. piscopus fuit Helenus, & ipse membrum concilii Antiocheni, c. 22. *Cretensium*, Cyrillus, qui sub Decio Martyrii coronam ac- Cretensis. cepit. Acta extant apud, Baronio laudante, Surium 4. die 9. Julii. *Iconiensium* Nicomus; Euseb. VII. 22. *Laodicensium* The- Iconiensis. lymidres, Euseb. lib. VI. 38. Heliodorus VII. 4. Eusebius, di- Laodicenses stinctus ab illo altero Phœnice, de quo Niceph. VI. 32. Istum mirificè commendat Dionysius à studio in martyres: sed & concilio Antiocheno inter primarios interfuit. Defunctus successorem habuit *Anatolium*, vi quasi ad Episcopatum capescendum abstractum. Minus laudatur Stephanus successor, propterea, quod in persecutione lapsus sit. Scandalum hinc magnum est natum, & majus fortasse, nisi *Theodotus*, veluti à Deo datus, ruinam restaurasset, vir à probitate morum, præstantia eruditionis, & aliis virtutibus laudatissimus. Euseb. lib. VII. c. 11. *Legionensis* Hi- Legionensis spaniæ Episcopus fuit Basilides, in eodem, quo Emeritensis, crimine lapsus. Cypr. ep. 68. Censet autem Johannes Vaseus in Chron. Hisp. f. m. 518. 4. 1. Asturicensem & Legionensem fuisse eundem Episcopatum, adeoque idem Basilides utrique civitati

Mesopot. præfuerit. *Mesopotamiæ* fuit Archelaus Cascharorum Episcopus præstantissimus. Nam masculè restitit Maneti istas Ecclesias

Nicomed. turbanti. *Nicomediensis* erat Cyrillus, cui successit Anthimus, re-

Niliaci. ferente Baron. an. 293. §. 1. & 2. *Nili* fuit Chæremon. Euseb. VI.

Pentapolitanus. 42. & Nepos in hæresin lapsus chiliasticam Tob. VII. 23. *Pentapolitanus* fuit Basilides, c. 21. *Ponticus* Athenodorus, ille Grego-

Ponticis. rii Thaumaturgi frater, pridem gentilis, deinde Origenis discipulus, tandem Christianus & Episcopus. Huic adde μέλιτης Ἀττικῆς *mel Atticum*, Meletium, uti vocatur & egregiè prætereà laudatur apud Euseb. VII. c. 26. *Tyrii* erant Methodius, de quo su-

Tyrii. pra inter scriptores, *Alexander* & *Marinus*. Vide Euseb. c. 4.

Germani & Galli & alii Europæi. §. 22. Neque vero Germanorum nostrorum, si qui fuerint, & Gallorum, aliorumve Europæorum, propius ad nos spectantium, memoria omittenda est, eodem, quo prius, ordine; Sint igitur *Æduenses* Galli. Scrupulus hic ante omnia occurrit de Gallicanis Episcopis, quem movit Gregorius Turonicus lib. 1. de reb. gest. Franc. c. 30. p. m. 24. dum scribit: Decii Imp. & Sixti P. R. temporibus *septem viri Episcopi ordinati ad prædicandum in Gallias missi sunt, sicuti historia passionis S. Saturnini martyris denarrat.* Quibus conjungi possunt verba melioris auctoris Sulp. Severi lib. 2. hist. *Sub Aurelio deinde Antonini filio, persecutio quinta agitata, ac tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta.* Ex his videtur colligi posse, quod hoc demum seculo Galliæ verbo Euangelico illustratæ sint. Sed, quod prius attinet, Annales Aurelianenses lib. 1. §. XXXVII. seqq. p. 41. in dubium revocant fidem auctoris, eo quod tale quid in actis Saturnini, ut quidem apud Lipomannum & Surium habentur, non occurrat. Rectius forsan diceretur, quod diversæ sint Galliarum provinciæ, quæ non uno tempore prædicationem Euangelii susceperint, sed distinctis annis, imo seculis: Fieri quoque potuerit, ut Euangelium olim alicubi prædicatum, deinde iterum obfuscaretur, atque

dubii ferè. adeo restauratione opus haberet. Severi testimonium nobis non obest: quippe quod fatetur jam seculo secundo Gallias Euangelium recepisse. Optaremus autem, ut (præfiscini dicimus!) certiora, vel ampliora extarent monumenta, unde de Episcopis, si qui fuerunt, & aliis Ecclesiæ sive Doctoribus, sive

dogma-

dogmatibus, sive sciendis aliis informaremur. Fides igitur sit
penes eos, ex quibus sequentia mutuati sumus. Certè si rigo-
rosè vellemus examinare testimonia, quæ proferunt, admodum
difficile examen haberent, adeo incerta, & vix interdum conje-
cturæ sunt. Revertimur ad *Æduenses*. Horum Episco- AEduensis.
pi fuerunt Amator & Martinus; *Æginensium* Caprasius, ille cele- AEginensis.
bris martyr fuisse Episcopus videtur. *Ambianensium* fuit Firmi- Ambianen-
nus Pompelonensis civis à Saturnino Episcopus ordinatus; Fe- sis.
cit autem strenuè officium, *& præclara sanctitatis opinione claruit*, Lau-
dantibus Sammarthanis tom.2.Gal.Christ. f. 92. *Aquilejensis* fuit Aquilajen-
Hilarius, referente Baron. an.284.§.9. *Arelatensis* fuit Marcia- sis.
nus Novatianismo infectus, ut habet Cyprian. Ep. 67.l.3. ep. 13. Arelatensis.
Nam Cyprianus ad Stephanum P.R. scripsit, & hortatus est, ut
Marcianum propter hæresin condemnaret. Colligit autem
hinc Gallia Christiana t.1.f.37. quod Arelatensis præsul *hoc tem-* Asturicensis.
pore pro Metropolitano agnitus fuerit, singularemq; provinciam Ecclesiasticam
habuerit. Hæc illa. *Augustani*. Memoratur à Bruchio quidam ex Augustani.
Hispania Episcopus Narcissus, qui Vindelicis post Lucium præ-
dicavit Euangelium, Sosimo quodam coadjutore, & deinde
successore, collaborantibus etiam Afra pridè lupanaria, Digna,
Eunomia, atque Eutropia, post Hilariam, idque ea industria
facientibus, ut gentiles in sese persecutores concitarent, & mar-
tyrio coronarentur. Vide Welserum in app.hist. August.p.152.
& Rader. Bavar.sanct.f.21. *Bavariam* quod attinet, illustrata Bavari.
ipsa est Euangelio per quendam Hungarum *Maximilianum*, mis-
sum, si Radero credendum Jesuitæ, à Sixto Romanorum Epi-
scopo Laureacum, ut ibi Euangelium prædicaret, quod & stre-
nue fecit, donec repetita Celejà patria jussu præsidis occidere-
tur. Vide Martyrol. Rom.12. Octobr. Cuspinianum in Austria,
Hundium in Metropoli, Rader. in Bav. f.16. *Bisontiensis* fuit Bisonticen-
Maximinus, cujus mentionem facit Catalogus MSC. Episcopo- ses.
rum Bisontinorum his verbis: *Iste sexto ab urbe miliario vitam eremi-*
ticam duxit, ubi & requiescit. Ædicula ipsius memoriæ dedicata ce-
lebratur à Samarthanis Gal. Christ. f.118. Successor ipsius fuit
Paulinus, & ipse Eremicola; uterque autem ex metu persequen-
tis Maximini. *Bononiensis* fuit Zacra, cujus fit mentio apud Ba- Bononien-

Britanni. ron, an. 272.§.22. *Britannorum* Episcopum Fastidium laudat Gennadius in Catalogo, quod ad Fatalem quendam scripserit *de vita Christiana librum unum, & alium de viduitate servanda, & Deo digna doctrina*, memorant Antiqq. Britann. f.6. Eodem ex Beda narrant *Albanum, Amphibalum, Aaronem, ac Iulium, sanctos & Euangelii prædicatione conspicuos viros, & martyrii candidatos*. f. 7. An vero Episcopos? Non liquet.

Cæsaraugustanus. *Cæsaraugustanus* in Hispania Episcopus fuit Felix, ab altero illo Emeritano distinctus, *fideicultor, ac defensor veritatis*, laudante Cypr. Ep.68.§.7.

Claromontanus. *Claromontanus* fuit Austremonius, Decio & Grato coss. vide Greg. Turon. lib. 1. de gest. Franc. c.28. cui successit Urbicus. c.39.

Diensis. *Diensis* fuit Martius quidam circa annum 220. ut ex Vulfino Episcopo refert Gal. Christ. t.4.f. 554.

Emeritensis. *Emeritensis* fuit Martialis, sed lapsus, libellaticus, ideo depositus, substituto quodam Felice, quem laudat Cypr. ep.68. sicut vice versa Martialem vituperat, quod insuper etiam ad sedem Romanam appellasset.

Ebroicensis. *Ebroicensis* fuit Taurinus, Sixto Pontifice, sub annum Christi 260. ut probabilius censent Sammarthani contra Baronium, 3. id. Aug. Martyr.

Engolismensis. *Engolismensis* fuit Ausonius, de quo quidem multa narrat vetustula legenda in cœnobio monialium Engolismensium reposita, sed falsitatis suspecta.

Lugdunenses. *Lugdunenses* fuerunt Zacharias Irenæi successor, laudatur ob studium erga martyres. Huic successit Helius, quem celebravit Greg. Turon. l. d. glor. conf. c. 26. à miraculo post mortem adversus furem patrato. Huic *Faustinus*, cui cum Cypriano familiares literæ intercesserunt. Observabat enim curiosè Marcianum Arelatensem novaturientem, monebatque Cyprianum, ut erranti sese opponeret, ep. 57. §. 1. successores habuit Verum, Julium, Tomæum seu Ptolomæum.

Mediolanensis. *Mediolanensium* post Barnabam, Anatolium, Cajum, Castritianum, Calimerium, superiorum seculorum Episcopos, Episcopus fuit Monas Burrius philosophica eruditione, & sanctimonia clarus, & in officio suo sedulus, quod ex actis Borromæi refert Joh. Gualterius, t. 1. Chron. p. m.1196.

Moguntini. *Moguntini*. Sedit adhuc hoc seculo *Gothardus*, quem alii Butibardum, alii Bodardum vocant, alii Godeardum, *vir plane sanctæ conversationis*: Successor Lucii, sicut hic Celsi, hic Martini, hic Hilarii, hic Cyriaci, hic Crescentis II. hic Martini, hic

Crescen-

Crescentii. Gothardo successit *Suffronius, vir optimus*; Huic Herigerus Martyr, huic Rutherus & ipse Martyr; huic Avisus, *vir doctus & pius*; huic Ignatius Martyr Christi; huic Dionysius, cujus ætas in quartum seculum sese extendit. Confer Gualter. Chron. t.1.p.m.1381. seqq. Nicol. Serar. Mogunt. lib.2. c.8.

Rhemensis.

Rhemensis fuit Sixtus ordinatus à Sixto Romanorum Episcopo, tradente Hincmaro Rhemensi c.16. sunt tamen, qui altius ascendentes, dicunt, ab ipso ipsum Petro esse ordinatum, *qua de re judicent alij*, ajunt Sammarthani in Gal. Christ. f.475.

Rhotomagensis.

Rhotomagensis fuit Melanius à Stephano P.R. ordinatus, si vera refert personatus Damasus tit. Stephanus. Alioquin, judice Baron. an. 260. §. 5. *sanctitate celebris* extitit.

Sisciensis.

Sisciensis Noricorum & Illyrici Episcopus fuit Quirinus, juxta quosdam Philippi Imperatoris filius; diligentissimus in prædicando Euangelio, donec jussu Galerii lapide ad collum appenso submergeretur, idque tamen non nisi suis votis. Id certum est, quod aliquis Quirinus carmine panegyrico celebratus fuerit à Prudentio, sed an idem fuerit Sisciensis & Laureacensis Episcopus? incertum est. Certè martyrio non conveniunt. Sisciensis enim sub Galerio Sisceæ in Illyrico passus dicitur; Noricus autem Romæ sub Claudio, alius capite truncatus, alius aquis suffocatus esse. Comparentur inter se auctores Baronius, Cuspinianus, Hundius, &c. apud Ursin. Eccles. Germ. lib.2.c.1. vide Rader. Bav. sanct. f. 23.

Tholosanus

Tholosanus fuit Saturninus. Sunt quidem, qui ad Apostolorum tempora ipsum referunt, Gregorius tamen Turonicus sub Decio martyrium esse passum refert lib.1. de gest. Franc. c. 28. suffragantibus Martyrol. Romano, Baron. an.254. Bosquet lib.3. hist. Eccles. &c.

Treverenses.

Treverenses fuerunt Martinus I. *Christi martyr sanctus*; Anastasius, Andreas, *non malus sui ovilis pastor*; Rusticus I. *vigil in vinea Domini vigilantissimus*; Auctor *concreditum talentum reddidit auctius*: Fabricius *Christi Confessor*, Cassianius *vir in Dei vinea gravis operator*: Marcus, ex regia stirpe Avitus Marcellus, cujus prædicatione Lucius Britannorum baptizatus est: Metropolus: Severinus, *qui vitæ suæ cursum in bonis operibus & prædicationibus feliciter terminavit*; Florentius *vir sanctus, & verbi Dei egregius concionator*. Martinus *hic magna sanctitate conspicuus suis concionibus Hispanos populos ad fidem Christi convertit*. Maximinus

Theo-

Theologiæ Doctor insignis. Vide annales Trevirenses apud Gualter. t. 1. Chron. p. m. 143. seqq. Bene autem monent Sammarthani Gal. Christ. t. 1. f. 715. *videtur obscura admodum primis seculis, usq; ad Agricium* (vixit hic anno Christi 314.) *vel parva omnino in Ecclesiasticis diptychis mentio Episcoporum Trevirensium, quo successio legitima comprobetur.*

Tungrenses. *Tungris* præfuit Avitus, ultimi Tungrorum regis ex fratre nepos, fuit in docendo vehemens, & plurimos à vitiis avocavit, & Treverenses ab apostasia. Marcellus successit, de quo paulo ante. Non tamen adeo congruit chronologia. Subjicitur n. hic Marcellus Avito, qui vixisse dicitur anno 262. qui igitur Marcellus converterit Lucium Britannum, qui superiori seculo Christo nomen dedit? *Metropolus*, filius, si credere fas est, Ducis Lotharingiæ, qui *assidue multa diligentia concionari solitus erat, tam domesticos, quam externos in spem salutis sempiternam cum fiducia aspirare docuit.* Sic habet elogium apud Gualter. f. 1480. dicitur obiisse An. Christi 239. Severinus ipsi successit, comitis Lovaniensis filius, *sancti* nomen accepit. *Florentius* oraculi instar habitus. Martinus, filius comitis Namurcensis, miraculis clarus. Maximinus denique cujusdam pagani ex Christianâ filius,

Turonensis. *Turonensis* fuit Gratianus. Etsi hunc nonnulli adscribant ætati Clementis R. potior tamen fides habenda est Turonensium Antistiti Gregorio, qui lib. X, de gest. Franc. c. 31. eundem refert ad tempora Decii, annum Christi 250.

Viennenses. *Viennenses* fuerunt Simplicius, Paschasius, de quo vide Martyr. d. 22. Febr. Claudius, & Florinus, de quo Baron. an. 262. §. 58. imprimis autem Lupicinus. ad quem extat epistola Cornelii P. Romani, t. 1. Bibl. Patr. f. m. 64.

§. 23. Enumeravimus juxta seriem alphabeti Episcopos sive Presbyteros Ecclesiarum occidentalium. Liceat tamen Episcoporum ipsis nomen dedisse, quia & scriptura id nominis unicuique Presbytero & Ecclesiæ antistiti tribuit, & ipsi fecerunt, quod Episcoporum est, officium. Dolendũ autem est, quod tot & tanti hiatus in Episcopis præsertim Gallicanis occurrant. Bucherius fatetur, *quod pene omnes Gallicanorum Episcoporum indices, qui ab Apostolis deducuntur, cum primum suum aut secundum censuere sacerdotem, spatium repente ducentorum circiter annorum Episcopis vacuum exhibeant, & proximos deinde eorum successores in Constantini tempora, subinde etiam*

etiam serius, historicorum auctoritate revicti, recipiant. Lib. VI. Belg. Rom. 3. Quanquam nec hoc negligendum, quod Serarius l. 2. Mogunt. cap. 2. observavit: *Ecclesiæ initio, cum Evangelii præcones huc illuc pergerent, unum eundemque pluribus in locis Episcopum interdum fuisse.* Exemplum habuimus Episcopos Trevirenses & Tungros. Igitur non mirandum, quod *Vangionum, Nemetum, Argentoratensium Episcopi nulli adeo certi ante Constantini, aut etiam filiorum ejus, tempora numerentur*; Quæ iterum Bucheri confessio est. *Persecutiones* adde, quæ raros reddidere scriptores. Fatetur idem lib. VII. c. 10. quod *rari per ea tempora scriptores, præsertim sacri, fuerint & qui fuerunt continuis tyrannorum persecutionibus agitati, magis de vita quam scriptione soliciti extiterint.* Accedunt irruptiones Wandalorum & aliorum barbarorum, quæ primæ Germaniæ, in qua Moguntiaci, Vangiones, Nemetes, & Argentoratenses siti, immania damna cum hominum, tum literarum dederunt; De quibus Hieronymus in epist. ad Ageruchiam & Salvianus, lib. VI. Ebbo in epistola ad Balduinum Flandrum. Gall. Christ. t. 1. fol. 476. Bucher. Belg. Rom. lib. XVII. cap. 14. Altioris indaginis est, quis istos Episopos miserit? Nonnulli persecutionibus ardentibus ipsi venerunt, ut Narcissus Gerunda Augustam, *caussa adventus persecutio Diocletiani sævissima, quæ fugam suasit, præcepto Domini, ut se Deo servaret, & Ecclesiæ*, juxta Welser. l. 7. pag. 1:4 Eadem fata Pannoniæ suæ extorserunt Maximilianum, Brunero auctore; Pontificii equidem urgent, quod à Sixto Papa fuerit missus Laureacum; At Laureacum subfuit Patriarchæ Aquileiensi, An passuro, ut à Romano Episcopo aliquis Episcopus Laureacum mitteretur? Certè ex Italia pauci, contra è Galliis, Britanniis, Hispaniis, Pannonia plerique in Germaniam venere. Plerorumque adventus non annotatus est, quos censemus ex Apostolis etiam, & Simone Zelote, vel aliis, certe non solo Petro, descendisse. Ipse Bucherius Pontificius fatetur *alios quoque Apostolorum nonnullos Belgium in transcursu, nec otioso, penetrasse. Neque Petrum tantum, verum etiam Paulum, carcere Neroniano liberatum, & Simeonem Zelotem Britannos adiisse; Quis credat tanto animarum Zelo viros Belgium nullo prorsus jacto fidei semine transsiliisse?* Igitur è Britannicis interdum, vel Gallicis, Belgicis, Hispanicis Coloniæ

quasi in nostram Germaniam deductæ sunt, qua de re alibi. Proinde si Romanenses inde vellent subjectionem aliquam & dependentiam nostrarum Ecclesiarum hinc extorquere, sequeretur etiam subjectas esse ipsas Britanniis, Hispaniis, Galliis, id quod nuper quidam Aubery Gallus in axiomatibus politicis Gallicanis contendit pag. 12. §. 16. *Argentoratensis Episcopatus à Franciæ rege Dagoberto fundatus est, ideoque etiam nunc ad Monarchiam Francicam pertinet, uti consequenter etiam reliqui omnes Archiepiscopatus & Episcopatus Germaniæ, qui à regibus Franciæ fundati sunt.* De quo alibi.

Articulus III.

DE CATECHESI ECCLESIASTICA.

SECTIONIS I.

De Scriptura sacra.

Argumentum.

I. De *Scriptura* Argumentum.

Principium aliquod fidei est necessarium, atque hoc est scriptura sacra, principium unicum, verum, & primum, non obstantibus quorundam objectionibus. Principium igitur non sunt, vel traditiones, nisi in S. literis contentæ, vel patres & antiquitas, non ratio humana, non miracula, nisi quæ S. scripturam confirmant. Non consuetudines & leges Civiles, non Martyres, aut Confessores. Non præscriptio longi temporis, non Apostasiæ, ne Angeli quidem. disputatio κατ' ἄνθρωπον. Quid de testimonio conscientiæ tenendum? Est autem scriptura S. divinitus inspirata, quod probatur argumentis cum internis, ut sunt majestas rerum in S. literis contentarum, singularitas styli: Veritas vaticiniorum, congruentia cum lumine naturæ, sanctitas doctrinæ, testimonia ipsorum Sanctorum amanuensium, harmonia V.T. & N.T. Tum externis, ut sunt antiquitas, testimonium Ecclesiæ, miracula. Dividitur in libros Canonicos & Apocryphos. Isti in, libros V.T. & N.T. stylus qualis sit, materia, seu contenta. Finis vel principalis, vel minus principalis. Attributa sunt claritas, certis suis regulis promovenda, efficacia, perfectio, harmonia, integritas, sensus, versiones, lectio. Bibliotheca, Indices, Contraria.

§. 1.

Principium fidei (1.) Quod sit.

CIrca principium fidei notandum (1.) quod oporteat aliquod habere, quod sit instar fundamenti, cui fides innitatur:

tatur : *Proba esse, quæ credis ; aut si non probas, quomodo credis :* ait Tert. ad Marcionem lib. 5. c. 1. Similia Celso regerit Origenes l. VII. Euseb. de præp. Ev. allegante philocal. c. 24. Προσήκει ὡς ἀληθῶς ἕκαστον τῶν φιλομαθῶν μὴ ἁπλῶς, καὶ ὡς ἔτυχε, συγκατατίθεσθαι τοῖς λεγομένοις, ἀλλ' ἀκριβῆ ποιεῖσθαι τὴν ἐξέτασιν τῶν λόγων. i. e *Revera decet quemlibet discendi cupidum non leviter ac temere iis, quæ dicuntur, statim assentiri, sed diligenter, accurateq; expendere :* Unde autem expendere, nisi ex aliquo principio? Faciunt hæc ad retundendam calumniam Epicuræorum & Ethnicorum, qui mentiebantur Christianos non nisi stupidos asinos recipere, qui cœca fide crederent, quidquid doctores traderent, à sapientibus autem abhorrerent, qui rationes credendi requirerent. At, regessit Origenes lib. 3. contr. Cels. ὅτι βούλεται ἡμᾶς εἶναι σοφοὺς ὁ λόγος, *quod doctrina nostra sapientiæ studium à nobis requirat*, tantum abesse, ut sapientes respuat. Iterum incusabant Christianos μηδεμίαν ἀρχὴν τοῦ δόγματος ἔχειν, *quasi nulla haberent doctrinæ suæ principia*; nisi suum αὐτὸς ἔφα! At hanc esse calumniam Origenes lib. 5. docet, & ostendit modum procedendi Christianorum; nempe *quod non omni accedenti dicerent, primum crede, de quo te doceo, Dei filium esse, sed unumquemque alloquantur habita ratione morum ejus & constitutionis*. lib. VI. p. m. 282. Innuit, ut ex lib. VIII. p. m. 411. apparet, quod magna varietas sit inter homines, quibus cum agitur, alios jam esse imbutos Christianis principiis, alios minus; ineptum fore, si quis ex his extorquere velit assensum suorum dictorum, nisi prius fidem suam comprobasset. Auspicandá esse Catechesin cum his ex principiis naturæ à sese agnitis. Observent hæc Pontificii, qui cœcam suis fidem imperant, & Ecclesiæ volunt credi, antequam pateat veram hanc Ecclesiam esse. *Dicas :* Atqui ipsi Christiani suos à reddenda fidei ratione liberabant : μὴ ἐξέταζε, μόνον πίστευσον. καὶ ἡ πίστις σου σώσει σε : *ne scrutare, solum crede, & fides tua te salvabit*, uti ex ore Epicuræi verba Christianorum refert idem lib. 1. contr. Cels. Sed R. Id dicebant Christiani illis, qui jam certi erant suam fidem esse fundatam in S. literis, ut reprimerent tentationes adversariorum Epicuræorum, qui mysteriorum fidei probationem ex ratione morosè requirebant & urgebant. His respondendum

erat, mysteria hæc esse fidei, non demonstrationes humanas. Dum autem negabant dogmata ex ratione esse probanda, hoc ipso non negabant ex S. literis i. e. aliquo saltem principio esse defendenda.

(2.) Quid sit. §. 2. Ostenso igitur, quod sit aliquod fidei principium, videndum est 2. *quid sit*? Verbo dicamus: Scriptura sacra. Hanc enim *regulam* Christianorum vocat Tert. lib. IV. contr. Marc. cap. 2. & lib. 5. cap. 19. Alibi cap. 47. Apol. *fundamentum fidei*, quod cap. 26. de anima differens repetit. Clementi Alex. στρωματ. f. 50. sacræ literæ sunt σύντομοι σωτηρίας ὁδοὶ, compendiosæ *honestæ & moderatæ vitæ institutiones*, quæ θεμελιοῦσι τὴν ἀλήθειαν, *fundent veritatem*. Imprimis huc spectant verba, quæ habet libr. VII. strom. *Scriptura*, ajens, *judice utimur ad res inveniendas. Quidquid autem judicatur non creditur, priusquam fuerit judicatum, quare nec est principium id, quod opus habet judicio. Voce igitur Domini probemus, quod quæritur, quæ est magis fide digna, quam quævis demonstrationes, vel potius, quæ est sola demonstratio, per quam scientiam, qui solum quidem gustavere scripturas, sunt fideles.* Judex igitur est scriptura sacra & principium fidei, unde demonstrationes sumuntur Theologicæ, ut credendum non sit, nisi quod ex scripturis αὐτοπίστοις sumitur & probatur. Excipiunt Pontificii, τὴν τοῦ κυρίου φωνὴν *vocem Domini* esse etiam Ecclesiæ traditionem, ℞. Clemens se ipse explicat, cum dicit: ἀνάγκη δι' αὐτῶν τῶν γραφῶν ἐκμανθάνειν ἀποδεικτικῶς. *Oportet ex S. literis demonstrativè discere.* Igitur de voce Domini scripta loquitur. Confer Cham. Panst. Cathol: l.8. cap. 8. t. 1. §. 5. seqq. Confirmatur assertio ex ipsorum Apostolorum exemplis: *Obmutescat, obmutescat illa blasphemia; sufficiat Christum Filium DEI mortuum dici, & hoc, quia ita scriptum est. Nam & Apostolus non sine onere pronuncians Christum mortuum, adjecit: secundum scripturas, ut duritiem pronunciationis scripturarum auctoritate molliret, & scandalum auditorii everteret.* ita Tert. cap. 29. adv. Prax. Cui ὁμόψηφος est Origenes in epistolam ad Romanos commentatus: *Si tantus ac talis Apostolus auctoritatem dictorum suorum sufficere non credidit, nisi doceat, in lege & Prophetis esse, quæ dicat; quanto magis nos minimi hoc observare debemus, uti non nostras, cum docemus, sed Spiritus S. sententias proferamus.* Ecce tibi, patres sistunt Apostolum ipsum Pau-

Paulum ex S. literis, veluti ex principio unico, sua dogmata probantem: quanto magis nobis, qui θεόπνευστοι non ſumus, incumbit hoc principio niti, neque eo tantum in fide concipienda, ſed etiam fovenda & amplificanda. Cyprianus in præfatione ad Quirinum vocat ſcripturas *divinæ plenitudinis fontes*, ad quos ſe lector recipiat, *ut totas perlegat, quo plus roboris ſibi detur, & magis ac magis intellectus cordis operetur.* Hæc ille.

§. 3. Evidentius omnia apparebunt, ſi conſideraverimus (3) *requiſita* veri alicujus principii. Principium aliquod oportet eſſe *primum*, ante quod aliud demonſtrativum non ſit, *& ultimum*, in quod fides noſtra ultimatò reſolvatur. At tale eſt ſcriptura ſacra. Prius probavimus ex Clemente Alexandrino, cum ſcripſit: *Non eſt principium id, quod opus habet judicio,* ſeu alio priore, unde probetur, poſterius apud eundem legimus: *Voce igitur Domini probemus quod quæritur*: Vox ergo Domini, in S. literis contenta, eſt id, quod non opus habet judicio, ſeu principio aliquo priore. *Inde ſurgat actus noſtri ratio, unde & ordo, & origo ſurrexit, nempe ab Evangelica & Apoſtolica traditione.* ſcribit ad Pompejum Cyprianus. Sed ut de altero quoque dicamus, ecce tibi verba Tertulliani in cap. 26. d. ani: Omnis inæqualitas ſententiæ humanæ uſque ad Dei terminos: *In noſtras jam lineas gradum colligam, ut quod philoſophis mediciſque reſpondi, Chriſtiano probem, de tuo, frater, fundamento fidem ædificem.* Diſputaverat de traduce animæ ex principiis phyſicis, his igitur miſſis ad S. literas ſeſe confert, inde probaturus, ſed Chriſtianis, quibus illæ principium ſunt fidei, in quod hæc terminatur. Fuerunt quidem inter gentiles, qui ſenſerunt myſteria S. literarum in ſuis quoque libris inveniri, & prius quidem, quam noſtri, ſcriptis. Sed Origenes lib. VI. 9. Celſ. ℞. gentiles iſta myſteria ex libris Hebræorum hauſiſſe: *Illud nolim inficiari, ſententias iſtas, quæ in Phædro leguntur* ἀπό τινων ἑβραίων μεμαθηκότα πλάτωνα. *Platonem à quibusdam Hebræis didiciſſe, aut, ut quidam ſcripſerunt, lectis Prophetarum libris, inſeruiſſe diſputationibus ſuis.* In quo argumento ipſe, & alii hujus ſeculi patres prolixi ſunt, nempe ut oſtendant, libros ſacros Ethnicis longè eſſe antiquiores. Vide Tertul. Apol. c. 47. Clem. Alex. lib. 5. ſtrom. Quorum hic ſuam ſen-

3. *Requiſita*, ut primitas.

tentiam vel inde confirmat, quod gentiles ſibi invicem ſua placita & dogmata ſint ſuffurati. Vide lib. VI. ſtrom. mox ab init. Ubi plura exempla plagii habentur.

Veritas. §. 4. Sed & *Verum* oportet eſſe principium: quod iſum ſacris quoque literis congruit, utpote in quibus mens divina exactè & fideliter nobis revelata eſt. Verax eſt Deus, & ſermo ipſius cum mente congruit, *Scio*, inquit Tertullianus, *illum non aliter, quam diſpoſuit, pronunciaſſe, nec aliter diſpoſuiſſe, quam pronunciavit.* cap. 10. adv. prax. Sed nec ſacri amanuenſes aliter, quam erat, mentem & verba Dei retuliſſe, credendum eſt. *An enim & illi aliter, quam ſentiunt, ſcribunt, fallaciæ Magiſtri, non veritatis?* quærit idem cap. 12. contr. Gnoſticos. Id ipſum habet cap. 21. de Præſcriptione. Clemens Alex. προτρ. f. 53. inde probat, quod ne apex quidem ſcripturarum prætereat, niſi impleatur. Id quod & Origenes urget lib. V. 9. Celſ. Poſtquam lib. 2. aliud argumentum tractaſſet, nempe à conſtantia Apoſtolorum & aliorum Dei miniſtrorum, quippe qui pro myſteriis in ſcriptura contentis ipſam mortem ſubiere, non ſubituri, niſi veriſſimam ſciviſſent. Hinc concludimus ex lib. VII. pag. 341. ἀψευδεῖν ἀναγκη τοὺς τοῦ μεγάλου θεοῦ προφήτας. *Neceſſe eſt non mentiri magni Dei prophetas.*

Unitas. §. 5. *Unicum* denique eſt principium, ut quod exipſa probari non poteſt, in rebus credendis numerari non poſſit, ſicut vice verſa credendum eſt, quidquid in ipſa continetur. Egregius eſt Tertulliani locus cap. 12. de orat. quem integrum adſcribam; *Siquidem*, ait, *ſine ullius aut Dominici, aut Apoſtolici præcepti auctoritate fiunt, hujusmodi enim non religioni, ſed ſuperſtitioni deputantur; affectata, & coacta & curioſi potius, quam rationalis officii; certè vel eo coercenda, quod gentilibus adæquent, ut eſt quorundam poſitis penulis orationem facere; ſic enim adeunt ad idola nationes, quod utique, ſi fieri oportet, Apoſtoli, qui de habitu orandi docent, comprehendiſſent.* Sermo eſt Patri de re mere cæremoniali, nempe de habitu orandi, nec legitur in S. literis vetitus iſte nationum mos, & tamen Tertullianus repudiat morem vel ideo ſolum, quod in S. literis de ipſo nihil habeatur. Quanto minus nos recipiamus, quod de dogmatibus extra S. ſcripturas profertur? Dicamus, quod

quod cap. 7. d. carne Christi, idem dixit : *Non recipio, quod extra scripturam de tuo infers :* Aut, quod ab Hermogene postulavit, & nos postulemus : *Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat væ illud adjacentibus aut detrahentibus destinatum.* cap. 22. Neque, quod vulgo solent, dixeris : multa divinitus dicta vel facta esse, quæ in S. literis non exstant, nihilominus pari pietatis affectu prosequenda ; Mox enim occurrit idem scripturum patronus Tertullianus, negando, quod tale quid dictum, vel factum fuerit ideo, ut extra & præter scripturam pari pietatis affectu prosequeremur; *Quod non fuit, non potuit profiteri scriptura; & non profitendo satis probavit, non fuisse, quia profiteretur, si fuisset.* cap. 20. adv. Herm Memorabile est Petri dictum, quod ex traditione accepit Clemens Alex. & refert lib. VI. strom. f. 678. ἐ δὲν ἄτερ γραφῆς λέγομεν *nihil sine scriptura dicimus.* Potest autem & alio respectu dici scriptura unum principium, nempe ab unitate materiæ, quam proponit, ea vero est Christus : *Scriptum est enim de hoc in quinque libris Mosis, dictum est in singulis Prophetis,* καὶ ἅπαξ ἁπλῶς, ὥς φησιν αὐτὸς ὁ Σωτὴρ, ἐν πάσαις ταῖς γραφαῖς : *& simpliciter, sicut ait ipse Salvator, in omnibus scripturis ;* Hactenus Orig. t. 5. in Joh. Philoc. c. 5.

§. 6. *Objicias :* quî scriptura sit principium fidei, cum tot sint sive hæretici, sive Epicuræi, sive infideles alii, qui ipsam vel ex toto, vel ex parte pro verbo Dei non agnoscant ? R. vitium hoc est hominum, non scripturæ. *Homines gloriæ & eloquentiæ solius libidinosi, si quid in S. scripturis offenderunt, digestis pro instituto curiositatis ad propria verterunt, neque satis credentes divina esse, quo minus interpolarent, neque satis intelligentes & adhuc tunc sub nubila etiam ipsis Judæis adumbrata quorum propria videbantur;* ait Tert. Apol. cap. 47. vitia igitur, quibus laborant scripturarum corruptores, & contemptores, sunt animi cœcitas, & superbia : *Non utique id fit ex scripturarum cœlestium vitio, quæ nunquam fallunt, sed humani erroris præsumptione, qua de hæretici esse voluerunt :* uti bene loquitur Novatia. de Trinit. p. 30. Bone Deus ! si judicio hominum esset absolutè standum, cum de literis sive sacris, sive profanis æstimandum est, malè cum omnibus ageretur : *Nullam* enim cum Clemente Alex. *existimo scripturam adeo feliciter procedere, cui nullus*

Objectio solv.

omnino

omnino contradicat, ἀλλ' ἐκείνης εὔλογον νομιστέον, ἣ μηδεὶς εὐλόγως ἀντερεῖ, *sed illam esse pro justa reputandam, cui nemo bona ratione contradicat*: lib. I. strom. f. 277. 278.

Non est 1. Traditio.

§. 7. Obtinuimus hactenus scripturam S. eamque unicum esse fidei principium, consequens est, nihil, nisi scripturam sacram, esse fidei principium. Quare excluduntur (I.) *Traditiones* non scriptæ. Ne autem adversariis elabendi rima relinquatur, destinguimus inter traditiones. Aliæ enim sunt ἔγγραφοι, aliæ ἄγραφοι; Istæ dicuntur, quæ vel κατὰ ῥητὸν, vel κατὰ διάνοιαν in S. literis continentur; hæ, quæ neutro modo, sed vel præter, vel contra ipsam sunt. Inter ἐγγράφους igitur referimus traditionem de Codice Biblico, de quo observandum, quod habet Tert. lib. IV. contr. Marc. c. 5. *Si constat id verius, quod prius, id prius quod & ab initio, ab initio, quod ab Apostolis pariter utiq; constabit id esse ab Apostolis traditū, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctū.* Loquitur autem de fide & authentia codicis Biblici, quem Marcionitæ mutilabāt. Ita mysteriū Trinitatis inter traditiones pertinet, referentibus eo Patribus Antiochenis: *Fides, quam à principio accepimus, & habemus traditam & servatam in Catholica & sancta Ecclesia usque in hodiernum diem, à beatis Apostolis, qui viderunt ipsi, & ministri fuerunt verbi, prædicatam ex lege & prophetis, ac novo Testamento.* Hæc illi in literis ad Paulum Samosatenum scriptis, sicut eas Franciscus Turrianus è tenebris eruit, & latinitate donavit, Baronius autem annalibus suis inseruit anno 266. §. 5. Hinc patet traditionis nomine venire etiam ea dogmata, quæ in S. literis, ut est dogma de Trinitate, & Deitate Filii Dei, continetur. *Atque hæc* demum *est vera traditio, quæ de Dominica & Evangelica auctoritate descendit, aut de Apostolorum mandatis atque Epistolis venit*; *Ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, Deus testatur*; *Obstinatio & præsumptio est humanam traditionem divinæ dispositioni anteponere, nec animadvertere, indignari & irasci Deum, quoties divina præcepta solvit, & præterit humana traditio.* Verba legisti Cypriani ex epistola ad Pompejum. Unde patet, quod præmisimus, duo esse traditionum genera, alterum divinum, alterum humanum, quorum istud in S. literis est fundatum, hoc minimè, imò præter & contra istas est. Istud *Dei traditionem humanæ institutioni oppositam* appellat in libello de

lo de unit. §.17. & illustrat exemplo *orationis dominicæ*, quæ & ipsa in S. literis continetur. Ex hoc fundamento dicimus falsas esse eas Apostolorum traditiones, quæ scriptis ipsorum repugnant. Etsi enim quędam inter domesticos disseruissent, *non tamen ea fuisse credendum est, quæ aliam regulam fidei superinducerent, diversam & contrariam illi, quam Catholice in medium proferebant, ut alium Deum in Ecclesia* (scriptis) *dicerent, alium in hospitio, & aliam Christi substantiam designarent in aperto, aliam in secreto, &c.* Quæ sunt verba Tertul. c.25. de præscr. Sicut igitur Apostoli idem, quod publicè prædicarunt, etiam domi tradiderunt, ita, quod & publicè & privatim necessarium tradiderunt, idem in literas quoq; retulerunt, sibi perpetuo constantes. Hinc patet, quid de non scriptis traditionibus à sacr. S. alienis habendum sit, nempe quod doctissimus Afer de gestis Theclæ & similibus censuit, confictas esse: *Quod si quæ Pauli scripta perperam legunt, exemplum Teclæ ad licentiam mulierum docendi tingendiq; defendunt; sciant in Asia Presbyterum, qui eam scripturam contraxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, convictum atq; confessum id se amore Pauli fecisse, loco decessisse:* Idem arbitratus est c. 17. de bapt. Similes traditiones recitantur à Clem. Alex. lib. VI. strom. f. 635. ex Petro & Paulo acceptas. Igitur Apostolis supponebantur ejusmodi adulterinæ traditiones, quæ non aliunde, nisi ex scriptis ipsorum genuinis refutabantur. Væ igitur veritati, si licentia fiat traditionibus! Vicerint hæretici: *solent hi dicere, non omnia Apostolos scisse; vel omnia quidem scisse, sed non omnia omnibus tradidisse.* Ut habet Tertul. de præscript. Nec valet, quod Bellarminus excipit, l.4. v. D. c.12. Hæreticos esse simias Catholicorum, & mysteria occultare, quod ipsos pudeat. Resp. Cham. t.1. Panst. l.8. c.16. §.8. nihilominus manent Papistæ hæreticis similes in eo, quod lucem fugiant scripturarum.

§. 18. Fluit hinc, quod nec (2) *Antiquitas & Patres* pro fidei principio haberi possint. Protestamur ante omnia, nos non aliqua nostri fiducia, aut arrogantia, Patres repudiare, vel antiquitatem sacris literis postponere, sed veritatis studio, & auctoritate ipsius antiquitatis. Distinguimus igitur in dictis patrum inter ea, quæ cum S. literis congruunt, & inter ea quæ dissentiunt. Ista magnum habere pondus, ultro fatemur, 2. Antiq.

&ipsi demonstramus nostram sententiam à Patribus ad Patres quasi per manus traditam esse, sicut Athanasius adductis Dionysiorum & Origenis suffragiis prævivit de sent. Synod. Nic. f.153. Hæc verò apud nos in exiguo imo in nullo precio esse, quis indignabitur? *Si enim solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit; Neq; enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* Habes Cypriani & nostram sententiam, lib.2.ep.3. Antiquitas igitur, quæ Martyris ratio est, principium fidei non erit, quia ante se habet verbum Dei ad quod examinanda est, tanquam prius aliquod. Ipsi Patres examini sese aliorum subjiciebant, parati cedere meliora docentibus: Origenes certè, locutus de induratione Pharaonis, subjicit: *Si quis servata in Deum pietate, his meliora, & ab impietate remotissima invenerit* μετὰ μαρτυριῶν τῶν ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν, ἐκείνοις μᾶλλον χρηστέον, *cum divinæ scripturæ testimoniis, ea nostris præferenda sunt.* Comment. in Psalm. IV. allegante Philocal. c. 27. Ecce fidem interpretationis suæ vel alienæ resolvit in auctoritatem & congruentiam S. literarum. Atque hoc merito faciebant Patres, & statuebant in sese, qui & ipsi in aliis censendis parem sibi libertatem sumebant. Dionysius Alexandrinorum Episcopus, *sapientiæ* ac *prudentiæ* laudem ab ipso Paulo Samosateno hæresiarcha consecutus, in Nepote Chiliasta refutavit antiquissimos Patrum Papias, Justinos, Tertullianum, Irenæum, & hunc nominatim, etiam edito commentario, ut refert Hieronymus in c.8. Jes. Et fatetur Baron. an. 264. §.6. Sed & in ipsum Nepotem, etsi cætera egregium virum, & jam defunctum, invectus, hac sese apologia memorabili defendit: *Veritas* (præ Nepote) *multo amicissima est,* προτιμωτάτη πάντων *& omnibus anteponenda, ac, si quid recte dicatur, laudandum illud quidem; sine invidia;* ἐξετάζειν δὲ καὶ διευθύνειν, εἴ τι μὴ φαίνοιτο ὑγιῶς ἀναγεγραμμένον, *sin quicquam parum sincerè & integrè sit scriptis mandatum, hoc cum diligentia & disquirendum & coarguendum.* Sic ille apud Euseb. lib. VII. c.19. hist. Eccles. Frequentiores sunt hujus Seculi Patres in loco hoc communi illustrando, partim propter hæreticos, qui antiquitatis sese colore pingebant, partim propter mutuas inter semetipsos controversias, ut erat de baptismo reiterando, partim, & vel maximè, propter Ethnicos antiquitatem crepan-

pantes. Audi quid Cæcilius Ethnicus apud Minucium Felicem cum Octavio Christiano disserat: *Cum igitur aut fortuna certa, aut incerta natura sit, quanto venerabilius ac melius Antistites veritatis majorum excipere disciplinam, religiones traditas colere, Deos, quos à parentibus ante imbutus es timere, quam nosse familiarius, adorare, nec de numinibus ferre sententiam, sed prioribus credere, qui adhuc rudi seculo in ipsius mundi natalibus meruerunt Deos vel faciles habere, vel Reges.* Hæc ille, postquam non invenisset, quam religionem amplecteretur, in antiqua igitur sese cum suis majoribus Deo proximioribus mansurũ secum constituit. Quam hæc simillima sunt mori nostrorum Pontificiorum, vel dubitantium hodie! Diocletianus & Maximianus Cæsares rescripserunt: *Reprehendi à nova vetus religio non debet. Maximi enim criminis est retractare, quæ semel antiquitus tractata & definita sunt, & statum, & cursum tenent, & possident. Vnde & pertinaciam pravæ mentis nequissimorum hominum punire, inde ingens nobis studium est. Hi enim, qui novellas & inauditas sectas deterioribus religionibus opponant, ut pro arbitrio suo pravum excludant, quæ divinitus concessa sunt.* Hæc illi ad Proconsulem Africæ, edente P. Pithæo in Mosai. & Rom. leg. coll. tit. 15. p. 147. An ovum ovo est similius, quam quod hodie Pontificii ad nauseam usque nobis inculcant? Antiquitatem ipsi, & decreta conciliorum vetusta, & statum tranquillum, & possessionem post hominum memoriam imperturbatam clamitant! Sed audi, quid Patres nostri gentilibus regesserint. Clemens Alex. προτρ. f. m. 57. objecerat sibi ex mente Ethnicorum; *Non est fas nobis evertere* ἐκ πατέρων παραδεδομένων *consuetudinem à Patribus nobis traditam*; Ipse autem dat instantias: *Cur vero non primo alimento, lacte, utimur, cui certè in lucem editos nutrices nos assuefecere? Cur vero paternas facultates augemus, aut diminuimus, & non æquales, ut accepimus, conservamus? Cur autem non amplius in sinu paterno vomimus? &c.* Quare, non omne, quod antiquum est, retinendum, aut imitandum, aut laudandum est: ἐπὶ τὴν ἀλήθειαν ἐκκλίνωμεν; καὶ τὸν ὄντως ὄντα πατέρα ἐπιζητήσωμεν *in veritatem inclinemus, & inquiramus patrem verè sic existentem*, qui est Deus in verbo suo inveniendus. Quidquid extra hunc est, *abducit à veritate*, etiam *patrij mores*, uti habet f. 68. Vis martyris suffragium? Ecce tibi Andronici. Cum Præses Diocletiani diceret: *Honorifica Principes, & Patres, Diis consentiens nostris:*

respondit ipse: *Bene illos Patres nominasti, quoniam vos ipsi Patrem habetis Satanam*; Referente Baron an. 290. §. 9. confer Arnob. l. I. p. m. 34. l. 2. p. 90. seqq.

§. 9. Diffiteri equidem non possumus, fuisse inter Patres hujus seculi, qui ad antiquitatem provocarent, sed & illud fatendum erit, ipsis Pontificiis suffragantibus, quod provocando enormiter erraverint. Aliquot exempla dabo, ut fidem faciam dictis. Dionysius Alexandrinus, cujus paulo ante dicta laudavimus, dum ad Philemonem scribit pro baptismo repetendo, ad Patres, sed male, provocat: *Hoc didici, quod non Episcopi in Africa solum istam consuetudinem* (de hæreticis rebaptizandis) *jam invexerint*, ἀλλὰ καὶ πρὸ πολλοῦ κατὰ τοὺς πρὸ ἡμῶν ἐπισκόπους ἐν ταῖς πολυανθρωποτάταις ἐκκλησίαις καὶ ταῖς συνόδοις τῶν ἀδελφῶν ἐν Ἰκονίῳ καὶ συνάδοις, καὶ παρὰ πολλοῖς τοῦτο ἔδοξεν, *verum etiam longo tempore ante Episcoporum memoria, qui antegressi sunt, in Ecclesiis maxima hominum frequentia celebratis, & synodis fratrum cum Iconii, tum Synadis, tum aliis multis in locis convocatis, istud decretum fuit*: apud Euseb. lib. VII. 26. Allegaverat autem pro se, quod Prov. XXII. 28. extat, ne moveas limites, quos patres tui fecerunt. ὁμόψηφος in eadem causa est Novatus quidam in Concilio Carthaginensi, sic enim ille in pleno consessu: *Secundum decretum Collegarum nostrorum sanctissimæ memoriæ virorum, omnes Schismaticos & Hæreticos, qui ad Ecclesiam conversi sunt, baptizari, sed & eos, qui ordinati videbantur, inter Laicos recipi legimus.* Ecce provocat in mala sua causa ad antecessores, & majores, nec eos singulos, sed plures, sed in Conciliis congregatos, & tamen errat.

§. 10. Quia in objectiones incidimus prosequamur institutum. I. Antiqua veneranda sunt præ recentioribus & novis. Resp. Clem. Alex. προτρ. f. 36. 37. *Solent, nescio quomodo, ea, quæ sunt præsentia despici propter consuetudinem; quæ autem sunt præterita* (ut sunt antiqua) *quia propter incertitudinem temporis argui ac convinci non possunt, in honore esse propter figmentum, & alia quidem non credi, alia vero haberi etiam in admiratione.* Scitè dictum hoc est in eos, qui superstitiosè admodum antiquitatem mirantur, ut non sapiat, nisi quod vetustatem redoleat. Sicut in altero extremo peccant, qui Paulum Samosatenum imitantur: *Hic enim in verbi Dei interpretes, qui è vita excesserant, dum in hominum frequentia palam prædicaret*, παροινῶν φορτικῶς καὶ μεγαλορρημονῶν *graviter debacchatus de seipso gloriabatur*, ut conque-

queruntur Antiocheni Patres in literis Synodicis. Euseb. lib. VII. hist. c. 24. Medium tenuere beati! 2. Damnabuntur veteres, si errores ipsis imputantur. Resp. Cyprianus: *Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare*, in ep. ad Jubajanum. 3. sequamur igitur majores, si omnino & ipsi salvati sunt, & nos salvari possumus. Resp. l.c. *Non quia aliquando erratum est, ideo semper errandum est.* & l. 2. Epist. 3. *Si quis de antecessoribus nostris vel ignoranter, vel simpliciter non hoc observavit, & tenuit, quod nos Dominus exemplo suo docuit, potest simplicitati ejus de indulgentia Domini venia concedi, nobis vero non poterit ignosci, qui nunc à Domino admoniti & instructi sumus.* Observent hoc, quotquot etiam hodie ideo in papatu vel manent, vel desiderant venire, ideo, quod majores nostri sub Papatu olim, nondum adeo relevato, fuerint salvati, tanquam & ipsis aditus hodie, ubi facta est revelatio, pateat. Aliud est *tunc*, aliud *nunc*.

§. II. Affines antiquitati & Patribus sunt (3.) *Consuetudines.* 3. Consuetudines.
Nec has esse fidei principium ex iisdem rationibus palam est. *Nam Dominus noster veritatem se, non consuetudinem, cognominavit. Quodcunque adversus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo*; Sententia est Tertul. c. I. de vel. virg. Initio quidem ejusmodi consuetudines videntur non adeò malæ esse, & tolerantur, postmodum, ubi invaluerint, ipsi veritati bellum indicunt: Aut, ut verbis Tertulliani dicam: *Ex his ferè consuetudo initium ab aliqua ignorantia, vel simplicitate sortita, in usum per successionem roboratur, & adversus veritatem vindicatur.* Aureum est Patris dictum, l.c. Nam hinc videmus, quomodo, modico admisso fermento, tota deinde massa corrumpatur, & errores primum leves successu temporis sensim adolescant. Clemens Alex. in προτρ. f. 68. ulterius provectus ait: *In barathrum deturbat consuetudo, in cœlum autem deducit veritas*, adeò ut ῥεῦμα θανατοφόρον *torrem mortiferum* dixerit f. 57. consuetudinem, & porro loquatur: *Cur ad mortiferum hunc torrem confugerunt, cum quo comburentur, cum liceat rectè ex Deo vivere, non ex consuetudine. Deus enim vitam largitur, mala autem consuetudo post excessum ex hac vita vanam pœnitentiam affert cum supplicio.* f. 58. Eadem mens est pædagogi. Nam statim lib. I. c. I abjurat παλαιὰς δόξας, *antiquas opiniones*, contra commendat verbum Dei, *consuetudine hominem abripiens, & in simplici unius modi fidei in Deum salute instituens.* Videndum igitur ex verbo

bo Dei, quę consuetudines sint bonæ, quæ malæ, & serventur quę bonæ, repudientur, quæ malæ: Ut & hic sua verbo Dei gloria sancta maneat & illibata. Non possum mihi temperare, quin adscribam aliquot Cypriani & Collegarũ dicta; nam luce clariora sunt: *Consuetudo*, ait iste, *sine veritate, vetustas erroris est*, in literis ad Pompejũ. Et: Cast. Episc. in concil. Carth. *Qui contempta veritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres invidus est & malignus, quibus revelatur, aut circa Deum ingratus, cujus inspiratione Ecclesia ejus instruitur.* Suffragantur ipsis in eodem concilio congregati Libosus, & Felix Episcopi: Sic enim iste: *In Euangelio Dominus, Ego sum, inquit, veritas; non dixit : Ego sum consuetudo : Itaq; veritate manifesta, cedat consuetudo veritati.* Hæc iste. Hic vero perinde suffragium tulit: *Nemo consuetudinem rationi & veritati præponat; quia consuetudinem ratio & veritas semper excendit:* Sed & Honoratus, Episcopus alius, *cum Christus*, inquit, *veritas sit, magis veritatem, quam consuetudinem sequi debemus.* Scilicet consuetudo est ex hominibus, qui falli possunt, & fallere, veritas autem ex Spiritu sancto, falli nescio: *Frustra igitur*, iterum Cyprianum adducimus, *qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt; quasi consuetudo major sit veritate, aut non fuerit in spiritualibus sequendum, si melius fuerit à sancto spiritu revelatum.* Ep. ad Jubajanum. Habeat igitur consuetudo suum in humanis rebus usum, in divinis tamen & Spiritualibus nullum habet, nisi aliunde auctoratum.

Non (4.) Præscriptio. §. 12. Consuetudini affinis est (4.) *Præscriptio* longi temporis. Sed nec hæc argumentum præbet infallibile fidei: *Veritati enim nemo præscribere potest, non spatium temporum, nec patrocinium personarum, nec privilegium regionum :* censente Tertul. c. I. de vel. virg. Quod & Cyprianus confirmat, ad Quintinum scribens: *Non est de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum.* Et esto, quod præscribitur, obtineat tandem vim legis; Tamen & *de his docendum est*, ὅτι συνάδουσι τοῖς θείοις νόμοις, *quod consonent divinis legibus*; ratio, quod *Deo magis sit obediendum, quam hominibus*, ut ex Act. v. 29. argumentatur Origenes, lib. VIII. 9. cels. p. 395.

Non (5) Ratio. §. 13. Omittamus tempus, quandoquidem quantitatis nulla sit efficacia, & videamus (5.) *Rationem*; num forsan hæc *principij* nomen mereatur? Intelligimus autem per rationem, quicquid naturale est, & ex naturalibus principiis, sive internis,

sive

sive externis deducitur. Vide Clem. Alex. lib. VI. strom. haud procul ab initio. Hoc verò vel bene fit, vel male, istud per usum, hoc per abusum. Neutrum fidei principium proprie sic dictum esse statuimus. *Nobis enim nihil ex arbitrio nostro inducere licet, sed nec eligere, quod aliquis de suo arbitrio induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitratu, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt.* Tert. d. præsc. c. 6. Unde c. 3. de ani. suadet *argumentationibus originalibus* i.e. philosophicis, *opponendas esse definitiones cœlestes & dominicas, ut & illæ, quibus Ethnici à philosophia capiuntur, & hæc, quibus fideles ab hæresi concutiuntur, retundantur.* Et hoc ideo, quod ab Apostolo jam *tunc philosophia concussio veritatis prævidebatur.* Subscribit Cyprianus ep. 52. *Inter Christianos & philosophos plurimum distat. Et cum Apostolus dicat: Videte, ne quis vos deprædetur per philosophiam, & inanem fallaciam, vitanda, quæ non de Dei sententia veniunt, sed de philosophiæ durioris præsumptione descendunt.* Origenis jam ante eadem fuit sententia. Cum enim Celsus Epicuræus philosophus vellet, *ut rationis ductum sequendo acciperemus dogmata*, reclamavit Origenes, & simplices scripturis suis simplicique fidei inhærere volebat, Vide lib. 1. contra Cels. Et confer. Arnob. lib. II. contr. gent.

§. 14. Hæc verò cum grano salis sunt accipienda, ne quis putet, philosophiæ sanioris nullum esse in Theologicis usum, in quo errore fuerunt, quos Clem. Alex. l. 1. strom. f. 291. notat, sic locutus: *Nonnulli, qui se putant ingeniosiores, nec philosophiam attingere volunt, nec dialecticam, sed nec contemplationem discere naturalem, sed solam ac nudam fidem requirunt, perinde ac si, cum nullam vitis curam gesserunt, velint ab initio statim botros accipere.* Sicut igitur in colenda vinea etiam *instrumenta* requiruntur, ita etiam in Theologia usus disciplinarum instrumentalium desideratur, quas idem *ancillæ* comparat, sicut Theologiam Dominæ f. 284. illustrans simili Saræ & Hagaris: Idem lib. VI. f. m. 645. philosophiam vocat προπαιδείαν τῆς ἀληθείας, *disciplinam, quæ veritatem antecedit*, & *elementa* prima tradit, & f. 665. οἷον θριγκὸς γὰρ ἐςι, διαλεκτικὴ, ὡς μὴ καταπατεῖσθαι πρὸς τῶν σοφιςῶν τὴν ἀλήθειαν. *Est enim dialectica veluti vallus quidam, ne veritas conculcetur à Sophistis.* Hæc ille adversus osores & contemptores dialecticæ. Cui subscribit ille alias in commendandis & Cautela.

vindi-

vindicandis SS. literis religiosissimus Origenes lib. VI. contra Cels. ostendens, ὅτι προτρέπει καὶ ὁ θεῖος λόγος ἡμᾶς ἐπὶ διαλεκτικήν, *quod divinum verbum nos hortetur ad dialecticam*, nempe Prov. X. 17. Salomone dicente: *Eruditio rationibus non examinata decipitur. Alicubi huic attestante auctore libri sapientiæ Jesu Sirachi filio: Scientia, inquit, insensati est sermo, carens examine. Itaq; benevolæ ratiocinationes apud nos sunt maximæ, qui scimus, quod præpositus doctrinæ debet esse idoneus ad convincendos, qui conantur contradicere.* Philosophia igitur, imprimus dialectica, usum suum insignem habet in Theologia polemica, ut ipsæ sacræ literæ eam Ecclesiæ Doctoribus imperent, ut sint idonei ad convincendos contradicentes.

Extrema, defectus. §. 15. Consectarium est, quod duo sint *extrema* hîc cavenda, *defectus*, qui saniorem & ancillarem philosophiæ usum more Enthusiastico repudiat, quibus satisfacit Origen. lib. 3. contra Cels. p. 157. Et *Excessus*, qui ingenio humano adscribit mysteria fidei, quem moderatur Tertullianus in libello de testimonio animæ, docens, si quid apud philosophos de rebus divinis bene dictum habetur, id vel ex lumine natura fluxisse, vel forte fortuna excidisse: *Planè non negabimus aliquando philosophos juxta nos sensisse, testimonium est veritatis, etiam inventus ipsius. Nonnunquam in procella confusis cœli vestigiis & freti aliqui portus offenditur prospero errore: Nonnunquam & in tenebris abitus quidam, & exitus deprehenduntur cœca felicitate; sed & natura pleraq; suggeruntur, quasi de publico sensu, quo animam Deus dotare dignatus est.* Adde traditiones, unde philosophi non pauca acceperunt.

& Excessus.

Non (6.) Miracula. §. 16. Altius ascendamus, visuri, annon (6.) *Miracula* fidei nostræ sint fundamentum? Distincte pronunciandum est. Nam sunt miracula, ut erant Christi & Apostolorum in Ecclesia plantanda patrata, quæ utique fide digna erant & fundamenta, *ad eorum, qui tunc erant, hominum admirationem & stuporem, ut qui sermonibus demonstrationis & doctrinæ concrederent* δυσωπηθέντες τὰς τερασείας δυνάμεις συγκαταθῶνται τῷ διδάσκοντι *virtutes prodigiorum reveriti doctori assensum præberent*, uti verba sonant Orig. Comm. in Psal. IV. & similia lib. VIII. contra Cels. p. m. 408. Igitur distinguendum est inter miracula, quæ vel congrua sunt S. literis, ut erant Christi miracula à propehtis prædicata, vel orthodoxam doctrinam

con-

confirmant. Secus si fuerint, stupenda licet, tamen repudiemus, unicè verbo Dei adhærentes. *Rationem* dat Tert. de præsc. voluntatem Dei, quæ verbo nos alligavit suo in S. literis contento, non qualibuscunque miraculis: *Quin* igitur *potius memores simus tam dominicarum pronuntiationum, quam Apostolicarum literarum, quæ nobis & futuras hæreses prænunciarunt, & fugiendas præfiniverunt, ut, sicut illas esse non expavescimus, ita & posse id, per quod fugiendæ sunt, non miremur.* Atque hoc adeo necessarium est, ut *etiamsi Angelus de cœlis aliter euangelizaret, anathematicetur à nobis*, juxta Apostolum Gal. 1.9. quod dictum quadam quasi paraphrasi explicat idem Afer. c.3. d. præsc. *Præviderat jam tunc spiritus sanctus futurum in virgine quadam Philumene Angelum seductionis, transfigurantem se in Angelum lucis, cujus signis & præstigiis Apelles inductus novam hæresin induxit.* Igitur etsi præsto sint *signa*, in gratiam hæresis facta, vel *præstigiæ* ipsa sunt, vel certè in pravam doctrinam præcipitant, quis igitur pro fidei principio habeat? Admiranda profecto sunt, quæ apud ipsos etiam gentiles patrabantur, recenset aliquot memorabilia exempla Clem. Alex. lib. VI. strom. f.m. 630. seqq. sed lege, quæ noster Tertullianus in apologetico de ipsis judicet, imprimis de morbis miraculose pulsis: *Lædunt primo, de hinc remedia præcipiunt, ad miraculum nova, sive contraria. Postquam desinunt lædere, & curasse creduntur. Quid ergo de cæteris ingeniis, vel etiam viribus fallaciæ spiritatis edisseram. Phantasmata Castorum, & aquam cribro gestatam, & barbam tactu irrufatam? ut Numina lapides crederentur, & Deus verus non quæreretur.* Admiranda erant, quæ recenset, facta, & tamen ipse repudiat, ex qua ratione? quia deducebant ad idololatriam in verbo Dei vetitam; igitur miracula ad hoc sunt examinanda, ut recipiantur, si cæteris paribus, verbo divino congruant, rejiciantur vero, si ad heterodoxias non seducant. Sed de his pluribus inferiùs, ubi de notis Ecclesiæ Pontificiæ agemus.

§. 17. Mentionem fecimus (7.) *Angelorum*, quod ne ipsi quidem, seposita scriptura, sint principium fidei, sive boni fuerint, sive mali. Nam c.6. de præsc. negat Tertullianus vel Angelo de Cœlo, qui bonus tamen est, esse credendum, quanto magis negaverit vel homini, vel angelis etiam malis tanquam fidei principiis esse credendum, quam ipse consequentiam facit lib.

Non (7.) Angeli.

l.b.5. contra Marc.c.2. Insaniunt igitur, qui dæmonum, parentum scil. mendaciorum, testimonia adversus nos allegant, similes Ethnicis, quos pro merito suo castigavit eruditissimus Origenes lib. VIII. contra Celsum scripto p.m.394. Fatemur equidem, hominum, imprimis piorum, ut erant *Confessores & Martyres*, auctoritatem & pietatem magni faciendam esse, attamen neque hi infallibile fidei præbent argumentum. Sicut enim propter dicentem verba ista non statim sunt repudianda, ἀλλὰ τὰ λεγόμενα σκοπητέον εἰ τῆς ἀληθείας ἔχεται, *sed videndum, an dicta cum veritate congruant?* Judice Clem. Alex. lib. VI. strom. f.647. Ita vicissim non statim est approbandum, quod quisque dixerit, sed perinde ad trutinam veritatis sunt perpendenda, quæ dicit. Fit enim, & factum est hoc seculo sæpius, ut ipsi in rebus fidei errent, & cœco adeo zelo martyria subeant, ut Montanistæ: quis igitur eam statim religionem credat veram, quam ipsi suo licet sanguine obsignant? Fit etiam, & itidem hac ætate non semel factum est, ut ex intempestiva misericordia, aut aliqua sui sive fiducia, sive confidentia, sive superbia aliquid legi divinæ contrarium, vel bono ordini inimicum committant, an & tum erunt audiendi? Negavit olim Cyprianus, & acriter invectus est in martyres, & eos, qui martyrum facilitate in dandis indulgentiis abutebantur. Fundamentum ipse suum hoc posuerat, quod *non martyres Euangelium facerent, sed per Euangelium martyres fiant,* epist.23. §.3. Hinc intulerat: *Nemo per Confessoris exemplum pereat, nemo injustitiam, nemo insolentiam, nemo perfidiam de Confessoris moribus discat*: Sic ille d. unit. Eccles. §.19. manifeste ostendens etiam martyres erroribus suis & vitiis esse obnoxios, adeoque ad verbum Dei examinandos. Quod si autem ne Confessores quidem & martyres sunt pro principio fidei habendi, multo minus habendi erunt *apostatæ*. Solent adversarii haud raro gloriari de copia, sive etiam præstantia eorum, qui à nostris ad sua castra concedunt, tanquam infallibiles isti ad veritatem hodogetæ essent, & sunt inter simplices, qui præeuntes, tanquam statuas mercuriales observent: Sed ecce tibi Tertulliani ex c.3. de præsc. judicium: *Solent quidem isti miriones etiam de quibusdam personis ab hæresi captis ædificari in ruinam, quare illa, vel illi prudentissimi, felicissimi, & usitatissimi in Ecclesiam; in illam partem*

Aut Confessores & Martyres.

tem tranſierunt? Quis hoc dicens, non ipſe ſibi reſpondet, neq; prudentes, neq; fideles, neq; uſitatos æſtimandos, quos hæreſis potuerit demutare. Et paulo poſt progreſſus ſubdit: *Quid ergo ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſive vidua, ſi virgo, ſi Doctor, ſi etiam martyr lapſus à regula fuerit, ideo hæreſes veritatem videbuntur obtinere? Ex perſonis probamus fidem, an ex fide perſonas?* Egregie & prudenter dictum, quod nullius nos hominis auctoritas à verbo Dei, unico fidei principio, debeat dimovere.

Diſting. inter argumenta, κατ' ἀλήθειαν, & κατ' ἄνθρωπον.

§. 18. Limitanda tamen hæc ſunt, & diſtinguendum inter argumenta κατ' ἀλήθειαν & κατ' ἄνθρωπον relata. Quod enim hactenus negavimus fidei principia eſſe ſive traditiones, ſive antiquitatem, ſive conſuetudines & leges civiles, ſive præſcriptionem, ſive rationem, ſive miracula; ſive auctoritatem angelorum quorumvis & hominum, id intelleximus de principio abſoluto ab omni reſpectu perſonarum; Aliud autem eſt, ſi κατ' ἄνθρωπον diſputamus, tum enim etiam falſa, vel non æquè vera principiorum nomen obtinent. Unde Chriſtiani Patres ſolebant *ex Magiſtris* adverſariorum *teſtimonia excerpere Chriſtianæ veritatis, ut æmuli perſecutoresq; ejus de ſuo proprio inſtrumento, & erroris in ſe, & iniquitatis in nos rei convincerentur.* Tert. c. 1. de teſt. an. Eleganter judicat Novatianus in lib. d. Trinit. c. 18. *Firmum eſt genus probationis, quod etiam ab adverſario ſumitur, ut veritas etiam ab ipſis inimicis veritatis probetur.* Imprimis autem ſolebant etiam ex *Sibyllis* argumenta depromere, etſi Celſus Epicuræus philoſophus auctoritatem ipſarum declinaret, cauſatus, Chriſtianos *multa maledica ejus* (earum) verſibus inſeruiſſe. Sed R. Origen, lib. VII. contra Celſ. p, 369. producenda eſſe exemplaria antiqua, & oſtendendum, ubi recentiora à Chriſtianis corrupta fuerint: *Indicaſſet, ſi antiqua habuiſſet incorruptiora, in quibus non reperiuntur, quæ putat à nobis interpolata.* Corruptio igitur iſta merum erat Epicuræi effugium. Solebant autem Chriſtiani etiam adverſariorum ſuorum conſcientias appellare, & κοινὰς ἐννοίας in medium adducere, eo quod vel apud ipſos gentiles in confeſſo eſſent. Scripſit eo fine Tertullianus libellum de teſtimonio animæ, & ex communibus gentilium formulis probavit Dei exiſtentiam, unitatem, providentiam, & ſimilia. Operoſus in eodem argumento eſt etiam Origenes in libris adverſus Celſum ſcriptis, in primo præſertim, ut obtineat, etiam eos,

qui S. literas non legerunt, tamen ipſa docente natura, quædam S. literis conſona credidiſſe vel ſciviſſe.

Exceptio Atheiſtarum & Pyrrhoniorum.

§. 19. Occurritur nobis à noſtris Dubitantiis, vel etiam Atheiſtis, tu quidem hactenus docuiſti quæ fidei principia non ſint, & præmiſiſti, ſcripturam eſſe fidei fundamentum, ſed quis mihi authenticam eſſe ſcripturam tuam probaverit & ἀξιόπιστον, quod unum ſi obtinuero, egregiè me adjutum profitebor. Hoc verò, juvante Deo, ex Pattibus dabimus probatum, ſi prius aliquot ſcripturæ *nomina* & *elogia* præmiſerimus, quæ tamen ſequentibus viam præparabunt. Vocantur enim ἱερὰ γράμματα, *ſacræ literæ*, non ſolum in ſe, ſed etiam effectivè, quod ſint ἱεροποιοῦντα καὶ θεοποιοῦντα, *ſanctificantes*, & *Deificantes*, juxta Clem. Alex. προτρ. f. 56. Addit, quod *ex his literis & ſyllabis ſacris compoſitas ſcripturas & opera idem Apoſtolus appellat divinitus inſpiratas*. fol. 60. appellatur νόμος ἀληθείας, *lex veritatis*, λόγος κυρίου, *verbum Domini*, Tertul. c. 28. de anim. vocat *ſermonem divinum Dei unius*, & c. 1. *fidei ſacramentum*, Apol. c. 21. *inſtrumentum*, vel *inſtrumenta*:

Orthodoxa ſententia de principio fidei proponitur.

§. 20. His præmiſſis duo nobis expedienda occurrunt, nempe orthodoxæ ſententiæ explicatio, & explicatæ probatio, & defenſio. Noſtra igitur ſententia hæc eſt: *Scriptura ſacra, ſive materiam ſpectes, ſive formam, eſt verbum Dei, &, quia verbum Dei veraciſſimum, eſt ἀξιόπιστον.* Dividitur alias ſcriptura in Teſtamentum, ſeu inſtrumentum vetus & novum, ſed utrumque nos θεόπνευστον cenſemus adverſus hæreticos cum Tertul. lib. 1. adv. Marc. c. 20. Iterum aliud ſunt res in S. literis revelatæ, aliud verba, quibus ſunt revelatæ, ſed & hîc utramque intelligimus, nempe, & res, & rerum verba eſſe divinitus revelata. Diſtincte de diſtinctis loquamur, 1. *Deus, qui eſt Pater, Filius, & Spiritus S. ſacras literas inſpirarunt.* Ita Tertul. de anim. c. 1. ſentit, cum quærit: *cui veritas comperta ſine Deo, cui Deus cognitus ſine Chriſto, cui Chriſtus exploratus ſine ſpiritu ſancto, cui Spiritus S. accommodatus ſine fidei ſacramento?* Ecce quem dicat eſſe veritatis in ſcriptura contentæ auctorem? nempe Deum, qui eſt Pater, Filius & Spiritus ſanctus, & unde hoc conſtet, nempe ex ipſis ſacris literis fidei ſacramento, ut ipſa adeo ſcriptura de ſua divinitate teſtetur, c. 28. idem laudat *divinitatem operis ex divinitate vocis*, & vocat *ſcripturam ſermonem divinum Dei unius.* Clemens

De (1.) Auctore.

mens Alex. προτ. f. 80. θείας γραφὰς *divinas scripturas* nuncupat, & allegato Jeremiæ testimonio, seipse quasi corrigens subjicit: μᾶλλον δὲ ἐν Ἱερεμίᾳ τὸ ἅγιον πνεῦμα, *potius vero in Jeremia Sanctus spiritus*: Repetit de Osea loquens, φησὶν αὐτοῖς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον διὰ Ὠσηὲ *loquitur ipsis Spiritus sanctus per Hoseam*: Et fol. 60. allegato scripturæ dicto alio, addit: τὸ γὰρ στόμα κυρίου ἐλάλησε ταῦτα, *os enim Domini hæc locutum est*. lib. VI. strom. f. 768. refert verba Petri, quæ lectis libris Propheticis intulit: *Deo credidimus ex iis, quæ de ipso scripta sunt*. Et paulo post de eodem refert, quod crediderit & intulerit: θείᾳ προνοίᾳ τὰς προφητείας γεγενῆσθαι *divina providentia prophetias esse factas*. Et iterum: ἔγνωμεν, ὅτι ὁ θεὸς αὐτὰ προσέταξεν ὄντως *scimus, quod Deus ea ipsa revera ordinaverit*. Cyprianus martyr ὁμόψηφος est utrique, *multa*, inquiens, *& per prophetas servos suos dici Deus voluit & audiri; sed quanto majora sunt, quæ Filius loquitur, quæ Dei sermo, qui in prophetis fuit, propriè voce testatur*. de orat. Dom. §. 1. & §. 20. *Esaias propheta plenus Spiritu Dei sancto de Dei majestate ac pietate loquitur*. confer de oper. & eleemos. §. 1. & 9. Ex quibus colligas etiam vetus instrumentum divinitus esse inspiratum, secus ac hæretici nonnulli blasphemabant, qui à Deo solum Judæorum, non Christianorum, qui est Pater Jesu Christi, scripturam V. T. inspiratam esse delirabant: *Nos* enim *persuasum habemus, sacros libros non hominum esse commentarios, sed ex Sp. S. afflatu, voluntate Dei, per Christum Jesum, parentis universorum descriptos esse, & ad nos pervenisse*: quæ verba sunt Origen. lib. IV. de princip. Philocal. c. 1. confer. hom. 2. in Levit. & lib. III. contra Cels. p. m. 113. seqq.

§. 21. (2) *Literæ & syllabæ scripturæ sunt à Deo auctore inspiratæ, adeoque etiam res omnes, sub istis literis & syllabis contentæ.* Clemens enim Alex. fol. 56. laudat γραφὰς θεοπνεύστους *scripturas divinitus inspiratas* ἐκ γραμμάτων καὶ συλλαβῶν τῶν ἱερῶν συγκειμένας, *ut sunt ex literis & syllabis sacris compositæ*. Tertulliano *nullus sermo divinus, nisi Dei unius, est, quo prophetæ, quo Apostoli, quo Christus ipse intonuit* d. anim. c. 28. Ecce *sermo* est divinus: Origenes πρέπει, ait, τὰ ἅγια γράμματα πιστεύειν μηδεμίαν κεραίαν ἔχειν κενὴν σοφίας θεοῦ, *decet credere, quod ne ulla quidem litera, aut ullus apex scripturæ sit vacuus sapientia divina*. lib. IV περὶ ἀρχ. allegante c. 1. Philoc. Et mox: *Nihil est in prophetarum oraculis, aut lege, aut Euangelio, aut Apostolo, quod non sit à plenitudine*. Si nihil, E. nec li- De (2.) materia.

teræ, aut syllaba, aut res ulla. Idem comm. in Psal. I. tom. I. c. 2. instituta collatione inter animalia majora & minora, quod in his quoque sapientia, & major interdum, quam in istis appareat, subjicit: *Ita nos censemus de omnibus ex afflatu sancti Spiritus scriptis, tanquam illa, quæ sapientiam humana superiorem tradit, magna providentia per divinas literas hominum generi salutaria documenta inseruerat*, ἐνεσπαρκύας, ὡς ἐστιν εἰπεῖν, ἑκάστῳ γράμματι κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον ἴχνη τῆς σοφίας, *& singulis, ut ita dicam, literis, quoad unaquæque capere potest, Vestigia Sapientiæ impresserit.* Loquitur pater de *apicibus*, & *literis* & *syllabis*, quod sint opus Dei, æquè ut animalcula, & quidem opus sapientia plenissimum. Dionysius Alex. Episcopus lib. I. de promiss. postquam laudasset Johannis Apostoli & Euangelistæ scripta, à paritate dictionis, rationem hanc subjungit: ἀμφότερα αὐτῷ χαρισαμένου τοῦ κυρίου, τόν τε τῆς σοφίας (λόγον) καὶ τὸν τῆς γνώσεως, *quod ipsi Deus utrumque, & sapientiæ, & cognitionis sermonem elargitus fuerit.* Vis & martyrum testimonium? Ecce propinat ipse Baronius; Etenim illi per quendam suum Speratum Proconsuli Saturnino fatentur: *Quatuor Euangelia Domini nostri Jesu, & epistolas S. Pauli Apostoli, & omnem divinitus inspiratam scripturam*, an. 203. §. 3. Nec obstat, quod Stylus iste scripturæ, juxta Dionysium modo laudatum, suos (ita esse ponamus) habeat βαρβαρισμοὺς, σολοικισμοὺς, & ἰδιωτισμοὺς, vel certè à Græca eloquentia vacuus sit: Nam hoc singulari suo consilio Deus sic ordinavit, ἵνα ἡ τῶν πιστευόντων συγκατάθεσις μὴ ᾖ ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐν δυνάμει τοῦ θεοῦ, *ne assensus credentium consisteret in sapientia humana, sed in potentia Dei*, uti Origenes tom. 4. in Joh. rectè respondet.

Et probatur. (1.) *An* probatio necessaria & debita?

§. 27. Habes Patrum sententiam, sed & nostram de auctore scripturæ sacræ. Sequitur, ut, quod statuimus, etiam probemus. Posset equidem disputari: *An* aliqua probatio vel petenda, vel facienda sit, cum de principiis non sit disputandum? *Certe absurdum est, Pythagoricos ad confirmanda ea, quæ audiverunt, dicere; ipse dixit: Nos fide digno Magistro salvatori nostro fidem non habere, & dictorum probationes ab eo exigere:* judice Clem. Alex. l. 2. strom. Et lib. 7. *Ipsa scriptura judice utimur* (αὐτῇ χρώμεθα κριτηρίῳ) *ad res inveniendas. Quidquid autem judicatur, non creditur, priusquam fuerit judicatum. Quare nec est principium, quod opus habet judicio. Merito ergo cum*

fide

fide comprehendimus principium indemonstrabile, & ex redundanti quadam copia demonstrationes ab ipso principio sumpserimus de principio, voce Domini erudimur ad cognitionem veritatis. Hæc ille, suffragante Tertulliano: *Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium, cum credimus, nihil desideramus ultra credere: Hoc enim prius credimus, non esse, quod ultra credere debeamus*, c.8. de præsc. Et ex hoc fundamento c.15. contendit, hæreticos *non admittendos esse ad ullam de scripturis disputationem*, utpote ejusdem & corruptores & contemptores. Etiamsi autem hæc ita sese habeant, attamen non omnino omnis scripturæ probatio est fugienda, etsi nec à quovis sit vel petenda, vel præstanda. Simpliciores contenti *sint divina auctoritate, quod ipse dixerit, nec aliud requirant præterea*, monente Origen. lib. IV. contra Cels. p. 166. si quis autem malitiosus Sophista ipsorum fidem tentet, petendo scripturæ, quod authentica sit, probationem, rejiciatur ille solenni Christianorum simpliciorum apophthegmate: *μὴ ἐξέταζε, μόνον πίστευσον: ne examines, sed crede modo*: lib. 1. contra Cels. Alia ratio est cum eruditis & Ecclesiæ doctoribus. Tenentur hi adversarios vel convertere, vel refutare & compescere: ne habeant ansam vel calumniandi, vel gloriandi, quod facit Epicuræus Celsus, *quosdam*, ajens, *Christianos ne velle quidem rationem fidei vel reddere, vel accipere, usurpareq; illud dictum: Ne examina, sed crede, & fides tua servabit te.* Huic igitur sese opposuit præstantissimus Origenes totis octo libris pro veritate sacrarum literarum adversus Epicuræum ἐμπαίκτην scriptis. Sed & Judæis sese opposuit pro auctoritate & veritate instrumenti novi, quam ipsi abnegant, uti ipse meminit mox ab initio libri contra Celsum primi.

§. 23. Est autem duplex quæstio, alia de auctore S. scripturæ primario, alio de secundariis, seu potius Dei ministris, prophetis, Apostolis, & Apostolicis viris, adeoque & in argumentis delectus est habendus: Alia enim probant, quod verbum in S. literis contentum, sit verum, & Dei ipsius verbum; alia, quod hic vel ille liber sit genuinus hujus vel istius Prophetæ, Apostoli, vel Apostolici viri; ista fidem introducunt, hæc vero etiam scientiam generant. In hoc argumentorum genere versabatur Tertullianus in libello de præscriptionibus adversus hæreticos.

(1.) Quid probandum.

ricos. Hæretici tum ipſos codices Biblicos in dubium revocabant, tanquam à Catholicis corruptos vel additione, vel detractione. In hoc caſu provocandum erat ad Eccleſias Apoſtolicas, ubi ipſa Apoſtolorum ἀυτόγραφα erant repoſita, vel teſtes eſſent fide digni. Apoſtolis vel σύγχρονοι, vel ſucc eſſores συγχρόνων, ut conſtaret incorruptos eſſe modernos codices. Ita rem ſe habere verba ipſius Tertulliani teſtantur: *Ego meum* (Euangelium) *dico verum, Marcion ſuum; Ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum: Quis inter nos determinabit; niſi temporis ratio, ei præſcribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicaus vitiationem, quod poſterius revincetur*, lib. IV. contra Marc. Atque hanc diſputandi methodum vocat temporum *compendium* lib. 5. c. 19. *Soleo*, inquiens, *in præſcriptione adverſus hæreſes omneis de teſtimonio temporum compendium figere, priorem vendicans regulam noſtram omni hæretica pravitate.* Sed nolumus hic prolixiores eſſe, legat benevolus lector ipſum librum de præſcriptione, & facile ipſi apparebit, verum eſſe, quod in compendio diximus.

(3.) Argumenta. §. 24. Nos jam de eo potiſſimum, quod potiſſimum eſt, ſimus ſoliciti, nempe, quod ſcriptura ſit divinitus inſpirata. Hoc vero probatur ſive à priori, ſive à poſteriori, argumentis vel internis vel externis: Nec enim nobis abſurdum eſt de ſcriptura ex ſcriptura demonſtrationes inſtituere: ἡμεῖς ἀπ' ἀυτῶν περὶ ἀυτῶν τῶν γραφῶν τελέως ἀποδεικνύντες, *nos ex ſcripturis de ſcripturis ipſis perfectè demonſtramus*. Clem. Alex. l. 7. ſtrom. Confer loc. §. 22. præced. Argumenta autem ordine damus.

1. à contentorum majeſtate. Eſt (1.) *Rerum in S. lit. contentarum majeſtas & ſublimitas*, quę non niſi ex Deo cognoſci potuiſſent. *Cui enim veritas cognita ſine Deo, cui Deus cognitus ſine Chriſto, cui Chriſtus exploratus ſine Spiritu ſancto, cui Spiritus ſanctus accommodatus ſine fidei ſacramento?* Tert. c. 1. de anim. quærit. Et Apol. c. 20. probaturus authenthiam ſcripturæ, poſt antiquitatis argumentum ad majeſtatem provocat: *plus jam offerimus pro iſta dilatione; majeſtatem ſcripturarum, ſi non vetuſtatem, divinas probamus, ſi dubitatur antiquas.* Clemens Alex. lib. VI. ſtrom. f. 687. in eandem ſententiam diſputat, dicens, hominem de Deo ex ſuis principiis non poſſe idoneum quid probare & proferre, *ſola ergo*, concludit, *eſt à Deo tradita, quæ eſt apud nos, doctrina, à qua dependent omnes fontes ſapientiæ, quicunq; ad veritatem tanquam ad ſcopu-*

ſcopulum ferantur. Et Cypr. Epiſt. 2.§.1. *Cum de Domino Deo vox eſt, vocis puræ ſinceritas non eloquenter viribus nititur, ad fidei argumenta, ſed rebus.* Nempe qui S. literas attente legunt, vel audiunt, eas res & ea myſteria percipiunt, quæ mentem efficaciſſimè movent: *Dum patimur, leguntur, dum recognoſcimus, probantur:* nervosè iterum Tert. c.20. Apol. Origenes lib. IV. περὶ ἀρχ. eodem tendit. Ut enim probet divinitus eſſe inſpiratam ſcripturam, allegat ſublimiſſimam præ humana ſapientiam, omnium ſeſe ingeniis accommodantem: *Sapientiam* enim *promittit is, qui eam poſſedit, loqui ſe inter perfectos, aliam planè à ſapientia hujus ſeculi, quæ antiquata eſt, & evanuit.* Lib. 1. contr. Celſ. p.15. ſeqq. latius hoc argumentum exſequitur, reſpondens ad exceptionem gentilium, qui ſuos quoque poëtas & philoſophos egregia ſcripſiſſe gloriabantur: *Poſſemus provocare ad librorum collationem, dicereq́;: Age bone vir, profer in medium Lini, Muſæi, Orpheiq́; poemata, & Pherecydis hiſtoriam, atq́; ad hujus rei indagationem ea confer una cum Moſis legibus, illarum narrationes cum ejus hiſtoriis, moralesq́;, horũ regulas cum noſtri legislatoris præceptis, conſideraq́; utræ ſint efficaciores ad mutandos hominum animos in melius, vel auditorem à priori inſtituto ſummovendũ.* Nec valet exceptio, ſi omnino in libris Ethnicorũ talia myſteria haberentur, quod propter ea non ſint noſtri divini; *Nam alia quidem ſunt ſuffurati, alia male audiverunt,* ait Clem. Alex. l. VI. ſtrom. f.m.642. Hinc fluit (2) *Sanctitas doctrinæ,* apparens ex virtutibus, quæ in ſcriptura præcipiuntur, & ſanctimonia vitæ, quam producit: *Id experimur in multitudine credentium* τῶν πολλὴν χύσιν τῆς κακίας ἀποθεμένων *liberatorum à vitiorum colluvie, in qua volutabantur antea,* ait Origen. l. 1. contr. Celſ. p. 9. Et p.14. gloriatur, quod *neq́; leges, neq́; ſcriptura habeantur* (apud alios) *ad emendationem & inſtitutionem facientia,* ſicut Moſaica & ſacra reliqua, imò indigna Deo tribuant cædes, inceſtus &c.. Erat quidem Epicuræus, qui ex S. literis turpia ſeſe oſtenſurum comminaretur, ſed fruſtra erant minæ, notante Origene p.339. contra Celſ. (3) *Veritas* in vaticiniis relucens. *Idoneum, opinor, teſtimonium divinitatis, veritas divinationis,* judice Tert. c.20. Apol. *Si enim, cum una ſit prophetia, ejus quidem una pars perficitur, altera vero pars eſt impleta, hinc fit credibile, & id quod ſperatur, & verum quod præteriit,* bene concludit Clem. Alex. lib. 2. f.384. confer lib. VI. f.678.

2. Doctrinæ ſanctitatis.

3. Vaticiniorum veritate.

f. 678. Nemo novit futura contingentia, nisi Deus, & nemo potest prædicere, nisi Deus, vel aliquis θεόπνευςος, ut adeo θεόπνευςοι fuerint Prophetæ, qui prædixerunt: *Divini sermonis character est futurorum prædictio, quæ in naturam humanam non cadit, & judicatur ex eventibus, quando evidens fit divini spiritus prænunciatio*, ait Origen. lib. VI. contra Cels. p. 281. confer. philoc. c. 11. Quod vero Apostolos attinet, illorum scripta exactè conveniunt cum prædictis prophetarum, ut si hæc sint ἀξιόπιςα, & ista sint: *Neq; enim in dubium deducunt Judæi, vel negant, quæ scripta proferimus, ut ex hoc quoq; paria esse scripturis divinis negare non possint, ut quæ post Christum futura præcanebantur, adimpleta cognoscantur.* Tert. c. 11. de Jud. vid. Apol. c. 20. Etiamsi igitur nondum omnes prophetiæ sint adimpletæ, attamen dubitandum non est de impletione, si cogitamus, quod reliquæ his similes sint impletæ. *Dicas*: etiam gentiles & gentilium oracula quædam prædixisse, quæ impleta sint, neque tamen ipsorum scripta propterea esse verbum Dei: vel certè etiam apud Judæos prophetias ex aruspicina, vel arte divinandi alia esse profecta. R. Orig. lib. I. contra Cels. p. 28. artes has fuisse apud Judæos vetitas. Et lib. VII. contra Cels. p. 223. addit de vita, virtutibus, martyriis, efficacissima prophetarum doctrina, ut obtineat, cum ipsis gentilium aruspices, Pythonas, & Pythias haud quaquam esse comparandos: *Tum sudasset multum, si voluisset* (Celsus) *ostendere, nihil divinum inesse illis sermonibus, à peccatis revocantibus peccatores, & objurgantibus, futuraq; prædicentibus. Nam ideo prophetiarum auctores scriptis eas tradiderunt asservandas posteris, ut lectores admirarentur tanquam divina oracula.* Hactenus Origenes.

§. 24. (4.) *Singularitas styli*, utpote ex quo ipsa divinitas veluti ex sole radius elucet: *Nos docet divinus sermo, non sufficere id, quod dicitur, etsi verum in se sit, maximeq; appositum ad persuadendum, ad hominis animum expugnandum, nisi virtus quædam dicenti divinitus detur,* ϗ χάρις ἐπανθήσῃ τοῖς λεγομένοις *& in dictis efflorescat donum & gratia; nec illa quidem sine Dei numine eis insita, qui cum efficacia dicunt:* Orig. lib. VI. contra Cels. p. m. 276. De *dictis* loquitur Pater, & his singularem quandam gratiam, divinitus insitam, inesse ait, ad animorum illuminationem. Unde fluit novum argumentum, nempe

4. Styli singularitate.

§. 25.

§. 25. (5.) *Efficacia.* Scriptura Sac. suo verbo animos hominum pridem excœcatos & malitiosos illuminat, & pietate imbuit, quod nulla alia scriptura facit, etsi tersissima, sicut sacra nostra, eloquentiæ licet humanæ minus studiosa: *Accipe non diserta, sed fortia, nec ad audientiæ popularis illecebram culto sermone fucata, sed ad divinam indulgentiam prædicandam rudi veritate simplicia; Accipe, quod sentitur, antequam discitur, nec per moras temporum longa agnitione colligitur, sed compendio gratiæ maturantis hauritur,* ait Cypr. epist. 2. §. 1. Imitatus suum Tertul. c. 20. Apol. *Dum patimur, leguntur; dum recognoscimus, probantur.* Scriptura igitur sua ipsiusmet index est, & docet verbum sese Dei esse, dum operatur in corde, ut ignis suo calore de sese ipse testatur. Origenes philoc. c. 1. producit universam tum Græciam, tum, quæ per orbem patet, Barbariam fidei Christianæ per sacras literas mancipatam, & contra omnes persecutiones inconcusse stantem. Idem ante ipsum urget Clem Alex. l. VI. strom. f. 697. Huc spectant *miracula,* quæ quotidie vi verbi divini fiebant, teste & probante Origine lib. III. contra Cels. p. m. 124. seqq. 5. Efficacia.

§. 26. (6.) *Testimonium.* Duplex est, aliud internum, aliud externum, istud voco, quod ipsi prophetæ & Apostoli suis scriptis tradunt, hoc, quod Ecclesia singulorum seculorum, imo ipsi etiam extra Ecclesiam constituti hæretici & infideles, præbuerunt: *Quis nunc medullas scripturarum magis nosset, quam ipsa Christi schola, quos & sibi discipulos Dominus adoptavit, omnia utiq; edocendos, & nobis magistros ordinavit, omnia utiq; dicturos, &c. An & illi aliter sentiunt, scribunt, fallaciæ magistri, non veritatis?* Tert. c. 13. adv. Gnost. Docet, quod harmonia fuerit inter ea, quæ Apostoli viva voce tradebant, & quæ in literas referebant, & quod in literas retulerunt, id omnium optimè ipsos scivisse, utpote qui & oculis, & auribus, & mentibus idem percepissent. *Externum* præbet Ecclesia omnium seculorum; *percurre,* ait Tert. de præsc. *Ecclesias Apostolicas, apud quas authenticæ literæ Apostolorum depositæ recitantur, sonantes vocem, repræsentantes faciem.* confer lib. IV. contr. Marc. c. 4. seqq. Certissimum hoc erat testimonium, cum adhuc recens esset Ecclesia christiana, & in archivis suis reposita haberet Apostolorum autographa, & recenti memoria ipsorum viva dicta circumferret. 6. Testimoniis internis. & externis.

Imo ipsi etiam extranei sacros codices approbabant. Laudat Origenes Numenium, Hecatæum, Herennium, Philonem; provocat ad Ægyptios, Phœnicas, ipsos etiam Græcos; Et, ut in compendio doceret, remittit lectorẽ ad eruditissimos Josephi Judæi contra Apionem libros, & Tatiani contra gentes, apud quos legas testimonia quam plurima diversorum ex diversis nationibus de mysteriis & rebus in scriptura contentis, lib. 1. contr. Cels. Imprimis memoranda est Judæorum gens: *Mosis leges gens integra circumfert per totum orbem disseminatas*, ait p. m. 14. & has inter tot mutationes, pericula, calamitates, persecutiones, ut nervose & facunde hoc argumentum urget mox ab initio libri III. Nec valet exceptio; Quis scit, annon illi falsi sint testes? Nam (1.) incredibile est, ullum hominem eo dementiæ venire, ut mortem, & dirissima quæque sustineat pro mendacio à sese conficto; Jam vero sacrarum literarum scriptores pro doctrina in suis literis comprehensa liberrimè locuti sunt, & patientissimè exquisitissimos cruciatus sustinuerunt. Id quod Origenes in dictis contra Celsum libris hinc inde urget. (2.) Iniquum est, credere Ethnicis scriptoribus, saltem historica fide, & velle in dubium vocare fidem Judaicorum, & Christianorum, *Libenter* (Epicuræum) *interrogaverim, cur historiis Barbarorum atq; Græcorum credulus de antiquitatibus eorum, quas nominatim recensuit,* μόνου δὲ τοῦ ἔθνους τὰς ἱστορίας τούτου ψευδοποιεῖ, *solius hujus* (Judaicæ) *gentis historiis fidem abrogat? Si enim sui cujusq; gentis scriptores veraciter res ejus exposuerunt, cur solis Judæorum prophetis non credimus?* Cum indignatione quærit Orig. lib. 1. contra Cels. p. 12. 13. Excipienti autem: Judaicos scriptores ad favorem gentis suæ scripsisse, respondet: *Cur non idem dicere liceat, & de reliquarum gentium historicis?* Neque tamen hinc sequitur, quod Judaicæ Ecclesiæ alia quoque, & corrupta quidem placita sequenda sint, si sequimur testimonium ejusdem de S. literis; Nam (1) *deliquerunt fiducia Patrum inflati ad declinandum*, uti loquitur Tertullian. Apol. c. 21. (2) Ipsæ Judæorum literæ prædixerunt, Christum esse venturum ad *reformandum* & *illuminandum*.

7. Antiquitas. §. 27. (7.) *Antiquitas.* Etiamsi nuda & per se antiquitas non sit argumentum infallibile veritatis, quod supra vidimus, est tamen, si, quod antiquum est, etiam præcedentia habuerit

buerit

buerit requisita. Unde Tert. Apol. c. 19. urget antiquitatem, ut obtineat auctoritatem S. literarum apud gentiles, qui antiquitati plurimum tribuebant: *Primam instrumentis istis auctoritatem summa antiquitas vendicat, apud vos quoq; religionis est instar, fidem de temporibus asserere.* c. 19. Apol. Ad hypothesin deinde descendens, ostendit, quot seculis Moses antiquior fuerit antiquissimis Græcorum. Subdit gentium archiva, scriptores municipes, Græcorum censuales, ut obtineat, *antiquissimis Judæorum instrumentis sectam* (Christianorum) *esse suffultam.* c. 21. Nam, ut c. 47. quærit: *Quis Poetarum, quis Sophistarum, qui non omnino de prophetarum fonte potaverit?* Ergo prophetas oportet esse antiquiores Ethnicis scriptoribus, &, si ex antiquitate argumentum pro veritate valet, *& hoc mihi proficit antiquitas præacta divinæ literaturæ, quo faciliùs credantur, thesaurum eam fuisse posteriori cuiq; sapientiæ.* Hæc ille. Sed probè observandum, quod hoc ab antiquitate argumentum aliquo quasi tibicine suffulciat, nempe vaticiniis in scriptura contentis & impletis, c. 20. *Majestatem scripturarum, si non vetustatem, divinas probamus, si dubitatur antiquas.* Merito igitur ante monuimus, quod cum antiquitate reliqua quoque argumenta conjungenda sint. unicum addo locum, ex quo idem clarissimè patet, Is habetur c. 28. de ani. *Nullus*, ait Tert. *sermo divinus, nisi Dei unius, quo prophetæ, quo Apostoli, quo ipse Christus intonuit. Multo antiquior Moses etiam Saturno, nongentis circiter annis, nedum pronepotibus ejus, certè divinior multo, qui decursus generis humani ab exordio mundi quoq; per singulas nativitates nominatim temporaliumq; digessit, satis probans divinitatem operis ex divinitate vocis.* Nempe testimonia aliunde congerere opus non est, cum sua quemque *vox* prodat, & testetur, quid de ipso sit judicandum. Sed nolumus hæc porro urgere. Conferatur lib. IV. contra Marc. c. 4. seqq. & Clem. Alex. lib. 1. strom. f. m. 320. seqq.

§. 28. Hactenus argumenta pro auctoritate S. literarum in compendium redacta. Nam & plura, & prolixiora potuissent adduci, nisi brevitati studeremus. Summa est, quod *auctor S. literarum* sit DEUS, qui est ipsa veritas. Non est autem insuper habenda distinctio inter argumenta ipsa, & agnitionem argumentorum. Argumenta modo enumerata in S. literis quidem habentur, & inde eliciuntur, sed non unusquisque agnoscit

eadem & probat. Valent iſta τοῖς ἔχουσιν ὀφθαλμοὺς βλέπειν τὰ σεμνὰ τῶν γραφῶν δυναμένους, *iis, qui habent oculos valentes videre ſcripturæ gravitatem,* ait Origenes. Illi antem habent, quibus ipſius verbi lux aperuit, quod idem lib. VI. contra Celſ. p. m. 287. docet. Illis autem aperit, qui *ſeſe attente illarum lectioni dederint,* uti libro 3. pagina 122. definit. Integrum locum lege infta §. 30. Exemplo ſit Petrus ipſe Apoſtolus, qui, referente Clem. Alex. l. VI. ſtrom. f. 678. ipſas ſcripturas propheticas legit, & vaticinia cum eventu contulit, & intulit: *Hæc cum agnoviſſemus, Deo credidimus, & iis, quæ de ipſo ſcripta ſunt.* Ergo oportet divinitatem ſcripturæ ex ipſa noſſe ſcriptura, ut autem noveris oportet legere, ſcrutari, meditari. *Miniſtri* Dei in concipienda ſcriptura fuerunt Prophetæ in V. T. & Apoſtoli & Euangeliſtæ in N. T. Scimus qualia dicunt Prophetæ, *Omnipotentis autem Dei Prophetas* ὄργανα θείας γενομένους φωνῆς, *qui diviat vocis inſtrumenta fuerunt, nemo obſtupeſcet!* ait Clem. Alex. ſub fin. lib. VI. ſtrom. Invehitur propterea in diſſentientes & dubitantes Origenes his verbis: *Summi Dei ſanctorumq́; Angelorum ejus & prophetarum teſtimonia non poſt natum Jeſum, ſed etiam multo ante nativitatem ipſius edita, non movent vos* πρὸς τὸ θαυμάσαι καὶ τοὺς χωρήσαντας θεῖον πνεῦμα προφήτας, *ut admiremini vel vates divino Spiritu afflatos, vel ab eis prænunciatum, cujus in hanc vitam adventum ante tot ſecula multorum præconio ſignificari contigit?* lib. III. contra Celſ. p. 127. Igitur Prophetæ fuerunt divinitus inſpirati, quod diſcas ex vaticiniis eorundem longè poſt adimpletis. Quod vero Apoſtolos attinet, idem docet: *Deum voluiſſe per Jeſum ſalutarem doctrinam hominibus inſtillare,* βεβαιώμενον μὲν τοῖς ἀποστόλοις ὡσπερεὶ θεμελίοις τῆς καταβαλλομένης οἰκοδομῆς τοῦ χριστιανισμοῦ, i. e. *firmatam in Apoſtolis, tanquam fundamento ædificandi Chriſtianismi.* Id vero fecit Deus non modo viva prædicatione, ſed etiam ſcriptis Apoſtolorum. Nec excipias, forſan alia dixerunt, aut cogitarunt, quam ſcripſerunt? *An enim,* reſpondet Tert. cap. 12. adv. Gnoſt. *illi aliter, quam ſentiunt, ſcribunt fallaciæ Magiſtri, non veritatis?* Abſit. Objiciebat quidem Marcion, Petrum à Paulo reprehenſum, ut obtineret divinitus non fuiſſe inſpiratos, aut veraces; Sed ℞. Tert. lib. IV. cont. Marc. c. 3. *Perſonarum reſpectu videbantur variare convictum,* i. e. ipſo expli-

explicante: *non de prædicatione, sed de conversatione à Paulo denotabatur* Instes; ipse tamen Tertullianus c.2. videtur ex numero Apostolorum expungere Paulum, R. κατ' ἄνθρωπον disputat adversus Marcionem, qui repudiatis reliquis Apostolis, solum Paulum amplectebatur, Tertullianus igitur assumpta adversarii persona quærit & petit ex Marcione, ut probet Paulum Apostolum fuisse; quod non tam clarè habeatur, ut de reliquis, quos Marcion repudiabat: *Adhuc ego in persona discipuli & inquisitoris conversor, ut jam hinc & fidem tuam obtundem, qui, unde eam probes, non habes, & unde possis vindicare, non recipis.* Maneat igitur sua Apostolis θεόπνευσις; sed & respiratio. Spiritus sanctus non modo inspiravit primum S. literas, sed & respiravit, ut in Esra factum, qui S. literas dispersas in ordinem redegit, πάσας τὰς παλαιὰς αὖθις ἀνανεούμενος γραφὰς, *omnes veteres scripturas rursus renovans*, ut esset quidam quasi θεοπνεύστων ἀναγνωρισμὸς καὶ ἀνακαινισμὸς λογίων, *verbi divinitus inspirati recognitio, & renovatio*, uti loquitur Clem. Alex. lib. I. strom. f. 329. & 342.

Divisio in V.T. & N.T.

§. 29. Dividitur Scriptura in vetus & in novum *Testamentum*, vel, ut rectius appellat Tertullianus, *instrumentum*, quod *magis sit ita dicere* lib. IV. adv. Marc. c. I. Sic autem dividit Origenes, cum disputat pro sapientia Christianorum: *Quod doctrina nostra sapientiæ studium requirat, probabimus & ex veteri Judæorum instrumento, quo etiam nos utimur; & ex scripturis post Jesum editis, quæ divinæ creduntur ab Ecclesiis.* lib. III. contra Cels. p.m. 138. confer lib. Philocal. c. I. Libri V.T. iterum distribuuntur in libros canonicos, & apocryphos, Istorum sunt XXII. juxta alphabetum Hebraicum; οὐκ ἀγνοητέον δ' εἶναι τὰς ἐνδιαθήκους βίβλους, ὡς Ἑβραῖοι παραδιδόασιν, δύο καὶ εἴκοσιν, ἴσος ὁ ἀριθμὸς τῶν παρ' αὐτοῖς στοιχείων ἐστίν: *Non ignorare debemus, viginti duos libros esse, sicut Hebræi tradunt, summo omnium consensu & testimoniis approbatos, secundum literarum numerum, quæ apud ipsos sunt.* Ita verba Origenis refert Euseb. lib. VI. hist Eccles. c. 19. (25) Et subjungit in specie singulos, nempe: Genesin, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Josuam, Judices, Ruth παρ' αὐτοῖς ἐν ἑνὶ Σωφετίμ, *apud ipsos uterq; in unum librum concluditur, nempe Judicum*; Primum & secundum Regum, seu libros Samuelis, Tertium & quartum, qui uno verbo dicantur, Vammelech David, Paralipomενων duos, qui dicantur Dibre Hajamim; Esdræ primum

& in Canonicos & Apocryphos.

mum & secundum, & hos in uno volumine, Psalmos, Proverbia Salomonis, Ecclesiasten, Canticum, Isaiam, Jeremiam cum lamentationibus, & Epistola, Danielem, Ezechielem, Jobum, Esther; ἔξω δὲ τούτων ἐστὶ τὰ Μακκαβαϊκὰ, ἅπερ ἐπιγέγραπται Σαρβὴθ Σαρβανὲ ἄν: *extra numerum istorum sunt libri Maccabæi, qui inscribuntur Sarbeth Sarbane.* Hæc Origenes in commentario Psalmorum. Omisit, aut forsan exciderunt, scribentium incuria, XII. prophetæ minores; Alias enim sibi non constaret numerus librorum 22. quem Origenes indicavit etiam Philocal.c.3. Posteriora autem ista de libris Maccabæorum verba ab Andradii vexationibus liberat Rainold. l.1. de libr. Apoc. prælect.36.p.334. Nec offendat, quod scripsit: ὡς Ἑβραῖοι παραδιδόασιν *sicut Hebræi tradunt*, quasi canon hic esset modo Judæorum, non Christianorum; Nam ille ipse lib. V. contra Celsum disputat inter Judæos & Christianos non esse controversiam de canone ipso V T. sed solum de Canonis sensu: τὰ μὲν βιβλία θείῳ γεγράφθαι πνεύματι, ὁμολογοῦμεν ἀμφότεροι, *utrinque in confesso est apud nos sacros libros scriptos esse divino Spiritu,* περὶ δὲ τῆς ἐκδοχῆς τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις οὐκ ἔτι τὰ ὅμοιά φαμεν, *sed de sensu verborum in Bibliis contentorum non eadem dicimus.* Librum quidem, seu historiam Susannæ idem in numerum Canonicorum refert, sed Julius Africanus expunxit, qua de discordia extant utriusque epistolæ. Vide Cham.t.1. Panstr.l.5.c.14.§.8. Canonici certe V.T. libri cum Mosis, tum Prophetarum Hebræo idiomate sunt concepti: *Moses, Hebraicis literis usus, scripsit 5. Codices illos, sacros apud Judæos habitos,* ait idem Origenes lib. 3. contra Cels. p.m.115. Et de reliquis: *Prophetæ simplici stylo usi reliquerunt nobis libros scriptos Hebraice.* lib. VII.p.m.371. Confirmatur ex ejusdem ad Africanum scriptis literis; Nam in his profitetur sese versionem LXX. interpretum ad fontes Hebræos examinasse, quem & Hieronymus postea secutus est, Origenianis usus obelis & obeliscis. *Mosis scripta* in specie quadripartito dividit Clem. Alex. l. 1. strom. f. m.354. in partem historicam, legalem, cæremonialem & Theologicam. Methodius eidem etiam Jobi librum adscribit apud Photium Myriobl. cod.234. Origenes contra eundem Mose antiquiorem facit lib. VI, contra Cels.p.m.305.

Libri N.T. §. 30. Libri novi instrumenti græcè sunt scripti, *sciamus,* inquit

inquit Tertullianus, *non planè sic esse in Græco authentico*; in libro de monogamia. Lingua igitur Græca est N.T. authentica, ita ut reliqua idiomata ad hoc sint examinanda. Causam reddit Clem. Alex. lib. 1. strom. f. 288. *propterea græca voce exposita sunt scripturæ, ut nullum unquam ignorantiæ poßint prætextum asserere, cum poßint, quæ sunt apud nos, audire, si tantum voluerint.* Nempe Græca lingua tum erat communissima per universum orbem, igitur scriptura id idiomatis induit, ut ab omnibus facile posset intelligi. Eo fine credo quosdam hujus seculi Patrum censuisse, quod Euangelium Matthæi, & epistola ad Hebræos, sint Hebraicè scripta, nempe ut à Judæis intelligerentur. Certe Origenes Commentar. in Psalmos dicit, Euangelium Matthæi scriptum esse *γράμμασι ἑβραϊκοῖς literis Hebraicis.* Clemens Alex. tradit, quod epistola ad Hebræos primum Hebraice sit scripta ab Apostolo Paulo, in gratiam Judæorum, versa vero sit in græcum idioma à Luca, referente Euseb. lib. VI. histor. c. 11. *In specie* Canonici N. T. libri sunt IV. Euangelia. Cum Saturninus Proconsul Confessores Christianos interrogaret: *qui sunt libri, quos adoratis legentes?* responsum tulit: *IV. Euangelia Domini nostri Jesu Christi, & Epistola Pauli Apostoli, & omnis divinitus inspirata doctrina.* Quod ex *vetustißimo Codice* se descripsisse ait Baron. an. 203. §. 3. Subscribit Tertul. lib. IV. contra Marc. c. 2. *Ex Apostolis Johannes & Matthæus, & Apostolicis Lucas & Marcus fidem nobis instaurant.* Clementis Alex. sententia primum scripta sunt Euangelia Matthæi & Lucæ, postea Marci, rogantibus ipsum Romanis, ex ore Petri exceptum & scriptum est, Petro revidente & probante, tandem & *spirituale* Johannis accessisse. Origenes in laudato Psalmorum Commentario perinde non nisi IV. Euangelia agnoscit, Matthæi, Marci, *ὡς Πέτρος ὑφηγήσατο αὐτῷ sicut Petrus ipsi explicaverat*, Lucæ, *τὸ ὑπὸ Παύλου ἐπαινούμενον, à Paulo commendatum*, (utpote cujus *sectator* Lucas fuit, juxta Tert. lib. IV. contra Marc. c. 2. ubi & alia de hoc Lucæ Euangelio cum Marcione Lucæ præcipuè admiratore disputar.) Denique Johannis. *Acta* Apostolica idem Marcion in dubium quidem revocavit, sed auctoritatem historiæ graviter asseruit Tert. lib. V. c. 2. Epistolas Paulinas in genere Origenes egregiè laudavit adversus Celsi calumnias, Christianorum simpli-

plicitatem traducentis: *Quod ſi quis perfricta fronte audebit dicere, Apoſtolum ſapientiæ nihil habentem promiſiſſe,* (1. Cor. 11. 6.) *talia, jubemus eum interpretari hujus ſcriptoris Epiſtolas, ſingularum dictionum introſpecta mente quam diligentiſſime, puta, quæ ſunt ad Epheſios, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes, Philippenſes, Romanos, oſtendereq; utrumq;, & quod à ſe intellectæ ſint, & quod ſtultæ ac fatuæ. Sat enim ſcio, ſi ſe attentæ illarum lectioni dederit, aut admirabitur mentem viri vulgari dictione egregias complexi ſententias, aut, niſi admiratus fuerit, ipſe ridiculus videbitur, ſive ut intellecta enarrare conabitur, ſive confutare, quæ ipſe in ejus literis imaginatus ſit.* Hæc ille lib. 3. contra Celſ. p. m. 122. Veniendum igitur eſt in rem præſentem, ſi de S. literis judicium ferre volumus, & in ſpecie de Paulinis epiſtolis, quæ ſunt ad Romanos, Epheſios, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes, Philippenſes ſcriptæ. Idem eſto judicium de aliis, nempe Epiſtola ad *Galatas*, quæ eſt *principalis adverſus Judaiſmum*, judice Tert. lib. 5. contra Marc. c. 2. Sicut, quæ eſt ad *Epheſios* notat præſertim hæreticos, alias & ad Laodicenos directa, ut c. 11. tradit. Eam, quæ *ad Timotheum* miſſa eſt prma & ſecunda, vindicat Clemens Alex. probans eſſe authenticam, lib. 2. ſtrom. f. 383. Petrus priorem ſcripſit Epiſtolam ὁμολογουμένην *omnium aſſeveratione approbatam*; ſecunda autem ἀμφιβάλλεται *dubia eſt*: Idem de Johannæis cenſent. Primam inter indubias recipiunt, non æque ſecundam & tertiam, ἐπεὶ οὐ πάντη φασὶ γνησίους εἶναι ταύτας, *quoniam ajunt eas non omnino genuinas eſſe*: referente iterum Origene apud Euſeb. lib. VI. hiſt. c. 19. (25.) Recipit tamen & has Dionyſius Alex. lib. 1. de promiſſ. citante Euſeb. lib. VII. hiſt. Eccleſ. c. 20. De *apocalypſi* omnium maximè diſceptabatur. Tres erant opiniones. Erant enim, qui Cerintho hæreſiarchæ adſcriberent: erant, qui quidem Johanni Apoſtolo derogarent, alii tamen ὁμωνύμῳ, ut tum mos erat Apoſtolorum nomina ſibi imponere, transſcribebant, quod fecit Dionyſius Alex. Cauſabatur autem diverſitatem ſtyli inter genuina Johannis ſcripta, & apocalypſin, eo quod iſta eſſent terſiſſima, hæc vero barbariſmis & ſolœciſmis referta. vide Euſeb. lib. VII. hiſt. c. 20. Denique alii Apoſtolo Johanni tribuebant: *Nam etſi apocalypſin ejus Marcion reſpuit, ordo tamen Epiſcoporum, ad originem recenſens, in Johannem ſtabit auctorem*, ait Tert. lib. IV. contra Marc. c. 5. *Epiſtola* quoque *ad Hebræos* in diſceptationem

nem veniebat: An Apostoli Pauli auctoris esset? Hippolytus quidam, Irenæi discipulus, negabat, referente Photio Myriobl. Cod. 121. Cujus sententiæ erat etiam celeberrimus ille Gajus, suffragantibus ipsi Romanis: Adscribebant autem alii Clementi Romano, alii Lucæ: Contra stabat Clemens Alex. qui Paulo asserebat, & ad contraria argumenta respondebat. Quod enim nomen non sit adscriptum, ideo dicit factum esse, quia Judæis erat invisus; & Christo Hebræorum Apostolo sese nolebat æquare. Origenes mediam quasi sententiam tenuit. Negavit quidem Paulum has literas exarasse, affirmavit tamen ipsam doctrinam esse Apostoli: *Ego constanter affirmo* ὅτι τὰ μὲν νοήματα τοῦ Ἀποστόλου ἐστιν, ἡ δὲ φράσις καὶ σύνθεσις ἀπομνημονεύσαντός τινος τὰ ἀποστολικὰ, καὶ ὥσπερ σχολιογραφήσαντος τὰ εἰρημένα ὑπὸ τοῦ διδασκάλου. i. e. *Sensus esse Apostoli, phrasin autem & constructionem verborum alicujus cujusdam conciones Apostoli in Commentarios referentis, & velut dictata ex præceptoris ore scribentis.* Neque tamen damnat dissentientes, *si quæ Ecclesia istam habeat Epistolam,* ὡς Παύλου αὕτη εὐδοκιμείτω, *ut Pauli ipsam habeat*: Quis verò propriè auctor sit, τὸ μὲν ἀληθὲς Θεὸς οἶδεν, *id vero Deus noverit.* Hæc ille apud Euseb. lib. VI. hist. c. 19.

§. 31. Hactenus de libris V. & N. instrumenti. *Contenta* horum librorum distingui solent (1.) *in vaticinia, & vaticiniorum complementa*, ista veteris, hæc novi instrumenti sunt ἔργον. Qua de distinctione eleganter Clemens Alex. προτρ. f. 8. *Verbum*, ait, *lux veritatis propheticorum ænigmatum mysticum absolvit silentium, factum Euangelium.* Sermo Clementi est de verbo incarnato, cujus præcursor extitit Johannes Baptista, filius Zachariæ, qui silentio suo exspectabat verbi adventum, per Euangelium revelatum. (2.) *In credenda & facienda.* Quam distinctionem suppeditat Origen. tom. 3. in Genes. l. 14. Philoc. c. 13. *In sacris nostris libris*, ajens, *quædam scripta sunt, ut cognoscamus, ut mundi opificium & alia mysteria, quædam* ἵνα γινώσκοντες ποιῶμεν *ut cognoscamus & faciamus, ut præcepta & mandata Dei.* Hæc ille.

Contenta.

§. 32. Hinc manat *finis* scripturarum, nempe *ultimus*, qui est salus hominis; sunt enim σύντομοι σωτηρίας ὁδοί *compendiosæ salutis viæ*, juxta Clem. Alex. προτρ. f. 50. *Intermedius* autem fides, & hinc nata pietas. Nam *Dominus per scripturas Sanctas nos erudire &*

Finis.

instituere dignatus est, ut à tenebris erroris abducti, & luce ejus pura ac candida luminati, viam vitæ per salutaria sacramenta teneamus. Cypr. in literis ad Quirin. lib. 3. confer Clem. Alex. προτρ. f. 50. l. 2. pæd. c. 10. Orig. lib. VI. contr. Cels. f. 372.

Affectiones 1. Perfectio

§. 33. Inter *attributa* scripturæ est (1.) *perfectio* : Nam scriptura continet in sese omnia creditu & factu necessaria, ut etiam hæretici exinde sufficienter refutari & convinci possint. Tertullianus c. 22. adversus Hermog. *adorat scripturæ plenitudinem, quæ*, inquiens, *mihi manifestat & factorem & facta.* Movit ipsum comminatio Apoc. XXII. 19. *Si* enim *non est scriptum, timeat væ illud adjicientibus & detrahentibus destinatum* l. c. Unde suadet hæreticos ad scripturam revocari : *Aufer hæreticis, quæ cum Ethnicis sapiunt, ut de scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt. Communes enim sensus simplicitas ita commendat, & compassio sententiarum & familiaritas opinionum, eoq; fideliores existimantur, quia nuda, & aperta & omnibus nota definiunt*, lib. de Resur. c. 3. Frustra sunt Pontificii, cum excipiunt, Tertullianum loqui de dogmatibus scripturæ contrariis, non superaddendis: Nam rationis loco allegat Pater non contrarietatem, sed defectum scriptionis : *si non est scriptum* : Jam vero non modo contraria non sunt scripta, sed etiam disparata. Clemens Alex. προτρ. f. 67. *Oportet*, ait, *ut existimo, qui his divinis sunt scripturis obsignati, ut existiment, eas esse optimos carceres, à quibus emittatur sapientia* τοῖς ἐφ' ὅτι οὖν τοῦ βίου τραπεῖσι μέρος *ad quamcunq; vitæ partem ii conversi fuerint, & eundem salutis portum nullis agitatum fluctibus putent sapientiam.* Igitur non decet opera superogationis ex proprio cerebto comminisci, & singularem in ipsis perfectionem quærere, cum quæcunque vitæ pars in scripturis nobis sit præscripta. Origenes t. 2. in Euang. Matth. disputans adversus Gnosticos & Marcionitas, docet, τέλειον καὶ ἡρμοσμένον ὄργανον τοῦ θεοῦ εἶναι πᾶσαν τὴν γραφὴν *perfectum esse & aptum instrumentum Dei* sacras literas. Exempli loco sit convictio cujusdam Judæi à Christiano facta, referente eodem lib. IV. contra Cels. p. m. 199. Cyprianus ep. 74. ad Pompejum, quærit : *Unde est ista traditio? utrumne de dominica & Euangelica auctoritate descendens; an de Apostolorum mandatis, atq; epistolis veniens? Ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, Deus testatur, & ponit ad Jesum Nave, dicens; Non recedet liber legis hujus ex ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte, ut obser-*

observes facere omnia, quæ scripta sunt in eo. Excipiunt Pontificii (1.) Cyprianum, cum hanc epistolam scriberet, erroneam de baptismo sententiam defendisse, ut propterea hæc ipsa epistola ab Augustino lib. 5. de bapt. contra Donatist. sit damnata. (2.) loqui de iis, quæ scripturis sunt contraria. Sed Resp. ad 1. Cyprianus quidem erravit in articulo de baptismo, & hic error in ipso fuit improbatus, sed in articulo de scripturæ perfectione non erravit, nec etiam eo nomine ab Augustino est reprehensus, sed potius ea propter laudatus. Ad 2. ℞. Cyprianus non ideo rejecisse se dicit, quod scripturæ esset contraria directè, sed quia in ipsa non continebatur, nec ostendi poterat in ipsis. Alio utuntur effugio, dicunt, etsi scriptura omnia in sese complectatur credenda, vel facienda, attamen illa esse obscura ac proinde non intelligi, nisi ex traditione hermeneutica. Sed & hanc rimam obstruxit Tertullianus in de præsc. *Dominus*, ajens, *palam edixit, sine ulla significatione taciti alicujus sacramenti; ipse præceperat, si quid in tenebris & abscondito audissent, in luce, & in tectis prædicarent. Ipse per similitudinem præfiguraverat, ne mnam i.e. unum verbum ejus sine fructu in abdito reservarent.* Nulla igitur est tacita traditio explicandæ scripturæ, cum Christus & Apostoli palam omnia prædicarint, adeoque etiam scripserint. vide Clem, Alex. l. 6. strom. f. 676. Cyrillus Catechef. VI. refert disputationem inter Archelaum Cascharorum Episcopum orthodoxum, & Manetem hæresiarcham, sicut hic ab isto scripturæ dictis ad incitas redactus & confusus fuerit: τοιαύταις συμπλοκαῖς κατεπάλαισε τὸν Μάνην ὁ Ἀρχέλαος: *talibus Archelaus conflictationibus Manem prostravit.* f. 60. opp. Cyril. Hieros. unde patet, quod etiam hac in parte perfecta sit scriptura.

§. 34. (2.) *Claritas*: Claram esse scripturam sequentia Patrum suffragia probant: *Age jam quoad Thessalonicenses, ut ipsius solis radio putem scriptum, ita claret, qualiter acciperent lucifugæ scripturarum:* ait Tert. de resur. carnis, c. 47. & c. 3. *Communes sensus simplicitas ipsa commendat, & compassio sententiarum, & familiaritas opinionum, eoq; fideliores existimantur, quia nuda, & aperta, & omnibus nota definiunt.* Dixerat Hæreticos ad scripturas esse adigendos, & has solas, *& stare non poterunt*, eo quod clarissimæ sint istæ. Clemens. Alex. προτρ. f. 2. instituta inter verbum Dei, & scripta gentilium collatione, 2. Claritas.

in iſto laudat claritatem : τηλαυγὲς ἀποςίλβουσα φῶς καταυγαζέτω *illuſtriſſima luce radiat, & illuminat eos, qui volutantur in tenebris, & homines liberat ab errore, ſupernam dextram, nempe intelligentiam, porrigens ad ſalutem.* Quare ſcriptura clara eſt non in ſeſe modo, ſed etiam ratione noſtri, qui ſine ipſa caligamus. Loquitur equidem de verbo Hypoſtatico, ſed non excluſo προφορικῷ, quippe per quod iſtud nos illuminat. Eſai. 11. 3. *Nullis celatum eſt verbum, lucet omnibus* (ἐπιλάμπει πᾶσιν ἀνθρώποις) *illuceſcit omnibus hominibus*, οὐδεὶς κιμμέριος ἐν λόγῳ *nullus eſt in verbo cimmerius*, ait f. 56. utpote quod eſt σαφηνὲς *Clarum*: uti vocat lib. VI. ſtrom. f. 644. Novatianus lib. de Trinit. c. 21. Sacras literas adeo claras cenſet, ut *oſtenſionem* ipſis, & *evidentiam* tribuat. Nec valet objectio: Hæretici tamen, & increduli S. literis non illuminantur: Neque enim vitium eſt ſcripturæ, ſed hominum maleferiatorũ qui ab utuntur ſcripturis, οὐ πάσαις, ἔπειτα οὐ τελείαις, οὔτε ὡς τὸ σῶμα, καὶ τὸ ὕφος τῆς προφητείας ὑπαγορεύει, ἀλλ᾽ ἐκλεγόμενοι τὰ ἀμφιβόλως εἰρημένα, εἰς τὰς ἰδίας μετάγουσι δόξας, ὀλίγας σποράδην ἀπανθιζόμενοι φωνάς, οὐ τὸ σημαινόμενον, ἀπ᾽ αὐτῶν σκοποῦντες, ἀλλ᾽ αὐτῇ ἀποχρώμενοι λέξει, *non omnibus, neq; perfectis, neq; ut contextus & corpus prophetiæ dictitat, ſed eligentes ambiguè dicta, ad proprias deducunt opiniones, paucas hinc inde diſperſas voces corradunt, non videntes, quod ſignificent, ſed ut nuda per ſe fert dictio* i. e. *nuda litera utentes*: uti hoc ipſorum vitium notat Clem. Alex. l. VII. ſtrom. confer reſponſum egregium Archelai adverſus Manetem apud Cyril. Hieroſ. Catech. VI. Origenem in Philocal. c. 10. homil. 39. in Joſ. Neque valet exceptio, ſcripturam eſſe claram, cum ab interprete Eccleſia illuminatur, nam ſi lux ipſa eſt, utique & lucet ſua ſponte, οὐκ ἔστι φῶς, ὃ μὴ φωτίζει, *non eſt lux, quæ non illuminat*: quantum in ſe eſt. Vide lib. 1. ſtrom. f. 274. Hoc vero non eo dictum volumus, quaſi omnia ſcripturæ loca ſint clara, agnoſcimus eſſe quædam obſcura, & difficiliora, ſingulari ſtudio ita attemperata, ἵνα ζητητικοὶ ὑπάρχωμεν, καὶ προσαγρυπνῶμεν ἀεὶ τῇ τῶν σωτηρίων λόγων εὑρέσει *ut diligenter inquiramus, & ſemper in intelligenda ſalutari vigilemus doctrina*: cenſet idem lib. VI. ſtrom. f. 676. Hoc fine Deus dedit donum hermeneuticum, quo utique in ſcriptura intelligenda utamur: *ſi quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obſcuritate obumbrari, eſt utiq; frater aliquis doctor gratia ſcientiæ donatus, eſt aliquis inter*

exer-

exercitatos conversatus, aliquis secum curiosus, tecum tamen quærens: consilium est Tertul. de præsc. c. 14. Origenes quoque *clavem intelligentiæ* observat in legisperitis c. 1. Philoc. Celebriores scripturarum erant ipse Origenes à Palæstinis Episcopis, invito Demetrio Alex. Episc. ordinatus: Dorotheus, Eusebii Cæsareensis præceptor, & insignis Hebræus; Euseb. lib. VII. hist. Eccles. c. 26. Pierius Presbyter Alexandrinus ab eodem laudatus.

§. 35. Sicut autem scriptura non respuit *media* personalia, ita nec *realia*, quæ sunt regulæ quædam in ipsa intelligenda utiles, & observandæ. Origenes vocat ὁδὸν *viam*, item τρόπον τῆς ἀναγνώσεως καὶ νοήσεως αὐτῶν, *modum legendarum, & intelligendarum ipsarum*. Philoc. c. 1. Ante omnia hærendum est in verbis, & ipsorum nativo significatu, donec ex aliis scripturæ, vel rationum argumentis, à litera dimoveamur. *Probare tam aperte debetis ex scripturis, quam nos probamus*, ait Tert. c. 11. advers. Prax. Et c. 13. *Hæc nega scripta, & quis es, ut non putes accipienda, quemadmodum scripta sunt, maximè, quæ non in allegoriis & parabolis, sed in definitionibus & certis & simplicibus habent sensum.* Et c. 19. de resur. carn. *Fidem utique defendens vocabulorum, illuc proficere debebit, ut, si quid pars adversa turbat obtentu figurarum & ænigmatum, manifestiora quæque prævaleant, & de incertis certiora præscribant.* Secus spectant ad illos, *qui nec vocabula ista in luce proprietatum suarum conservant*, contra Isai. v. 20. explicante eodem c. 24. d. carne Christ. Fatetur igitur, quædam quidem in S. literis esse figuratè, & obscurius dicta, attamen clariora loca esse conferenda, & horum literæ pressè inhærendum: *Non enim omnia imagines, sed & veritates, nec omnia umbræ, sed & corpora*, c. 20. Tum demum autem est deserenda litera, *quando fieri non potest, quod litera dicit*, uti Orig. Philoc. c. 1. censet. Utinam ipse hanc legem observasset, secutus monita parentis: *ne quid supra ætatis suæ captum, neve ulterius, quam apertus scripturæ sensus ferebat, indagaret.* Referente Euseb. lib. VII. hist. Eccles. c. 2. Magnum quoque præsidium est collatio veteris Test. cum N. T. *Etsi Dominus & Servator noster & Prophetæ non adeo crassè locuti sunt mysteria, ut ea facile possent capi à quibuslibet, sed disseruerit in parabolis; tamen recta sunt omnia coram iis, qui intelligunt, h. e. qui declaratam à servatore scripturarum expositionem ex Ecclesiastica regula accipientes conservant*: Κανὼν δὲ ἐκκλησιαστικὸς ἡ συνῳδία καὶ ἡ συμφωνία νόμου τε

καὶ προ-

καὶ προφητῶν τῇ κατὰ τὴν τοῦ κυρίου παρουσίαν παραδιδομένῃ διαθήκῃ *regula veritatis Ecclesiastica est concentus & consensio legis & Prophetarum, consentienter testamento, quod per Domini adventum traditur*, judice Clem. Alex. l. VI. strom. Unus est nimirum idemque spiritus, qui per prophetas & Apostolos locutus est, eandemque omnibus fidem inspiravit, etsi gradu inæquali, & diversimodè, quare intelligenda est scriptura ὡς τὸ σῶμα, καὶ τὸ ὕφος τῆς προφητείας προσαγορεύει, *ut corpus & contextus prophetiæ dictitat*, sicut idem monet; *Perpendendum quid Domino, & omnipotenti Deo perfectè conveniat, & eum deceat: Scripturæ denique ex ipsis rursus similibus scripturis demonstrandæ sunt.* Ipsæ igitur semet explicant scripturæ, οὐκ ἄλλοθεν τὰς ἀφορμὰς τοῦ νοεῖσθαι λαμβανούσας, ἢ παρ' ἀλλήλων, ἐχουσῶν ἐν αὐταῖς διεσπαρμένον τὸ ἐξηγητικόν; *non aliunde occasiones intelligendi capiunt scripturæ, quam à semetipsis, habentes in se dispersam hinc inde interpretationem*: juxta Orig. in Psalm. I. confer l. 4. contra Cels. p. 212. Ex *similibus* autem, seu parallelis locis lumen obscurioribus est accendendum, alioquin & *Homero centonas*, uti Tertul. de præscript. c. 39. vocat, conciliaveris ex locis varie corrasis, *Si hunc articulum quæstionibus scripturæ veteris non expediam, de novo testamento sumam confirmationem nostræ interpretationis*: Idem c. 15. dicit: *Pauca multis, dubia certis, obscura manifestis adumbrantur*, c. 17. de pudic. Imprimis ad intelligendas Prophetarum literas facit collatio eventus: *Manifestum est propter Christum Judæis ista accidisse, conspirante sensu scripturarum cum exitu rerum, & ordine temporum.* c. 13. adv. Jud. Nec minoris facienda est collatio antecedentium cum consequentibus, & vice versa. *Lege, quod præcedit paululum*, ait Archelaus ad Manetem scripturarum corruptorem: Et Tertul. lib. 5. contra Marc. c. 11. non quidem diffitebatur quædam minus expedite in S. literis dici; *Scimus quosdam sensus ambiguitatem pati posse, de sono pronunciationis, aut de modo distinctionis, quam duplicitas earum intercedit*, sed quod remedium? Collatio: *Non vidit occurrentem sibi clausulam sensus.* Nec prætermittendum, quod hypothesis transferenda sit ad thesin: *Nam & specialiter quædam pronunciata generaliter sapiunt.* ait Tert. c. 5. de spectac. Sed nolumus hæc amplius deducere, vide Origenem lib. I. Philoc. Id unicum addo, quod ad intelligendas scripturas non parum conferant literæ humaniores. Nam Origenes ad quendam Gregorium scripsit: *Ego*

omni

omni ingenii & animi contentione te uti volebam, quod finem attinet, ad Christianismum, sed & quoad effectionem: Idcirco cupiebam è philosophia Græcorum ea te accipere, quæ ad Christianam doctrinam circulares disciplinæ, vel præludia esse possunt, quæq; ex geometria & astronomia χρήσιμα ἐσόμενα εἰς τὴν τῶν ἱερῶν γραφῶν διήγησιν, *utilia futura sunt ad sacrarum literarum interpretationem, ut, quod de Geometria, Musica, Grammatica, Rhetorica, & Astronomia philosophi prædicant, tanquam philosophiæ sociis, & adjutricibus, id nos* εἴπομεν καὶ περὶ αὐτῆς φιλοσοφίας πρὸς χριστιανισμὸν *de philosophia dicamus ad Christianam religionem.* Phil.c.13. Idem cum spoliis Ægypti confert literas profanas; confer Tom.3. in Genes. Neque tamen hæc omnia profuerint, nisi *precibus* juvantibus, id quod idem Origenes sub finem epistolæ monet ex Matth. VII. 7.

§. 36. Consequens claritatis est *Sensus*, qui ex dictis est eruendus, non in abscondita Dei mente quærendus: quippe quod Deus aliter non loquatur, quam sentit: *Ego veracem Deum credens, scio, non aliter, quam disposuit, pronunciasse, nec aliter disposuisse, quam pronunciavit*: ait Tert.c.11.adversf.Prax. Objiciunt quidem hostes scripturarum cum Celso Epicuræo: *innumeris modis aliis accipi posse dicta prophetica, multo aptius & verisimilius, quam si ad Jesum referantur.* i.e. scripturam diversis explicationibus esse obnoxiam, aliis hoc, aliis alio modo explicantibus: Sed R. Origenes: *Debuerat etiam contra validissimas Christianorum rationes fortiter stare, & accurate per singulas prophetias declarare, quomodo melius quadrent aliis, quam nostro Jesu, quantoq; probabilius.* lib.2. contra Cels.p.m.78.i.e. Non in thesi oberrandum est, ogganiendo, scripturam alius sic, alius aliter explicat, more Pyrrhonio, sed veniendum est in rem præsentem, uter hoc vel istud dictum rectius interpretetur. Est autem sensus vel literalis, vel mysticus: iste ex scriptura ultro emergit, hic artificiosus est: Iste patet simplicioribus, hic eruditis. Meminit distinctionis hujus idem Origenes c. 1. Philoc. ex Herma seu Pastore; *Scribes* (ita Hermam spiritus alloquitur) *duos libros, & trades unum Clementi, & unum Graphæ; Et Graphe quidem, instituit viduas, & orbos; Clemens autem mittet ad externas civitates; Tu vero renunciabis senioribus Ecclesiæ.* Quid Graphe sit Origenes mox explicat: *Graphe est ipsa nuda litera.* Fallitur ipse, cum putat mystice intelligendam esse scripturam sacram, si de rebus agit vulgaribus, Oeconomi- Sensus.

cis, naturalibus, tanquam majestate literarum sacrarum indignis, secius vilescere auctoritatem scripturæ, si juxta literam intelligeretur: Cum tamen ipse secundum literam talia mox loca accipiat, in quibus *ab altitudine sapientiæ Dei nudus literæ sensus non recedat.*

3. Efficacia. §. 37. (3.) *Efficacia.* Verbum Dei vel ore profertur, vel scriptis exprimitur, utrumque suam habet efficaciam: *Ambo verbum prædicant, hic quidem scripto, ille vero voce, quomodo non sunt ambo admittendi, qui effecerunt, ut fides operetur per dilectionem?* quærit Clem. Alex. l. 1. strom. f. m. 271. Et paulo post: *utrovis modo juvans, seu per manum* (scribentis) *seu per linguam* (prædicantis) *operetur.* Et f. 272. *Est duplex agricultura, una quidem, quæ non fit scriptis, altera vero, quæ fit scriptis,* Hæc in gratiam eorum, qui majorem vim verbo prædicato tribuunt, quam lecto; Cum tamen unius ejusdemque sit efficaciæ: Unde merito idem laudat τὰ ἱερὰ ἱεροποιοῦντα καὶ θεοποιοῦντα γράμματα, *literas sacras, quæ & sacros & Deos faciunt*, adeo efficaces sunt. Nec obstat, quod non statim suam exserat vim: *Sciendum est, nobis nec sentientibus persæpe utilitatem venire; quemadmodum sæpe cibum aliquem sumere jubemur acuendis oculis, nedum tamen in eo sumendo levari oculum sentimus, sed secunda, vel tertia interjecta die, distributio cibi, qui oculum juvat, facit, ut experti credamus oculo nos esse levatos,* Orig. homil. XX. in Joh. vis exempla? En tibi Tertullianum, quem vis verbi divini ad Christianismum perduxit: fatente ipsomet Pamelio in Tertulliani vita: Hieronymus Cyprianum nobis sistit: *Proponam vobis B. Cyprianum, qui prius idololatriæ assessor fuit, & in tantam gloriam venit eloquentiæ, ut oratoriam quoque doceret Carthagine; audisse tandem sermonem Jonæ, & ad pœnitentiam conversum in tantam venisse virtutem, ut Christum publicè prædicaret, & pro illo cervicem gladio flecteret.* Comment. in Jon. Origenes totas sistit nationes, imo universum orbem verbo Dei conversum. Philoc. c. 1. confer lib. III. contra Cels. sub fin. & lib. VI. ab initio.

Harmonia. §. 38. Scriptura utriusque Testamenti inter sese per omnia consentit: Illustris locus est Clementis Alex. lib. VI. strom. cum asserit: Κανὼν δ' ἐκκλησιαστικὸς ἡ συνῳδία καὶ ἡ συμφωνία νόμου τε καὶ προφητῶν τῇ κατὰ τὴν τοῦ Κυρίου παρουσίαν παραδιδομένῃ διαθήκῃ, i. e. *Regula vero Ecclesiastica est concentus & conventio legis & Prophetarum, convenienter testamen-*

to, quod per Domini adventum traditur. Novum instrumentum est, quod Christi in carne adventum consignavit, & ita quidem, ut impletum referat, quod lex & Prophetæ prædixerunt. Ammonius Alexandrinus philosophus inter alia opera scripsit & *de consensu & convenientia Moysis cum Jesu*, referente Euseb. lib. VI. hist. Eccles. c. 13. Præceptoris sententiam imitatus est Origenes discipulus, *In Euangelico*, scribens, *præconio* πεπληρωμένης συμφωνίας δογμάτων κοινῶν τῇ καλουμένῃ παλαιᾷ πρὸς τὴν ὀνομαζομένην καινὴν διαθήκην: *est plenissima consensio communis doctrinæ veteris, quod vocant, cum novo testamento*: Tom. V. in Joh. Quod ipsum prodidit Tom. II. in Euangel. Matth. asserens εἶναι οὐ μάχην, καὶ παριστὰς τὴν συμφωνίαν καὶ τὴν εἰρήνην τούτων, ἤτοι παλαιῶν πρὸς καινὰς, ἢ νομικῶν πρὸς προφητικὰς, ἢ ἀποστολικῶν πρὸς ἀποστολικὰς *non esse pugnam; & exhibens consensum & pacem horum, sive veterum cum novis, sive legalium cum propheticis, sive Euangelicorum cum Apostolicis, sive Apostolicorum cum Apostolicis.* Sufficientem scripturæ partium facit enumerationem, & docet nullam istarum partium cum altera pugnare: Largitur quidem δοκούσας περιέχειν μάχην. videre quasdam inter sese pugnare, sed *videntur*, scilicet imperitis; πάντα ἐνώπια τοῖς νοοῦσι *qui sanam* vero *mentem habent omnia intelligunt*, quæ istis videntur σκολιὰ καὶ στραγγαλιώδη *prava & distorta*: Vitium igitur est in homine, & non in scriptura; sicut, quo simili utitur, Musica harmonia videtur imperito dissona, ita scriptura secum ipsa licet conspirans, imperitis tamen videtur secum pugnare. Quod vero in specie novum testamentum attinet, Julius Africanus literis, ad Aristidem perscriptis, ostendit, non esse discrepantiam inter Matthæum & Lucam quoad Genealogiam Christi, modo distinctio observetur inter filiationem naturalem & legalem. Euseb. lib. 1. c. 7. & lib. VI. c. 13. Quod Apostolos spectat, quæstio est Origenis: *Audeatne quisquam cogitare Apostolum* ὡς μαχόμενα λέγοντα ἑαυτῷ *sibi pugnantia dicere? Neminem existimo tanta fore audacia, ut hoc dicat.* lib. 3. περ. ἀρχ. Nemo igitur vel Euangelistarum, vel Apostolorum sibi pugnantia dixit: Atque inde c. 26. & 27. confitetur: *Nunquam discordabunt sententiæ sanctæ!*

§. 39. *Integritas.* Multum in hoc seculo, contra Mar- 5. Integritas. cionitas cumprimis & alios hæreticos, disputatum est pro integritate codicis sacri, quippe quem hæretici depravabant, aut in

dubium revocabant; *quibus fuit propositum aliter docendi instrumenta doctrinæ; alias enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent, per quæ docerent hæresin. Sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinæ sine corruptela instrumentorum ejus; Ita & nobis integritas doctrinæ non competisset sine integritate eorum, per quæ doctrina tractatur*: ait Tert. de præscr. c. 38. Exempli loco producit Marcionem hæreticum, qui ex S. literis *contraria quæq; erasit sententiæ suæ, conspirantia cum creatore, quasi ab assertoribus ejus intexta, competentia autem sententiæ suæ reservavit*: uti ait lib. IV. contra Marc. c. 6. Duravit controversia usque ad Origenis tempora. Erant, qui dicerent, sacras literas σολοικοειδῶς εἰρημένα *soloecismum sapere*; unde consequatur οὐκ ὀρθῶς, οὐδὲ ἀκολούθως, οὐδὲ ὡς ἔχει, γεγράφθαι τὰ ῥητά, *non rectè, neq; consequenter, neq; ut se habent, scriptas esse literas*; qui proinde non vereantur προφάσει διορθώσεως ἀλλοιοῦν μετατιθέντας τὸ ἐγκείμενον περὶ τὰ δοκοῦντα ἀκολούθως γεγράφθαι ῥητὰ νοῦν *emendationis prætextu immutare, & circumpositum iis, quæ consecutionem habere videntur, verbis intelligentiam transponere.* His Criticastris Origenes sese opponens docet, si quæ minus rectè dicta videantur, explicanda esse juxta circumstantias, analogiam fidei, allegoriã. Scandalosum hoc erat apud alios, & imputabatur interdum innocentibus, dicebant enim nonnulli: *Quosdam fidelium quasi per temulentiam permittere sibi quidvis in mutanda scriptura Euangelica tribus modis, quatuorve, aut pluribus, ut sic retractata possint negare, quoties arguuntur.* Sed ℞. Origenes: *Equidem à nemine alio mutatum Euangelium scio, præterquam à Marcionis, & Valentini, & fortasse Luciani discipulis, quod crimen non est Euangelii, sed eorum, qui id ausi sunt depravare temere.* Procul igitur ab orthodoxis erat id criminis, quod heterodoxi causæ suæ male conscii audebant.

Scriptio. §. 40. Verbi sui *Scriptionem* Deus mandavit. Sic enim Tert. lib. IV. adversf. Marc. c. 2. *Constituimus*, ait, *imprimis Euangelicum instrumentum Apostolos auctores habere, quibus hoc munus Euangelij promulgandi ab ipso Domino sit impositum*: Ratione addita: *Quoniam prædicatio discipulorum suspecta fieri posset de gloriæ studio, si non adsistat illa auctoritas Magistrorum, imò Christi, qui Apostolos Magistros fecit.* Sermo est patri de *instrumento*, adeoque de ipsa Apostolorum scriptura; Scriptura igitur ex sententia Tertulliani, Deo mandate, & ideo quidem, consignata est, ne viderentur Apostoli ex arrogantia quicquam

quam conscripsisse. Subscribit Origenes lib. III. contra Cels. p. m. 114. 115. *Moses enim*, inquit, *non magnus, sed vir pius, omnes suas res ad Deum universorum referens*, *diviniq; spiritus particeps* καὶ νόμους ἔθελο τοῖς Ἑβραίοις, ὡς τὸ θεῖον αὐτῷ ὑπηχησε, καὶ τὰ συμβεβηκότα ὡς ἀληθείας, ἀνέγραψεν; *ejus instinctu leges Judæis tulit, & res gestas veraciter mandavit literis*. De solo quidem Mose loquitur, sed ita, ut ad reliquos scriptores dicta facile referri possint. Nec rationibus suis caruit hoc Dei mandatum: siquidem vaticinia ante consignata palam erat, cum implerentur, à Deo fuisse profecta, non ab hominibus inventa; quod urget Origen. lib. 2. contra Cels. p. m. 69. sed & memoriæ hominum labili consulere voluit, apud Clem. Alex. lib. 1. strom. f. m. 276.

§. 41. *Versiones* in linguas vernaculas hoc quoque seculo fuerunt usitatæ. Symmachus enim, pridem Samaritanus sapiens, postea ex indignatione Judæus, tandē hæreticus Ebionita, referente Euseb. lib. VI. c. 12. hist. Et Epiph. d. mens. & ponder. novam post Aquilam Ponticum, & Theodotionem adornavit versionem Græcam, in qua non ad verbum singula expressit, sed sententias ex sententiis, ut est apud Hieron. in Jerem. c. 32. Hanc versionem cum aliis in sua hexapla retulit Orig.: Acceperat autem una cum commentariis à quadam Juliana, atq; hæc ab ipso Symmacho, ut ex ipso Orig. refert Euseb. hist. l. c. Magnifactam esse versionem à veteribus inde patet, quod alias Origenes non intulisset Hexaplis, de quibus supra art. 1. §. 16. p. 480. Nec ipsum opus maximi fecissent etiam hostes Origenis: *Hoc solum Origenes utiliter fecit*, scribit Epiphanius: Et iterum: *Sex columnas interpretum alternatim collocans, magnam utilitatem cognitionis exhibuit*. Et Hieronymus: *Hæc immortale illud ingenium suo nobis labore donavit, ut non magnopere pertimescamus supercilium Judæorum, solutis labiis, & obtorta lingua, & stridente saliva, & rasa fauce gaudentium*, ad Tit. 3. Ex quibus patet, quanti fecerint opus Origenis, confer Euseb. l. c. *Vulgatam* Latinam, hodie apud Pontificios receptam, non ea religione observabant, imo ne quidem extitisse certum est. Nam, ut vel unum exemplum allegemus, Cyprianus in suis operibus alia subinde verba allegat, quæ collegit Goulartius, & subjunxit operibus Cypriani à sese editis, vide præfatiunculam præmissam, fol. 629.

Versiones Symmachi.

& Hexapla Origenis.

629. *Thargum Chaldaicum* an tum fuerit cognitum, ex historiis non patet; videtur quod non, ob raritatem istarum literarum.

Lectio. §. 42. *Lectio* scripturarum omnibus aliquo saltem modo est necessaria, absolutè verò licita. ἥτε τῶν γραφῶν τῶν κυριακῶν ἀνάγνωσις εἰς ἀπόδειξιν τῶν λεγομένων ἀναγκαῖα, *scripturarum Domini lectio est necessaria ad eorum, quæ dicuntur, demonstrationem*, ait Clem. Alex. lib. VI. f. 660. Rationem dat Donatus in literis ad Cyprianum: *In divina lectione animis roboramur*. Unde & pueros adigebant ad legendas sacras literas, e.g. Origenem: Hic enim *in primo ætatis flore piis sacrarum literarum studiis sedulo fuit exercitatus*: narrante Euseb. lib. VI. hist. c, 2. Mulieres quoque, ut Mammæa Alexandri Cæsaris mater; eousq; enim in Christianismo profecerat, ut *sacras* quoq; *literas legeret*, apud eundem c. 15. Unde Orig. in literis ad quendam Gregorium suum filium datis, hortatur: *Tu igitur, Domine fili, præcipuè incumbe in lectionem divinæ scripturæ*: Philocal. c. 13. confer homiliam IX. in Leviticum. Digitum intendit ipse stylus sacer, dum simplicitati studet, qualem etiam rudiores capere possunt. Cum enim superciliosi Epicuræi. & alii philosophi spernerent simplicem facilitatem scripturæ, respondet ipse: *Prophetæ nostri, & ipse Jesus, ejusq; Apostoli attenti fuerunt potissimum ad orationis modum, non solum veracissimum*, ἀλλὰ καὶ δυναμένης ἐπάγεσθαι τοὺς πολλοὺς ἕως προτραπέντες καὶ εἰσαχθέντες ἕκαστος κατὰ δύναμιν ἀναλάβωσιν ἐπὶ τὰ ἐν ταῖς δοκούσαις εἶναι εὐτελέσι λέξεσιν ἀπορρήτως εἰρημένα, *sed etiam ad attrahendam multitudinem maximè commodum, ut singuli tandem conversi & attracti pro virili percipiant arcana sub sermonis simplicitate latentia*. Hactenus ille lib. VI. contra Celsum. Loquitur Pater de sermonibus Christi, Prophetarum & Apostolorum, quæ in S. literas relati sunt, & simplici stylo concepti, ut intelligi à quovis possint, quare & legi debeant. Hoc vero dum licitum dicimus, & necessarium cuivis, non ideo excludimus decentem ordinem legendarum scripturarum, de quo pluribus disserit Clemens Alex. lib. 2. strom. f. 361. seqq.

Bibliothecæ. §. 43. *Locus*, ubi libri asservantur, dicitur *Bibliotheca*. Talis in hoc seculo instituta fuit ab Alexandro Episcopo Hierosolymorum, eaque Hierosolymis, optimis auctoribus referta, laudante Eusebio, quippe cui plurimum commodavit in historia sua aliisque

aliisque operibus conscribendis lib. VI. hist. c.14. Sudavit in eodem studio etiam Pamphilus martyr, qui *indices* adornavit, laudatus eo nomine ab eodem. c.25.

§. 44. *Contraria* S. literis sunt (1.) *Mutilatio*, cum, quod divinitus revelatum est, & canoni destinatum, resecatur, qualis plagiarius fuit Marcion: *Hic enim exertè & palam machæra, non stylo, usus est: quoniam ad materiam suam cædem scripturarum confecit*, Tertulliano conquerente; c.38, de præscript. (2.) *Perversa interpretatio*: Sic enim pergit Tertull. *Valentinus autem pepercit, quoniam non ad materiam scripturas, sed materiam ad scripturas excogitavit, & tamen plus abstulit, & plus adjecit, auferens proprietates singulorum quoq; verborum, & adjicens dispositiones non comparentium rerum.* Unde emergit (3.) *Adjectio* traditionum non scriptarum. De quibus ante jam diximus, & postea pluribus dicemus.

Contraria. 1. Mutilatio. 2. Pseudhermonia. 3. Adjectio.

SECTIONIS II.

De Symbolis & Articulis fidei.

Argumentum.

Variæ appellationes, & descriptiones symbolorum & habitus Theologici. Dicuntur enim Canon Ecclesiæ, regula veritatis, & fidei, lex fidei. Habitus describitur, sapientia celebratur. Dogmata dicuntur articuli fidei: Cur? Symbola varia recensentur, vel citantur, Tertulliani Gregorij, Thaumaturgi, Patrum Antiochenorum, Arnobij. Concluditur inde quadam dogmata esse magis necessaria aliis, & lactis instar: Reliqua tamen etiam addenda esse necessitatis & decori causa: articulos fidei posse crescere cum revelatione.

§. 1.

CORpus doctrinæ orthodoxæ, in Ecclesia receptæ, dicitur *Canon Ecclesiæ*, ab Antiochenis Patribus, qui conqueruntur de Paulo Samosateno, *quod relicto canone Ecclesiæ ad adulterinam depravatamq; doctrinam sese contulerit*, annotante Euseb. lib. VII. c.24. hist. Idem appellatur *regula veritatis*, à Novatiano de Trinit. c.1. Sic enim ille; *Regula exigit veritatis, ut primo omnium credamus, in Deum, Patrem, & Dominum omnipotentem* & seqq. Consimili phrasi laudatur

1. Appellationes.

datur à Tertull. de præscr. c.13. Sic enim docet: *Regula est autem fidei, ut jam hinc, quid credamus, profiteamur, illa scilicet, qua creditur, unum omnino Deum esse, nec alium præter mundi conditorem* &c. Idem vocat *legem fidei*, d. veland. virg. c. 1. Clemens Alexandrinus aliquanto pluribus verbis phrasin explicat lib. 1. pædagog. c. 7. cum inquit: Pædagogia est ἡ θεοσέβεια, μάθησις οὖσα θεοῦ θεραπείας, καὶ παίδευσις εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας, ἀγωγὴ ἡ ὀρθὴ, ἀνάγουσα εἰς οὐρανόν, i.e. *divina religio, quæ est doctrina divini cultus, & eruditio ad assequendam veritatis cognitionem, & recta institutio, vitæq; agendæ ratio, quæ in cælum deducit.* Sic ille definit habitum Theologicum ex articulis fidei collectum. Vis alium? Ecce tibi Origenem, qui *sapientiam* appellat & magnificè describit: *Sapientia est divinarum humanarumq; rerum scientia, earumq; causarum, aut, ut scriptura sacra definit, divinæ potentiæ vapor, emanatio sincera omnipotentis gloriæ, & splendor sempiterni luminis, speculum virtutis Dei purissimum, bonitatisq; ejus imago expressa.* lib. 3. contra Cels. Singula dogmata creditu necessaria vocantur articuli, à Tert. adversus Prax. c. 15. *Si hunc articulum,* (ait de Christo) *quæstionibus scripturæ veteris non expediam, de novo testamento sumam confirmationem*: Et quidem *fidei* articuli, quia credimus propter auctoritatem Dei revelantis: *Si nos istud nescire dicamus, ac tantummodo auditum ex potentiore credidisse, ubi nostra videbitur credulitas lapsa, si omnipotenti credimus regi nihil esse difficile, nihil arduum. Si, quod nobis impossibile est factu, illi possibile, atq; admodum exsecutioni paratum*: ait Arnob. lib. 11. p. 67.

Symbolum Tertulliani. §. 2. Symbola & summaria articulorum fidei variè referuntur. Tertulliani hoc est: *Creditur, unum omnino Deum esse, nec alium præter mundi conditorem; qui universum de nihilo produxerit, per verbum suum primo omnium emissum: Id verbum filium ejus appellatum, in nomine Dei varie visum Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremo delatum ex spiritu Dei Patris & virtute in virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex eo natum hominem, & esse Jesum Christum: exinde prædicasse novam legem, & novam promissionem regni cœlorum, virtutes fecisse; fixum cruci, tertia die resurrexisse, in cœlos ereptum sedere ad dextram Patris: misisse vicariam vim spiritus sancti, qui credentes agat: Venturum cum claritate, ad sumendos sanctos in vita æterna & promissorum cœlestium fructum, & ad prophanos judicandos igni perpetuo, facta utriusq; partis resuscitatione cum carnis resurrectione.* Hactenus ille lib. de præscr. c. 13. Addit autem:

tem. *Hæc regula à Christo instituta*, quod non intelligit de totidem literis, & eodem ordine, sed materia', quæ Euangelio per Christum revelato conformis est. Aliter sonat breviarium fidei, quod Gregorio Thaumaturgo adscribunt: Sic enim sese habet: *Vnus est Deus Pater verbi viventis, sapientia subsistentis, & potentiæ, & figuræ æternæ, perfectus perfecti genitor, Pater Filij unigeniti: unus Dominus, solus ex solo, Deus de Deo, figura & imago Deitalis, verbum efficax, sapientia, constitutionis rerum universarum comprehensiva, & potentia totius creaturæ effectrix, Filius verus veri Patris, visum effugiens visum effugientis, & corruptioni non obnoxius, non obnoxii corruptioni, & morti non obnoxius non obnoxii morti, & æternus æterni. Vnus Spiritus sanctus ex Deo ortum & existentiam habens, quiq; per Filium apparuit, videlicet hominibus; imago Filii perfecti, perfecta vita, viventium causa, fons sanctus, sanctitas sanctificationis suppeditatrix; per quem manifestatur Pater, qui est super omnia, & in omnibus, & Deus Filius, qui per omnia permanet. Trinitas perfecta, quæ gloria, atq; æternitate, & regno non dividitur, neq; abalienatur.* Hæc confessio Gregoriana magni fiebat apud veteres: Nam in quinta Synodo œcumenica publicè lecta est; eandemque citabant Apocrisiarii Gregorii IX. adversus Germanum Episcopum Constantinopolitanum. Imo & Gregorius Nyssenus ejusdem meminit, dum scribit: *Quod si quis sibi fidem de hac re fieri cupit, audiat Ecclesiam, in qua* (Thaumaturgus) *sermonem prædicabat, apud quam illa ipsa verba à beata illa manu exarata adhuc etiam nunc conservantur.* Ab utroque hoc differt Symbolum, quod idem Tertul. de vel. virg. c. 1. recitat: Sic enim sese habet: *Regula fidei una omnino est, sola immobilis & irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, & Filium ejus Jesum Christum, natum ex virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum à mortuis, receptum in Cœlis, sedentem nunc ad dextram Patris, venturum judicare vivos & mortuos, per carnis resurrectionem.* Adversus Praxeam repetit symbolum, sed denuo sub alia forma, c. 2. Nihilominus, ait, *hanc regulam ab initio Euangelij decucurrisse, etiam ante priores quosq; hæreticos, nedum ante Praxean hesternum*: Quod denuo intelligi non potest de eadem forma, & ordine: Nam ipse variè recensuit. Imo innuit accessisse quæpiam, ut est articulus de Ecclesia. Sic enim de Baptis. scribit: *Sufficit ad fiduciam spei nostræ etiam numerus nominum divinorum; quum autem*

Gregorii Thaumaturgi.

Aliud Tertullianis.

tem sub tribus & testatio fidei, & sponsio salutis pigneretur, necessario adjicitur Ecclesiæ mentio, quoniam ubi tres i.e. Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ibi Ecclesia, quæ trium corpus est. Licuit igitur symbolo quædam addere, ubi necessitas & fidei analogia postularet. Cujus rei lucu-

Antiochenorum, lentum testimonium præbent Patres *Antiocheni* in concilio adversus Paulum Samosatenum congregati; Nam fidei confessionem multo auctiorem seu explicatiorē promulgarunt, quam legas in actis concilii Ephesini apud Theodor. Pelt. tom. VI. c. 1. in fin. Ba-

Arnobii. ron. an. 272. §. 16. Confer & Arnob. l. 2. adv. gent. p. m. 43.

§. 3. Ex dictis elucescit (1) *Esse quædam dogmata præ aliis ne-*

1. Distinctio dogmatum. *cessaria creditu, & instar lactis, quod tenellis in fide præbetur.* Sunt enim quædam dogmata, quorum vel ignorantia, vel negatio salutem evertit, e.g. omnipotentia Dei: *Deum natura infirmum, si audes dicere,* περὶ τῆς σωτηρίας αὐτῆς κινδυνεύειν μὴ δοκῇς, *de salute ipsa periclitari non videaris?* quærit Origen. apud Euseb. lib. VII. de præp. Euangel. Quædam ideo necessaria, quia contrarius error fidem vel pietatem tollit. e.g. Hominem liberè agere, quod agit, ideo creditu necessarium est, quia fato omnia fieri destruit fidem & pietatem, vide eundem tom. 3. in Gen. l. 14. Clemens Alex. lib. 1. pædagog. f. m. 99. in hunc sensum explicat dictum Paulinum: 1. Cor. III. 2. ajens: *Dictum menti applicare debemus*: Lac vobis potum dedi, non cibum; nondum enim poteratis: *Non aliquid aliud, quam lac cibum existimantes,* ταυτὸν δὲ τῇ οὐσίᾳ, *sed idem substantia, similiter enim idem ipsum quoque verbum vel est remissum laxumque & mite, ut lac, vel concretum & coactum, ut cibus*: Innuit, sicut lac, & coagulum ex lacte, sunt unus idemque cibus substantia, etsi forma externa differant, ita doctrinas Catecheticas quoad substantiam esse easdem cum profundioribus mysteriis, etsi hæc in quibusdam differant. Prudentia autem & discretione opus est in distribuendis ejusmodi libris: τοῖς ὑπομαστιδίοις παιδίοις ἀρκεῖ μόνον τὸ γάλα καὶ ποτὸν εἶναι, καὶ τροφὴν, *pueris lactantibus lac solum sufficit, ut sit & potus & alimentum*: f. 104. similia habet lib. 1. strom. f. m. 355. Origenes in Philocal. c. 1. in eandem sententiam, etsi aliis verbis, distinguit, inter τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ χριστοῦ λόγον, τουτέστι στοιχειώσεως, doctrinam de principiis, i. e. elementis Christianis, & inter τελειότητα seu σοφίαν, *perfectionem*, vel *sapientiam*: ex 1. Cor. 11. 6. Alibi tamen eadem, qua Clemens, simi-

ſimilitudine utitur, ubi diſputat adverſus Celſum Epicuræum, de diſcretione, quam Chriſtiani Doctores obſervabant apud ſuos auditores, quod *profundiores ſenſus celent, & ſilentio prætereant, in cœtu eorum, qui indigent* λόγων τροπικῶς ὀνομαζομένων γάλα, *ſermonibus tropice dictis lac*, lib. III. contra Celſ. p. 143. Ubi veto eousque adolevit fides, ut ſolidiores cibos concoquere poſſit, ſequitur (2.) *alia quoq; dogmata eſſe prioribus addenda*, id quod idem l.c. monet; verba enim facit p.m. 147. de eo, qui in rebus divinis habitum quendam ſibi comparavit, *exercitatis ſenſibus ad dignoſcenda bona malaq; ne gravetur* προσιέναι στερεαῖς λογικαῖς, καὶ ἁρμοζούσαις ἀθληταῖς εὐσεβείας καὶ πάσης ἀρετῆς *ad ſolidos cibos rationales accedere, convenientes athletis pietatis omnisq; virtutis.* Convenienter ait *athletis*, innuens, verſari nos in Eccleſia militante, ubi quotidie pugnandum, adeoque pluribus opus habeamus armis, quam in pace: quo fine etiam *dialectica opus habemus; ne proſternamur ab hæreſibus, quæ faciunt incurſiones*, uti ait lib. 1. ſtrom. Clemens Alex. Imprimis ideò, quod omnia κατὰ ῥητὸν in ſacris literis habeantur, ſed per conſequentiam demum elicienda ſint, ſi velimus cauſam adverſus hoſtes obtinere. *Quam maximè fieri poteſt* διαλεκτικώτερον *dialecticè ad ſcripturam accedendum eſt, conſequentiam divinæ doctrinæ venantibus*: ait fol. 355. Cujus ſententiæ eſt & Origenes lib. VIII. contra Celſ. p.m. 423. Cum de providentia diſputans ſubdit: καὶ τῶν εἴτε προηγουμένως ὑπ' αὐτοῖς γιγνομένων, εἴτε καὶ ἔκ τινων ἐπακολουθέντων, *& his, quæ inde proveniunt, vel primariè, vel per conſequentiam.* Indecorum profecto eſt, ſi quis heterodoxorum placita ignorat, honorificum contra, qui in iis verſatus eſt: *Sicut* enim *medicus is demum probatus eſt, qui variis medicorum ſectis examinatis probè ſeſe in earum plerisq; exercuit; & is, in philoſophia profeciſſe intelligitur, qui variorum opinionum diſſertationibus exercitatus potiores ex his rationes ſequitur; ſic auſim affirmare, illum eſſe inter Chriſtianos ſapientiſſimum, qui Judæorum atq; Chriſtianorum ſectas introſpexit diligentiſſimè.* Verba ſunt Orig. lib. III. contra Celſ. p.m. 119. Equidem libenter concedimus, quod talis amplitudo ſcientiæ Theologicæ ad ſalutem abſolutè neceſſaria non ſit: *Fides* enim *tua ſalvum te facit, non exercitatio ſcripturarum*, ait Tertul. c. 14. de præſcr. *Fides*, pergit, *in regula* (ſymbolo) *poſita eſt, habet legem, & ſalutem de obſervatione legis, exercitatio autem in curioſitate conſiſtit, habens gloriam ſolam de peritiæ ſtudio:*

(1.) *Incrementum* fidei.

Attamen fides suis quoque fulcris & ornamentis opus habet: *Multa, licet ad finem* (immediatè) *non conferant, artifici tamen ornamentum afferunt*: bene ait Clem. Alex. l. 1. Strom. f. 288. Imo ipse Tertullianus profectum in gratia divina commendat, cum c. 1. de veland. virg. censet; *Hac lege* (symbolo) *fidei manente, cætera jam disciplinæ & conversationis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet & proficiente usq; in finem gratia Dei.* Ne ergo simus contemptores gratiæ divinæ superabundantis, addamus subinde prioribus nova, *cum non cesset diabolus novas fraudes excogitare; Quale est enim ut à Diabolo semper operante & adjiciente quotidie ad iniquitatis ingenia, opus Dei aut cessaverit, aut proficere destiterit?* Hactenus ipse Tertullianus. Ex eo-

(3.) Addidamenta

dem dicimus (3.) *Articulos fidei incrementa capere*, sic enim in libello de Baptismo docet: *Ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem, resurrectionemq; ejus; addita est ampliatio & sacramenti, obsignatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quod retro erat nuda; nec potentiam habuit sine sua lege.* Pridem in V. T. non tenebantur credere in Jesu Nazareni nativitatem, etsi in Messiæ; in N. T. autem, ubi revelatum est individuum, tenemur.

SECTIONIS III.

De Theologia.

Argumentum.

Cognitio divina necessaria ac utilis, hauritur ex lumine naturæ cum insito, tum acquisito, & scripturæ revelato. Dei nomina & descriptiones, an, & quæ sint? & quot sint, & qualia. Existentia, an, & unde? probatur. Essentiæ divinæ nomen analogum, res ipsa in dubium vocata, quo sensu. Personarum pluralitas & Trinitas, sunt: Pater, Filius, & Spiritus sanctus, probatur ex nominibus, attributis, operibus, cultu. Attributa Dei cum Dei essentia eadem, sunt spiritualitas, invisibilitas, simplicitas, æternitas, immutabilitas, immortalitas, infinitas, immensitas, omnipræsentia, omnipotentia, bonitas, misericordia, justitia, omniscientia, sapientia, voluntas, veritas, perfectio, majestas, beatitudo. Opera Dei sunt creatio omnium rerum, mundi, Angelorum, & hominum, quorum nomina, natura, affectiones, officia, & alia explicantur: Et creatarum rerum gubernatio, providentia divinæ opus. Cultus deniq; religiosus.

§. I.

§. I.

COgnitio Dei est necessaria & utilis. *Quid enim amplius homini necessarium, quam cura in Deum verum?* quærit merito Tertull. lib. 2. contra Marc. c. 1. & mox c. 3. *Quid tam bonum, quam notitia & fructus Dei?* Vapulant igitur Sceptici illi & Epicuræi, qui censebant, de Deo nihil certo homini constare posse, quare Theologiam esse omittendam; curandum autem, quod nos homines concernit: *Itaq; indignandum omnibus, indolescendumq; est, audere quosdam, & hos studiorum rudes, literarum profanos, expertes artium etiam sordidarum, certum aliquid de summa rerum, ac majestate decernere, de qua tot omnibus seculis sectarum plurimarum usq; ad hunc ipsa philosophia deliberat. Nec immerito; cum tantum absit ab exploratione divina humana mediocritas, ut neq; quæ supra nos cœlo suspensa sublata sunt, neq;, quæ infra terram profunda demersa sunt, aut scire sit datum, aut scrutari permissum, aut stuprare religiosum: Et beati satis, satisq; prudentes jure videamur, si secundum illud vetus sapientis oraculum, nosmetipsos familiarius noverimus.* Sic Cæcilius Ethnicus in dialogo cum Octavio p. m. 4. Minuc. Fel. Bene quidem hominem jubet in semetipsum descendere, sed male propterea Dei neglectum permittit: Esto enim hominem ex se Deum non nosse, potest tamen, Deo semetipsum revelante. Verè dixit Tert. lib. 1. contra Marc. c. 28. *Ipsa natura humana negat, Deum cognosci posse aliàs, quam per semetipsum*: Idque ipsum vult, unde idem perhibet Deum *ultro volentem cognosci*: Partim ex lumine naturæ, partim scripturæ: *Nos definimus Deum primo natura cognoscendum, deinde doctrina recognoscendum; Natura ex operibus, doctrina ex prædicationibus*, idem ait lib. 1. contr. Marc. c. 18. Est igitur notitia Dei duplex, alia *naturalis*, alia revelata: Ista iterum vel *insita*; quod patet ex conscientia *Animæ à primordio conscientia Dei dos est*, perhibet. c. 10. *vultis ex animæ ipsius testimonio comprobemus?* idem quærit, & mox probat Apol. c. 17. Ὁμόψηφος est Clemens Alex. προτρ. f. 63. πέφυκε γὰρ ἄλλως ὁ ἄνθρωπος, οἰκείως ἔχειν πρὸς θεόν; *Est enim alioqui homini à natura ingeneratum, ut ei quædam intercedat cum Deo conjunctio*, quanto magis cognitio! vel est *acquisita*, nempe ex intuitu creaturarum: *vultis ex operibus ipsius tot ac talibus, quibus continemur, quibus sustinemur, quibus oblectamur, quibus exterremur, comprobemus?* Iterum quæstio est Tert.

Cognitio Dei est necessaria & utilis contra Ethnicos & Epicuræos.

Dividitur in natualem

quæ est vel insita,

vel acquisita

in apol. cap. 17. qua indigitat notitiam Dei ex creaturis collectam. Arnobius utrumque complexus, rotundè ait: *Deum omnes naturaliter scimus*, l. 2. adverſ. gentil. Neque ea notitia ad Dei ſolum ſeſe exiſtentiam extendit, ſed & unitatem, aliaque attributa. *Nos unum Deum colimus, quem omnes naturaliter noſtis, ad cujus fulgura & tonitrua contremiſcitis, ad cujus beneficia gaudetis*, ait Tert. c. 2. ad Scap. Et confirmat Cyprianus, *Nam & vulgus*, inquit, *in multis Deum naturaliter confitetur, cum mens & anima ſui auctoris & principis admonetur. Dici frequenter audimus: O Deus! &, Deus videt! &, Deo commendo! &, Deus mihi reddet! &, quod vult Deus! &, ſi Deus dederit!* de idol vanit. §. 5. Quæ fere ad verbum deſcripſit ex Tert. de anim. c. 2. confer Novat. de Trinit. c. 3. Minuc. Felic. in Octav. p. m. 16. Beneficio hujus notitiæ naturalis homo ſaltem qui verus Deus, quæque ipſius attributa & opera non ſint, poteſt noſſe: *Vide annon fidei noſtræ placita per omnia cum ſenſu communi conveniant, facileq; illabantur benevolorum auditorum animis. Vt enim perſuaſum ſit vulgo à tot doctoribus undiq; pravas opiniones inculcantibus de adorandis Deorum ſimulachris, factis ex auro, argento, ebore, marmore,* ἀλλ' ἡ κοινὴ ἔννοια ἀπαιτεῖ ἐννοεῖν ὅτι θεὸς οὐδαμῶς ἐστιν ὕλη φθαρτὴ, οὐδὲ τιμᾶται ἐν ἀψύχοις ὕλαις ὑπὸ ἀνθρώπων μορφούμενος, &c. *Attamen communis ſenſus jubet nos cogitare, Deum haud quaquam eſſe materiam corruptibilem, nec delectari hoc honore imaginum, ab hominibus fabricatarum, quo effigiem ejus aut ſignificationem aliquam repræſentent*: Verba ſunt Orig. lib. 3. contra Celſ. p. m. 135. Natura igitur magiſtra novimus, verum Deum eſſe incorruptibilem, adeoque & verum Deum non eſſe, qui corruptibilis eſt. Idem urget Arnobius lib. IV. adv. gent. p. m. 132. *Non iſtud nos ſoli*, inquit, *ſed veritas ipſa dicit, & ratio, & ille communis, qui eſt cunctis in mortalibus, ſenſus*: quod illuſtrat & probat, inſtituto examine, quomodo gentilium idololatria ab ipſa abhorruerit natura ſaniore. Hoc vero non eo fine dictum volumus, quaſi naturam nimium extollere velimus, novimus & fatemur eſſe illam ipſius cognitionem ἀμαυρὰν, *obſcuram*, ut vocat Clem. Alex. lib. VI. ſtrom. f. 649. nec propterea gentiles ad veram Dei veri cognitionem venire potuiſſe, f. 675. Opus erat naturam aliunde juvari: *Adeo non obſtant cognitioni Dei eruditio, optimarum diſciplinarum ſtudium, prudentia,* ἀλλὰ καὶ συνεργεῖ τὸ πεπαιδεῦσθαι, *ut etiam cooperen-*

rentur ad informationẽ: asserente Orig. lib. III. advers. Cels. p. 141. Ut adeo, quo quis eruditior, eo magis Deum cognoscere possit. *Omnibus enim simpliciter hominibus, maximè autẽ iis, qui versantur in doctrina & literis ἐνέσταλκταί τις ἀπόῤῥοια θεικὴ instillatus est quidam divinus influxus*, ut vel *inviti quidam fateantur unum esse Deum*, judice Clem. Alex. προτρ. fol. 45. Deus, mediante etiam informatione & traditione, sui cognitionem instillat, ut majorem ille & ampliorem consequatur, qui libros tradentium volvit revolvitque, vel docentibus attendit. Quo ipso ab hac Dei notitia excludimus bestias, quas naturam Dei æque, imo accuratius, ac homines, nosse, serio, an per lusum? contendit Epicuræus Celsus, auspiciis argumenti loco adductis, cujus petulantiam castigavit Origenes lib. IV. p. m. 222. vel ex ipsorummet gentilium defecatiorum judicio, qui auspiciis parum, aut nihil, detulerunt, sicut nec debuerunt, cum ipsæ sibi aves prospicere & cavere à periculis non possint, quid igitur hominibus?

Et Supernaturalem seu revelatam.

§. 2. Cum igitur tot natura defectibus laboret, alia & meliore revelatione opus erat, ea nimirum, quæ fit per verbum Dei in sacris literis contentum, quod κατ' ἐξοχὴν *revelationem* appellamus, & *notitiam*, inde acquisitam, *revelatam*: Operosus est in hac declaranda & exaggeranda Tertul. c. 1. de anim. cum quærit: *Cui veritas competit sine Deo? Cui Deus cognitus sine Christo? Cui Christus exploratus sine Spiritu sancto? cui Spiritus sanctus accommodatus sine fidei sacramento?* Innuit, quisquis verum Deum verè nosse velit, eum debere Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum nosse, hoc vero fieri non posse, nisi per scripturam, unde fides ista hauriatur. Videamus enim sapientissimos gentilium, quos illi Deos sibi persuaserint, Romulus Consum, Tacius Cloacinam, Hostilius Pavorem, Metellus Alburnum, alius alios, ut legi possunt in hanc rem Tert. lib. 1. contr. Marc. c. 18. Clem. Alex. lib. VI. strom. f. 697. ab init. Arnobius per totos VII. libros. Origenes lib. VI. contra Cels. p. m. 287. bene explicat verba Psalmi XVIII. 2. Deus posuit latibulum suum in tenebris: *Neminem enim*, ait, *posse cogitare de Deo pro dignitate ipsius, velut in tenebris latentis, quantum ad homines cognitionis ejus splendorem non ferentes attinet, nec obtueri valentes, partim propter mentis impuritatem, vinctæ humiliato hoc corpore, partim propter ejus angustias*

Quæ ipsa tamen in nobis est imperfecta.

gustias haudquaquam capaces tanti Numinis: Quare concludit in seqq. non cognoscitur Deus *nisi* τοῖς ἐλλαμπομένοις τὸ ἡγεμονικὸν ὑπ' αὐτοῦ τοῦ λόγου καὶ θεοῦ *à mentibus illuminatis ab ipso verbo & Deo*, quod probat ex Matth. XI. 27. Neque tamen etiam ab his satis digne potest intelligi: *Nec* enim *videri potest, visu clarior est, nec comprehendi potest, nec æstimari, sensibus major est, infinitus, immensus, & soli sibi, quantus quantus est, notus: Nobis vero ad intellectum pectus angustum est, & ideo sic eum dignè æstimamus, dum inæstimabilem dicimus*. Sic pie θεολογεῖ Octavius apud Minuc. Fel. p.m. 19. Cui subscribunt Patres Antiocheni in literis ad Paulum Samosatenum: Sic enim illi: *Dei gloriam vel amplitudinem intelligere, aut enarrare pro dignitate, ut in re & veritate est, humana natura non potest. Notionem vero ejus, utcunque mediocrem, si habemus, revelante Filio ejus, (sicut ait: nemo novit Patrem nisi Filius, & cui Filius revelaverit) contenti esse debemus*. Id ipsum dudum ante censuerat Clem. Alex. προτρ. f. 45. *Universi hujus Patrem & effectorem & invenire est difficile, &, cum inveneris, fieri non potest, ut eum enuncies*. Adde Novat. de Trinit. c. 2. suffragium.

Dei (1.) *Nomina*: An sit nominabilis?

§. 3. His veluti *proœmii* loco præmissis, notanda sunt Dei (1.) *Nomina*: Ubi primo omnium occurrit quæstio: *An Deus sit ὀνομαστὸς*, seu *nominabilis*? Videtur quod non. *Id enim nomine continetur, quidquid etiam ex naturæ suæ conditione comprehenditur. Nomen enim significantia est ejus rei, quæ comprehendi potuit ex nomine: At, quando id, de quo agitur, tale est, ut condigne nec ipsis intellectibus colligatur, quomodo appellationis dignè vocabulo pronunciabitur*? Argumentum est Novatiani c. 4. de Trinit. Consentit Octavius Christianus in dialogo cum Cæcilio Ethnico, annotante Minucio Felice: *Nec nomen Deo quæras, Deus nomen est, cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est: Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est: quem, si Patrem dixero, terrenum opineris; si regem, carnalem suspiceris; si Dominum, intelliges utique mortalem, aufer additamenta nominum, & perspicies ejus claritatem*. p. 19. Largitur igitur nomen quidem Dei, sed cætera respuit. Iisdem verbis utitur Cypr. de idol. van. §. 5. uti alter ex altero descripsisse videatur: Sic enim habent: *Ne nomen Dei quæras: Deus nomen est illi. Illic vocabulis opus est, ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est, Deo, qui solus est, Deus vocabulum totum est*. Litem componat *distinctio*, quam suppeditat acutissimus Origenes

R. Disting. (1.)

rigenes lib. VI. contra Celſ. p.m.320. inter nomina, quæ eſſentiam, ſeu naturam Dei exhauriunt, & quæ qualicunque modo innuunt: *Si enim hoc vult, quod in verborum ſignificatis nihil poteſt Dei proprietates exprimere, verum eſt:* (eſſe innominabilem) *Quod ſi nominabile accipiatur, quatenus auditorem poteſt nominibus ad aliqualem cognitionem Dei manuducere, quantū naturæ humanæ licet comprehendere, non abſurdè dicitur nominabilis.* Hæc ille. Cum quo conſentiunt Patres Antiocheni in literis ad Paulum Samoſatenum, quorum verba §. 2. præced. allegavimus. Probe inſuper obſervanda eſt diſtinctio inter nomina Dei propria & appellativa, quam idem Origenes uſurpat lib. V. contra Celſ. p. m. 262. In genere præmiſerat lib. 1. adv. Epicuræum diſputans, *non mediocrem eſſe religionem circa Deorum nomina*, ex Platonis, adeoque etiam Ethnicorum, mente: *Quanto magis probanda eſt*, infert, *Chriſtianorum pietas, qui rem indignam cenſent, vocabulum aliquot poetarum fabulis celebratum accommodare Conditori rerum omnium*, quod refert lib. IV. p.m.196. Inde progreſſus liberum quidem relinquit cuique idiomati, quo Deum appellativo nomine nuncupet, propria tamen non niſi ex verbo Dei revelata admittit: *Appellativo Dei nomine vel Scythicè, vel Ægyptiacè, vel quacunq; lingua, in qua quisq; educatus eſt, ſi quis Deum nominet, nihil peccaverit*: Quod propria attinet, non perinde cenſet cum Epicuræo eſſe, ſive Pappæum, ſive Jovem, ſive Zena, ſive Adonæum dixeris, etiamſi per iſthæc nomina intelligas Deum hujus univerſi: *Affirment Scythæ quoq; Pappæum eſſe illum univerſorum Deum, ſed non nominaturi hunc Deum Pappæum, quaſi proprio nomine, videlicet ex arbitrio iſtius Scythicarum ſolitudinum & gentium linguarum præſidis*: Et pag. 196. *Nos his & ſimilibus fabulis offenſi, nullo modo ferimus Deum maximum vocari Jovis nomine, nec ſolem Apollinis, nec lunam Dianæ vocabulo; ſed puram erga Deum pietatem exercendo, & pulcherrima ejus opificia laudando,* οὐδὲ μέχρι ὀνόματος χραίνομεν τὰ θεῖα, *nec vel nomine tenus res divinas contaminamus.* Quod obſervandum adverſus licentiam poëticam, quâ ejusmodi poëtarum dæmonia interdum ſecurius uſurpamus. (2.)

§. 4. Eſt autem nomen DEUS *analogum*, cum & iis tribuatur, qui natura Deus non ſunt, ex aliqua officii analogia, ut Angelis, Magiſtratibus &c. Abſurdus proinde fuit Marcion, cum pluralitatem Deorum verorum vellet probare ex illo Pſalmi: Analogia.

Dixi vos Dii estis: cui scitè respondit Tert. lib. 1. c. 7. *Ego non nomini Dei, nec sono, nec notæ nominis hujus summum magnum in Creatore defendo, sed ipsi substantiæ, cui nomen hoc contigit*: Innuens, non omnes esse natura Deos, qui nomine tales sunt. Maluerunt tamen ipsi etiam gentiles ab hoc titulo abstinere, ut Augustus Cæsar, renuens *Dominus* dici, ex modestia, an hypocrisi? prius putat Tert. c. 34. Apol. Nec minus absurdi fuerunt illi hæretici, qui exinde,

Pluralitas.

quod Deus ab Hebræis variis appellationibus Adonai, Elohim, Jehova &c. diceretur, conati sunt inferre pluritatem Deorum: *De scripturis desumpta nomina sunt ipsius unius Dei, id quod non intelligentes ex professo inimici* (hæretici & magi) *Deo, putaverunt alium esse Iao, alium Sabaoth, tertium ab hoc diversum Adonæum, quem scripturæ vocant Adonai, & alium Eloam, quem Prophetæ hebraicè vocant Eloai.* Ita Origenes lib. VI. contra Cels. p. m. 297. disputat, & docet, unius Dei esse varia apud Hebræos nomina. In his nominibus est *Jehovah*, quod tetragrammaton vocant, & Deo soli competit, tanquam proprium. Memorabilem Origenis locum ex homil. XIV. in Num. etiam à Basilio in Epistola ad Amphilochium usurpatum, expendit Dionys. Petav. tom. 1. dog. Theol. c. 9. §. 1. quem vide. Græcis dicitur θεὸς. Unde? *παρὰ τὴν θέσιν, ex positione, ordine, & administratione*, juxta Clem. Alex. lib. 1. strom. f. 357. quem suo sensu abundare permittimus: Sicut & alios Patrum, qui de nominibus Dei non semper congruè, & ex arte philosophantur, de quibus forsan infra in scandalis doctrinæ & nævis.

(II.) *Descriptiones.* An? & quæ?

§. 5. (II.) *Descriptiones.* An Deus definiri, vel describi possit? ex præmissis de nominatione Dei potest dijudicari. Extant nonnullæ antiquiorum Stoicorum & Pythagoræorum satis elegantes, poëtarum quoque aliquot apud Clementem Alex. προτρ. f. 47. Recenset idem lib. VI. strom. f. 635. quandam Petri ex traditione translatam: *Cognoscite*, inquit Petrus Apostolus, *unum esse Deum, qui fecit omnium principium, & finis habet potestatem, & qui non cadit sub aspectum, qui omnia videt: qui, cum capi non possit, omnia capit, nullius indigens, cujus indigent omnia, & per quem sunt omnia, qui comprehendi non potest, æternus, ab interitu alienus, non factus, qui omnia fecit verbo virtutis suæ*: Hæc Petri fertur descriptio Dei, quam Clemens suam quoque facit. Tertul. lib. 1. contr. Marc. c. 3. definit *Deum summum esse*

esse magnum, in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine: quæ tamen Patris potius, quam Dei descriptio est. Origenes apud Euseb. lib. VII. de præp. Euang. ait: θεὸν ἐκεῖνό φαμεν, ὅπερ τὴν ἁπάντων ἐξουσίαν ἔχει, *id Deum dicimus, quod omnium habet potestatem.* Arnobius lib. 1. adverſ. gent. Deum appellat *principem, rerum cunctarum, quæcunque sunt, Dominum, summitatem omnium summorum obtinentem.* Plures cumulare nolumus.

§. 6. (III.) *Existentia.* Religioni quidem sibi ducit Arnobius, demonstrare, *quod* Deus aliquis sit. *Quid enim res tantas argumentis nitemur, atque elaborabimus obtinere? Discedat hæc longè, atque à nobis procul, procul, inquam, ut dicitur, averruncetur amentia. Ita est enim periculosum argumentis aggredi, Deum principem comprobare, quam ratione hujusmodi, esse illum, velle cognoscere.* lib. 1. adverſ. gent. p. 18. *Nec quicquam refert* (ita idem pergit) *aut discrepat, utrumne neges illum, an asseras, atque existere fatearis: cum in eadem culpa sit, & assertio talis rei, & abnegatio refutatoris increduli.* Cæterum non simpliciter interdicit illam existentiæ divinæ demonstrationem, sed eam, quæ fit ex aliqua dubitatione, vel adversus petulantes hujus articuli illusores. Mox enim ipse probat ex naturæ lumine Deum existere. *Quisquam ne est hominum*, quærens, *qui non cum istius Principis notione diem primæ nativitatis intraverit? Cui non sit ingenitum, non affixum, imo ipsis pene in genitalibus matris non impressum, non insitum, esse Regem ac Dominum, cunctorum, quæcunque sunt, moderatorem? Ipsa denique hiscere si animantia muta potis essent, si in linguarum nostrarum facilitatem solvi: Imo si arbores, glebæ, saxa, sensu animata vitali vocis sonitum quirent & verborum articulos integrare, ita non duce natura, & magistra, non incorrupta simplicitatis fide, & intelligerent esse Deum, & cunctorum Dominum solum esse clamarent?* Hæc ille, ut *furiosæ* censeat *insaniæ, ambigere & dubitare, an sit iste Deus, an non sit?* Confirmatur ista Dei existentia ex intuitu creaturarum, à quibus fit discursus ad ipsum Creatorem: *Ne quis vestrum adoret solem, sed solis Effectorem desideret; neque mundum Deum faciat, & ut Deum colat, sed mundi quærat opificem.* Monet Clem. Alex. in προτρ. f. 42. De *Scriptura*, quin Deus demonstrari inde possit, dubium nullum est. Legat lector quæ §. præced. præmisimus. Patet inde, ex quo homines fuerunt, Deum fuisse notum: *Nunquam Deus latebit, nunquam Deus deerit, semper intelligetur, semper audietur, etiam videbitur,*

III. *Existentia* an probanda?

& unde? ex lumine naturæ.

& scripturæ.

Est perpetuo cognita.

tur, quomodo volet: asserente Tertul.lib.1. contra Marc.c.10. Adeoque nec ante Mosis Pentateuchum scriptum latuit, traditione saltem scripturam supplente: *Nec* enim, *si aliquanto posterior Moyses, primus videtur in templo literarum suarum Deum mundi dedicasse, idcirco à Pentateucho natales agnitionis supputabuntur, cum totus Moysi stilus notitiam creatoris non instituat, sed à primordio enarret, à paradiso & Adam, non ab Ægypto & Moyse recensendam*, graviter l.c. Afer eruditissimus differit adversus Marcionem: Confer lib.11. c.1. Ejusdem delirium, quod alius fuerit V.T. alius N.T. revelatus Deus, lib.5.c.2. confutat, & ostendit, quod *eadem divinitas prædicata sit in Euangelio, quæ semper nota fuerat in lege*: Quæ demonstratio ad ipsam quoque Dei quidditatem referenda est, de qua mox.

IV.
Essentia.
vox æquivoca.

§. 7. Sit igitur (IV.) *Essentia* divina, eaque *unica*. Dicitur & *substantia* à Tertul. advers. Prax. c.2. Sciendum autem, quod voces οὐσία & ὑπόστασις à Patribus hujus seculi non semper ita accuratè fuerint distinctæ, sicut orto Ario, aliisque hæreticis usurpatæ sunt. Gregorius Thaumaturgus in disputatione adversus Ælianum, referente Basil. epist.62. scripsit: Patrem, & Filium cogitatione quidem esse duo, *hypostasi vero unum*: ὑποστάσει ἓν, per ὑπόστασιν intelligens ipsam Dei essentiam. Aliud exemplum recitat Photius Myriobl. cod.119. de Pierio Presbytero, & martyre Alex. cætera orthodoxo & erudito: *De Patre*, inquiens, *& Filio pie credidit, nisi quod substantias duas, totidemque naturas esse dicit, substantiæ & naturæ nomine (quantum ex iis, quæ hunc locum antecedunt, & consequuntur, colligitur) pro hypostasi usus, non ita vero, ut qui Arrio adhærent*.

An sit?

Origenes, accuratus licet, & exercitatus Philosophus & Theologus, difficultatem tamen etiam in eo: an Deo omnino essentia esset tribuenda? agnovit, & fassus est, cum lib.VI. contra Cels. p.m.320. differit, *de essentia divina difficilem ac longam esse quæstionem, præsertim de propria, firma, ac incorporea, ut inveniatur, utrum Deus omni essentia sit superior?* Nescio, an respiciat ad illud Clementis Alex. lib.5. strom.f.329. qui docet, Essentiam divinam à nostra prorsus differre. In eandem ferè sententiam differit Novat. de Trinit.c.2. *Uno enim modo*, ait, *& hoc ipsum, quomodo possumus, quomodò capimus, quomodo intelligere licet, quod sit Deus? mente capiemus, si cogitaverimus, id illum esse, quod quale, & quantum sit, non possit intelligi. Ne in ipsam quidem*

cogi-

cogitationem possit venire. Cæterum hoc ipsi quidē disputant pro eminentia divinæ essentiæ, quod à nostra mente exhauriri non possit, ipsam tamē propterea Dei essentiam non negat, Clem. Alex. lib. 1. pædagog. c. 8. idcirco nomen Dei: ὁ ὢν, omnium putat convenientissimum, *quoniam illum exprimit, qui revera solus est; qui erat, & est, & erit, quibus significandis temporibus unum nomen impositum est: Qui est.* Habet igitur Deus essentiam, etsi omni creata sublimiorem. R. dist.

Atque eam *Unicam*, quia unus est Deus. Frequentes sunt in hac probatione Patres, ii cumprimis, qui adversus Marcionis *δυόθητα* disputarunt, qualis est Tertullianus. Nam unitatem essentiæ divinæ & asserit, & argumentis in medium allatis defendit, sive probat. Proponit controversiæ statum lib. 1. contra Marc. c. 2. & 3. *Principalis hinc, & exinde tota congressio de numero: an duos Deos liceat induci?* Respondet ille: *Deus, si non unus est, non est.* Ratio, qua *dignius credimus non esse, quodcunq; non ita fuerit, ut esse debebat.* Nempe, quia omne ens est unum & verum. Alias alibi rationes addit, ut, quod Deus sit ens summum, *nempe, ut nihil ei adæquetur i. e. ut nihil aliud sit summum magnum, quia, si fuerit, adæquabitur, & si adæquabitur, jam non erit summum magnum.* c. 4. Eandem rationem urget Cypr. de idol: vanit. §. 5. *Unus omnium Dominus est Deus. Neq; enim ulla sublimitas potest habere consortem, cum sola omnem teneat potestatem*: sic probat, quod deinde confessus est: *Nullos alios Deos novi, nisi unum & verum Deum, qui fecit cœlum & terram, mare, & quæ in eis sunt omnia.* Eodem fundamento nititur & Novatianus de Trinit. c. 4. Accedit communis gentium consensus, urgente eodem Tertul. c. 2. de test. anim. Ipsos enim gentiles communi proverbio dicere: *Quod Deus dederit! Si Deus voluerit! Ea voce & aliquem esse significas, & omnem illi confiteris potestatem, ad cujus spectas voluntatem, simul & cæteris negas Deos esse.* Subscripserunt martyres. Dionysii Episc. Alex. coram Æmiliano præfecto hæc fuit confessio: *Nos unum Deum, omnium rerum fabricatorem, qui Valeriano & Gallieno Cæsaribus Augustis, viris sanctissimis, imperium largitus est, & colimus & veneramur*: Hæc ille, apud Euseb. lib. VII. hist. Eccles. c. 10. Et iterum: *Nos nullum, præter unum Deum, honore & observantia prosequimur.* Eulalius confessor, jussus idola colere, respondit: *Non faciam, quia colo unum Deum, qui fecit cœlum & terram*: ut ex actis Proconsulari- Est *Unica.*

 bus.

bus narrat Baron. an. 285. §. 6. Confer Dionysii Romanorum Episcopi egregium contra Sabellianos locum, referente Athanas. de decret. Synod. Nicæn. f. m. 152. Minucius Felix. in dial. p. m. 10. & 19. distinguit inter unitatem essentiæ, & nominum pluralitatem: Origenes libro VIII. cont. Cels. p. 385. inter unitatem essentiæ & personarum. Effugia, Exceptiones, & Objectiones Marcionitarum diluit Tert. lib. 1. contr. Marc. c. 4. & seqq. Excipiebant: Plures summos reges simul esse posse: & objiciebant: Deum tamen dici Deorum, item Psal. 81. dici: Vos Dii estis. R. Tert. ad (1.) Reges esse Dei, non Deum. Ad (2.) Deos alios esse nomine, alios re: unum re esse Deum, nomine plures. Colophonis loco notandum, quod hæc unitas sit omnium, quæ Deo, ut tali, competunt, ut potestatis, voluntatis, &c. Sunt enim personæ *unius substantiæ, & unius status, & unius potestatis.* Tert. advers. Prax. cap. 2.

V. *Personarum* pluralitas & Trinitas. notentur (1.) Termini.

§, 8. (V.) *Personarum pluralitas & Trinitas*: Alia enim est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. Notentur (1.) *termini*, Persona, Trinitas, unus, unum, &c. quos dilucide explicat Tertul. *Ecce enim*, inquiens, *dico alium esse Patrem, & alium Filium, & alium Spiritum*, advers. Prax. c. 9. Quæ verba clarius exponit c. 12. *alium quomodo accipere debeas jam professus sum, personæ, non substantiæ nomine, ad distinctionem, non ad divisionem.* & c. 2. *Tres sunt non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma, nec potestate, sed specie, unius autem substantiæ, & unius status, & unius potestatis.* Diversi igitur *locis numeris* vel *gradibus:* Et c. 21. alium dicimus *non separatum, dispositione alium, non divisione alium.* Quæ & similia vocabula iniquis interpretationibus vexanda non sunt, sed usurpanda in eo sensu, qui in hoc seculo obtinuit. Vid. B. Rhenan. in admonitione ad Lectorem de quibusdam dogmatibus vel phrasibus Tertulliani. *Trinitas perfecta* laudatur à Gregorio Thaumaturgo in Symbolo: hinc nascitur quæstio: An in una indivisa essentia divina sint tres realiter distinctæ personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus? (2.) *Sententia* unanimis Ecclesiæ hujus seculi fuit affirmativa. Aliquot testimonia adducemus: Clem. Alex. lib. 3. pæd. *Laudemus*, ait, *unum Patrem, & Filium, una cum Spiritu sancto.* Et lib. 1. pædagog. *Unus est universorum Pater, unum est etiam verbum universorum, & Spiritus sanctus unus, &*

(2.) Sententia veterum.

ipse

ipse est ubiq;. Tert. adverſ. prax. c. 2. *οἰκονομίας Sacramentum unitatem in Trinitatem diſponit, tres dirigens, Patrem, & Filium, & Spiritum.* & c. 12. *ubiq; teneo unam ſubſtantiam in tribus cohærentibus.* Quibus & ſimilibus dictis totus liber impletus eſt, utpote ſcriptus in Praxeam; qui tres perſonas in unam conflabat. Unde & Sociniani Tertullianum nobis ultro largiuntur. Orig. hom. VI. in Exod. *Nullus ergo*, ait, *in Diis ſimilis Domino: nullus enim inviſibilis, nullus incorporeus, nullus immutabilis, nullus ſine initio, & ſine fine, nullus creator omnium, niſi Deus, cum Filio & Spiritu ſancto.* Lib. VIII. contra Celſ. p. m. 386. invehitur in ἀναιροῦντας δύο εἶναι ὑποστάσεις πατέρα καὶ υἱὸν, *eos, qui tollunt duas eſſe perſonas, Patrem, & Filium.* Et paulo poſt: *religioſe colimus Patrem veritatis, & veritatem Filium,* δύο τῇ ὑποστάσει *duos ſubſiſtentia.* Cætera non ſemper adeo de Trinitatis myſterio orthodoxè ſaltem locutus eſt & ſcripſit, quod infra patebit. Gregorii Thaumaturgi Symbolum confitetur *Trinitatem perfectā, quæ gloria, atq; æternitate, & regno non dividitur, neq; abalienatur.* Dionyſius Alexandrinus in literis de ſanguine Chriſti incorruptibili, explicans dictum Chriſti: Ego ſum lux mundi, *Dominus mundi*, inquit, *habens in ſeipſo Patrem, & vivificum, & Dominum Spiritum ſanctum.* Idem lib. 2. Apol. ita ſeſe contra ſuſpiciones quorundam, tanquam hæreſi faveret, purgat: *Hoc pacto unitatem, quæ indiviſibilis eſt, in Trinitatem dilatamus, & Trinitatem, quæ diminui non poteſt, in unitatem contrahimus.* Allegante Athanaſ. de ſent. Dionyſ. fol. 142. opp. Idem in iteratis ad Xyſtum P. R. literis invehitur in hæreſin Sabellianam, quod Trinitatem deſtrueret: ſeu, ut ipſius utar verbis, *quod deteſtabilem de Deo omnipotente, Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti, blaſphemiam continet: quod multum falſæ doctrinæ de unigenito Filio ejus, primogenito omnis creaturæ, verbo incarnato complectitur; quod cæcam de Spiritu ſancto ignorationem comprehendit, ex utriſq; partibus,* &c. Referente ipſius verba Euſeb. lib. VII. hiſt c. 5. (6.) Calliſtus Romanorum Epiſcopus ita fertur oraſſe: *Auge* (Deus Pater) *fidem & fiduciam ſervis tuis per Chriſtum Dominum noſtrum, qui vivit cum Te, Deo Patre omnipotente, & Spiritu ſancto, in ſecula ſeculorum:* quod ex actis recenſuit Baron. an. 270. §. 5. Cyprianus de unit. Eccleſ. §. 5. explicans dictum Joh. X. 30. ait: Dicit Dominus: *Ego & Pater unum ſumus.* Et iterum, de Patre & Filio & Spiritu ſancto ſcriptum eſt: *Et hi tres unum ſunt,* 1. Joh. v. 7.

qui-

Quibus congruunt, quæ habet de *unitate Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Encomiasten nactus est Gregorium Naz. qui in panegyrico defuncti f.m.111. Cyprianum laudat, quod asseruerit & vindicaverit, τῆς ἀρχικῆς καὶ βασιλικῆς τριάδος τὴν θεότητα τεμνομένην, ἔστι δ' ὑφ' ὧν καὶ συναλειφομένην εἰς τὸ ἀρχαῖον ἐπανήγαγεν, ἐν ὅροις μείνας εὐσεβοῦς ἑνώσεως τε καὶ συναριθμήσεως *principalis ac Regiæ Trinitatis Deitatem detruncatam, à quibusdam vero coarctatam, in pristinam dignitatem reduxerit, in pietatis terminis, unitatis, & connumerationis permanens.* Novatianus integrum de Trinitate librum scripsit, subnexum operibus Tertulliani. Christiani milites in castris jurabant *per Deum, Christum, & Spiritum sanctum*: referente Vegetio. Supersedeo pluribus adducendis, cum in confesso sit, Ecclesiam hoc seculo contra Praxeam, Sabellium, Paulum Samosatenum & asseclas acriter pro hoc articulo dimicasse. (3.) *Argumenta* pro mysterio varia & multa produxerunt, partim ex S. literis & consequentiis inde deductis, partim ex suffragio antiquitatis, partim ex absurdis petita. Ex *S. literis*, sic enim Tert. c. 11. à Praxeanis petit: *probare tam apertè debetis ex scripturis, quam nos probamus.* Alia autem scripturæ loca probant personarum pluralitatem, alia Trinitatem; pluralitatem ea loca, ubi personæ divinæ in plurali numero de se invicem, vel ad semetipsæ loquuntur. e.g. Gen. I. 26. faciamus hominem: Non enim dicit: *faciam hominem ad imaginem & similitudinem meam*, quod dicere debuisset, si foret *unicus & singularis* persona, uti rectè infert Tert, advers. Prax. c. 12. Item cum Gen. III. 22. Deus dicit: Ecce, Adam factus est, sicut unus ex nobis. *Fallit*, ait Tert. *aut ludit, ut cum unus, & solus, & singularis esset, numerosè loqueretur.* Quis igitur loquitur? *Quia ipse erat Pater, Filius, Spiritus, ideo pluralem se præstans, pluraliter sibi loquebatur.* Ita cum Gen. XIX. 24. Dominus dicitur pluisse de Domino, duæ saltem personæ indigitantur, c. 13. nempe Pater & Filius, qui de Patre pluit judex severissimus. Psal. II. 7. Pater Filio dicit: Ego hodie genui Te. *Ecce, ego*, ait Tert. c. 11. *propono Patrem Filio dixisse.* confer Origen. tract. in Joh. præfat. Psal. CX. 1. dixit Dominus Domino meo, ubi *Spiritus loquitur ex tertia persona de Patre & Filio.* Ipse Filius de semet loquitur Prov. VIII. 22. quod Deus Pater ipsum creaverit, vel, ut rectius vertunt, possederit ab initio viarum suarum, explicante Tertul. c. 6.

(3.) Argumenta ex S. literis.

Præter

Præter hæc alia quoque dicta urget, quibus ipsa probatur Trinitas. Joh. XIV. 15. Filius promittit sese rogaturum Patrem, ut alium mittat Paracletum: *Sic alium à se Paracletum, quomodo & nos à Patre alium Filium, ut tertium gradum ostenderet in Paracleto, sicut nos secundum in Filio, propter οἰκονομίας observationem*, inferente Tertul. c. 9. adverſ. Prax. Lubens prætereo alia plura argumenta, ut, quod omnis generans realiter differat à generante; Pater igitur à Filio, utpote quem genuit: Item, quod Pater ſit inviſibilis, vel inſenſibilis, Filius autem cum in V. T. tum in N. T. & viſus, & auditus fuerit ab hominibus, quibuscum egit: Pater mittat, Filius mittatur. c. 9.

Acceſſit ſuffragium & auctoritas Eccleſiæ antiquioris. Teſtatur enim Tertullianus cap. 2. adverſus Prax. *banc regulam ab initio Euangelij decucurriſſe, etiam ante priores quosq; hæreticos, nedum ante Praxeam heſternum, probabit tum ipſa poſteritas omnium hæreticorum, quam ipſa novellitas Praxeæ heſterni.* Patres Antiocheni ad Paulum Samoſatenum perſcribunt, ſe hanc doctrinam à principio *accepiſſe, & habere traditam & ſervatam in Catholica & ſancta Eccleſia usq; in hodiernum diem, à beatis Apoſtolis, qui viderunt ipſi, & miniſtri fuerunt verbi, prædicati ex lege, & Prophetis, ac novo Teſtamento.* Archelaus Caſcharorum Epiſcopus, cum Manete diſputans, aſſerit: *Hæc myſteria, quæ nunc Eccleſia enarrat tibi Catechumeno, non eſt mos Ethnicis enarrare: Nec enim Ethnico myſteria de Patre, Filio & Spiritu ſancto declaramus; Quin & Catechumenis non adeo aperte, dicimus myſteria, ſed ſæpe obſcurius, ut ſcientes fideles intelligant, &, qui neſciunt, non corrumpant.* Etſi igitur unus vel alter neſciverit hoc myſterium, non tamen Eccleſiæ revelatum non fuit. Idem fuit Judaicæ, qui Chriſtianæ, Deus revelatus: Paulus enim, 2. Tim. I. 3. perhibet, ſe Dei (veri utique, & Trinunius) cultorem extitiſſe jam inde à progenitoribus in conſcientia pura. Vide Orig. V. contra Celſ. p. m. 271. Etſi non negemus, clarius revelatum eſſe in N. T. myſterium, Tert. c. 15. adverſ. Prax. *Si hunc articulum ait, quæſtionibus ſcripturæ veteris non expediam, de novo Teſtamento ſumam confirmationem noſtræ interpretationis, ne, quodcunq; in Filium reputo, in Patrem proinde defendas.* Unde patet, quid ad illud Cypr. in explic. Orat. Dom. §. 25. reſpon-

Ex antiquitate.

Nnnn den-

dendum sit, cum commentatur: *Sacramentum Trinitatis in novissimis temporibus manifestandum fuisse*, nempe clarius, uti sequentia ostendunt.

ab Absurdo. Denique ad absurdum deducit negantes Tertul. cap. 31. contra Prax. *Judaicæ fidei ista res*, ait, *sic unum Deum credere, ut Filium adnumerare ei nolis, &, post Filium, Spiritum. Quid enim erit inter nos & illos, nisi differentia illa?* Quod puto ipsum intelligere, de Judæis sui temporis: concludit enim, & Patrem negare, quisquis negaverit Filium, quod de veteri Judæorum orthodoxa Ecclesia nefas esto ut putemus.

(4.) Objectiones (4.) *Objectiones* suas easque nonnullas speciosas habebant Hæretici, c. 19. *Deus est unus*, ℞. Tert. c. 2. unus est *substantia*, non personis. It. *Deus est solus*, quem præter nullus alius. ℞. Solus, excludendo creaturas, non reliquas Deitatis personas, ut est Filius, qui apud Patrem fuit, cum mundum crearet creator, c. 19. *Deus est monarcha.* ℞. N. c. *Filium non habere, aut ipsum se sibi Filium fecisse, aut monarchiam suam non per quos velit administrare* c. 2. instabant: *Ego Deus, & alius præter me non est.* ℞. c. 20. scilicet nullus alius Deus. Filius autem & Pater unum sunt, ut, qui viderit Filium, viderit & Patrem: unum non persona, sed substantia. Conf. & Novat: de Trinit. c. 22. & 28. Etiam hoc urgebant, Deus potest omnia, ergo & se facere simul Patrem & Filium. ℞. c. 10. *Si tam abruptè in præsumptionibus nostris hac sententia utamur, quidvis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit, quia facere potuerit. Sed an fecerit? requirendum.* Sed de similibus & pluribus objectionibus dabitur forsan occasio pluribus infra loquendi. Nec tamen diffitemur, ipsos etiam Patres Ecclesiasticos de sublimi hoc mysterio satis periculose interdum vel statuisse, vel locutos fuisse, Platone ipsos decipiente, ut non mirandum sit, Arianos & reliquos Antitrinitarios ansam inde & materiam errandi accepisse; sed nec argumenta pari, vel eo semper robore attulisse, quo, qui sequuntur, in seculo quarto & quinto Homousiani. Quibus de nævis & erroribus speculiari capite infra dicemus.

Characteres personales. §. 9. *Characteres personales* vocabantur hoc seculo vocabulis hodie non amplius apud orthodoxos adeo usitatis, nempe *moduli, gradus, formæ, species, proprietates, rationes*, à Tert. c. 21. Apol. adversus Prax. c. 2. seqq. Novat. de Trinit. c. 22. sensu tamen ortho-

thodoxo acceptæ, faciebant *distinctionem*, ut Tertull. c.15. adverſ. Prax. appellat, *perſonalem*, vel, uti Novat. vocat c. 22. de Trinitat. perſonarum.

§. 10. *Pater* eſt prima perſona & fons Trinitatis. Nam Clem. Alex. lib. VII. ſtrom. ipſum vocat *πρῶτον αἴτιον primum principium*: Diſtinctus à Filio & Spiritu ſancto; *Alius eſt* enim *qui generat, alius qui generatur, alius qui mittit, alius qui mittitur, alius qui facit, alius per quem fit*: ait Tertull. c.9. adverſus Ptax. innuens, qui ſit character, quo Pater differt à Filio, nempe generatio activa, & quo à Spiritu quoque ſancto, nempe miſſio activa. *Vnus eſt Deus Pater verbi viventis, ſapientiæ ſubſiſtentis, & potentiæ & figuræ æternæ, perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti*, confeſſio eſt Symboli Gregoriani: cui Patres Antiocheni ſubſcribunt ad Paulum Samoſatenum datis literis: *Generavit Filium Pater, tanquam actum viventem, & per ſe exiſtentem, omnia in omnibus operantem.* Multus in hoc myſterio eſt præſertim Tertullianus, utpote cui res erat adverſ. Praxeam, & Patripaſſianos, qui *ipſum Patrem deſcendiſſe in virginem, ipſum ex ea natum, ipſum paſſum, deniq; ipſum eſſe Jeſum Chriſtum* contendebant, uti c.1. adverſus Praxeam refert Tertullianus, ipſe vero merito credidit, hoc ipſo incarnationis opere Filium à Patre & Spiritu ſancto differre. Eſt autem *æternus* Pater, eo quod ab æterno genuerit Filium: Egregie hoc explicuit Dionyſius Alex. referente Athanaſio in Comment. de ſent. Dionyſ. Sic enim ille: *Sunt autem ea, quæ in primo volumine elenchi & apologiæ poſt cætera ſcripta reperias*: Nunquam fuit, quando Deus non erat Pater. *Et in ſequentibus agnoſcit ſæpe*, Chriſtum verbum, & ſapientiam, & virtutem fuiſſe: Nihil enim horum, cum Deus exiſteret, factum eſſe. Neque poſterius Filium genuiſſe, Filiumque non ex ſe, ſed ex Patre eſſentiam nactum eſſe. *Et paulo poſt ita de eodem dicit*: Jam, quia ſplendor eſt æternæ lucis, omnibus modis ipſe quoque æternus eſt. Luce enim ſemper exiſtente, certum eſt, & ſplendorem ſemper exiſtere. Id enim lucem eſſe quod ſplendeat intelligitur, non enim fieri poteſt, ut lux non luceat. Sic Athanaſius Dionyſii ſententiam refert, & quæ fuerit, nempe Patrem ab æterno Filium genuiſſe, & quam rationem allegarit, nempe, quia Pater æterna lux eſt, oportere & Filium eſſe æternum, qui eſt lucis

Nnnn 2 iſtius

istius splendor, quo de in χρισολογίᾳ pluribus. *Descriptio* Patris apud Novat. de Trinit. c. 31. hæc est: *Est ergo Deus Pater omnium institutor, & creator, solus originem nesciens, invisibilis, immensus, immortalis, æternus, unus Deus, cujus neq; magnitudini, neq; Majestati, neq; virtuti quicquam dixerim præferri, sed nec comparari potest, ex quo, quando ipse voluit, sermo Filius natus est, qui non in sono percussi aeris, aut tono coacto de visceribus vocis accipitur, sed in substantia prolatæ à Deo virtutis agnoscitur.* His verbis explicuit Novatianus characterem Patris internum, generationem activam Filii ex sua substantia, & externum, quod in opere creationis sese potissimum manifestarit, nec visus sit in assumpta specie, sicut Filius in V. T. & in carne, sicut in N. T. nec mortuus sit, ut Filius incarnatus;

Filius. §. 11. *Filius* est secunda Trinitatis persona, Δεύτερον αἴτιον uti appellat Clemens Alex. l. 7. strom. Id quod ipsa vox innuit, Filius, *dum Filium agnosco, secundum à Patre defendo*, ait Tert. c. 7. & 10. contra Prax. *Quis enim non secundum Filii post Patrem agnoscat personam?* quærit Novatianus, & probat ex Scripturis c. 21. de Trinit. Et secunda quidem est *persona*: Sic enim iterum adversus Praxeam Tertullianus: *Quæcunq; substantia sermonis fuit, illam dico personam, & illi nomen Filii vendico, & eum Filium agnosco, & secundum à Patre prædico.* A Patre producta; Est enim πατρικὴ ἐνέργεια, ut Græci Theologi vocabant. Item προβολὴ, quam vocem à calumniis adversariorum vindicat Tertullianus adversus Prax. c. 8. Character ipsius hypostaticus est generatio passiva, facta ex substantia Patris: *Filium non aliunde deduco, sed de substantia Patris*, ait Tertullianus c. 4. advers. Prax. cum qua simul omnia axiomata divina Filio communicata sunt: *Juxta nostram doctrinam non solus universorum Deus & Pater magnus est, communicavit enim suam magnitudinem cum unigenito & primogenito creaturæ totius, ut cum invisibilis sit Dei imago, magnitudine quoq; imaginem Patris referat*, Confessio est Origenis l. 5. advers. Cels. p. m. 323. Magnitudo Dei est infinita, & complectitur in sese, quidquid eximium in Deo est, hanc ait Origenes communicatam esse Filio, quatenus est unigenitus & primogenitus; Nam qua imagini Patris substantiali communicata est; Est autem ipse imago quoad generationem. Gregorio Thaumaturgo Jesus Christus est *unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo, figura & ima-*

& imago Deitatis, verbum efficax, sapientia constitutionis, rerum universarum comprehensiva, & potentia totius creaturæ effectrix: Filius verus veri Patris: Visum effugiens visum effugientis, & corruptione non obnoxius non obnoxii corruptioni, & morti non obnoxius non obnoxii morti, & æternus æterni. Filio igitur, ex essentia Patris Dei Deo nato, communicata sunt à Patre attributa cum ἐνεργητικὰ, ut sunt potentia, sapientia, &c. tum ἀνέργητα, ut sunt spiritualitas, incorruptibilitas, immortalitas, æternitas. Pridem ita docuerat Clemens etiam Alex. lib. VII. strom. scribens: *Nunquam à sua specula excedit Filius Dei, ut qui non dividatur, non dissecetur, non transeat à loco in locum, sit autem semper ubique, & nequaquam contineatur, tota mens, tota lux paterna.* Quibus verbis innuit Filii Dei omnipræsentiam, eamq; acceptam à Patre, non autem per divisionem, aut dissectionem, sed eminentissimam communionem. Sic igitur Filius originem quidem habet à Patre, ut tamen nihil decedat ipsius æternitati, quia & æternitatem à Patre accepit: *Hic ergo, cum, sit genitus à Patre, semper est in Patre. Semper autem sic dico, ut non innatum, sed natum probem. Sed qui ante omne tempus est, semper in Patre fuisse dicendus est. Nec enim tempus illi adsignari potest, qui ante tempus est. Semper enim in Patre, ne Pater non semper sit Pater, quia & Pater illum etiam quadam ratione præcedit, quod necesse est quodammodo prior sit, qua Pater sit. Quoniam aliquo pacto antecedat necesse est eum, qui habet originem, ille, qui originem nescit, simul ut hic minor sit, dum in illo esse se scit, habens originem, quia nascitur, & per Patrem quodammodo, quamvis originem habet, qua nascitur, vicinus in nativitate, dum ex eo Patre, qui originem solus non habet, nascitur.* Integrum locum adscribere volui, ut de Novatiani sententia plenè constaret. Filium Patris æternum asserit; Et Pater igitur æternus est, & Filius: ne verò nativitatem ex Patre Filii destruere videretur, clare addit, natum tamen esse, & originem habere Filium ex Patre, ut Pater *quodammodo* prior sit, & major Filio ex sese genito. Probè notanda vox *quodammodo*, sic enim removere voluit omnes imperfectiones, quæ perfectioni divinæ derogassent, dum Pater prior Filio, & major asseritur. Id quod etiam in aliis hujus seculi Patrum dictis observandum. Vehementer agitata est hæc controversia inter Sabellianos, & horum adversarios, cumprimis Dionysium Alexandrinorum Episcopum. Cum enim Sabellius

bellius & alii Pentapolitanæ Libyæ Episcopi contenderent, unam tantum esse Deum personam, quæ modo Pater, modo Filius, modo Spiritus sanctus diceretur, acriter contra disputavit Dionysius, asserens (1.) Filium esse hominem factum, Patrem minimè (2.) gignentem differre à genito, parentem à Filio, fontem à flumine, lumen à lumine, quibus similibus suam sententiam declarabat, *fontem instar Patris esse, fluviumq; quasi Filium esse, qui ex fonte gignatur:* ut verba ipsius habent, referente Athanasio in Comm. de Syn. f. 207. sed inventi sunt, qui saltem putarent, vel traderent, Dionysium πολυθεότητα introducere, vel certè statuere, Filium à Patre essentialiter differre; Sic Ariani speciosè mentiebantur: Quibus tamen mascule restitit Athanasius Dionysii hyperaspistes: *Sane quidem Dionysium ipsum usum esse voce consubstantialis, tum etiam legitur in ejus Epistola contra errores Pauli Samosateni, idq; ex majorum traditione, cum ait: Desertum dicis eum, qui erat natura Dominus, & verbum Patris, per quem omnia Pater fecit, & quem sancti Patres ὁμοούσιον Patri vocaverunt.* Sic igitur Dionys. narrante Athanasio, filium statuit Patri ὁμοούσιον, qui igitur merum hominē statuere potuerit? Communis hæc erat Patrum etiam Antiochenorum confessio, quam, de Synodis disserens, Athanasius hanc refert: Confitemur (Filium) *totum Deo* ὁμοούσιον (*consubstantialem*) *etiam cum corpore, sed non secundum corpus consubstantialem, quemadmodum neq; secundum divinitatem quoq; hominibus coessentialis est. Est autem nobis secundum carnem consubstantialis, etiam in divinitate existens*; Vide Theodor. Peltan. hist. conc. Ephesini. tom. VI. c. 1. Confirmabant sententiam ex Rom. IX. 5. ubi Christus dicatur *Deus super omnia* benedictus: conferebant, quod Esai. XLV. 5. Deus dicit: *Ego sum Deus, & præter me non est alius,* & inferebant, nullam creaturam posse Deum super omnia dici: *In quibus,* ajentes, *illud: qui est super omnia, & illud: præter me: in omnibus creaturis intelligendum est*: Cum igitur Filius sit Deus super omnia, oportet ipsum esse Patri ὁμοούσιον. Vid. Euseb. l. VI. hist. c. 26. (33.) Hujus ipsius sententiæ fuit & quidam Theognostus, vir disertissimus, judice Athanasio: Nam lib. 2. hypotyp. ita disseruit: *Non forinsecus, aut ex rebus extraneis Filii substantia constat: Neq; ex non entibus producitur, sed ex Patris substantia ita progenitus est, ut à luce jubar, ut ex aqua vapor: Neq; enim vapor id ipsum est, quod a-*

qua

qua, neq; jubar idipsum, quod sol, sed non alienum tamen, verum, ut profluentem eum dicas Patris substantiæ, idq; ita, ut interim substantia illa Patris divisionem non patiatur. Quemadmodum enim sol non diminuitur suis ex se profluentibus radiis: ita nec substantia Patris diminutionem sustinet, imaginem sui Filium progignens. Duo extrema sibi cavenda sumit Theognostus, hinc Sabellianismum, ne personas confunderet, igitur distinguit Filium à Patre, ut solem à radiis, fontem à fluvio, aquam à vapore: inde Samosatenianismum, per quem alia tradebatur essentia Patris & Filii, huic igitur opponit simile de fonte & flumine, quorum sit eadem substantiâ aqua. Hinc colligitur doctrinam & vocem ὁμοούσιον, i.e. consubstantialitatem Patris & Filii non esse novum dogma, in seculo demum quarto natum, ut Ariani, & horum hodie sequaces mentiebantur, sed jam in seculo quoque tertio publicè receptum ab Ecclesia. Id quod Athanasius ex Dionysio Romanorum Episcopo deducit: Sic enim scribit: *Porro ex Dionysii Romani Episcopi voluminibus contra eos, qui Filium Dei opus, aut creaturam asseverant, scriptis, clarè ostenditur, hæresin Christo-rebellium Arianorum non tunc jam primum, sed olim ab omnibus, damnatam fuisse:* Patres Antiocheni perinde dicunt: *Cum cognoverimus* (Deitatem Filii) *in V. & N. confitemur & prædicamus.* Subjiciunt exempla aliquot apparitionis ejus in V.T. *Hunc dicit scriptura descendisse, & apparuisse Abrahæ ad quercum Mambre, unum ex tribus: cum quo Patriarcha, tanquam cum Domino ac judice, colloquebatur, ut qui omne judicium à Patre accepisset: De quo scriptum est: Dominus pluit super Sodoma & Gomorrha, ignem & sulphur à Domino de cœlo. Qui implens voluntatem Patriarchis apparet, & cum eis loquitur in eisdem clausulis, & eisdem capitibus, aliquando quidem tanquam Angelus, quandoq; vero tanquam Dominus, quandoq; autem Deus affirmatur.* Hæc illi. Jam igitur in V.T. Filius Dei fuit, & apparuit. Mentitus igitur est Paulus ex Samosata, cum hodiernis Socinianis, eum non extitisse in rerum natura, priusquam ex Maria nasceretur. Sed & illi errant, qui putant, creatum fuisse Angelum eum, qui in V.T. Patriarchis apparuit. Reliqua, quæ de Filio dicenda, inferius in χριστολογίᾳ adducemus.

§. 12. *Spiritus sanctus* est (1.) tertia Trinitatis persona. *Tertius* enim *est Spiritus à Patre & Filio*, ait Tertul. contra Prax. c. 8. Id quod c. 9. probat ex Joh. XIV. 16. *Rogabo enim*, ait Christus ad discipulos, Spiritus sanctus.

scipulos, *Patrem. & alium advocatum mittet vobis, Spiritum veritatis: Sic alium* (vocat) *à se Paracletum, quomodo & nos à Patre alium Filium, ut tertium gradum ostenderet in Paracleto, sicut nos secundum in Filio, propter οἰκονομίας observationem. Ipsum quod Pater & Filius dicuntur, nonne aliud ab alio est? Vtiq; enim omnia, quod vocantur, hoc erunt, & quod erunt, hoc vocabuntur; & permiscere se diversitas vocabulorum non potest omnino, quia nec rerum, quarum erunt vocabula.* Duo urget vocabula, *alius*, & Spiritus; ut obtineat, Paracletum esse aliam personam, à Patre & Filio distinctam. (2.) *Deus* est. Id quod præter ea, quæ pridem §.8. præced. diximus, probatur, cum ex *operibus* divinis, qualia sunt illuminatio & informatio Prophetarum & Apostolorum, de qua vide Novat. de Trinit. c.29. tum ex *cultu* divino, sic enim Julius Africanus in quinta temporis epitome, citante Basilio de Spiritu sancto, & ex hoc Baronio an.222. §.2 *At nec Africanum historicum talis glorificandi forma præteriit. Siquidem palam est in quinta de temporibus epitoma, & ipsum in hunc loqui modum: Nos vero, qui & illorum verborum mensuram dicimus, non ignoramus fidei gratiam; gratias agimus ei, qui præbet nostris Patribus omnium Salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum, cui est gloria & majestas cum sancto Spiritu in secula.* Dionysius Alexandrinus, etsi pridem derogasse videretur Deitatati Spiritus sancti, vid. Basil. ep.41. ad Max. in posterioribus tamen suis scriptis ita sese explicuit, ut ipso Basilio teste ad Amphilochium c.29. idoneam ediderit confessionem: *His congruenter & nos etiam formâ regulâq; à senioribus, qui ante nos vixerunt, accepta, concordibus vocibus cum illis gratias agere, ac nunc etiam vobis scribere desinemus. Deo autem Patri, & Filio Domino nostro Jesu Christo, cum Spiritu sancto, gloria, & imperium in secula seculorum Amen.* Hæc doxologia, à Dionysio prolata, argumentum Basilio præbuit Deitatis Spir. S. asserendæ Huc referri debet confessio Novatiani, Symbolum explicantis, quo creditur etiam in Spiritum sanctum: *Fidei autem auctoritas, digestis vocibus, & literis Domini, admonet nos post hæc credere etiam in Spiritum sanctum*, c.29. de Trinit. Confirmabit præmissa (3.) *Character hypostaticus*, quo Spiritus sanctus differt à Patre & Filio personaliter. Hodie recepta voce dicitur processio, non eo sensu, quo & Filius à Patre dicitur procedere per æternam generationem apud Tert. c.2. advers. Prax. & Novat. de Trinit. c.22. & 31. sed

(2.) Deitas.

(3.) Character.

per

per æternam emanationem, ut differat ab utroque. Tertullianus eo digitum intendit c.4. adversſ. Prax. ajens: *Hoc mihi & in tertium gradum dictum sit, quia Spiritum non aliunde puto, quam à Patre per Filium:* Et quidem à substantia Patris. Nam confert cum originatione Filii: *qui Filium non aliunde deduco, sed de substantia Patris.* Si igitur idem in Spiritum sanctum competit, sequitur etiam hunc ex substantia Patris derivari; sed & Filii, quia *per* Filium est, quâ vocula origo denotatur, simul tamen & ordo: *Tertius enim est Spiritus à Deo & Filio, sicut tertius à radice fructus ex frutice: & tertius à fonte rivus ex flumine, & tertius à sole apex à radio. Nihil tamen à matrice alienatur, à qua proprietates suas ducit. Ita Trinitas per consertos & connexos gradus à Patre decurrens, & Monarchiæ nihil obstrepit, & οἰκονομίας statum protegit.* c.8. Illustris locus, ex quo patet (1.) Spiritum sanctum esse à Patre & Filio (2.) substantiam suam ex substantia Patris & Filii, quam *matricem* vocat, accepisse. (3.) Filium ex Patre habere vim spirandi Spiritum sanctum, ut flumen ex fonte rivum, radius ex sole apicem, frutex à radice fructum. Confer. B. Dn. D. Dannhavver. styl. vindic. p.205. seqq. Gregor. Neocæsareensis eodem spectat, cum in symbolo Spiritum sanctum vocat *Filij imaginem*; Hinc enim merito colligunt Hugo Ætherianus l.2.c.7. & Manuel Calecas cap.22. quod à Filio suam habeat essentiam: *sicut enim imago* Patris *dicitur* Filius *tanquam substantialis Patri, & quia ex illo est, non autem ex hoc* Pater, arguente Gregor. Nazianz. orat.36. Ita & Spiritus sanctus Filii imago dicitur, quia ex hoc iste est, non vice versa. Nec abnuit Dionysius Alex. cum lib.2. Apol. ita disserit: *Sancti Spiritus mentionem feci, sed ita, ut pariter adjungerem, unde nam ille, & per quem venerit: sed isti ignorant Patrem à Filio alienari non posse, & sub Patris vocabulo primarium conjunctionis auctorem contineri, & Filium à Patre quasi domicilio disgregatum non esse, eo quod Patris vocabulum hanc communionem indicet, & in Patris Filiiq; manibus esse Spiritum sanctum, sed ita, ut neq; à mittente, neq; à ferente segregetur:* Hæc ille apud Athanas. de sent. Dionys. f.142. Spiritus igitur sanctus est ab utroque & à Patre, & à Filio, quia Filius à Patre non separatur, & quidquid agit Pater, agit & Filius.

§. 13. VI. *Attributa divina* sunt idem cum essentia divina. Rationes sunt (1.) Quia in Deo nullum est accidens: *Omnia* VI. Attributa divina. In genere.

enim *in Deo naturalia, & ingenita eſſe debent, ut ſint æterna ſecundum ſta-*
tum ipſius, ne obvenientia & extranea reputentur: Juxta Tert.l.1. contra
Marc.c.22. Si igitur nihil in Deo eſt obveniens, & extraneum,
oportet eſſe naturale & eſſentiale quidquid in Deo eſt. Metho-
dius in libel. de creatis quærit: *Nonne Deum exiſtimas principium &*
fontem ſapientiæ, gloriæ, & ſimul omnis virtutis οὐσιωδῶς, ἀλλὰ μὴ ἐπικλήτως,
eſſentialiter, non acquiſitive, ſeu accidentaliter. (2.) Quia in abſtra-
cto & in caſu recto de Deo, & ſingulis Deitatis perſonis prædi-
cantur: εὗρες τὸν θεὸν, ἔχεις τὴν ζωήν, *inveniſti Deum, habes vitam*: ait
Clemens Alex. προτρ. f.67. Deus ergo eſt ipſa vita. Id quod cla-
rius explicat l.1. pæd.c.8. aſſerens, *non illum dici bonum eſſe, eo quod*
virtutem habeat, quemadmodum juſtitia bonum eſſe dicitur, non eo, quod vir-
tutem habet. Eſt enim virtus ipſamet; ſed quod ipſa ſecundum ſe, ac propter
ſe eſt bona. Si igitur Deus eſt ipſa virtus, ſequitur realiter à ſe in-
vicem eſſentiam Dei & attributa non differre. Origenes in hoc
quoque aſſerendo totus eſt; Diſputans enim pro Chriſti Deitate,
Scimus, ait, *Jeſum eſſe ipſum verbum, ipſam veritatem, ipſam ſapientiam*:
lib.III. contra Celſ. p.m.135. Et p.154. pro juſtitia Dei adver-
ſus eundem, qui injuſtitiæ maculam Deo tribuebat, ex eo funda-
mento, quod juſtitia Dei ſit ipſe Deus, & tam mutari non poſſit,
quam ipſe Deus: qui οὐσιωδῶς ἀγαθὸς, *per eſſentiam* ſit *bonus*, uti lib.
VI. contra eundem p. 305 diſſerit. Confer ejusdem in Eu-
angelium Johannis præfationem. Dionyſius Alexandrinus idem
urget argumentum pro Chriſti Deitate adverſus Paulum Samo-
ſatenum: *Huc* enim *evadunt*, ad hæreticum ſcribit, *quæ à te dedu-*
cta ſunt. Nam neque natura juſtum eſſe dicis ipſum Chriſtum, utpote Deum,
Deus enim eſt id omne bonum, quod de eo dicitur: Contraria igitur erat
Dionyſii ſententia, Paulo Samoſateno, nempe, *Chriſtum* eſſe
naturalem juſtitiam, & *divinam virtutem.* Methodius in eundem
ſenſum ſtatuit duas eſſe Dei potentias, Patris ſcilicet, & Filii,
quod Pater ſit ſua ipſius potentia, & Filius; ſenſu quam
phraſi meliore. Arnobius eo fine à Deo omnes etiam virtutes
removebat, ne quid ab eſſentia divina alienum in Deo admitte-
ret lib.III. adverſ.gent.p.m.110. Conſequitur hinc, attributa di-
vina ſibi invicem contraria non eſſe: Secus ac Hermogenes ſta-
tuerat. Statuerat enim materiam creationis eſſe æternam, &

tamen

tamen malam, quem propterea refutat Tertullianus c. 11. Relinquitur tamen aliqua rationis differentia, quo sensu videtur auctor libri de Trinitate negare, quod Deus sit *charitas expressa, vel lux.* Græci dicunt ἐπινοίᾳ differre, quod nec ipsum in sequiorem sensum abripiendum est: Cum & ea ἐπινοίᾳ *mente* differre dixerint, quæ realiter differebant, etsi non nisi cogitatione separari, & separatim exsistere, sive subsistere potuerint: Ita ἐπινοίᾳ differre Patrem & Filium in Deitate Gregorius Neocæsareensis statuit: item duas in Christo naturas, quæ tamen realiter à se invicem differebant. Priore significatu (mente scil.) nos dicimus attributa divina & essentiam differre. Posteriorem legis explicatum à Methodio apud Phot. Myriobl. cod. 234.

§. 14. Singula Dei attributa ordine sequuntur, ut sunt In specie.
(1.) *Spiritualitas*, ut opponitur corporeitati, philosophicè sic di- (1.)
ctæ. Probatur 1. *expressis* verbis; Nam Nemesianus Episcopus *Spirituali-*
in Concilio Carthaginensi rotundè suffragatur: *Deus est Spiritus*: *tas.*
inquiens. (2.) *Consequentiis*: Deus enim est incorporeus, E. Spi- 1.
ritus. Antecedens probatur ab Origene lib. VII. contr. Cels. Probatio.
p.m. 349. ex Scripturis, verba sunt: *Scriptura manifestè Deum incorporeum prædicat, unde illud*: Deum nemo vidit unquam. *Et* imago *dicitur esse* invisibilis Dei *primogenitus creaturæ totius*, quasi dicat incorporeum: Et Methodius in libro de resur. *Deus*, ait, *cum incorporeus sit, propterea est invisibilis, Deum enim nemo vidit.* Consequentia probatur suffragio ejusdem Origenis lib. VI. contra Cels. p. 323. *Non est enim corpus juxta nostram doctrinam spiritus; sicut nec ignis ille corpus est, qui Deus esse dicitur apud eum, qui inquit*: *Deus noster ignis consumens*: *Nam hæc omnia figuratè dicuntur, ut per corporea consuetaq; nobis nomina indicetur natura illa intelligibilis.* Duo notanda dat, primum consequentiam à nobis factam, Deus est incorporeus. Erg. Spiritus; & vice versa: deinde novum argumentum, sumptum (3.) ab *intelligibilitate* Dei. Quæ sensibus percipiuntur, corpora sunt: Deus autem, qui solo intellectu & mente percipi potest, merus est Spiritus. *Non est ergo aut corporeus, aut in corpore esse putandus est Deus; sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens: uti ne majus aliquid, & inferius esse credatur: sed ut sit ex omni parte* μονὰς, *&, ut ita dicam, totus mens, ac fons, ex quo initium totius intellectualis*

naturæ vel mentis est: Sic idem lib. 1. περ. ἀρχ. c. 1. Confer Arnob. lib. 1. adversf. gent. p. m. 17. Lactant. l. VII. div. instit. Phot. cod. 234. ubi refert, Methodii sententia, solum Deum esse Spiritus nomine dignum, ut respectu ipsius animæ hominum sint σώματα, *corpora*. Vapulabat igitur merito (1.) *calumnia* Epicuræi Celsi,
2. Antithesis. qui Christianis tribuebat sententiam contrariam, veluti corporeus esset Deus: *Celsus*, ait Origenes, *multis verbis objicit nobis opiniones de Deo, quæ nunquam nostræ fuerunt*, ὡς σώματος τὴν φύσιν τυγχάνοντος, καὶ ἀνθρωποειδοῦς σώματος, *quasi corporeum prædicemus & humana specie*, lib. VII. cont. Cels. p. 349. poscit ex calumniatore verba eorum, qui sic statuerint: quod si autem omnino tales aliqui forent, scripturis tamen Joh. I. 18. IV. 24. Col. 1. 15. repugnarent. (2) *Stultitia* & idololatria gentilium, qui corpora, & corporales affectiones, & operationes suis Deastris assignabant, quos falsè ridet Arnobius
3. Objectiones. toto libro tertio. Objicias (1.) ipsam tamen Scripturam Deo tribuere corporea membra, oculos, nares, manus, &c. (2.) Hominem esse creatum ad Dei imaginem, E. Deum habere corpus, sicut homo habet (3.) Tertullianum c. 7. adversus Praxeam, & alibi passim, Deo tribuere corpus. Resp. ad (1.) ex præcedente Origenis dicto, ταῦτα τροπικῶς λέγεται, *hæc per tropum ita dicuntur*; *ut per corporea consuetaq; nobis nomina indicetur natura illa intelligibilis*: quo sensu etiam l. 1. p. 55. & p. 318. locutus fuerat: Novat. perinde ait: *Non mediocris est Deus, sed populo mediocris est sensus.* Deus igitur infirmitati nostræ condescensurus humano more loquitur. Ad (2.) ℞. Origenes lib. VII. contra Cels. p. 376. *imaginem hanc Dei in anima rationali conservari per virtutem.* Non igitur consistit imago Dei in ipsa hominis essentia, sed in qualitatibus cum animæ, & hujus præcipuè, tum corporis. Ad (3.) ℞. Corpus Tertulliano significat ipsam rei cujusvis substantiam. Sic enim advers. Hermog. c. 35. sese explicat: *Esse aliquod incorporale de substantiis* dici non posse, *cum ipsa substantia corpus sit rei cujusq;*. Et in lib. de carne Christ. c. 11. *Omne, quod est, corpus est sui generis; nihil est incorporale, nisi quod non est.* Hoc sensu merito corpus dicitur Deus, quia & ipse habet substantiam: vide August. de hæres. c. 86. *Instes*: Tertullianus tamen lib. 2. contra Marc. c. 16. Deo attribuit affectus. ℞. disputat adversus Marcionem, qui negabat, Deum in N. T. esse justum,

ſtum, ſeverum, iratum, ſicut in V.T. fuit: Tertullianus igitur, contradicturus hæretico, aſſerebat, Deum in N.T. perinde iraſci, punire, ſeverum eſſe, ac in V.T. adeoque eundem eſſe utriusque teſtamenti Deum. Si quid vero imperfectionis humanæ affectibus iſtis adhæreat, ſeparandum id à Deo eſſe.

§. 15. Ex hac Spiritualitate ſequitur (2.) *Inviſibilitas.* Chriſtianorum enim fides eſt, *Deum illum ſuum, quem nec oſtendere poſſunt, nec videre, in omnium mores, actus omnium, verba deniq; & occultas cogitationes diligenter inquirere*: ait Minuc. Felix de idol. van. p.m. 10. Hoc colligunt ex Spiritualitate, ἀλλὰ καὶ ὁ θεὸς καθ' ἡμᾶς τῷ μὲν μὴ εἶναι σῶμα ἀόρατός ἐστιν, *Deus juxta noſtram opinionem, cum ſit incorporeus, eſt inviſibilis*: inferente Origene lib. VI. contra Celſ. p. 323. Intelligit autem inviſibilitatem corporis, non mentis; ſic enim immediatè ſubjungit: *contemplativis tamen hominibus corde, i.e. mente cernitur, corde autem non vulgari, ſed puro*: Et inviſibilitatem eſſentiæ divinæ, non autem aſſumptæ ſpeciei, & humanitatis, quo ſenſu viſibilis fuit Filius, inviſibilis Pater: Nam hunc vocat δυσθεώρητον, *difficulter viſibilem,* iſtum vero εὐθεώρητον, *facile viſibilem*, nempe humanitate: nam divinitate æquè, ac Pater fuit, δυσθεώρητος, *difficulter* i.e. *minime viſibilis*; Eodem ſenſu capiendus eſt Tertullianus, cum hinc inde Patrem dicit inviſibilem, Filium vero viſibilem; *Invenimus quidem,* ait, *Deum viſum ſecundum hominum capacitates, non ſecundum plenitudinem divinitatis*: c.14. adverſ. Prax. qua plenitudine & Filius inviſibilis eſt; Nam in ſeqq. *eatenus* eundem *inviſibilem* vocat, qua *ſermo eſt & Spiritus*: Diffiteri tamen nolumus, Tertulliano & Origeni quædam incommodius dicta excidiſſe, velut ideo inviſibilis eſſet Pater, quod *pleniſſimam* haberet *majeſtatem*, viſibilis vero Filius, *pro modulo derivationis*: Nam eadem eſt utriusque majeſtas: *Juxta noſtram doctrinam, non ſolus univerſorum Deus & Pater magnus eſt: communicavit enim ſuam magnitudinem cum unigenito & primogenito creaturæ totius*: docente Orig. l.6. contra Celſ. p. 323. quare nec ſolus inviſibilis eſt, niſi eo ſenſu, quem ſupra docuimus. Inviſibilitas.

§. 16. (3.) *Simplicitas.* Origenes Deum vocat ἁπλοῦν καὶ ἀσύνθετον, καὶ ἀδιαίρετον, *ſimplicem, & incompoſitum, & indiviſibilem.* lib. IV. contra Celſ. p.m. 169. Probat referente Euſeb. lib. VII. de præp. Euangel. aliquot argumentis. Foret enim inſtabilis, & in 3. Simplicitas.

deterioribus: Idem habet lib. 1. contr. Cels. p.18. Neque enim, ait, Deum esse vel partem, cum non sit imperfectus, neque totum, ut qui non habeat partes, simplicissimum igitur esse. Novatianus, vel quisquis auctor est libri de Trinitate, pleraq; momenta complexus scribit: *Idem, quidquid illud est, totus æqualis est, & totus ubiq; est, non enim habet in se diversitatem sui, quidquid est simplex. Ea enim demum in diversitatem membrorum recidunt, quæ veniunt ex nativitate sui in dissolutionem; sed hæc, quæ concreta non sunt, sentire non possunt. Quod enim mortale* (forsan immortale) *est, quidquid est, istud ipsum unum, & simplex, & semper est. Et ideo, quia unum, dissolvi non potest; quoniam quidquid est, illud ipsum extra jus dissolutionis positum, legibus mortis est solutum.* c.6. His verbis nobis *simplex* ens describit, nempe quod in sese *diversitatem* nullam habet. Sed *totum æquale* est: Consequenter immortale; cum ea, quæ mortalia sunt, in ea, ex quibus constant, resolvantur. Nascitur hinc quæstio: An Deus ex subjecto & accidentibus, ut sunt affectus, sit compositus? videtur affirmare Tertullianus, cum lib. 1. contra Marc. c.25. movet quæstionem: *An Deus de sola bonitate censendus sit, negatis cæteris appendicibus, sensibus, & affectibus, quos Marcionitæ quidem à Deo suo abigunt in Creatorē: Nos vero & agnoscimus in creatore, ut Deo dignos?* Hæc ille affirmat cont. Marcionitas, qui Deo Novi Testamenti iram, justitiam, severitatem abjudicabant: Contra negat Origenes lib. IV. p. 211. *Cum iram Dei nominamus* οὐ πάθος δ' αὐτοῦ εἶναί φαμεν, ἀλλά τι παραλαμβανόμενον εἰς τὴν διὰ σκυθρωποτέρων ἀγωγῶν παίδευσιν, *non affectum ejus dicimus, sed quiddam severiore disciplina castigans homines tot tantisq; peccatis obnoxios.* Hæc ille, cui conferatur Novat. c.6. de Trinit.

(4.) AEternitas. §. 17. (4.) *Æternitas.* Origene definiente, *sempiternum vel æternum propriè dicitur quod neq; initium, ut esset, habuit, neq; cessare unquam potest esse*, lib. 1. περ. ἀρχ. c.3. Deus initio caret & fine: Est enim ἀνόλεθρος καὶ ἀγέννητος, *ab interitu & factura alienus*, juxta Clem. Alex. προτρ. f.45. Rectius Methodius ἀγένητον vocat, apud Photium, & explicat, *quod est* ἀγένητον (non factum) *id per se absolutum & immutabile esse*, ac *nullius egens & incorruptibile*, cod.235. Cum quo consentit illud Dionysii Alex. lib. 1. Apol. cum inquit: *Deus æterna lux est, nec incipiens unquam, nec desinens.* Quod creatum est, incepit esse, nec æternum est: Cum igitur Deus non inceperit, increa-

increatus erit; adeoque æternus : Unde & Patres Antiocheni Deum vocant *ἄναρχον sine principio existentem*, in literis ad Paulum Samosatenum. Novatiano de Trinit. c.2. *Deus est semper æternus, quia nihil illo antiquius. Id enim quod sine origine est, præcedi à nullo potest, dum non habet tempus.* Quod si autem origine caret, caret & fine, *quippe cum originem omnino non habeat, consequenter nec exitum sentiat*; idem paulo ante dixerat. Ex hoc fundamento vapulant (1.) *hæretici*, qui *novum* in N.T. Deum confingebant : Quis enim *Deus novus, nisi falsus* ? quærit merito Tertul. lib. 1. contra Marc. c.8. Ratione annexa : *Non habet tempus æternitas : Omne enim tempus ipsa est. Deus, si est vetus, non erit, si est novus, non fuit*: His verbis removet à Deo æterno omne tempus, omnesque temporis differentias. Vapulant & illi, ut Hermogenes, & Marcionitæ, qui statuebant materiam Deo coæternam : *Quis enim alius Dei census, quam æternitas? quis alius æternitatis census, quam semper fuisse, & futurum esse ex prærogativa nullius initii, & nullius finis? Hoc, si Dei proprium, solius Dei erit, cujus est proprium.* Sic ille advers. Hermog. c.4. & advers. Marc. lib.V. c.1. idem habet: *nihil sine origine, nisi solus Deus*: Quare nec erit, quicquam æternum, nisi Deus: ὅτι μὲν ὑπάρχειν ἀδύνατον ἀγέννητα δύο ἅμα; *quia impossibile duo ingenita* (increata) *esse simul*, judice Origene apud Euseb. lib. VII. de præp. Euang. Hinc consequitur, nec mundum esse æternum. *Impossibile enim est, id, quod initio productionis est circumscriptum, simul cum eo, quod finem ac terminum nullum habet, fine itidem ac termino carere*, uti bene ratiocinatur adversus Origenem sibi ipsi contrarium Methodius apud Phot. cod. 235. Rationem reddit, *quia, quod simul interminatum* (συναπέραντον) *est, cum ortus initium non habeat, una ingenitum, & æqualis virtutis esse necesse est.* Quis autem tam absurdus erit , ut dixerit, materiam aliquam coæternam esse, & mundum inde factum æqualis esse virtutis ac potentiæ, cujus Deus est? etsi dixeris à Deo illam æternitatem & virtutem accepisse. *Dicas*, Correlata sunt simul , Deus autem opifex, & opificium mundus, sunt correlata. E. simul. E. mundus est æternus sicut Deus : ibi Origenes : ℞. Method. de creat. cod.235. apud Phot. Myr. retorquendo : opificia non semper fuerunt, Erg. nec Deus semper, quia opifex. (2.) *Ethnici*. Qui Deos eos adoptabant, qui in tempore nati, & denati erant, cum

verus

verus Deus mundum creaverit, & creatum ſuſtentet, quod illi ἡμερόβιοι Deilli non poſſint: *Et hoc* (creationis & converſationis opus) *fieri qui poteſt, cum in mundo profiteamini eos natos, certoq; tempore ſenſum arripuiſſe vitalem*? Ita Ethnicos interrogat de ſuo Apolline, Mercurio, Hercule, &c. Deaſtris Arnobius lib. 1. adv. gent. Tempora autem iſta computat lib. V. p. 161. ex Varrone illo Romano *multiformibus eminente diſciplinis, & in vetuſtatis indagatione rimatore*, qui docet, vel ipſam Deorum matrem in tempore, & poſt diluvium cæpiſſe. Dudum hoc argumentum urſerat Minucius Felix in dial. p. m. 22. provocans inter alios etiam ad Euhemeri teſtimonium, qui *Deorum natales, Patrias, ſepulchra dinumeret, & per provincias monſtret: Dictæi Jovis, & Apollinis Delphici, Phariæ Iſidis, & Cereris Eleuſinæ.* Sed cui non dictus Hylas hic?

(5.) *Immutabilitas.* §. 18. *Immutabilitas.* Concernit & eſſentiam & voluntatem, quæ ab eſſentia realiter non differt: Notes (1.) *Aſſertionem* Patrum, Tert. lib. 1. contra Marc. c 22. dicit: *Natura ſe* (Deus) *non*
1. Aſſertio. *poteſt nolle, quæ ſe ita dirigit, ut, ſi ceſſaverit, non ſit.* Clementi Alex. προτρ. fol. 45. Deus eſt ἴσος ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ, καὶ ὁσαύτως ἔχων, *æqualis ſemper, & ſemper eodem modo ſe habens*: Patres Antiocheni, ad Paulum Samoſatenum perſcribentes, Deum cenſent *immutabilem*; Methodio abſurdum eſt μεταβάλλειν τὸν ἄτρεπτον καὶ ἀναλλοίωτον θεὸν: *alterari immutabilem & invariabilem Deum*: Novatiano quoque *ſemper ſui eſt ſimilis, nec ſe unquam in aliquas formas vertit, aut mutat, ne per immutationem etiam mortalis eſſe videatur.* c. 4. de Trinit. Origeni *Chriſtianorum doctrina* τὸ ἄτρεπτον καὶ ἀναλλοίωτον τοῦ θεοῦ τηρῶν *immutabilem & inalternabilem Deum ſervat* lib. 1. contra Celſ. p. m. 17. Ex quibus & ſimilibus aliis patet, quæ Chriſtianorum tum communis fuerit doctrina de
2. Dei immutabilitate. Videamus (2.) *Probationes.* Origenes l. c.
Probatio. allegat verba Pſaltis Pſal. CII. 28. *Tu Deus idem es*; Et Mal. III. 6. *Non mutor*: Alii alias rationes urgent, ut Tert. c. 21. de anim. qui ſic ratiocinatur: *Quod natum factumq; conſtiterit, ejus natura capiet demutationem, & renaſci enim poterit & refici; Innatum autem & infectum immobile ſtabit, quod cum ſoli Deo competat, ut ſoli innato, & infecto, & idcirco immortali, & inconvertibili*: Quam ipſam rationem urget Lactantius l. 2. div. inſt. c. 8. *Solus igitur Deus eſt, qui factus non eſt, & ideo deſtruere alia poteſt, ipſe deſtrui non poteſt. Permanebit ſemper in eo, quod*

fuit

fuit; quia non est aliunde generatus, nec ortus, nec nativitas ejus ex aliqua alia re pendet, quæ illum mutata dissolvat. Novatianus c.4. argumentum sumit à divina perfectione, *Immutatio enim conversionis, portio cujusdam comprehenditur mortis, ideo nec adjectio in illo unquam ullius aut partis, aut honoris accedit, ne quid unquam perfecto defuisse videatur; nec detrimentum aliquod in eo agitur, ne gradus mortalitatis receptus esse videatur, sed quod est, id semper est, &, qui est, semper ipse est, & qualis, semper talis est. Nam & incrementa originem monstrant, & detrimenta mortem ac interitum probant:* & seqq. Quia Deus neminem habet, à quo factus est; nec ex partibus constat mutabilibus, nec quicquam perfectionis desiderat, vel admittit, nec potentiorem sese habet, ideoque meritò immutabilis perhibetur. Sunt tamen quædam (3.) *Objectiones*, 1.
desumptæ 1. à *creatione*: Ita enim Methodius sibi ex quorundam Objectiones
sententia objicit: *Si non ab æterno, inquis, mundus est conditus, & olim* (1.)
non fuit, μεταβάλλειν ἀνάγκη τὸν ἀπαθῆ καὶ ἀναλλοίωτον θεὸν *necesse est Deum impatibilem & inalterabilem mutari.* Ratio consequentiæ est: *Etenim necesse est illum prius nihil facientem à non faciendo ad faciendum transire & mutari.* Sic ille in libro de creatis, ex mente eorum, qui mundum æternum statuebant, ne cogerentur admittere aliquam Dei mutationem, si statuerent mundũ in tempore factum (2.) à *pœnitentia* (2.)
Gen. VI. 5. dicitur Deum pœnituisse creationis. (3.) ab *incarnatione.* (3.)
Christus enim, qui & ipse Deus est, è Cœlo descendit in carnem
& miseriam nostram. ℞. ad (1.) Method. l.c. N.C. Deus à non ℞. ad (1.)
faciendo ad faciendum progressus est. E. mutatus: sicut N.C. Deus à faciendo ad nonfaciendum (perfecto mundo, & Deo quiescente) progressus est. E. mutatus. Ad (2.) ℞. Orig. lib. ad (2.)
VI. contra Cels. p.315. quæ ἀνθρωποπαθῶς dicta, ista θεοπρεπῶς esse explicanda: additque *neminem nostrum de Deo prædicare ullas mutationes vel cogitationum, vel operum. Nam immutabilis ipse manens disponit mutabilia.* p.m.381. Ad. (3.) ℞. Orig. l.4. p.m. 169. N.C. descendit. ad (3.)
E. mutatur: *Immutabilis enim* (Deus) *in sua essentia manens, condescendit rebus humanis dispensatione & providentia.* Et paulo post, de Christo loquens, addit: *Id autem, quod ad homines descendit, erat in forma Dei, & propter amorem humani generis seipsum exinanivit, ut posset concipi ab hominibus, absq; ulla tamen mutatione boni in malum; Peccatum enim non fecit* &c. Adde sequentia: Nam pluribus respondet rationibus.

Huc pertinet disputatio Novatiani c. 5. de Trinit. de affectibus Deo tribui solitis, quod non sequatur: Deus irascitur. E. mutatur, corrumpitur &c. *Hæc enim omnia, etsi hominem possunt corrumpere, divinam vim non possunt corrumpere.* Ratio, quia homo est passibilis, Deus minimè. *Vapulabant* igitur à Christianis Gentiles, quod Deos colerent statuas, seu imagines; artificum manibus varie fabrefactas & mutatas, donec Dii evaderent. Vid. Minuc. Felic. p. 26. seqq.

4. **Antithesis.**

(6.) *Immortalitas.* §. 19. (6.) *Immortalitas.* Fluit ex prioribus. *Semper* enim *sui similis est Deus, nec se unquam in aliquas formas vertit, aut mutat, ne per immutationem etiam mortalis esse videatur*: uti colligit Novat. de Trinit. c. 4. & c. 22. *Immortalitas divinitatis socia est, quia & divinitas immortalis est, & immortalitas divinitatis fructus est.* His fundamentis præsuppositis Deus est ἀκήρατος οὐσία *essentia immunis à corruptione*: juxta Clem. Alex. προτρ. f. 37. ἄφθαρτος, *incorruptibilis*, uti ex Philone suo vocat lib. V. strom. πάντῃ ἄφθαρτος, *omnino incorruptibilis*. Orig. lib. IV. contra Cels. p. m. 169. *Dicas*: Scriptura tamen Deum vocat ignem, ignis autem est corruptibilis. ℞. Orig. lib. VI. contra Cels. p. m. 325. Deum esse quidem ignem consumentem, sed peccati & malitiæ, non tamen suimetipsius. *Vapulabant* igitur merito gentiles, qui ex hominibus mortalibus & mortuis Deos faciebant. vid. Tertul. Apol. c. 10. seqq.

(7) *Infinitas.* §. 20. (7.) *Infinitas.* Infinitum quid sit definivit Novat. c. 4. de Trinit. *Infinitum est, quidquid nec originem habet omnino, nec finem. Excludit enim alterius initium, quidquid occupaverit totum.* Hæc tamen definitio est infiniti potissimũ ratione durationis, etsi applicari possit etiam ad alios respectus: qualis est scientia Dei, quæ & ipsa nullis circumscribitur finibus. Origenes in Rom. 1. 1. disputans adversus eos, qui dicebant, prævisionem Dei futurorum causam esse necessitantem, inter alia ipsos interrogabat: an, quod in nostra libera potestate situm est, à Deo esset prævisum? utiq;: ℞. *Quisquis enim negaverit, illum ignorare mentem Dei infinitam, & magnitudinem Dei*, τὸν ἐπὶ πᾶσι νοῦν, καὶ μεγαλοσύνην τοῦ Θεοῦ: Sic igitur nec scientia Dei suos habet terminos.

(8.) *Immensitas.* §. 21. (8.) *Immensitas.* Deus omnia locorum spatia excedit, à nullis inclusus, ipse potius includens omnia. *Plena &*

occu-

occupata sunt omnia suo auctore, ait Tertul. lib. 1. contra Marc. c. II. ita ut Deus loco non capiatur, c. 15. *non est in caligine Deus* ἐν γνόφῳ ἢ τόπῳ *aut loco*, ἀλλ᾽ ὑπεράνω καὶ τόπου καὶ χρόνου, *sed super locum & tempus*: juxta Clement. Alex. l. 2. strom. f. 361. 1. Asseritur. Quare *non percontabimur, quomodo ad Deum accedemus, cum is loco non contineatur: Est enim omni loco præstantior, ut complectens in se omnia, cum ipsum nihil possit capere*: docente Origene lib. VII. contra Orig. *Deus nihil extra se vacuum relinquit*, ait Novat. c. 2. de Trinit. & mox: *semper immensus est, quia nihil illo majus est.* & c. 25. provocabat ad Mosis auctoritatem: *Idem Moyses ubique introducit Deum Patrem immensum atque sine fine, non qui loco cludatur, sed qui omnem locum cludat, nec eum, qui in loco sit, sed potius in quo omnis locus sit: omnia continentem, & cuncta complexum, ut merito nec descendat, nec ascendat, quoniam ipse omnia & continet, & implet.* 2. Probatur. Subjungit *objectionem* ex Gen. XI. 5. ubi habetur, Deum descendisse, si igitur descendit, non erit ubique. ℞. non intelligi Patrem, sed Filium, hic enim & ascendit Eph. IV. 9. 10. 3. Vindicatur ab objectionibus. Quod quidem responsum hactenus bonum est, quod, ille hominum judex, Filius Dei descendisse dicatur; minus autem bene dictum foret, si intelligeret eo sensu, quod Filius, qua Deus, minus Patre immensus esset. Aliam objectionem movet Origenes hom. XII. in Gen. ex Gen. XXV. 22. Verba sunt hæc: *Nunc interim videamus, quid est, quod dicitur: abiit Rebecca interrogare ad Dominum? Abiit: quo abiit? ex eo loco, in quo non erat Dominus, abiit ad eum locum, in quo erat? Hoc enim videtur indicare, cum dicitur, abiit interrogare Dominum. Nonne ubique est Deus? Nonne ipse dixit: Cœlum & terram Ego repleo, dicit Dominus? Quo ergo abiit Rebecca? Ego puto, quod non de loco ad locum abierit, sed de vita ad vitam.* Sic Origenes quærit, & respondet, sed minus congruè ad textum; qui enim iverit de vita ad vitam, cum geminos deinde pepererit? Rectius explicuisset de peculiari divinæ voluntatis revelatione, quæ per oracula fieri consuevit. Accuratius respondit ad illud, quod objici solebat *de incarnatione* Filii Dei, quâ factum sit, ut Cœlum deseruerit: Sic enim lib. IV. contra Cels. p. 164. ℞. N. C. descendit in carnem. E. Cœlum reliquit: *Nec enim carebit sede, nec eam deseret, ut alius locus eo sit vacuus, alius plenus, qui ante vacaverat.* Totus in hoc mysterio occupatus est Hippolytus Portuensis in libro de Theologia & incarnatione contra Beronem

nem & Helicem: ut probet, verbum, dum caro factum est, nullam subiisse etiam ratione loci mutationem: *Quod enim*, ait, *immensum est, nullo modo aut ratione motum suscipit, non habens, quo, aut circa quod, moveatur, vertibilitas enim ejus, qui est expers motionis, motus est.* Hæc ille in collectaneis Anastas. à Sirmundo editis p. 210. Alia objectio formari posset ex verbis Clem. Alex. l. 2. strom. Cum disserit: *Deus appropinquans ego sum, inquit Dominus, procul quidem substantia. Quomodo enim, quod est genitum, appropinquaret ingenito? Proximum autem est potestate, qua universa sinu suo complectitur.* Repetit lib. 5. strom, ubi adversus Stoicos disputat, *illi*, inquiens, *Deum omnem permeare substantiam asserunt: Nos autem eum solum dicimus effectorem.* Ex his videtur colligi posse, quod Deus non essentia sua, sed sola efficacia præsens sit. Sed posteriora hæc verba dant responsionem ad præcedentia, nempe Clementem disputare adversus Stoicos, Deum, mundi Spiritum, locis includentes, & circumscribentes, qui tamen extra loca sit, & ea potius in sese complectatur: Illustratur ex Origene lib. VI. contra Cels. p. m. 324. 325. Sic enim ille: *Penetrat quidem aspectus Dei ac providentia per omnia, sed non sicut ille Stoicorum Spiritus, & continet omnia, quibus per suam providentiam prospicit; at non corporaliter complectitur, cum corpus ambiatur à divina potentia*: Ecce, quo sensu veteres negarint Deum substantia sua esse terris præsentem, nempe *Stoico*, qui Spiritum illum immensum infra mundi spatia concludebat: vel *Platonico*, juxta Tertul. Apol. *Positum* enim, ait, *extra mundum Stoici*, (Deum censent) *qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc; intra mundum Platonici, qui gubernatoris exemplo infra illud maneat, quod regat.* Instes: Deo tamen in V. T. fuit tabernaculum, & postea templum erectum. R. N. C. *Tabernaculum enim populo erigere permittitur, nec tamen Deus intra tabernaculum clusus continetur: sic & templum extruitur, nec tamen Deus intra templi angustias omnino sepitur*: juxta Novat. c. 6. de Trinit. Et Cypr. de idol. vanit. §. 5. *Quod templum habere possit Deus, cujus templum totus est mundus? Et cum homo latius maneat, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam? In nostra dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore.* Hæc illi adversus perversam gentilium opinionem de Diis loco inclusis & circumscriptis.

(9.) *Præsentia.* §. 18. Hæc autem Dei adessentia, relata ad creaturas, dicitur

dicitur *præsentia*, & includit operationem Dei. Quo sensu Tert. contra Prax. c. 23. docet: *Scimus Deum etiam intra abyssos esse, & ubique consistere, sed vi & potestate.* Et Clem. Alex. l. 2. strom. *Proximus est potestate, qua universa sinu suo complectitur*: Quorsum respicit Cyprianus in Explic. Orat. Dom. §. 2. *Magisterio suo*, inquiens, *Dominus secreto nos orare præcepit in abditis & semotis locis, in cubiculis ipsis, quod magis convenit fidei, ut sciamus, Deum ubiq; esse præsentem, audire omnes, & videre, & majestatis suæ plenitudine in abdita quæq; & occulta penetrare.* Nisi igitur operosissima esset Dei præsentia, frustra eum in precibus requireremus. Etiam Origenes digitum intendit, cum lib. IV. adversus Cels. p. 168. τὸ ascendere, & descendere explicat de gubernatione divina: *Descendit Deus à sua majestate & altitudine*, ὅτε τὰ τῶν ἀνθρώπων καὶ μάλιστα τῶν φαύλων οἰκονομεῖ: *quoties res hominum, præsertim malorum, dispensat*: Et ante ipsum Clemens Alex. lib. VI. strom. f. 632. *Ille Dei in montem descensus* ἐπίβασίς ἐστι θείας δυνάμεως, *divinæ potestatis est adventus, quæ pervadit omnem mundum, prædicatq; lucem, ad quam aditus non datur.* Dividitur hæc Dei præsentia in gratiosam, & vindicativam apud Orig. lib. IV. contra Cels. p. 164. Et Deus eum deserere dicitur, cui suam subtrahit gratiam, subtrahit autem sceleratis: *Quando hoc repletum* (à Deo) *illud desertum dicimus, non de loco intelligendum est, sed malam & vitiis perditam animam dicimus à Deo deseri; Eum vero, qui cum virtute vivere cupiens, vel huc proficit, vel eam assecutus est, pronunciamus plenum esse divini Spiritus, sive participem.* Hæc ille de speciali præsentia Dei, donis declarata, sive pœnis.

§. 19. (10.) *Potentia.* Alia est potentia Dei essentialis, alia personalis; Hanc vocabant Patres ipsum Dei Filium: Sic Clemens Alex. l. 5. strom. vocat λόγον *omnia continentem Dei virtutem.* Orig. lib. 1. περὶ ἀρχ. asserit: *Per Filium omnipotens est Pater.* Origenis discipulus Gregorius Thaumat. in expos. fid. sequitur præceptorem, statuens, *verbum efficax, & virtutem creaturæ totius effectricem esse.* His verbis ipsi & alii Patres non intellexere accidentalem aliquam, sed personalem, Dei potentiam, Filium, *per quem Pater omnia fecit, non tanquam per instrumentum: neq; velut per scientiam* (potentiam) *non subsistentem, ita ut genuerit Pater Filium sic, tanquam viventem operationem, & substantiam, omnia in omnibus efficientem*: quæ verba sunt Patrum Antiochenorum in literis ad Samosatenum. Hoc sen-

(10.) *Potentia.*

ſu etiam Spiritus ſanctus Dei potentia dicitur, ſed de hac quæſtio nobis non eſt: nam quæſtio eſt de ea, quæ tribus perſonis communis eſt, nempe eſſentiali, quæ tanta, ut ſi quid ſolum velit Deus fieri, jam effectum ſit: *Quanta* igitur *eſt Dei potentia! Ipſius Dei voluntas eſt mundi productio. Solus enim Deus fecit, quoniam ipſe quoq; ſolus revera eſt Deus, ſola voluntate operatur, & ejus ſolum velle factum eſſe conſequitur*: judice Clem. Alex. προτρ. Quod tamen dextrè accipiendum eſt. Nec enim hoc volumus, Deum non poſſe, niſi quod vult: ſed poſſe, quod vult, nec ex poſſe argumentum ſumendum eſſe pro facto eſſe, niſi & voluerit. Hoc ſenſu præclarè diſputat Tertullianus c. 10. adverſus Prax. Quæſtio erat: An Pater & Filius eſſent eadem perſona? affirmabat Praxeas, & inter alia argumenta etiam potentiam Dei allegabat, fieri poſſe per Dei potentiam, ut Pater & Filius eadem eſſent perſona: Reſpondebat Tertullianus acutè: *Plane nihil Deo difficile, ſed ſi tam abruptè in præſumptionibus noſtris hac ſententia utamur, quidvis de Deo confingere poterimus, quaſi fecerit, quia facere potuerit*: Quid igitur porro requiritur? Dei voluntas. Dei poſſe, velle eſt; & non poſſe, nolle; quod autem voluit, & potuit, & oſtendit: In quem ſenſum & Clem. Alex. προτρ. f. 41. dicit; ὅση τε ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ, μόνον αὐτοῦ τὸ βούλημα κοσμοποιΐα *quanta eſt autem Dei potentia! Ipſius Dei ſolum voluntas eſt mundi creatio*: Inſtes: Si Dei voluntas eſt ipſa mundi creatio, ſequitur Deum ab æterno mundum creaſſe, quia ab æterno habuit voluntatem, & potuit creare: Ita Orig. lib. 1. περ. ἀρχ. *Quemadmodum Pater non poteſt eſſe quis, ſi Filius non ſit: neq; Dominus quis eſſe poteſt, ſine poſſeſſione; ita ne omnipotens quidem Deus dici poteſt; ſi non ſint, in quos exerceat poteſtatem: & ideo, ut omnipotens oſtendatur Deus, omnia ſubſiſtere neceſſe eſt.* Hæc ille. Videtur hauſiſſe ex Tertull. lib. 1. contra Marc. c. 12. & 22. Reſpondent nonnulli, Deum in tempore demum fuiſſe omnipotentem factum, cum omnia crearet; minimè autem antea: ſed hæc conſiſtere non poſſunt. Rectius dixeris, vocem omnipotens eſſe vel abſolutam, & ſic Deum ſemper extitiſſe omnipotentem; vel relativam, ut opera reſpicit, & ſeſe declarat, ſic in tempore patuiſſe omnipotentem. Alius nodus eſt, quem plicant, ex impoſſibilitate peccandi, vel aliud aliquod indignum in ſeſe admittendi. ℞. Deus poteſt ἅπερ

δυνά-

δυνάμενος θεὸς εἶναι καὶ τοῦ ἀγαθὸς εἶναι, καὶ σοφὸς εἶναι ἐκεξίσαται, *per quarum omnipotentiam à Deitate sua bonitateq; ac sapientia non excidit,* : ait Origenes lib. III. contra Cels. p.154. Et lib. V. p.246. *Fatemur, Deum non posse turpia, alioqui Deus posset non esse Deus: Nam si turpe quid facit, non est Deus.* Confer Methodium de libero arbitrio apud Phot. cod. 236.

§. 20. (10.) *Bonitas.* ἀγαθὸς γὰρ ὁ θεὸς ὁμολογεῖται, *Deum esse bonum in confesso est.* Scribit Clem. Alex. l.1. pæd. c.8. Et hoc in se, seu essentialiter: *Bonum esse dicitur, non eo, quod virtutem habeat; quatenus justitia quoq; bonum esse dicitur, non quod habeat virtutem, ipsa enim est virtus;* ἀλλὰ τῷ αὐτὴν, καθ' αὐτὴν, καὶ δι' αὐτὴν ἀγαθὴν εἶναι: *sed quod ipsa ex se, & per se bona sit.* l.c. lib. 1. strom. f.312. ait, *benefacere est Dei natura, ut ignis calefacere, & lucis illuminare,* confer p.329. lib.2. Tertullianus in de test. anim. c.2. provocat ad lumen naturæ, & triviales sermones vel inter Ethnicos: *De natura quoq; Dei quæ prædicamus, nec te latet: Deus bonus est, Deus benefacit, tua vox est. Etiam quod penes Deum bonitatis & benignitatis omnis benedictio inter nos summum sit disciplinæ & conversationis Sacramentum: Benedicat te Deus, tam facile pronuncias, quam Christianè necesse est,* lib. 1. adv. Marc. c.22. negat Deum esse bonum, nisi per naturam, adeoq; *semper* & ab initio bonus fuerit necesse est, c.23. ait, Deum esse *ipsam bonitatem.* Atque ex hoc fundamento refutat Deos gentilium, qui pleriq; impii quondam homines extitissent, c.11. Apol. Lib. 2. contra Marc. c.4. probat bonitatem ex creatione & legibus homini præscriptis. Adde Euangelium. Origenes lib.3. περὶ ἀρχ. & tom. 3. in Gen. l.14. prolixe disputat adversus eos, qui vel Deo causam peccati immutabant, vel distinguebant inter Deum justum, qui fuerit in V.T. & bonum, qui in N.T. tanquam iste bonus non fuisset. Repetit comment. in Ps. 4. Philocal. c.27. Quod adeo Deo naturale est, ut Deus non esset, si quid peccati admitteret, vide lib. V. contra Cels. pag. 246. Apparet hinc duplicem esse bonitatis divinæ respectum; alium erga Deum, qui in se bonus est; alium erga homines, quibus bene vult. Nihil enim Deo magis curæ est σώζεσθαι τὸν ἄνθρωπον, *nisi ut homo salvus fiat,* scribit Clem. Alex. προτρ. f. 56. *Patientia* hinc est. Hanc Dei virtutem egregie illustrat Cyprianus de bon. pat. *Est nobis cum Deo virtus ista communis, inde patientia inci-*

(10.) Bonitas.

Patientia.

incipit, inde claritas ejus & dignitas caput sumit, origo & magnitudo patientiæ Deo auctore præcedit, §. 2. Orig. lib. III. περ. ἀρχ. *Divino*, inquit, *judicio reservatur, qui relinquitur*, καὶ μακροθυμεῖ ἐπί τινας τῶν ἁμαρτανόντων ὁ θεὸς *& patiens est in aliquibus peccantibus Deus, neq; id sine causa, sed ad ipsorum commodum, atq; fructum, quo ad immortalitatem animæ & sempiternum ævum non statim cooperentur in salutem, sed ad eam serius, postquam mala plurima fuerunt experti, adducantur.* *Objiciebant* Manichæi & nominatim Manes ipse in disputatione cum Archelao Cascharorum Episcopo habita: *Deus* (veteris Testamenti puta; Nam de hoc erat quæstio) est *ignis consumens*. Deut. IV. 24. Sed evestigio respondit Archelaus per instantiam: Atqui & Filius dicitur ignis, Luc. XII. 49. quem tamen bonum Deum censebat Manes. Item Deus novi Test. Ananiam & Sapphiram prostravit, Act. V. 5. seqq. Item dicturus est: ite in ignem æternum. Matth. XXV. 41. Instabat Manes, & proferebat ex 2. Cor. IV. 4. quod Deus *homines obcœcet*, Respondit idem (1.) per instantiam: Atqui & Jesus excœcavit, narrando parabolas, quas videntes non videbant. (2.) directe. Nam vitium id esse hominum, qui semetipsos, diabolo operante, excœcarent. Vide Cyril. Catech. VI. Nam illustris locus est pro vindicanda Dei bonitate adversus calumniam causæ peccati. Eandem Dei causam agit Origenes in Ps. IV. comment. lib. VI. contra Cels. p. 314. distinguens inter mala culpæ, & pœnæ. Cypr. lib. III. de test. §. 15. Imprimis Tert. lib. 2. contra Marcionem per totum.

(11.) Misericordia §. 24. (11.) *Misericordia*. Hujus actus est remittere peccata pœnitentibus peccatoribus, qui sunt objectum. *Potens est divina misericordia medelam dare* pœnitentibus: Cypr. ep. 12. §. 1. Desperantes dicuntur *à fide & misericordia Domini deficere*, ep. 13. Hoc vero non ita accipiendum est, quasi boni propterea à Deo rejiciantur, si malos ipse misericordia prosequitur, uti calumniabatur Celsus Epicuræus. *Nec enim propter miserationem, aut misericordiam, ut vulgus loquitur, quenquam sublevat, sed qui peccata sua damnant toto pectore, seq; ipsos deflent ac lugent, tanquam ob malefacta male perditos, ac mox mutationem præ se ferunt, quæ resipiscentes deceat, eis demum mutata in melius mente condonat errata præterita.* Origenes l. 3. contra Cels. p. 154.

Dicas, qui Deus fuerit misericors, cum in ipsum nulla cadat *affectio, aut perturbatio*? juxta Clem. Alex. l. 2. strom. f. 395. B. Imperfectiones humanæ sunt à Deo separandæ, res ipsa verò relinquenda. Confer quæ supra de immutabilitate Dei dicta sunt.

§. 25. (13.) *Justitia.* Videtur equidem hoc attributum priori derogare: Qui enim justus fuerit simul & misericors Deus? Ventilat quæstionem Clemens Alex. l. 1. pæd. c. 8. & 9. & *simili* illustrat à chirurgo, qui, urendo & secando corpus, dolorem quidem adferat, sed ex amore: & à Magistratu, qui sontes puniat ex amore erga morigeros; ita Deum & punire posse ex justitia, & misereri ex amore; εὐνοίας τὸ ψέγειν, οὐ μίσους, τὸ σύμβολον, *benevolentiæ, non odii, signum est reprehendere.* ait f. m. 115. & paulo post f. 127. *Deus quidem bonus est per seipsum, justus autem propter nos, & ideò, quia bonus*: Et προτρ. f. 61. idem contra gentiles idololatras propugnat. Multum hac de re hoc seculo fuit disputatum inter orthodoxos, & Marcionitas, & Manichæos. Illi enim, ut eundem credebant Deum fuisse & esse Novi Testamenti, qui fuit veteris, sic statuebant eundem in utroque esse justum, irasci, punire, damnare sontes. Id quod Tertullianus vel ex ipsa conscientia, & quotidiano sermone probatum ibat.; Conscientia, quæ Deum suum timeat, procul dubio ideo, quia credit irasci, & animadvertere in sontes: quotidiano autem sermone vel ipsorum Ethnicorum, qui dicant: *Deus videt omnia! Deo commendo! Deus reddet! Deus inter nos judicabit!* c. 2. de test. animæ: Confer lib. 1. contra Marc. c. 25. seqq. Et lib. 2. c. 11. seqq. Archelaus Cascharorum Episcopus adversus Manetem disputans, provocat ad Ananiam & Sapphiram, qui puniti essent divinitus, & quidem in N. T. Imo ad ipsum judicium extremum, in quo secundum justitiam supplicia sustinebunt damnati. Vide Cyril. Hierosol. Catech. VI. Arctius nodum constringit Origenes, docens, justitiam esse Deo essentialem, & ita naturalem, ut non possit esse injustus: *Nec Deus potest injustè facere, & quæcunq; creatura potest aliquid injustè facere, potest id naturaliter, quia facere injustè, non est naturæ suæ contrarium*: Sic ille advers. Cels. lib. III. p. 154. Quæ Marcion objiciebat, diluit Tertul. lib. 2. advers. Marc. c. 16.

13. Justitia.

14. *Scientia* omnium. §. 26. (14.) *Scientia.* Deus omnia novit, vel ipsis gentilibus fatentibus. Nam Euripides Deum appellat πανθ' ὁρῶντα, *omnia videntem* : cum ipse tamen sit invisibilis , Et *Ægyptii aures oculosq; exquisita ex materia fingentes Diis consecrare solebant , in templis appendentes, ut hoc significarent, Deum omnia videre, & audire.* Cl. Alex. l. 5. str. Quod si autē *omnia* Deus novit, nihil ipsum latebit, non modo externorum , quæ in oculos occurrunt , sed & intimorum cordis cogitatorum : Thales, eodem Clem. l.c. allegante, *interroganti cuidam, an quispiam agens homo latere Deum possit ? & quomodo , inquit, qui ne cogitans quidem?* Cui consentiunt Cyprianus d. orat. dom. §. 3. & Epist. 9. §. 4. Et Minuc. Felix p.m. 10. Nec præsentia solum

futurorum. & præterita novit, sed & *futura.* Nam Origene lib. 3. περ. ἀρχ. teste, πάντα οἶδε πρὸ γενέσεως αὐτῶν, *omnia novit antequam fiant.* Et Cypriano suffragante, *Dominus est præscius futurorum.* §. 3. de orat. Id quod appareat ex dictis & exemplis, 1. Reg. XII. 32. XIII. 1. seqq. Isai. XLV. 1. seq. Dan. VIII. 5. seqq. Luc. XXI. 20. Sed & ex vaticiniis propheticis : *Præscientia tantos habet testes, quantos fecit Prophetas* ait Tert. l. 2. Marc. 5. & ita quidem præscius, ut coram præsentia videat futura,

futuribilium vide Tert. l. 3. cont. Marc. c 5. Nec futura solum novit, sed & *futuribilia*, quam mediam vocant scientiam. Nam Or:g. l. 3. περ. ἀρχ. respondens ad dictū Marc. IV. 12. dicit, Deum præscivisse ipsos non esse sese conversuros, ne quidem verbo clarius proposito ; ne igitur graviorem, clariore revelatione spreta, incurrerent culpam , ipsis obscurius revelasse : Nec necessaria tantum , sed & in libera

contingentium. potestate nostra posita. Nam Orig. ad Rom. l. 1. disputat adversus eos, qui negabant, *ignorantes Dei* τὴν ἐπὶ πᾶσι νοῦν καὶ μεγαλωσύνην, *mentem infinitam & magnitudinem* : Unde consequitur, illam Dei præscientiam actionibus nostris nullam inferre necessitatem;, quasi ideo fieri cogerentur, quia Deus præscivit. Multus in hoc mysterio est Origenes in lib. 3. περ. ἀρχ. ubi inter alia scribit : ἡ πρόγνωσις τοῦ θεοῦ οὐκ ἀνάγκην ἐπιτίθησι τοῖς περὶ ὧν προκατείληφε, *prænotio Dei necessitatem minimè adfert iis, quæ præconcepit.* Unde nec causa peccati, nec exitii hominum ipsi adscribenda erit : *Facit enim vasa honoris, & vasa ignominiæ*, οὐκ ἀρχῆθεν κατὰ τὴν πρόγνωσιν, *non â principio per prænotionem, quia per ipsam neutram partem præjudicat,* (ἐπεὶ μὴ καθ' αὐτὴν προκατακρίνει ἢ προδικαιοῖ) *sed vasa honorifica facit eos, qui se expurgarint , contra ignominiæ,*

nia, qui impuros se & immundos reliquerint. Simili apposito sententiam suam saltem illustrat: *Quemadmodum si quis certo libro prophetico de Juda proditore futura edoctus, eaque cum evenisse dicat* τὴν βίβλον αἰτίαν εἶναι τοῦ τὸ ὅτι γεγονέναι ὕστερον, ἐπεὶ ἀπὸ τῆς βίβλου μεμάθηκε τὸ ὑπὸ τοῦ Ἰούδα πραχθησόμενον *librum proditionis causam fuisse arbitretur, quia proditorem fore Judam ex libro didicerat, vel rursus non librum causam esse, sed qui librum scripserat, arbitretur, vel, qui scribentem adiuvit, Deus*: Sicut talis absurdus foret; ita absurdus erit, qui dixerit Deum præscium extitisse causam: οὐ γὰρ, addit, ἐπεὶ ἔγνωσαι, γίνεται; ἀλλ' ἐπεὶ ἔμελλε γίνεσθαι, ἔγνωσαι: *non enim fit, quia scitum; sed quia futurum erat, præscitum est.* Quibuscum conferri potest, quæ in eandem sententiam disserit lib. 2. advers. Cels. p.m. 72. seqq. Et quæ ex eodem disputantur paulo post §. 29. Nec generalia tantum novit, sed & *specialia*, Singularium.
imò individua; nec potiora solum, sed & minutiora: Id quod luculenter asseruit & defendit Clemens Alex. lib. VI. strom: sub fin. Et Orig. tom. 3. in Gen. l. 14. *Objiciebat* Marcion; *Si Deus bonus & præscius futuri, & avertendi mali potens, cur hominem, & quidem imaginem & similitudinem suam, imò & substantiam suam, per animæ scilicet censum, passus est labi de obsequio legis in mortem, circumventum à diabolo? Si enim & bonus, qui evenire tale quid nollet, & præscius, qui eventurum non ignoraret, & potens, qui depellere valeret, nullo modo evenisset, quod sub his tribus conditionibus divinæ majestatis evenire non posset. Quod si evenit, absolutum est è contrario Deum neque bonum credendum, neque præscium, neque potentem.* Hæc ille, allegante Tertul. lib. 2. contra Marc. c. 5. Cui geminum est, quod Celsus objiciebat de Christo in latrones incidente, quod pater ipsius non permisisset, si præscivisset. R. Tertul. l.c. Lapsus culpam non esse adscribendam Deo, quippe qui vetuit lapsum, sed homini, qui libertate arbitrii concreati abusus est: *ut, quod ei evenit, non Deo, sed ipsi debeat exprobrari.* c. 6. Et Orig. lib. VI. contra Cels. p.m. 331. præscivisse Deum inde patere, quod per prophetas prædici curarit. Unde tamen inferre non licet: Ergo crudelis fuit in Filium, quod præsciverit, & nihilominus miserit.

§. 27. (15.) *Sapientia* Deo est naturalis; Sicut enim *naturalia, ita rationalia esse debere in Deo omnia* contendit adversus Marcionem Tert. l. 1. c. 23. Colligitur autem ex creaturis. *Nibil* enim 15. Sapientia.

inutile à Deo fieri videmus: juxta Method. de resur, Et ex rerum gubernatione: Nam vel pessima ad bonum finem dirigere novit Deus, quo de vide Clem. Alex. l.1. strom.f.322. Cum autem varii sint in re humana casus, etiam multipliciter sese divina sapientia exserit. Lege quæ adversus Celsum disputat Orig.l.4.p.m.166. Eademque in sui admirationem rapit, quodquot nôn omnino stupidi sunt. Vide Tert. de bapt. c. 2. & 3. Nascebatur hinc Patribus argumentum adversus idola gentilium, & Deastros, quibus ipsi gentiles puerilia & stolidè facta tribuebant, id quod toto libro quinto exagitavit Arnobius, *si talibus*, ait inter alia, *occupati sunt negociis, cogitationibus, curis, quisquam eos sapiens aut Deos esse crediderit, aut immortalium saltem in numero cumputaverit?*

16. Voluntas. §. 28. (16.) *Voluntas.* Est libera quidem, & potens, neque tamen absoluta in negocio nostræ salutis; Illud est: Nam *immutabilis Deus manens disponit mutabilia pro natura ipsorum, & sui verbi arbitrio*, iuxta Orig. l. VI. contra Cels. p.m.318. Istud; Nam *sola voluntate operatur, & ejus solum velle factum esse consequitur*: docente Clem. Alex. προτρ.f.42. *Rationibus fixis peraguntur res ejus, & quod semel decretum fieri, nulla potest novitate mutari*: Arnob. l. 2. contra gent. p.97. Hoc: Nam Origenes in Psal. IV. differit adversus Stoicissantes illos, qui contendebant; *Deum auctoritate sua* (κατ' ἀποκλήρωσιν) *cujus vult, misereri; & quem vult, indurare* (αἰτιάν οὐκ ἔχοντος) *cum causa nulla sit, cur hujus misereatur, alius ab eo induretur.* Fundamentum igitur commiserationis & indurationis juxta voluntatem consequentem non est mera Dei autoritas & nuda voluntas miserendi hujus, & indurandi alterum; sed inde apprehensum Christi meritum; hinc infidelitas.

17. Veritas. §. 29. (17.) *Veritas.* Quidquid Deus promittit, servat, nisi homines sese indignos reddiderint. Orig. lib. VIII. contra Cels.p.m. 424. *Quæ Deus pollicitus est legem servantibus, si non præstitit, non ipso fallente hoc factum est; sed eorum culpa, qui non steterunt conditionibus & legitima vivendi formula.* Nec sibi ipse contrarius est. Marcion equidem id evincere conabatur ex lege Mosaica, quam Deus in V.T. præcepisset, in N. T. abrogasset; ne autem idem sibi contrarius esset Deus, duos fingebat. Sed ℞. Tert.lib. 1. contra Marc.c.20.abrogationem in ipso V.T. esse prædictam. Quid-

quid

quid Deus prævidit, vel prædixit fore, id certò futurum est, & necessariò, necessitate hypothetica. Differit de hoc mysterio Origenes f.3. in Gen.l.14. disputans adversus fatalem necessitatem, an, quod Deus præscivit, aut prædixit, necessario futurum sit? absolutè non, seu necessitate consequentis, hypotheticè tamen, seu necessitate consequentiæ: Si quis intelligat illud: o- " mnino erit, atq; ita interpretetur: erunt hæc vel illa, sed & ali- " ter esse poterant, id ut verum admittimus; τὸ μὲν γὰρ θεὸν οὐκ ἐνδέχε- " ται ψεύσασθαι: *Deus enim, ut mentiatur, fieri non potest; fieri autem potest, ut de rebus non necessariis, sed quæ fieri, & fieri non possunt, eas fieri, aut non fieri intelligat. Sed rem clarius explicamus: Si fieri potest, ut Judas sit Apostolus, similiter atq; Petrus, contingens etiam est, ut Deus intelligat de Juda manere ipsum Apostolum similiter atq; Petrus, contingens etiam est, ut Deus intelligat de Juda manere ipsum Apostolum similiter ut Petrus; vel, si fieri potest, ut Judas sit proditor, fieri etiam potest, ut Deus cogitet de ipso, proditorem fore:* εἰ δὲ προδότης ἔσται Ἰούδας, ὁ θεὸς τῇ προγνώσει αὐτοῦ τῶν προειρημένων ἐνδεχομένων δύο, ἐνδεχομένου τοῦ εἶναι ἑνὶ αὐτῶν τὸ ἀληθὲς, προγινώσκων προγνώσεται τὸν Ἰούδαν προδότην γενέσθαι, *si proditor erit Judas, Deus prænotione sua, cum prædicta sint duo, quæ fieri aliter possunt, cum contingens sit uni ipsorum, quod verum sit, prænoscet Judam proditorem fore.* seqq. Non igitur repugnat, Deum aliquid prævidere, antequam fiat, & tamen prævisum esse in sese contingens, licet, qua prævisum à Deo, aliter fieri non possit, cum Deus in sua præscientia non fallatur. Unde idem lib.2.contra Cels. p.m.72. iterum disputans de præscita à Christo Judæ proditione, & Petri abnegatione, sic loquitur; *si, ut Deus præsciebat, non poterat ejus præscientia fallere; nec erat possibile vel præcognitum proditorem non prodere, vel redargutum ut negatorem non negare. Quod si possibile erat, alterum non fore proditorem, alterum non fore negatorem, ut præmoniti à prodendo negandove abstinerent,* οὐκέτι ἀληθὴς ἦν ὁ λέγων, *jam non fuisset verax, qui prædicebat alterum proditurum, negaturum alterum: Nam si præsciebat proditurum, malitiã sciebat proditoris, cui nihil obstabat ista præcognitio; ac rursum intellecta imbecillitate negaturi, per quam negaturus esset, negaturum prædixit, quia utriq; imbecillitas hæc non tollebatur per præscientiam.* Nulla igitur est præscientiæ divinæ, qua talis, operatio in rem futuram, etsi res certo futura sit, quam Deus præscivit.

18. Perfectio. §. 30. (18) *Perfectio.* Est enim Deus ἀνενδεὴς *nullius rei indigus*, apud Clem. Alex. προτρ. f. 38. τῷ θεῷ κρεῖττον οὐδὲν, *Deo nihil est utilius, melius*, lib. 1. pæd. c. 8. *Deus, sicut æternus & rationalis, ita (opinor) & perfectus in omnibus*: ait Tert. lib. 1. contra Marc. c. 24. vide Novatianum, vel quisquis auctor est libri de Trinit. Sic enim scribit: *ideo ne adjectio in illo unquam ullius aut partis, aut honoris accedit: ne quid unquam perfecto defuisse videatur; sed quod est, id semper est, & qui est semper, ipse est; & qualis est, semper talis est.* c. 4. Methodius in libro de creatis: quærit: *nonne absolutè per seipsum perfectus est, & nullius indigus? ita est. Impossibile enim est, ut id, quod nullius indiget, sit propter alterum aliquid, quam etiam nullius indigens. Ipse in se ipso, & propter seipsum dives, ac potens est.* Vide Phot. cod. 234. Ex dictis patet, quod Deus adeo in sese omnes habeat perfectiones, ut nullius rei ipse indigeat, sed nec propter ullam aliam rem sit, ipse tamen in semet absolutissimus.

19. Majestas. §. 31. (19.) *Majestas.* Patres Antiocheni ad Samosatenum amplificant Dei majestatem inde, quod *ipsius gloriam vel amplitudinem intelligere, aut enarrare pro dignitate, ut in re, & veritate est, humana natura non possit*: Orig. lib. VI. contra Cels. p. m. 318. idem enunciat: *si sublimius intelligendum est, quod dixit, cum omnia, quæ illi tribuimus, minora sint ipsius dignitate, fatemur nihil eorum ei adesse, quæ nos agnoscimus; Nam quæ insunt ei, superant omnem scientiam, non humanam solum, sed etiam excellentiorum naturarum.* Novatianus de Trinit. c. 2. *Ad cogitandam*, ait, *& ad eloquendam illius majestatem, & eloquentia omnis merito muta est, & mens omnis exigua est.* Concludebant hinc Christiani, quod gentiles ipsi negarent suos Deastros esse verum Deum, eo quod ludibriis ipsos & privatim & publicè exponerent. Vide Tert. Apol. c. 13. Et indigna ipsis tribuerent. Vide Arnob. l. 3. p. m. 103. Atqui ipsi Christiani quoque in asinino capite & onychite colunt suum Deum. ℞. c. 16. hanc esse calumniam.

20. Beatitudo. §. 32. (20.) *Beatitudo.* Deo *beatitudinem* tribuimus, ait Orig. l. 6. contra Cels. p. m. 318. *Neq; factiones sunt apud Deum, neq; ullus est Dei seditiosus adversarius*, lib. VII. p. m. 385. Quibus & similibus aliis malis beatitudo turbatur.

VIII. Opera. §. 33. *Opera.* Deducunt in notitiam veri Dei. adeo, ut verus Deus non sit, qui nihil operatur, quod Tert. lib. 1. c. 12. contra

tra Marcionem contendis: *Itaq; hoc nomine cessationis & defectionis operum, & impudentiæ & malignitatis adfinis est; impudentiæ, quâ fidem indebitam sibi captat, cui præstruendæ nihil prospexit: malignitatis, quâ plures incredulos satis reos fecit, nihil fidei procurando.* Et c.22. *Otium impii natura non novit: hinc censetur, si agatur*: sed de hoc plura superius in θεογνωσίᾳ.

§. 34. Inter opera divina, quibus ex inaccessa sua luce prodiit Deus, primum & nobilissimum est *Creatio*. De hac gentilibus quidem ex lumine naturæ nonnihil potuit constare, sed tamen huc illuc, velut incerti, fluctuarunt. vide Cæcilium Ethnicum, & Octavium Christianum inter sese differentes apud Minucium Felicem in dialogo p.m.5.seqq. Certe multis fabulis veritatem obnubilarunt, ut, quod Deucalion & Pyrrha jactu lapidum homines produxerint, quod figmentum refellit Arnob.lib. V. advers. gent. *Efficiens* universi est Deus, quod graviter asseruit Tertullianus adversus blasphemam Marcionis impudentiam: *Narem contrahentes impudentissimi Marcionitæ convertuntur ad destructionem operum Creatoris. Nimirum, inquiunt, grande opus & dignum Deo, mundus. Nunquid ergo Creator minimè Deus? Plane Deus, Ergo nec mundus Deo indignus: Nihil etenim Deus indignum se fecit.* lib.1. contra Marc. c.13. Ordo tamen aliquis intercessit inter personas; Pater enim omnia fecit per Filium: verbum scilicet suum Hypostaticum: vide Clement. Alex. προτρ.f.4. & lib.1. pæd.c.12. Pionium apud Metaphrast. die 1. Febr. Quo de infra in χριστολογίᾳ. Nec Spiritus sanctus excludendus, *qui ab initio supervectabatur super aquas, intinctos reformaturus*: Tert. de bapt. c.4. Loquitur de Typo baptismi, aquis primigeniis, super quibus ferebatur Spiritus sanctus, speciali modo præsens, sicut præsens erat futurus & operaturus in aquis baptismi. Unus tamen idemque erat Deus, & una eademque trium personarum potentia. Orig. l.1. contra Cels. p. m. 18. ait: *Mundum non potuisse creari à multis conditoribus, nec cœlum hoc posse moveri à multis animabus.* Unde benignè explicandum est, quod Methodius in libro de creatis asserit, statuens, duas esse effectrices facultates, alteram Patrem, quæ sola voluntate chaos fecerit; alteram Filium, qui sit omnipotens & invicta manus Patris, qua materiam ex nihilo factam exornarit. *Materia* ex quâ nihil

Ut *Creatio* cujus Existentia.

Causæ.

nihil fuit: Quidni enim *conveniat* θεὸν μὴ μόνον τὰς ποιότητας ἐξ οὐκ ὄντων φάναι δύνασθαι ποιεῖν, ἀλλὰ καὶ οὐσίας: *Deum non solum qualitates, sed etiam substantias ex iis, quæ non essent, facere potuisse?* quærit Origenes apud Euseb. lib. VII. de præpar. Euang. Vapulabat igitur Hermogenes, qui statuerat, Deum ex materia sibi coæterna omnia produxisse; & hoc ideo statuebat, ne videretur Deum facere auctorem peccati, & obtineret Deos duos, bonum & malum. Sed respondebat Tert. c. 10. seqq. hoc pacto Deum nihilominus culpam peccati attraxisse, quod vitiosam illam materiam potuerit tollere, nec tamen sustulerit. Paulo post negat Tert. Materiam extitisse malam. Finis erat utilitas hominum: *Mundum* enim *homini, non sibi fecit*: Tert. lib. 1. contra Marc. c. 13. *Effectus* sunt omnia creata. Fecit enim universum mundum. *Illius est opus cœlum, & sol, & Angeli, & homines sunt opera digitorum ejus*: juxta Clem. Alex. προτρ. f. 42. Animalia quoque & stirpes, ut contendit Orig. l. IV. contra Cels. p. 200. Visibilia & invisibilia omnia. Tert. l. 1. contra Marc. c. 16. Probat (1.) Ex dignitate operis (2.) Ex Philosophorum suffragiis: Et diluit adversariorum argumenta, quæ desumebant ex animalculis vilioribus: tanquam Deo indignis; regerebat Pater, etiam in his esse vestigia sapientiæ divinæ.

Et Effectus proponuntur.

Angeli.

§. 35. Nobilissimæ creaturarum sunt *Angeli.* Vapulant enim Hæretici, statuentes, quod Angeli fuerint creatores: de quibus infra: Et Celsus Epicuræus, qui Deos ipsos censebat, refutatur ab Origene, lib. VIII. contra Cels. p. 394. Loquimur autem de Angelis propriè dictis & univocè. Nam quadam analogia etiam Ecclesiæ ministri, ut erat Johannes Baptista, dicuntur Angeli, vide Tert. contra Jud. c. 9. De his nobis quæstio non est; sed de Spiritibus illis Dei ministris, quos Gentiles vocabant *Dæmonas*, Christiani vero *Angelos*: vide Minucium Felicem in dialogo: Cyprianum de idolorum vanitate, Lactantium l. 2. c. 14. *Existere* tales Angelos ex ipsis gentilibus, ut Hostane magorum antiquissimo, Platone, &c. probavit Minucius Felix in dialogo, & ex ipso Cyprianus in libro de idolorum vanitate. *Quando* vero sint creati, Origenes dubius est lib. 1. περ. ἀρχ. etsi magis inclinet in sententiam, quæ ante omnes reliquas creaturas censet esse creatos, vide hom. I. in Gen. & X. in Matth. inde autem probat, quod

(1.) Existentia

Cœlum,

Cœlum, adeoque & Angelos Cœli incolas, primum esse creatos Scriptura dicat: Gen. l. 1. confirmat ex Hiob. XXXVIII. 7. apud quem, quando *factæ sunt stellæ, laudaverunt Deum omnes Angeli ejus, quasi antiquiores non solum homine post creato, sed & omni creatura propter eum creata.* Hæc ille. *Essentia* est incorporea, seu spiritualis: *Nos enim*, ait Origenes, *incorpoream substantiam non putamus igne conflagrare, neq; in ignem resolvi hominis animum, vel Angelorum, sive Thronorum, aut Dominationum, aut Principatuum, aut Potestatum substantiam.* Hæc ille, qui tamen alibi variè & minus rectè post Tertullianum de essentia loquitur Angelica, ut infra in nævis patrum notabimus. Gregorio Thaumaturgo & Methodio sunt ἀσώματοι δυνάμεις, *incorporeæ virtutes*: Lactantius lib. VII. instit. c. 21. inquit: *primum dicimus, tantam esse Dei potestatem, ut etiam incorporalia comprehendat; &, quemadmodum voluerit, afficiat. Nam & Angeli Deum metuunt, quia castigari ab eo possunt inenarrabili quodam modo, Et Dæmones reformidant Deum, quia torquentur ab eo, & puniuntur*: Sententia est, quod Deus etiam *incorporalia* possit punire; probat hanc, ex Angelorum & Dæmonum castigatione: Angelos igitur & Dæmonas statuit *incorporales substantias*: ut adeò ejusdem sint essentiæ, *nec diversa* Dæmonum *substantia sit ab essentia Angelorum sanctorum rationis compote*, asserente Origene tom. XXIII. in Euang. Joh. *Dividuntur* vel ratione ordinum, vel qualitatum: *Ordinum*; Nam distributi sunt in Angelos, Principatus, & Thronos, ac potestates: quos γένη, καὶ φυλὰς, καὶ διαφορὰς: *genera, familias, & differentias* appellat Methodius apud Epiphanium hæres. 64. Pridem sic senserat ille alias Methodio invisus Origenes lib. 1. contra Cels. p. m. 20. Et IV. & VI. Et lib. 1. περ. ἀρχ. c. 5. An verò novem sint Angelorum ordines, & quæ singulorum sint distincta officia? in hoc seculo non invenias: *ut in re obscura fieri solet, quæ conjectura, & hominum opinatione nititur: non liquida divini auctoritate verbi, vel Theologica ratione, quæ certam & constantem assensionem extorqueat*: quæ est ingenua confessio Jesuitæ Dionysii Petav. l. 2. de Angel. c. 3. §. 1. *Qualitatum* respectu distinguuntur in bonos, & in malos: Sic enim Orig. l. VIII. contra Cels. p. m. 394. distinguit, ubi disputat adversus Celsum, qui Dæmonas quoque Deos asserebat: *Non omnes*, inquiens, *Angeli dicuntur Angeli Dei, sed soli beati; Cæterum qui conversi sunt ad malitiam, nominan-*

(2.) Essentia

(3.) Divisiones

minantur Angeli Diaboli. Sunt igitur alii Angeli boni, alii mali. Confer. homil. in Gen. l. 14. Et quæ Methodius allegat apud Phot. Myriob. cod. 234. Causa differentiæ est lapsus; dum isti in concreata sua perfectione perstiterunt, hi minimè: Qui tamen lapsus ipsas substantias minimè mutavit, quod alias probare videntur Orig. l. 3. contra Cels. Et Methodius apud Epiphan. hæres. 64. Qualitates autem mutavit. Et quæ has consequuntur. Diabolus pridem erat *quodam* quasi *sigillo expressa* Dei *effigies, & corona pulchritudinis in paradiso Dei*; Origenes lib. IV. contra Cels. p. m. 306. *Angelica majestate subnixus, Deo acceptus & charus*: juxta Cypr. de Zel. & liv. §. 3. *Alta & præclara sublimitas*, §. 4. *Eminentissimus Angelorum Archangelus, & sapientissimus omnium.* Tertul. lib. 2. contra Marc. c. 10. In hac felicitate erat, cum Filio Dei invidens laberetur. Lactantius enim lib. 2. c. 8. censuit, Diabolum *suapte invidia, tanquam veneno, infectum esse, & ex bono ad malum trascendisse*: Cui autem invidit? Filio Dei, idem putat; quod videret, Patrem hunc produxisse *similem sui Spiritum, qui esset virtutibus Patris Dei praditus. Invidit illi Antecessori suo, qui Deo Patri perseverando tum probatus, tum etiam charus est*: Quæ sententia melior est altera illa Tertulliani, Methodii, Cypriani; qui statuerunt, invidisse homini, eumque seduxisse, & hac invidia & seductione demum esse lapsum.

(4.) Opera. §. 37. Angelorum bonorum est homines custodire, tueri, promovere in bono faciendo, & malo omittendo, idque ex ordinatione divina. Sic enim Orig. l. IV. contra Cels. p. m. 233. *Fatemur*, ait, *& Angelos esse ministratorios quosdam Spiritus, crebro mittente Deo commeantes ad eos homines, quos manet æterna hæreditas: Hosq; modo adscendere ad purissima loca cœlestia, & puriora etiam supra cœlestia, oblaturos preces hominum; modo rursum descendere ad homines, reportando illinc aliud in usum singulorum, ut quiq; dignus est beneficio.* Et lib. VIII. docet, *Beatos illos spiritus sentire, qui sint digni favoris cœlestis Numinis, eosdem non eis solum bene velle, sed etiam dare operam, ut Deum & servire volentibus concilient, & una nobiscum precentur.* Et t. 3. In Genes. *Sacri*, ait, *Angeli, administri spiritus, & in ministerium emissi, certè tanquam à Dei lege accepta mandata, rectè & ordine, quando, & quomodo, quantumq; oportet, meliora faciunt.* Quæritur autem (1.) unus, an plures Angeli hominibus singulis sint deputati? ℞. modo unum, plures modo

adjun-

adjungit hominibus. Unum, ut docet Orig. Hom. XX. in Num. homil. XXIII. in Luc. In c. XII. Actor. plures, ut hom. XX. in Jos. confer & Gregor. Thaumaturg. in laudibus Origenis. Intelligo autem plures bonos. Nam alia sententia est, quam ex Herma Origenes hom. 35. in Luc. affert, de singulis quoque malis Angelis homini adscriptis. (2.) An urbibus quoque & regionibus singulis sint præfecti peculiares Angeli? Affirmat Origenes lib. V. contra Cels. & hom. XVI. in Gen. VII. Exod. Sed ex falso principio, tanquam merita Angelorum tantas dignitates cuique conciliassent: quo nomine merito vapulat à Theophilo Alex. lib. 2. de Pasch. qui rectè censet, Angelos primum in suos ordines divisos esse creatos. (3.) An etiam corporalium beneficiorum ministratores sint Angeli? Aff. Origenes lib. VIII. contra Cels. p. m. 398. 420. VI. 303. (4.) An Angeli sciant sensa cordis, & futura contingentia? Negatur. *Deo enim soli cognitum est propositum mentis: si vero accessero, ad agones protulero bonam confessionem, quæ inferuntur cuncta constanter suscepero, tunc potest dicere Angelus, velut confirmans me, nunc cognovi, quod tu times Deum.* Ita Origen. hom. VII. in Genes. suppeditans distinctionem, inter notitiam immediatam, & mediatam: Immediate negat Angelos nosse hominum corda, sed cogitata mediatè per confessionem concedit: Cujus etiam sententiæ pridem fuerat Clem. Alex. l. 5. strom. Porro, quod præscientiam futurorum attinet, si *idoneum testimonium divinitatis est veritas divinationis*, ut ait Tert. Apol. c. 20. Angeli futura immediate & ex sese nosse non potuerunt. Id quod ex oraculis Gentilium ambiguis probat c. 22. Apol. (5.) *An Angeli sint venerandi?* Neg. Orig. lib. VIII. contra Cels. p. m. 394. μόνῳ γὰρ προσευκτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι θεῷ, καὶ προσευκτέον γε τῷ μονογενεῖ καὶ πρωτοτόκῳ πάσης κτίσεως, λόγῳ θεοῦ, καὶ ἀξιωτέον αὐτὸν, ὡς ἀρχιερέα, τὴν ἐπ᾽ αὐτὸν φθάσασαν ἡμῶν εὐχὴν ἀναφέρειν ἐπὶ τὸν θεὸν αὐτοῦ καὶ θεὸν ἡμῶν, καὶ πατέρα αὐτοῦ, καὶ πατέρα τῶν βιούντων κατὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, i. e. *solus enim adorandus est Deus Optimus Maximus: Soli preces offerendæ unigenito Dei verbo, Primogenito creaturæ totius, qui ut Pontifex eas ad Deum suum, & ad Deum nostrum perferat, & Patrem suum atque omnium juxta verbum ejus viventium.* Hæc ille. Confer quæ inferius de cultu Dei dicemus.

Dæmonum (1.) Existentia. §. 38. *Dæmonum* quod attinet (1.) *Existentiam*, ipsi *sciunt dæmonas philosophi; Socrate ipso ad dæmonii arbitrium expectante*, quæ verba sunt Tertul. Apol.c.22. Confer Cypr. de Idol. vanit. Etsi fuerint Epicuræi, qui in dubium revocarent, censentes, indignam esse Deo sententiam de dæmonibus boni destructoribus; adeoque esse, quæ de dæmonibus apud alios habentur, naturales quasdam affectiones, quam insaniam in Celso refutat Orig. l. VI. p. m. 304. seqq. docens permitti ipsos à Deo, ut boni probentur: Id certum est, quod de dæmonibus non adeo certam & explicatam habuerint cognitionem, verbo Dei & Scriptura destituti. vide Tert. c. 1. de anima.
(2.) Origo. (2.) *Originem*, quâ tales non habent ex Deo, *quatenus* nimirum *sunt dæmones, sed quatenus sunt rationales*, uti bene distinguit Orig. l. IV. contra Cels. p. 207.
(3.) Nomen. (3.) *Nomen eminentissimi quondam illius Archangeli, & sapientissimi omnium* est *Diabolus*, deductum *à calumnia* verbi & voluntatis divinæ: Tert. l. 2. contra Marc. c. 10. *Primo, quod Deos illos* (Protoplastos) *ex omni ligno edere vetuisset: dehinc quasi morituri non essent, si edissent; tertio, quasi Deus illis invidisset divinitatem*. Dicitur idem Beelzebub, quasi Princeps dæmonum, explicante Origene lib. VIII. contra Cels. p 394. Cui scilicet *subjungantur potestates, & munditenentes tenebrarum istarum*, juxta Tert. lib. V. contra Marc. c. 18. Unde simul patent *ordines* dæmonum. *Satan* idem nuncupatur, ab *adversando*, non illo communi, quo sensu quivis adversarius Satan dicitur; sed κατ' ἐξοχὴν, explicante Orig. l. VI. contra Cels. p. m. 306. In genere dicuntur δυνάμεις ἀντικείμεναι τῷ θεῷ: *virtutes Deo oppositæ* ab Orig. t. 3. in Gen.
(4.) Affectiones. (4.) *Affectiones* sunt mendacium & cædes. Nam *ipsis non est credendum, sed monendum citius*, auctore Origene lib. VIII. contra Cels. p. 394. & 418. veritatem quidem præ sese ferebant in procurandis auguriis & auspiciis, sed mendacia sæpe deprehendebantur. Vide lib. IV. p. 225. Tert. 22. Apol. Præterea operosi sunt in concitandis tempestatibus, siccitatibus, sterilitatibus, pestibus, aliisque malis, ut docet Orig. contra Cels. lib. VIII. p. 398. ex Psal. LXXVIII. 49. ut non immerito *carnifices* vocet, & *latrones* p. 418. Confer tom. 3. in Gen. Et licet interdum bene facere videantur hominibus, dolosè tamen id faciunt; *lædunt primò, dehinc remedia præcipiunt, ad miraculum nova, sive contraria, post quæ desinant lædere*,

dere, & curasse creduntur, auctore Tertul. in Apol. quod notemus adversus pseudothaumaturgos, qui dæmonas sese ejicere jactant, sponte scil. exeuntes, ut falsa doctrina & superstitiones alantur & confirmentur. Sed nec infinita potestas lædendi quosvis concedenda ipsis est: *Nam etiamsi pii non bene velint dæmones, nullo tamen modo possunt afficere custoditos propter pietatem à Deo suo, & omnium Domino; Angelos suos præficiente ad præsidium eorum, qui digni sunt, ne lædantur à dæmonibus*: uti ex Psal. XXVII. 1. probat Orig. lib. VIII. contra Cels. p. m. 395. Impiis contra dominantur, justo Dei judicio, uti p. 399. idem docet. (5.) *Adjuncta* sunt locus, & tempus. *Aerem* ipsis assignat Tert. Apol. c. 22. *Habent*, inquiens, *de incolatu aeris, & de vicinia siderum, & de commercio nubium, cœlestes sapere paraturas.* Post hanc vitam autem & mundum consummatum igne torrebuntur; Vide Orig. hom. VIII. in Exod. Minuc. Fel. in Octavio; & hoc in perpetuum; *Nec* enim *tormentis aut modus ullus, aut terminus. Illinc sapiens ignis membra urit & reficit; carpit & nutrit; sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec absumunt* &c. Ut facundè disserit Minutius in l. c. Quis igitur (6.) *Cultum* ipsis deferat? Celsi equidem Epicuræi ea fuit impietas, ut censeret, saltem ideo esse colendos, ne nocerent, sed merito vapulat ab Origene lib. VIII. p. 394. (5.) Adjuncta.

§. 39. Altera nobilissimarum creaturarum species est *Homo.* Nam Clemente Alex. lib. 1. pæd. c. 8. describente, *homo est pulcherrimum animal eorum, quæ ab ipso* (Deo) *effecta sunt; pietate ac religione præditum. Considera* igitur, monente Tertul. lib. 1. contra Marc. c. 14. *Hominem, placebit tibi hoc opus Dei nostri.* Origenes lib. IV. περ. ἀρχ. vocat ψυχὰς χρωμένας σώμασιν, *animas corporibus utentes*; Etsi non adeo accurate, ut non immerito post Platonem vapulet à Methodio in libello de resurrectione, qui & corpus hominem constituere docet apud Phot. cod. 234. Ut & Arnobius vapulet, qui idem dicit: *Quid sumus homines, nisi animæ corporibus clausæ?* lib. 2. advers. gent. Animam Deus corpori à sese formato inspiravit: *Ex Dei* enim *flatu animam professi, initium ei deputamus*, cum Tert. l. de anim. c. 4, adversus Platonem, qui *innatam & infectam animam voluit.* Est, juxta Novat. de Trinit. c. 1. *cœlestis & divini halitus inspirata substantia*: Quo ipso ipsius natura spiritualis indigitatur: Est *Homo.*

enim anima *mens ſpiritualis, ſpiritus intellectivus, ſanctus, beatusq́;* vivens *anima*; juxta Orig. l.VIII. contra Celſ. p.410. Conſequenter *inviſibilis & incorporea*, lib.VI.p.325. *incorruptibilis*. l.c. Atqui Methodius animas vocat νοερὰ σώματα *intelligibilia corpora?* Secutus Tertullianum ; ℞ Animæ corporeæ dicuntur in collatione cum Deo, qui ſolus incorporeus dicitur, ideo, quod nullis prorſus paſſionibus, ne λόγῳ quidem θεωρητοῖς *ratione perceptibilibus*, ſit obnoxius; quo ſenſu anima corporea erit: Et ita ipſe ſeſe Methodius in lib.de anim.explicat. Licet autem ſit ſpiritus immaterialis, nihilominus per *traducem* propagatur. Id quod Tertul. c.27. de anima ex profeſſo contendit: *ambas*, ajens, (& corporis & animæ ſubſtantias) *& concipi & confici & perfici dicimus: ſicut & promi: nec ullum intervenire momentum in conceptu, quo locus ordinetur*: vel, uti porro loquitur, *unico impetu, utriusq́;* (maris & fœminæ, vel corporis & animæ) *toto homine concuſſu deſpumat in ſemen totius hominis, habens ex corporali ſubſtantia humorem, & animali calorem*; Hinc deducit Apol. quod *homicidii feſtinatio ſit prohibere naſci*, (diſputans contra elidentes ſemen humanum) *nec refert, natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet; homo eſt, & qui eſt futurus, & fructus omnis jam in ſemine eſt.* Isque ex primæva benedictione divina: *In homine eſt ſemen ſuum ſecundum genus, ſicut omni conditione genitali præſtitutum.* Nempe in illo: Creſcite & multiplicamini: hæc ille c.27. de anima adverſus illos, *qui præſumunt, non in utero concipi animam, nec cum carnis figuratione compingi atq́; produci: ſed & effuſo jam partu nondum vivo, infanti extrinſecus imprimi.* Priori ſententiæ opponit ſequentes rationes, & ſuam confirmat (1.) *Ex ſimilitudine parentum*; *unde*, ajens, *oro te ſimilitudinem animæ quoq́; parentibus de ingeniis reſpondemus, ſecundum Cleanthis teſtimonium, ſi non & ex animæ ſemine educimur?* c, 25. de anima. (2.) Ex *Aſtrologia: quia genituram hominis Aſtrologi ab initio conceptus digerebant:* Hoc argumentum κατ' ἄνθρωπον valet apud eos, qui Aſtrologiæ aliquid tribuunt: (3.) Ex *ſacris literis*, exemplo nimirum gemellorum Eſavi & Jacobi, *viventium, & ſpirantium, & prophetantium, & pugnantium.* c.26. Johannis quoque in utero Eliſabethæ matris ſaltantis, & Dominum ſuum præſentem ſalutantis; Jeremiæ, quem Deus in utero matris novit; *nec enim noſſet hominem Deus:*

Tradux probatur

(1.) Ex ſimilitudine parentum.

(2.) Ex Aſtrologia.

(3.) Ex SS. literis.

niſi

nisi solum. Jer.V. vers.5. (4.) Ex *natura vitæ*, quæ nascitur ex con- junctione animæ & corporis, sicut mors ex disjunctione: *Si mors non aliud determinatur, quam disjunctio corporis animæq; Contrarium morti vita non aliud definietur, quam conjunctio corporis animæq;.* ait c.27. (5.) Ex *ipso congressu*: *In illo ipso* enim *voluptatis ultimo æstu, quo genitale virus expellitur, nonne aliquid de anima quoq; sentimus exire, atq; adeo marcessimus, & devigescimus, cum lucis detrimento?* In quem sensum & Clemens Alex. lib.2. pæd.c.10. disserit: *annon* enim, *ajens*, (congressum) *consequuntur resolutiones, quæ exinanitionis, ejusq;, quod abscedit, magnitudini adscribuntur; Homo enim ex homine enascitur & evellitur.* Quod tamen argumentum non pari robore cum prioribus pugnat. Sunt etiam quædam, quæ alteram sententiam destruunt, tanquam natis jam corporibus animæ extrinsecus insinuarentur; quem errorem Tertullianus experientia refutat: *Vestræ*, ajens, *passionis fides convenitur, an aliquam in fœtu sentiatis vivacitatem alienam, de vestro, de quo palpitent ilia,&c.* Addit, infantes edi mortuos, *quomodo* vero *nisi & vivos? Qui autem & mortuos, nisi qui prius vivi?* Confirmat ab ἐμβρυορέκτῃ *æneo spiculo, quo jugulatio* infantis, seu Embryonis *obliquati* dirigitur: Cum enim sic perimatur infans, oportet prius vixisse. Provocat insuper ad calidiores regiones, *& ipsa balnea, ubi fœtus elabitur, & statim fœtus auditur*: Ex frigido igitur aere animam non nasci concludit. Hæc & similia ibi locorum argumenta cumulat accuratissimus Philosophus pro traduce animarum.

(4.) **Ex natura vitæ.**

(5.) Ex congressu.

§. 39. *Res creatas Deus gubernat.* Etsi enim Ethnici non nulli & Epicuræi dubitarint de ista Dei providentia, causantes anomaliam in vita humana; Christiani tamen ex verbo Dei edocti firmiter persuasum habent esse: Id quod facundè edisserit Octavius apud Minucium Felicem: Et castigat contrariam sententiam in quodam Macrino Dionysius Alex. Episcopus, ad Hermammonem literis scriptis, quod οὐ συνῆκε τὴν καθόλου πρόνοιαν, οὐδὲ τὴν κρίσιν ὑπείδετο τοῦ πρὸ πάντων, καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐπὶ πᾶσι, *neq; communem ac generalem Dei providentiam intellexerit, neq; judicium illius, qui est ante omnia, per omnia, & in omnibus, omnino perspexerit.* Referente Euseb.lib.VII. hist.c.9. *Deus* enim *est mundi Dominus & Rector, & cuncta arbitrio & nutu ejus geruntur, nec quicquam fieri potest, nisi quod aut fecerit,*

Et Gubernatio rerum omnium.

aut

aut fieri ipse permiserit, juxta Cypr. contra Demetr. §. 4. Quare & omnia sciverit: inferente Orig. l. 4. advers. Cels. p. 163.

Cujus (1.) Objectũ sunt res omnes.

§. 40. Distinctius de singulis loquendo, notamus providentiæ (1.) *Objectum*, quod sunt *cuncta*, sive fuerint animata, sive inanimata, sive supra aerem, sive in aere, sive infra aerem: *Videmus* enim *inseparabili æqualitate patientiæ, nocentibus & innoxiis, religiosis & impiis, gratias agentibus & ingratis, Dei nutu, tempora obsequi, elementa famulari, spirare ventos, fontes fluere, grandescere copias messium, &c.* omnia scil. Dei nutu, qui hisce beneficiis impios ad pœnitentiam invitat: Cypr. de bon. pat. §. 2. Confer & Orig. l. 4. contra Cels. p 213. (2.) *Modum*; qui diversus est: Aliter enim versatur circa bona, aliter circa mala; *Bona*, quæ promovet; *Nihil* enim *boni, sine Dei nutu hominibus contingit.* Orig. lib. 1. contra Cels. *Mala* autem, quæ vel prohibet, vel permittit quidem, in bonum tamen finem dirigit, nempe vel suorum experimentum, *ad exercendam virtutem legitimè certantium, ut reddantur tanquam aurum igne examinatum per istos afflictores.* uti ex professo disputat idem lib. VI. contra Cels. p. 305. vel impiorum Deumque contemnentium pœnam, vide Cypr. advers. Demetr. §. 4. & 5. Piorum contra salutem maturiorem vide Arnob. lib. II. advers. gent. p. m. 96. *Nequam hominum malitia Deus utitur ad rerum hujus mundi ordinem, ita ut mundanæ reip. conferant aliquid*: ait Orig. IV. contra Cels. p. 210. Id quod *μέγιστον τῆς θείας προνοίας maximum divinæ providentiæ* argumentum est Clementi Alex. lib. 1. strom. f. 312. Nec licet inde concludere: Deus igitur erit peccati auctor, si peccatis utitur ad bonum finem: *Nihilominus* enim, *quicunque talis* (peccator homo) *est, & vituperandus, & ut improbatus in suum ordinem redigitur ad aliquem usum, deprecandum quidem cuivis, conferentem tamen in summa quippiam*: Judice Origene l. c.. Sensus est, homines de suo peccare, Deum vero istis ipsorum peccatis uti tantum in bono eliciendo, ut Deo maneat gloria sapientiæ, homini vero culpa & vituperium malitiæ, lib. VII. p. m. 377. bene distinguit inter *διοικεῖσθαι κατὰ γνώμην τοῦ θεοῦ dispensari secundum voluntatem Dei*, quod bonorum est; Et *γίνεσθαι οὐ κωλύοντος τοῦ θεοῦ, fieri non prohibente Deo*, quod malorum est; Item inter *effectum* divinæ providentiæ, qui est in bonis, & inter *consequens*, quod largitur malis. Duo autem sunt extrema hujus sententiæ, hinc Epicureismus,

(2.) Modus varius.

reiſmus, inde Stoiciſmus; iſte omnia forte fortuna geri contendit : *Multi ad primam ſtatim providentiæ mentionem offenſi, quod videant in terris multa malis probisve præter æquum obvenire, propenſiores ſunt in eorum opinionem, qui tollunt è rebus providentiam Numinis, & Epicuro ſe addicunt:* conquerente Origene lib. I. contra Celſ. Hic vero omnia fatali neceſſitate fieri ſibi perſuadet, aſtris ita influentibus, & influxu ita cogentibus: Quam ſententiam obliquè impugnat Clem. Alex. προτρ. f. 41. dum ὄργανα τοῦ χρόνου, *inſtrumenta temporis*, non autem actionum humanarum vocat: directe autem Origenes in Gen. tom. 3. explicans illud Gen. I. 14. quod *ſigna* ſolum ſint, non cauſæ: Qui enim cauſæ fuerint rerum humanarum, cum (1.) Aſtrologi inde etiam præterita probent, quorum non poſſint eſſe cauſæ, quia cauſa prior eſt, non poſterior, effectu (2.) Iidem ſæpe ſub iisdem aſteriſmis, & eodem planè tempore, ut gemelli, naſcantur, diverſa nihilominus ingenia & fata habeant (3.) Ipſe Deus Eſai. XLVII. 13. vanitati prophetaſtrorum illudat: *ſtent & ſervent Aſtrologi cœli, enuncient tibi, quid eventurum ſit!* διὰ γὰρ τούτων διδασκόμεθα μὴ δύνασθαι τοὺς περὶ ταῦτα φιλομαθεῖς προδηλοῦν, ἃ βεβούληται κύριος ἑκάστῳ ἔθνει ἐπαγαγεῖν *his enim edocemur, non poſſe Mathematicos, quæ Dominus vult immittere, ſingulis gentibus prædicere* (4.) Gaudeat homo ſuo libero arbitrio, quod huc vel illuc poſſit flectere: qui igitur ab aſtris cogatur? Hæc ille. Confer, quæ idem apud Euſeb. lib. VI. præp. Ev. ſed cautè legenda habet. Aſtra igitur nequaquam ita influunt in actiones hominum, ut velint nolint hoc & iſto modo perpetrent. Signa tamen eſſe aſtra, ut & meteora, rerum futurarum, nec Origenes, nec ante Origenem Tertullianus negavit, imprimis ſi extraordinaria fuerint : *Cum de areis ſepulturarum noſtrarum acclamaſſent: Areæ non ſint; areæ ipſorum non fuerunt; Meſſes enim ſuas non egerunt: Cæterum & imbre anni præteriti quid commeruerit genus humanum apparuit, cataclyſmum ſcil. & retro fuiſſe propter incredulitatem, & iniquitates hominum; & ignes, qui ſuper mœnia Carthaginis proximè pependerant per noctem, quid minati ſint, ſciunt, qui viderunt, & priſtina tonitrua, quid ſonaverunt, ſciunt, qui obduruerant. Omnia hæc ſigna ſunt imminentis iræ DEI, quam neceſſe eſt quoquo modo poſſemus; ut abrenunciemus & prædicemus, & deprecemur.* Hactenus Tertullianus, c. 3. ad Scap. adverſus profanitatem eorum, quibus etiam hæ inuſitatæ aeris, cœli, terrarumque

rumque prodigia, merè naturalia sunt, vel fortuita. Denique multa sunt, quæ quidem ex Dei providentia fiunt, quorum tamen rationes nos fugiunt, in his præstat ἐπέχειν, & Deo relinquere, quam judicium præcipitare: Agit de his Origenes lib. III. contra Cels. p. 134. ventilat enim casum, qui fiat, quod nonnulli hominum nascantur, vel educentur in mediis gentilismi tenebris, & à parentibus vel dominis ad parem impietatem applicentur; alii contra inter Christianos in medio Ecclesiæ sinu, qui salventur, istis damnatis; fiatne hoc Deo conscio & dirigente, an fortuitò, & quæ causæ sint? ℞. *Quamvis multi putent, hanc fidem fortuitam bonâq; fortunâ contingere, non dubito tamen rationem eius esse apud Deum, qui scit, quid, vel cur tribuat cuiq; in hanc vitam venientium:* Et paucis interjectis: *Multis talis institutio contigit, ut nec imaginari quidem sinantur boni quippiam; sed statim à prima ætate hominibus, luxu libidineq; perditis, aut heris suis sunt in deliciis, aut alio quopiam infortunio gravante, nequeunt animi oculos attollere. Harum rerum causas omnino verisimile est esse in providentiæ rationibus, tametsi non facile cadant in cognitionem hominum.* Hæc ille.

IX. Cultus religiosus.

§. 46. (IX.) *Cultus religiosus.* Arnobio lib. IV. p. m. 148. *cultus verus in pectore est.* Hic soli debetur Deo, Clem. Alex. l. 2. strom. f. 394. bene ait: *Pietas supremam & antiquissimam Causam docet colere & honorare.* Tertull. c. 30. Apol. de adoratione & precatione locutus, ita disserit: *Hæc ab alio orare non possum, quam à quo scio me consecuturum, quoniam & ipse est, qui solus præstat, & ego sum, cui impetrare debetur; famulus eius, qui eum solum observo, qui ei offero optimam & maiorem hostiam, quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spir. S. profectam.* Et rursus: *Nos adoramus oculis ad cœlum sublatis, non ad imagines seu picturas.* Fundamentum Tertulliani probè tenendum, cum dicit, eum sese adorare, à quo se orata consecuturum speret. Oportet igitur nosse, quem invoces: Atq; in hanc sententiam etiam Arnob. lib. III. cont. gent. p. 124. 125. *Quemadmodum, inquit, poterit, an sit Deus aliquis, sciri, si ignorabitur, & nesciet, quid sit? Aut postulatio ipsa beneficiorum valere, si exploratum non erit, non certum, quis ad quamq; debeat consultationem vocari? Omnis enim, qui quærit alicuius Numinis impetrare responsum, debet necessariò scire, cui supplicet, quem imploret, à quo rebus auxilia & necessitatibus exposcat humanis:* Notent hoc

pon-

Pontificii Hagiolatræ. Diſtinguendum igitur inter cultum religioſum & qualemcunque honorem, docente Origene lib. 1. contra Celſ. p. 11. ὡς ὄντα μὲν καὶ τιμῆς ἄξια, οὐ μὲν καὶ προσκυνήσεως καὶ σεβασμοῦ, entia præter *Deum digna quidem ſunt honore, ſed non adoratione & cultu.* Adeoque neque Angeli colendi: *Vbinam invenit in Moſaicis literis à legislatore tradi* σέβειν ἀγγέλους, *colere Angelos?* indignabundus quærit Origenes lib. 1. adverſ. Celſ. p. 20. Idem lib. IV. contra Celſ. p. 233. de iisdem loquens, ſcribit: *Hos Spiritus Angelos ex officio ſuo nominare doctis, invenimus propter divinitatem quandam interdum Deos vocari à ſacra ſcriptura; ſed non ſic, ut jubeamur eos adorare, aut divinis honoribus colere, quamvis dona Dei nobis offerant: Omnia enim vota, omnes interpellationes, deprecationes, & gratiarum actiones, deſtinandæ ſunt ad Deum, rerum omnium Dominum, per maiorem omnibus Angelis ſummum Pontificem, vivum verbum & Deum.* Benè Origenes innuit, quod, ſi quem adorare velimus, mandatum habere divinum nos oporteat, quale quid nullum habemus, neque promiſſum, niſi de Filio Dei, ut per ipſum preces noſtræ ad Deum deferantur. Pergit, & negat Angelos eſſe adorandos ideo, quod neque naturam, neque officia ipſorum ſciamus. Contra Chriſtum vult adorari, quia ubique præſens ſit nobis, utpote implens cœlum & terram. Ierem. XXIII. 13. 24. Quare nec ſolem, nec lunam eſſe adorandam, *utpote non ſemper ubiq; præſentem.* p. 239.

Multo autem minus *Angeli mali* ſunt metuendi, & colendi, etſi Epicuræus id ſuaſerit, ſaltem ideo, ne nocerent, quem pro merito caſtigavit Origen. lib. VIII. p. m. 394. ſeqq. & p. 416. ſeqq. Sed nec *idola* & ſtatuæ. Idem enim lib. 3. contra Celſ. defendens Chriſtianorum prophetias inter alia ſic diſſerit: *Palam approbamus veneranda religionis noſtræ initia; non, ut Celſo videtur, occultamus, quandoquidem eius candidatis ante omnia contemptum idolorum, omniumq; ſtatuarum indimus, mentemq; horum à cultu & veneratione creaturarum ad Deum univerſitatis huius conditorem attollimus.* Et p. 158. dicit: *eum ſolum adorandum eſſe, admirandum atq; colendum, nihilq; præter eum, aut pari honore cum eo. Quæ enim nullo pacto conferenda ſunt, comparare cum longe præcellente omnem creaturam conditam, verè cœcutientium eſt mentis oculis.* Cyprianus *in Deum ſolum fidendum*, ait, *& in ipſo gloriandum eſſe*: lib. III. de teſt. an §. 10.

Dicas, Creaturæ quidem non sunt adorandæ per & propter sese, sunt tamen adorandæ propter Deum, seu Deus per ipsas, tanquã symbola & signa, sicut excipit Celsus apud Orig. l. VII. cont. Cels. p.m. 373. Sed & hoc negat Orig. l. V. cont. Cels. p.m. 239. *Prædicant & fulgura, & fructus, omnesq; proventus, depromant omnia talia; non tamen eos adorabimus ideo, sicut nec Mosen, prophetasq; Dei posteriores, qui prædixerunt meliora, quàm pluvias, æstus, nubes, tonitrua, fulgura, frugesq; proventus sensibiles, Imo, etiamsi sol, luna, stellæq; meliora vaticinarentur, quam pluvias, non tamen vel sic ipsas adoremus*, ὀυδ᾽ οὕτως αὐτοὺς, ἀλλὰ τὸν πατέρα τῶν ἐν αὐτοῖς προφητειῶν, καὶ τὸν διάκονον αὐτῶν λόγον τοῦ θεοῦ προσκυνήσομεν, *sed Patrem prædictionum auctorem, eiusq; ministrum verbum Dei*. Et lib. VI. contra Cels. p,m. 277. invehitur in eos, qui hominem adorantes *volunt videre id facere in honorem Numinis.* Repetit. p. 284. *si quis dixerit, ista* (simulacra) *non esse Deos*, ἀλλὰ μιμημάτων ἀληθινῶν κἀκείνων σύμβολα, *sed Deorum verorum imagines & Signa, nihilominus hi quoq; imperiti, viles & ineruditi sunt, qui Deos imaginantur in manufacturis opificum*, confer lib. VII. p.m. 362. Fundamentum est, quod *nemo, qui cernit animæ oculis, alio modo Deum colit, quam sicut ipse docuit*, uti p. 367. ait. At non docuit ipse per imagines sese colendum. Objiciebat Celsus Epicuræus: quod Angeli, dæmones, heroes sint colendi, ideo quod Dei sint ministri & subditi. ℞. Orig. l. 7. contra Cels. sub fin. & lib. VIII. ab init. Neminem posse servire duobus dominis. Vult Deus se à nobis coli, non servos suos. Nec cruces colebant: *Cruces etiam nec colimus, nec optamus*: profitetur Cæcilius apud Minuc. Felic. p.m. 35.

SECTIONIS IV.

De Χριστολογία.

Argumentum.

Χριστολογία est pars fidei Christianæ; in V.T. revelata: Christi nomina varia, in quibus tamen eminent Christus, Jesus, Spiritus, Sermo: Imago Dei &c. Persona est unica: Naturæ duæ, nempe divina, & humana, quarum utraq; probatur ex nominibus, essentia, attributis, operibus, &c. Unio utriusq; personalis, & communio,

munio, Idiomatum communicatio, distribuitur in genus I. II. III. Officia mediatoris, sunt propheticum, sacerdotale, Regium: hoc vel potentiæ vel gratiæ, vel gloriæ: Status vel exinanitionis, vel exaltationis.

§. I.

Χρισολογία est necessaria.

PRincipalis hic est inter articulos, ut non modo non negari, sed nec ignorari possit, adeoq; necessario credendus sit salvando; pro qua sententia pugnat Orig. l. IV. cont. Cels. Postquã enim removisset falsam de Christo opinionẽ per adversarium in medium allatam, subjicit, non sufficere, quod refutatus sit error Epicuræi, sed insuper requiri veram de Christo notitiam, quam vocat φυτείαν τοῦ Χρ. θεὸν γεωργίου, *plantationem divinæ agricolationis, & in locum dirutorum ædificandum templi Dei gloriosum ædificium: spiritualem legem, quandoquidem nunc maximè opus sit prædictis gratiis ad adstruendum Christum è Prophetarum oraculis.* Quo ipso innuit, articulum hunc jam in V. T. à Prophetis fuisse ita revelatum, ut inde in N. T. demonstrationes institui possint: *Nam omnes Prophetæ nunciabant de ipso, quod esset venturus, & pati haberet,* uti ait Tert. c. 8. advers. Jud. Et probat Origenes lib. II. p. 58 seq. Cels. ex Joh. V. 46. Marc. 1. 1. Etsi diversimodè. *Verbum* enim *Dei* (puta Hypostaticum) *in nomine Dei variè visum Patriarchis, in Prophetis semper auditum*: idem docet cap. 13. de præscript. Quos varios modos citat & enumerat Origenes lib. 1. advers. Cels. *multos*, ajens, *prophetas variis modis prædixisse de Christo, alios per ænigmata, alios per allegorias, aliisve modis, quosdam etiam apertis verbis.* Typos & vaticinia in compendio recitat Cyprianus lib. 1. advers. Jud. & lib. II. §. 1. seqq. Cumprimis autem in Psalmis reperimus χρισολογίαν; Omnes enim pene Psalmi Christi personam sustinent, ait Tert. c. II. advers. Prax. quo cum confer Clem. Alex. lib. VI. strom. f. 679. Et Novat. de Trinit. c. 9. & 25. Hoc vero mysterium illi demum intelligunt, qui vera fide sunt prædıti: ut merito Cyprianus lib. 1. advers. Jud. §. 5. censeat, *nihil posse Judæos intelligere de scripturis, nisi prius crediderint in Christum*, juxta illud Isai. VII. 9. *si non creditis, non intelligetis*: Possunt tamen ita convinci, ut nõn habeant, quod idoneum respondeant, cuius rei exemplum allegat Origenes lib. 1. advers. Cels. Judæi à sese in angustias redacti dicto Psalmi XLV. 7. Simul respondet Celso, regeren-

Et in V. T. prædicta.

renti, dicta Prophetica de alio, quam Jesu Nazareno, posse explicari; Provocat enim cavillatorem ad responsiones Christianis dandas ad applicationem suam pro Jesu suo factam.

Christi (1.) Nomina varia, ut

§. 2. *Nomina* Christi multa quidem sunt & varia, sed eandem personam significant: *Christus* enim *unum & idem est substantia, quamvis multis notionibus cogitetur*: scribunt Patres Antiocheni ad Paulum Samosatenum: Imo & nomina uni symbolicæ voci incluserunt, ἰχθύς: *piscis*: quod legas apud Tert. c. 1. de bapt. significantur autem primæ literæ singularum vocum: Ἰησοῦς, *Jesus*, Χριςὸς, *Christus*, Θεοῦ *Dei*, υἱὸς, *Filius*, & σωτήρ: *Salvator*: Confer Optat. Milev. lib. 3. adverf. Parmen. Et August. lib. XVIII. C. D. c. 23.

Jesus.

Jesus à salute dicitur, quam vel nomine confert: *Huius* enim *nominis efficacia jam innumeri Dæmones conspecti sunt manifestè fugati ex arreptitiorum corporibus & animis*: referente Origene lib. 1. contra Cels. qui tamen male ipsi nomini Hebræo eam vim tribuit, quam fidei, vel Christo potius fide apprehenso, & voce ista significato debuisset tribuere.

Christus

Christus dicitur unde? *à Chrismate, quod est unctio, quæ Domino nomen accommodavit, facta spiritualis, quia Spiritu unctus est à Deo Patre*: Tert. c. 7. de bapt. & lib. III. contra Marc. c. 15.

Filius Dei.

Patres Antiocheni vocant *Filium genitum, unigenitum, imaginem Dei invisibilis, primogenitum omnis creaturæ, sapientiam, & verbum, ac virtutem Dei ante secula non præcognitione, sed substantia & Hypostasi Deum, Dei Filium*, in literis ad Paulum Samosatenum: In quam ferè sententiam & Origenes lib. VIII. advers. Cels. p. 388. disseruit: Dei, Filius est *splendor gloriæ, character substantiæ eius, vapor potentiæ Dei, omnipotentis gloriæ sincera emanatio, splendor sempiterni luminis, speculum immaculati Dei, potentiæ, ac efficaciæ, imagoq; bonitatis eius*. Dionysius Alex. lib. 1. Apol. allegante Athanas. de sent. Dionys. f. 142. appellat *vaporem virtutis Dei* spiritum. Qua voce Spiritus etiam à Tertulliano appellatur aliquoties lib. 1. adv. Marc. 19. adversus Praxeam, & lib. de oratione.

Imago Dei.

Imago autem Dei dicitur non accidentalis, sed substantialis, ut homo est imago Christi substantialis, explicante Clemente Alex. προτρ. f. 62. cui idem est φωτὸς ἀρχέτυπον φῶς *lucis primogenia lux*. lib. 1. pæd. c. 2. confer c. 6. ubi est *& cibus & caro, & nutrimentum, & sanguis*, f. 109. *Canticum novum & Leviticum: in* προτρ. *Maritus Ecclesiæ & Agricola*. l. c. *Verbum cœleste* l. c.

Verbum.

Quæ vox frequentior

tior est apud Patres: Græcè dicitur λόγος, *Ratio*, uti mavult vertere, quam *verbum*, Tertull. c.5. adversf. Prax. Et Cypr. de idol. van. §.6. lib. II. adversf. Jud. §.3. Ipsi etiam Platoni notam vocem fuisse ex ipsius verbis probat Origenes lib. VI. adversf. Cels. p.281. cum addito vocat λόγον ἔμψυχον animatum Verbum, ut distinguat à prolatitio. lib.cit.p.287. Prolixius explicatur nominis ratio à Dionysio Alex. lib.1. & 2. Apol. citante Athanas. l.c. sup. *Manus & brachium Dei* appellatur ab Isai. LII.1. LIII.1. LXVI.1. juxta Cypriani explicationem lib. 2. adversf. Jud. §.4. *Angelus* quoque, adeoque distincta à Patre persona, urgente Novat. de Trinit. c.26. Dicas: Atqui non est dictus Immanuel, nomine à prophetis tamen prædicto. R. Tert. lib.III. adversf. Marc. c.12. *non solum sonum nominis spectandum, sed & sensum*: innuens, re ipsa fuisse Deum nobiscum per incarnationem: Confer Novat. c.12. de Trinit. Angelus.

§. 5. *Persona.* Est unica. Etiamsi enim Filius Dei perfectus Deus existens factus sit etiam perfectus homo, tamen id factum non est assumendo hominem, sed humanam naturam, hypostasi divina communicata; *Non est homo à Deo assumtus, ut alius sit ab illo*: *Neque enim hominem suscepit Dei Filius, ut alius ab ipso factus*, confitetur Felix Episcopus Romanus apud Papyr. Masson. de Episc. Urb. p.26. Patres Antiocheni in Confessione Synodica confitentur Christum *una duntaxat persona, & cœlesti divinitate, ex humana carne conflata, subsistentem.* Pelt. hist. conc. Eph. l.6. c.1. Imprimis hoc agit Tertullianus lib.3. & lib.4. contra Marc. c.6. adversus Marcionitas. *Constituit Marcion, alium esse Christum, qui Tiberianis temporibus à Deo quodam ignoto revelatus sit, in salutem gentium omnium; Alium, qui à Creatore in restitutionem Judaici status sit destinatus, quandoque venturus.* Huic Marcionis sententiæ contradicit Tertullianus, unicum tantum Christum agnoscens, Dei Creatoris Filium, qui voluntatem ipsius sit executus, à Prophetis prædictus, &c. Id quod probat ex Euangelio Lucæ, etiam corrupto Marcionis, quod solum hæreticus recipiebat, ne haberet, quod tergiversaretur. Postquam hoc per totum librum IV. tractasset, usus auctoritate Lucæ, idem probavit etiam ex Epistolis (2.) Persona.

Pau-

Paulinis per totum librum V. In eodem argumento versatur Novat. de Trinit.c.10. Confer quæ §.8. dicemus.

(3.) Naturæ. §. 4. *Naturæ* vocantur & *partes* à Novat. de Trinit. c. 22. Duæ sunt in una persona. Præclarè hoc asserit Tertullianus advers. Prax. *Si enim sermo ex transfiguratione & demutatione substantiæ caro factus est, una jam erat substantia Jesus ex duobus, ex carne & Spiritu; mixtura quædam, ut electrum ex auro & argento; & incipit nec aurum esse, i.e. Spiritus, neq; argentum, i.e. caro; Dum alterum altero mutatur, & tertium quid efficitur, neq; ergo Deus erit Jesus. Sermo enim desiit esse, qui caro factus est; Neq; homo caro; Caro enim non propriè est, quia sermo fuit. Ita ex utroq; neutrum est: Aliud longe tertium est, quam utrumq;. Sed enim invenimus illum directo, & Deum & hominem expositum.* Sententia melior est quam verba. Distinguit in Christo carnem & spiritum, ita tamen, ut non separet; nam mixta i.e. unita fuisse dicit, & ita quidem unita, ut inde fieret una persona, quæ neq; solum Deus, neque solum homo, sed θεάνθρωπος esset, ex divina & humana natura constans. Clem. Alex. προτρ. f. 5. *Apparuit hominibus hic ipse verbum* ὁ μόνος ἄμφω *solus ambo* ! quid igitur ? θεός τε καὶ ἄνθρωπος, *Deus & homo* f.66. dicit: *Crede homo* ἀνθρώπῳ καὶ θεῷ *homini & Deo.* Pædag. l.1.c.2. vocatur θεὸς ἐν ἀνθρώπου σχήματι *Deus in hominis figura.* c. 3. consideratur ὡς ἄνθρωπος καὶ ὡς θεὸς, *ut homo, & ut Deus.* Origenes lib.1. contra Cels. respondens ad objectionem adversarii, qui Deus fuerit Christus, cum mortem timuerit, & sanguinem fuderit? distinguit inter divinam naturam, quæ sit ipsa vita, & humanam, quæ passionibus & morti fuerit obnoxia. Patres Antiocheni in literis ad Paulum Samosatenum Episcopum Synodicis ita loquuntur: *Idem Deus & homo Jesus Christus.* Et paulò post: *Ab omnibus in Ecclesia, quæ sub cœlo est, creditus est Deus quidem, qui seipsum exinanivit, cum esset æqualis Deo, homo vero ex semine David secundum carnem.* Iidem Patres in Synodica confessione ita ordiuntur: *Confitemur Dominum nostrum Jesum Christum ante secula quidem ex Patre per Spiritum sanctum, novissimis vero temporibus ex virgine secundum carnem natum.* Adde sequentia apud Theodorum Peltanum tom.VI.c.1. hist. conc. Ephes. Felix Episcopus Romanus Dionysii successor similem addit confessionem, quam recitant in Concilio Chalcedonensi his verbis: *De incarnatione vero verbi & fide credimus in Dominum*

num

num nostrum Jesum Christum ex Maria Virgine natum ; quoniam ipse est æternus Dei Filius, ut esset alter præter ipsum. Sed Deus existens perfectus, factus est simul & homo perfectus, incarnatus ex virgine. Refert Baronius ann.273.§.13. inter se & alios, sedente Gregorio XIII. P. R. Romæ ortam esse controversiam de auctore huius confessionis, prior, an posterior sub Cæsare Constantino, Felix, illam ediderit confessionem ? Censuit Baronius, priorem esse auctorem, eo quod tempore ipsius Maximianus , vel Maximus Alexandrinorum fuit Episcopus , ad quem epistolam Felicis esse scriptam acta Concilii Chalcedonensis testentur.

§. 5. Natura (I.) *divina* probatur (1.) *Ex nominibus divinis*, Christo attributis, vel ab ipsis sacris literis, loca collegit Cypr. lib.2. adverf. Jud. c.6. imprimis illustris locus est Isai. IX. 6. & 7. quem recensuit Clem. Alex. lib.1. pæd. c.5. Et Rom. IX:5. quo nititur Tertul. lib. adverf. Prax. c.13. Et Orig. lib.7. in c.9. Rom. Et Philip.II.6. seqq. quem explicat Dionysius Alex. in lib. de Eucharistia. Vel à Patribus hujus seculi sive singulis, sive in Conciliis congregatis. Clementi Alex. προτρ. f.6. & ὡς θεὸς , *sicut Deus*, qui vitam nobis æternam commodet : f.68. est ὁ θεῖος λόγος, ὁ φανερώτατος ὄντως θεός *verbum divinum, verè Deus manifestissimus*, ὁ τῷ δεσπότῃ τῶν ὅλων ἀξιωθεὶς *universorum Domino exæquatus*. Eidem natura Filii divina est *res perfectissima & sanctissima , & maximè principalis , & quæ maximè præest, & quæ maximè est regia*, l.7. strom. Felici P. R. est *Deus perfectus*, sicut *homo perfectus est* : Origen, in c.9. Rom. est *Deus super omnia, & unus Dominus, per quem omnia* : Cajo P.R. in actis Sebastiani est *Dominus noster* : Nemesio confessori Christus est *ipse Deus* : Baron. ann.259.§.22. Sapricius perinde confessus est, Christianos habere Christum Deum & Regem, apud Metaphr. t.2. die 9. Februar. Patribus Antiochenis est *totus Deus*, apud Pelt. lib. VI. hist. Eccl. c. 1. constans ex *cœlesti divinitate & humana carne* : ut adeò & *perfectus homo* esset. (2.) Ex *æterna generatione* : Est enim natus *de vulva cordis divini*, uti loqui amat Tert. adverf. Prax. c.7. juxta dictum Psalm. II.7. explicatum à Methodio in lib. de castitate apud Phot. cod.237. de Filio genito ab æterno ex Patris essentia : ut merito Antiocheni Patres confiteantur, *Dominum nostrum Jesum Christum ante secula ex Patre natum* : Et inferant , *Ex cœlesti divinitate esse totum Deum.*

(3.) *Naturæ* ut *Divina*, quæ probatur ex nominibus.

Deum. Et Stephanus P. R. *Filium* ipsum *Dei* apppellat in confessione descripta à Baron. ann. 259. §. 1. sed de hoc supra sect. 3. §. 11.

Ex attributis (3.) Ex *Attributis divinis.* Ut sunr *æternitas*: ἀΐδιος οὗτος Ἰησοῦς εἷς, *æternus hic est Jesus unus*, juxta Clem. Alex. προτρ. f. 74. Atqui genitus est *hodie*? Rx. idem: ἡ σήμερον ἀΐδιος αἰῶνος ἐστιν εἰκὼν: *hodie est imago æterni seculi*, προτρ. p. 55. Origenis suffragium laudat Athanas. lib. de decret. Syn. Nic. f. 152. *Cum sit ille* (Filius) *similitudo Patris, fieri non potest, ut fuerit, quando non fuerit; Quando enim Deus, qui secundum Johannem Euangelistam lux dicitur, splendore caruit suæ maiestatis? ut quis audeat Filio principium adscribere, quasi antea nondum existenti?* Cui mox aliud testimonium subjungit ejusdem: Et Patres Antiocheni dicunt eundem *primogenitum omnis creaturæ, virtutem Dei ante secula, qui semper cum Patre sit.* Felix Papa *æternum Dei Filium* profitetur in literis ad Maximum Alexandrinum, citantibus Cyrillo in Apologia, & actis Chalcedonensibus. §. 1. Dionysius Alex. lib. 1. Apol. bene argumentatur: *existente æterno Patre, existit & æternus Filius, lumen de lumine.* Relata enim sunt simul. Est *omniscientia*; Novit enim τὰ ἐγκάρδια quæ *in corde sunt*; juxta Clem. Alex. lib. 1. pæd. c. 3. Etiam Patris; Est enim Dei *tota mens, tota lux paterna, totus oculus, qui omnia videt, omnia audit, scit omnia*: ut ait Orig. l. 2. contra Cels. p. 67. Etiam futura, quod ex Matth. X. 18. demonsttat. Est *omnipotentia*: quæ & ipsa Christo competit: qui *nos potest eripere de manibus inimicorum, & diaboli sævitia, & suæ gratiæ sociare*: quod solatium erat Stephani ad Martyrium hortantis, referente Ba-

Ex operibus. ron. anno 259. §. 21. (4.) *Ex Operibus divinis.* Bene argumentatur Novat. c. II. de Trinit. *Si probatio hæc ex infirmitatibus Christi illuc proficit, ut homo ex infirmitatibus comprobetur, probatio divinitatis in illo collecta ex virtutibus illuc proficiet, ut etiam Deus ex operibus adseratur.* Nam talia sunt subjecta, qualia permittuntur à prædicatis. Opus unius Dei est *creatio.* Atqui Christus omnia creavit, etiam hominem ad sui imaginem, Clem. Alex. προτρ. f. 4. & 5. Pæd. lib. 1. c. 2. Id quod Patres Antiocheni adversus Paulum Samosatenum probant ex Joh. I. 1. seqq. Col. I. 16. Et Hippolytus Martyr confitetur coram Valeriano, referente *Baron. an. 259.* §. 1. Et Donvina apud eundem an. 285. §. 11. Quia autem nonnulli Filium Patris *instrumentum* creationis dicunt, ut Clem. Alex. f. 5. προτρ. Antiocheni

cheni dissensum testantur, dicentes, se confiteri Patrem *per Christum omnia fecisse, non tanquam per instrumentum: neq; tanquam per scientiam, non per se existentis*: sed scilicet ut Deum ὁμοούσιον, & verbum Hypostaticum: sed & *restituit* Christus omnia: Nam *restitutio in pristinam perfectionem* ipsius est opus, juxta Clem. Alex. προτρ. f. 20 *suscipe* igitur, hortatur, *Christum, suscipe visum, suscipe lucem.* Pæd. lib. 1. c. 2. & remissionem peccatorum, l.c. Experimentum dedit in semet ipso, quia se ipse excitavit ex mortuis, *ut vim divinæ majestatis ostenderet*: teste Cypr. de idol. van. §. 7. *Spiritum sponte dimisit, & die tertio rursus à mortuis sponte surrexit*, §. 8. Imprimis huc etiam spectant *miracula*, quæ perpetravit. Excipiebat quidem profanus Epicuræus Celsus, etiam magos & circulatores edere miracula: Sed ℞. Origenes lib. 1. p. 53. Christum fecisse miracula ad persuadendam & confirmandam veram doctrinam, sanctamque vitam plantandam & alendam, ipse etiam sanctissimè vivens: quale quid de Ægyptiis & circulatoribus dici non possit. Arnobius lib. 1. adversus gent. negat ullum unquam tot tantumque miraculorum patrasse, sicut Christum; & si quis patrasset, istius beneficio patrasse. Manet igitur Christus Deus, *quia fecit, quæ fieri non potest, ut homo faciat*, uti Deum describit Gymnosophista ille ab Alexandro Magno quæsitus, quomodo ex homine fieret Deus? apud Clem. Alex. lib. VI. strom. f. m. 634. (5.) *Ex cultu divino*, qualis est gloria soli Deo competens. Julius Africanus lib. 5. hist. citante Basilio, Christum vocat *omnium Salvatorem, Dominum nostrum, cui est gloria & majestas cum sancto Spiritu in secula*: Confessores Romani erant parati *non tantum facultates terrenas relinquere, sed etiam sanguinem propter nomen Domini nostri Jesu Christi*: referente Baron. ann. 259. §. 21. Nemesius alius Confessor: *Hunc*, ait, *timeo, hunc adoro, ipsi cultum meæ servitutis offero, ejusq; consilium semper requiro*. §. 25. Sempronius Christo *offert sacrificium laudis*. §. 26. Imprimis hoc agit Origenes lib. VIII. contra Cels. p. 384. dum *certissimis argumentis* ex Scriptura cum V.T. tum N.T. de promptis ostendit, eodem, quo Patrem, honore Filium esse prosequendum. Denique (6.) *Ex ipsis adversariis*, quo argumento utitur Novat. de Trinit. c. 18. Verum igitur manet, Filium esse verum Deum, adeoq; ejus-

Ex cultu divino.

Ex ipsis adversariis.

ejusdem essentiæ cum Patre: ut ait Origenes in dialogo cum Marcionitis f. 497. opp.

Objectiones (1) §. 6. Obstrepebant huic veritati hostes, objicientes (1.) Deum esse bonum; Christum autem non esse bonum, utpote virgis & minis utentem. (2.) Deum esse sanctum; Christum autem minimè, utpote qui & spurius fuerit, & magus in Ægypto *δυνάμενων τινῶν efficaces quasdam artes didicisse, quibus sibi Ægyptii placeant, reversum autem tanta potentia tumidum, pro Deo voluisse haberi*: Sic Celsus calumniatur Epicuræus. (3.) Deum esse colendum; discipulorum autem alterum eum abnegasse, alterum prodidisse. Idem arguebat (4.) Christum esse mortuum, cum tamen Deus sit immortalis. Sed ℞. ad (1.) ex Clem. Alex. lib. 1. pæd. c. 8. N. C. Nam & bonus potest esse severus propter bonitatem. Ad (2.) ℞. Orig. l. 1. contra Cels. p. 22. Christi vitam & res gestas calumniam istam & blasphemiam facile diluere: Emersit Christus ex infimo humilitatis gradu, Judæis & Ethnicis exprobrantibus ipsis, ad summum fastigium; Nullis ipse literis humanitus tinctus, attamen ipsum Judaismum sua doctrina evertit, & Græcorum sapientiam expugnavit: Protulit admiranda de judicio Dei, deque pœnis malorum, & bonorum præmiis, ad quæ vel sapientissimi & perspicacissimi obstupescebant: Sanctissimè & ipse vixit, & alios vivere docuit, & jussit, & fecit, & intrepidos ad omnia pericula fecit, ut discipulos; Quæ certè omnia & similia non consistere possunt cum ortu spurio seu adulterino, & magia dæmoniaca, ut hostes calumniabantur. Ad (3.) ℞. Orig. l. 2. advers. Cels. p. m. 71. 72. Quod Judas Christum prodiderit factum esse non ex ignorantia, quod nesciret, aut non crederet Christum esse Deum; sed ex avaritia; Petrum autem abnegasse similiter non propterea, quod negaret esse Deum Dominum suum, sed quia vitæ suæ metuebat. Ad (4.) ℞. Novat. de Trinit. c. 20. *impassibilis est divinitas, passibilis vero humanitas.*

(Margin: (2.) (3.) (4.) Solvuntur: Resp. ad 1. ad 2. ad 3. ad 4.)

Humana asseritur. §. 7. Altera Christi natura est *humana*, quam *sponsam* appellat & *columbam* Methodius, *cujus gratia Verbum Patrem deseruerit & in terram huc descenderit, illiq; per incarnationem copulatum sit*: apud Phot. cod. 237. Pro qua mascule pugnavit Tertullianus in libello de carne Christi adversus Marcionem, qui negabat, & Apellem,

qui

qui ex cœlo allatam nugabatur, & Valentinum, qui Spiritualem fingebat; ipse autem doctissimus Pater nobis similem asserebat essentia, excepto peccato, ex anima & corpore constantem. Id quod probatur (1.) *Ex nominibus:* Est enim & dicitur Christus *homo ex semine David secundum carnem*, ut ex Rom. I. 3. vocant Patres Antiocheni in literis ad Samosatenum. (2.) *Ex partibus essentialibus*, anima & corpore: Et quæ huc pertinent. Nam *corpus Christi ex virgine sumptum est*: illi ipsi scribunt; Ex virgine *natum secundum carnem* confitentur apud Peltan. lib. VI. hist. conc. Ephes. c. 1. *sanguinem* Christi in scriptis Johannis sæpe nominari, observavit Dionys. Alex. lib. 1. de prom. referente Euseb. lib. VII. hist. Eccles. c. 20. Quod quidem Maneti minus placebat, utpote exagitanti sententiam orthodoxorum obscœnis verbis, Christum *Mariæ cujusdam mulieris filium esse, & ex sanguine & carne, & reliqua fœminarum graveolentia natum*, ut verba hæretici refert Epiph. hæres. 66. *Animam* quoque ex eadem esse assumptam vel unus Tertullianus sufficiat, utpote traducis patronus, de quo supra & Orig. l. 2. περ. ἀρχ. c. 8. *Sicut verè carnem habuit, ita verè & animam habuit.* Et l. IV. c. 2. *suscepit non solum corpus humanum, ut quidam putant, sed & animam nostram:* Confirmat subjectis scripturæ dictis. (3.) *Incarnatione.* Nam in hac corpus & animam ex matre sua suscepit: Qui enim pridem *suscepturus erat carnem & animam, ipsas substantias hominum*, ut ait Tert. c. 18. advers. Prax. ille ipse tempore completo *assumpsit corpus & animam humanam* Origen. l. 2. advers. Cels. ut *de virgine nasceretur homo Deus, hominis & Dei Filius*, quod ex S. literis probant Tert. de carn. Christi c. 17. & 20. Cypr. lib. 2. contra Jud. §. 9. Verè igitur, quod contra phantasias Hæreticorum probat Origenes lib. IV. contra Cels. post Tertullianum c. 2. de carne Christi: supernaturaliter tamen; Neque enim ex consuetudine & semine virili natus est, c. 18. sed virtute Spiritus sancti, *carnem, Spiritu sancto cooperante, induitur*, juxta Cypr. de idol. vanit. §. 6. ut merito οἰκονομίαν τοῦ θεοῦ *dispensationem Dei* Clemens Alex. προτρ. f. 40. & παράδοξον ἀπὸ ἁγίου πνεύματος σύλληψιν *miraculosum de Spiritu sancto conceptum* deprædicet Orig. lib. 1. contra Cels. confer lib. II. de princ. c. 6. Utpote insuper natum *ex virgine*; Tert. de carne Christi c. 13. & 20. *è virgine, non è coitu viri natus*, uti Orig. l. 2. advers. Cels. loquitur: Et confirmave-

Et probatur (1.) ex nominibus.

(2.) Ex partibus.

(3.) Ex incarnatione.

maverat lib. 1 ex vaticiniis Prophetarum, quippe qui non *tacuerunt prodigium, nasciturum ex virgine, qui ex re nomen* (אמנואל) *habet, quoniam ex nato Deus erit cum hominibus*: Imo expresse nominarunt עלמה *Virginem.* Etsi enim sint, qui adolescentulam interpretentur, tamen nec genius linguæ Hebrææ, nec versio LXX. interpretum, nec scopus Prophetæ, (qui erat, signum dare extraordinarium) interpretationem istam Judaicam fert, vide Tertull. lib. 3. contra Marc. c. 13. Orig. lib. 1. contra Cels. Cypr. lib. 2. adv. Jud. §. 9. Occurritur hinc Epicuræo Celso, qui dignius censuit esse, Christum immediatè ex Deo corpus accepisse, quam ex virgine animæ contaminativum: Virgo enim fuit incorrupta, Et quia sine viro concepit, nec peccatum originale in ipsius partum derivatum & propagatum est, vide Orig. lib. VI. advers. Cels. p. 325. Marcionitæ objiciebant ex Rom. VIII. 9. Christum fuisse tantum in *similitudine carnis peccati*: Sed ℞. Tert. lib. V. contra Marc. c. 14. *Similitudo ad titulum peccati pertinebit, non ad substantiæ mendacium.* Confer & Novat. de Trinit. c. 10. Neque tamen ita, ut incluserit Dei Filium, tanquam alibi non præsentem, vel existentem. *Non ita sentiendum est*, monente Orig. l. IV. περ. ἀρχ. c. 4. f. 474. *Locus* nati fuit præsepe in spelunca Bethlehemi, juxta Orig. l. 1. advers. Cels. *Signum* nati fuit Stella nova & inusitata, instar Cometæ, adeoque ominosa, ut solent esse Cometæ, quod idem probat ex cujusdam Chæremonis Stoici tractatu de Cometis; pag. 45. Verbum tamen Dei à Bileamo quondam recitatum de stella ex Jacobo oritura mysteriũ liquidius explicuit. *Forma* nati, & adulti statura, quæ fuerit, curiosi inquirunt. Celsus calumniabatur fuisse *μικρὸν, δυσειδῆ, καὶ ἀγενῆ, parvam, deformem, & humilem*; Nec videtur abnuere scriptura Isai. LIII. in passione Christum talem fuisse, Psal. XLV. 4. 5. *Finis* incarnationis fuit conversio Judæorum, & vocatio gentium, vide Orig. l. IV. contra Cels. 162. VI. 329. post Tert. de carne Christi c. 12. Adde Arnob. advers. gent. lib. 1. p. m. 37. imprimis autem mediatio inter Deum & homines: *Et homo & Deus Christus, ex utroq; genere concretus, ut Mediator esse inter nos & Patrem posset.* ait Cypr. lib. 2. advers. Jud. §. 10. Confer Clement. Alex. προτρ. f. 68. Et lib. 1. pæd. c. 3. Novat. de Trinit. c. 18. & 19.

(4.) Ex affectionibus.

(4.) *Ex Affectionibus humanis.* Prælusit his in V. T. cum hominibus appa-

appareret, sub specie, & affectionibus humanis: Hoc enim eo fine factum, ut, quod homo verus esset futurus, præfiguraret. Homo nempe, qui *passiones humanas, & sitim, & esuriem, & lacrymas, & ipsam nativitatem ipsamq; mortem esset subiturus.* Vide Tert. adversus Prax. c.16. Et de carne Christi. c.9. seqq. Patres Antiochenos in literis ad Samosatenum. Novat. de Trinit. c.26. Homo autem factus infirmitates reipsa in sese suscepit: *Probatio* igitur *hæc ex infirmitatibus Christi illuc proficit, ut homo ex infirmitatibus comprobetur: Passiones in illo ostendunt humanam fragilitatem,* adeoque etiam humanam naturam, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

§. 8. Duæ hæ naturæ invicem personaliter unitæ constituunt unam personam, & mutuam habent communionem. (4.) Unio *Vnio*, meliore sensu quam voce, dicitur *mixtura* à Tertul. adversus Prax. Origene lib. III. contra Cels. p.136. seqq. Cypriano de idol. vanit. §.6. Novat. de Trinit. c. II. 20. Idem hic etiam vocat *sociationem, susceptionem, annexionem, raptum, traductionem, concretionem, contextum, adhæsionem,* verbis scilicet benigne explicandis; Ipse autem explicuit, quod *scriptura Euangelica utramq; istam substantiam in unam nativitatis Christi fœderaverit concordiam.* cap.13. & c. 16. *Vtrumq; in Christo confœderatum est, & utrumq; conjunctum est, & utrumq; connexum est.* Nimirum ita loquendum & sentiendum est de hac naturarum unione, ut neq; naturæ invicem confundantur, permutentur, corrumpantur, neque tamen etiam duæ personæ statuantur. Non confundantur: *Discat* enim *verbum manere verbum in substantia, nec pati eorum quicquam, quæ corpus, aut anima patitur,* ait Orig. lib. IV. contra Cels. Tertull. c.3. de carne Christi, illustrat exemplo analogo, Spiritus S. qui quidem assumpserit columbam, neq; tamen, vel suam, vel columbæ substantiam confuderit, aut aboleverit: *Qui Spiritus cum hoc esset, tam verè erat & columba, quam & Spiritus: nec interfecerat substantiam propriam, assumpta substantia extranea:* Nec corrumpuntur *è bono in malum, è pulchro in turpem, è felice in infelicem, ex optimo in nequissimum.* Quæ calumnia erat Celsi, refutata ab Orig. lib. IV. p.160. Sed nec multiplicentur personæ: Egregie Felix Episcopus Romanus confitetur: *Credimus in Dominum nostrum Jesum Christum, ex virgine Maria natum, quod hic est Dei æternus Filius, & Verbum, & non Homo à Deo assumptus, ut alius sit ab illo; Neq; enim hominem*

nem suscepit Dei Filius, ut alius ab ipso factus, sed Deus existens est, simul & homo perfectus, incarnatus ex Virgine. Hæc ille apud Papyr. Masson. de vita Pontif. p. m. 26. Ex quibus verbis patet, quod λόγος assumpserit in suam hypostasin non hominem aliquem, propria sua hypostasi gaudentem, sed humanam naturam propria hypostasi destituta, ut una esset eademque utriusque naturæ hypostasis, cujus virtute concretum unius naturæ de concreto alterius revera prædicaretur. Confirmat mysterium & explicat Origenes lib. VI. contra Cels. p. 309. ab unione inter maritum & uxorem, item inter Deum & homines mystica: cuius gratia isti dicantur una caro; hi unus spiritus, *quid igitur*, infert, *vetat, quo minus summa & incomparabili communione, anima Jesu, & Jesus in universum cohæreant tam individuè cum ipso verbo unigenito, ac totius creaturæ primogenito, ut jam non sit diversum ab eo?* Diversum puta, non quidem personaliter, realiter tamen, quod antea ostensum. Confer lib. II. p. 64. 76. Quibus observatis explicari possunt *similia*, quibus interdum utuntur in hoc mysterio Patres: Vocant humanam naturam *pullum*, cui divinitas inequitarit, Clem. Alex. l. 1. pæd. c. 5. *Fenestram*, per quam *Christus tolerantiam nostram respexit*, c. 9. Neq; enim hæc extendenda sunt ultra tertium comparationis, ut duo sint ὑφιστάμενα, sicut pullus & Christus erant duo: aut mutua περιχώρησις non sit, sicut non est inter oculum & fenestram. *Dum enim Filius hominis adhæret in nativitate Filio Dei, ipsa permixtione fœneratum & mutuatum tenet, quod ex natura propria possidere non potest*, ait Novat. c. 19. de Trinit. Ipse *finis* incarnationis unionem tam arctissimam, & communionem reciprocam postulabat: *Quoniam si ad hominem veniebat, ut mediator Dei & hominum esse deberet, oportuit illum cum eo esse, & verbum carnem fieri, ut in semetipso concordiam confibularet terrenorum pariter atq; cœlestium, dum utriusq; partis in se connectens pignora, & Deum homini, & hominem Deo copularet, ut merito Filius Dei per assumptionem carnis Filii hominis, & Filius hominis per receptionem Dei verbi Filius Dei effici posset:* ejusdem est sententia c. 18. Ex quo sole meridiano clarius apparet arctissima utriusque naturæ & unio & communio eo fine facta, ut homo cum Deo reconciliaretur.

(5.) Communicatio idiomatum.

§. 9. Ex hac naturarum perichoristica unione & communione fluit *Communicatio idiomatum.* Hoc mysterium eleganti simi-

similitudine declaravit Origenes lib. 2. περ. ἀρχ. c.6. nempe ferri igniti. Verba sunt hæc: *Metallum capax est frigoris & caloris. Si ergo massa aliqua ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris omnibusq́ venis ignem recipiens, & tota ignis effecta, si neq́ ignis ab ea cesset aliquando, neq́ ipsa ab igne separetur, nunquam dicemus, hanc, quæ natura quidem ferri effecta est, in igne positam, & indesinenter ardentem; posse frigus aliquando recipere, quin imo, quod verius est, magis eam, sicut in fornacibus sæpe fieri oculis deprehendimus, totam ignem effectam dicimus; quoniam nec aliud in ea, nisi ignis cernitur, sed & si quis contingeret, aut tractare tentaverit, non ferri, sed ignis vim sentiet. Hoc ergo modo jam etiam illa anima, quæ quasi ferrum in igne, sic semper in verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est, omne quod agit, quod sentit, quod intelligit Deus est, & ideo nec convertibilis, nec mutabilis dici potest, quæ inconvertibilitatem ex verbi Dei unitate indesinenter ignita possedit. Ad omnes deniq́ sanctos calor aliquis verbi Dei putandus est pervenisse, in hac autem anima ipse ignis divinus substantialiter requievisse credendus est, ex quo ad cæteros calor aliquis pervenerit.* Hactenus Origenes. Sicut igitur ignis ferro ignito suam communicat vim calefaciendi & urendi, ita divina natura humanæ sua idiomata. Vide Luther. t.2. Isleb. p.442. Huius mysterii gratia Christiani apud gentiles malè audiebant, quod *crederent Deum esse hominem* natum; referente Arnob. lib.1. p.m.20.

§. 10. Genus I. est, cum humana de Deo, & divina prædicata de homine Christo & vice versa enunciantur in concreto vel personæ, vel naturarum: Huius generis (1.) *Fundamentum est arctissima naturarum unio & communio*; qua factum est, ut una sit persona: *Et hac de causa, per omnem scripturam tam divina natura humanis vocabulis appellatur, quam humana natura divinæ nuncupationis insignibus decoratur*: verba sunt Orig. c.6. περ. ἀρχ. lib.2. Qui in eandem sententiam disputat lib. VI. advers. Cels. p. m.309. ex principiis Stoicis, quibus Deus sapiente non est potior; idque Celso non obnitente; *Cum vero, divina doctrina dicente, hominem perfectum agglutinari virtute, uniriq́ ipsi verbo, ex nobis audit, huc sublimitatis elatam Jesu animam non separari à totius creaturæ primogenito, ridet, Jesum dici Dei Filium: non videns, quid de eo dicatur in arcanis divinarum scripturarum mysteriis.* Jesus igitur ex B. Virgine natus, est Dei Filius, quia animam humanam, imo integram essentiam in hypostasin suam λόγος recepit. Confirmatur

(6.) Genus I.

tur ex lib. II. de princ. c.6. ubi ait: *Vnde & merito pro eo, vel quod tota* (anima) *esset in Filio Dei, vel totum in se caperet Filium Dei, etiam ipsa cum ea, quam assumpserat, carne Dei Filius, & Dei virtus Christus Dei sapientia appellatur: Et rursum Dei Filius, per quem omnia creata sunt, Jesus Christus, & Filius hominis nominatur. Nam & Filius Dei mortuus esse dicitur.* Novatianus in lib. de Trinit. c.18. seqq. per omnia consentit. Disputat enim adversus eos, qui ex prædicationibus personalibus alterutram naturam destructum ibant, qui potius censere debuissent, ideo λόγον esse factum hominem, *ut merito Filius Dei per assumptionem carnis Filius hominis, & Filius hominis per receptionem Dei verbi Filius Dei effici posset*: Probat ex Luc.1.35. ubi Angelus ad Mariam, *quod ex te nascetur, ait, sanctum, vocabitur Filius Dei. Probans, quoniam Filius Dei descendit: Qui, dum Filium hominis in se suscepit, consequenter illum Filium Dei fecit, quoniam illum Filius sibi Dei sociavit, & junxit: ut dum Filius hominis adhæret in nativitatem Filio Dei, ipsa permixtione fœneratum & mutuatum teneret, quod ex natura propria possidere non posset.* Filius igitur Dei est Filius hominis, & vice versa, ideo, quod Filius Dei assumpsit ex virgine Maria carnem & animam humanam. Origen. lib.2.περ. ἀρχ. c.6. admiratus mysterium incarnationis, dicit, *ingressam esse Dei sapientiam vulvam fœminæ, & natum esse parvulum, & vagitum emisisse ad similitudinem plorantium parvulorum.* (2.) *Distinctiones* sunt observandæ, ne confundantur invicem naturæ, dum alterutrius propria de alterutrius concreto prædicantur. Id quod Origenes lib.I. in ep. ad Rom. probe observavit. Joh. VIII. 58. Christus homo dicit sese ante Abrahamum fuisse: sed secundum quam naturam? *manifestum est, quia secundum carnem non erat prius, secundum Spiritum vero erat ante, & non erat, quando non erat*: En particulam distinctivam: secundum. & lib. II. de princ. c.6. *Filius Dei mortuus esse dicitur, pro ea scilicet natura, quæ mortem utiq; recipere poterat.* Confer lib.I. contra Cels. p.51.62. VII.342. Novatianus l. c. iisdem utitur, ad solvendum argumentum sibi obiectum: *Si Christus non homo est tantum, sed & Deus, Christum autem refert scriptura mortuum pro nobis, & resuscitatum, iam docet nos scriptura credere, Deum mortuum: Aut, si Deus non moritur, Christus autem mortuus refertur, non erit Christus Deus, quoniam Deus non potest accipi mortuus.* ℞. Novatianus, dist. inter divinam & humanam naturam, mortuum esse Christum,

stum,

stum, sed secundum humanam naturam: *Quis enim non intelligit, quod impassibilis sit divinitas, passibilis verò sit humana fragilitas?* Cypriano eædem distinctiones occurrunt, lib. 2. advers. Jud. cap. 8. Distinguendæ autem sunt naturæ, non separandæ, neque persona multiplicanda: *Hæc non eo à nobis dicta sunt,* ait Origenes, *quod separemus à Jesu Filium Dei: unita est enim post dispensationem anima Jesu corpusq; cum verbo Dei.* lib. 2. advers. Cels. Et Patres Antiocheni, *Quemadmodum,* aiunt, *hæc distincta & inter se discreta pronunciamus, non ad inducendam unius indivisæ personæ divisionem, sed ad denotandam naturarum & proprietatum Verbi & Carnis distinctionem & inconfusibilitatem: Ita illa, quæ ad indivisæ unionis compositionisve rationem faciunt, unita prædicamus & veneramur.* Hæc illi & plura alia apud Theodor. Pelt. lib. VI. hist. Conc. Ephes. c. I. Unde patet, ita esse naturas distinguendas, ut tamen una maneat persona, & ita unionem utriusque esse urgendam, ut invicem non confundantur.

§. 11. Genus II. est cum axiomata divina humanæ naturæ in abstracto communicata prædicantur. Sic enim Tert. (Novat:) de Trinit. c. 29. *Spiritus venit super Christum, habitans in solo Christo plenus ac totus, nec in aliqua mensura aut portione mutilatus, sed cum tota sua redundantia cumulatè admissus, ut ex illa delibationem quandam gratiarum cæteri consequi possent, totius sancti Spiritus fonte in Christo remanente, ut ab illo donorum atq; operum venæ ducerentur.* Origenes lib. 11. de princ. c. 6. idem sentit: urgetque illud Psal. 45. 8. præ participibus: *indicat, quia ea gratia Spiritus, sicut prophetis ei data est, sed ipsius verbi Dei in ea* (anima) *substantialis inerat plenitudo, sicut & Apostolus dixit,* Col. c. II. 3. & lib. IV. c. 2. Anima Christi *totam in se sapientiam Dei & veritatem vitamq; receperat,* lib. 3. contra Cels. p. m. 135. 136. disputans pro gloria Christi adversus obiectiones Epicuræi, asserta deitate eius, de humana natura subjicit: *Mortale eius corpus & humanam in eo animam scimus illius verbi* οὐ μόνον κοινωνίᾳ, ἀλλὰ καὶ ἑνώσει καὶ ἀνακράσει, τὰ μέγιστά φαμεν προσειληφέναι, καὶ τῆς ἐκείνου θειότητος κεκοινωνηκότα εἰς θεὸν μεταβεβηκέναι, *non solum communicatione, sed etiam unctione & permixtione, tantum divinitatis assumpsisse, ut Deus fieret.* Idem lib. 4. p. m. 239. *Eius* (Dei) *Filius non solum tunc, sed & semper cum suis est discipulis, juxta promissionem illam: Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Et si quidem palmes non potest fructum ferre, nisi in vite maneat, liquet, quod*

Genus II.

etiam verbi discipuli, intelligibilis vere vitis, hoc est, verbi palmites, non possint proferre fructus virtutis, nisi maneant in vera vite, Christo Dei, qui etiam incorruptibilis. Cum Paulus Samosatenus negaret unitatem personæ Christi, & communionem idiomatum, & incorruptibilitatem sanguinis Eucharistici, Dionysius Alex. Episcopus scriptis ea de re literis, egregiè confutavit hæreticum, docens, sanguinem θεανθρώπου fuisse incorruptibilem. Vide epistolam apud Turr. lib. de sacr. Euchar. c.10.11. Baron. an.265. §.6. seqq. Idem *sanguinem* Christi Eucharisticum vocat vivificum, l. c. Ex dictis sequitur *Adoratio*, Clem. Alex. προτρ. f.66. hortatur: *crede homo* τῷ παθόντι, καὶ προσκυνουμένῳ θεῷ ζῶντι *passo, & adorato Deo viventi.* Et Cypr. in serm. de adscens. *Revertenti*, ait de Christo, *ad Patrem solenniora obsequia impendebant, & festivis affectibus venerabantur hominem supra se sublimatum, quem gloria & honore coronaverat Pater, & ad dexteram suam collatum, hoc dato ei privilegio singulari, ut in nomine eius omne genu flecteretur, & supra omne nomen, nomen eius excellentius coleretur.* Genua alicui flectere, est cultus adorationis; id vero contigit Christo exaltato, adeoq; secundum humanam naturam, à qua homo denominatur.

Genus III. §. 12. Genus III. est, cum ἀποτελέσματα officii Christi prædicantur de concreto naturæ, operante quacunque natura quod suum est, cum communicatione tamen alterius. Christus ideo Deus & homo factus est, *ut Mediator esse inter nos & Patrem posset*, uti loquitur Cypr. l. 2. advers. Jud. §.10. μεταξὺ ὢν τῆς τοῦ ἀγεννήτου καὶ τῆς τῶν γεννητῶν πάντων φύσεως, *medius existens inter ingenitam, & genitorum omnium naturam*, juxta Orig. lib. III. contra Cels. p. 131. Cui subscribit Novat. de Trinit. c.16. *propter quam causam* (Deum cum hominibus reconciliandi) *qui mediator Dei & hominum effectus exprimitur, in se Deum & hominem sociasse reperitur.* Quod latius explicat c. 18. Si autem Christus ideo & Deus & homo esse debuit, ut opus mediationis adimpleret, sequitur secundum utramq; naturam opus istud perfecisse. *Hic Deus noster, hic Christus est, qui, Mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad Patrem; quod homo est esse Christus voluit, ut & homo posset esse quod Christus est*: juxta Cypr. de idol. vanit. §.6. Hic scilicet est ille Σωτὴρ ὁ κύριος *servator Dominus*, appellante Clem. Alex. προτρ. f. 69. ille σπονδοφόρος, καὶ διαλλακτὴς, καὶ Σωτὴρ ἡμῶν, λόγος, πηγὴ ζωοποιὸς, εἰρηνικὴ, &c. *Fœderis initor, & reconciliator, & salvator*

vator noster, verbum, fons vivificus, pacificus, qui per universam terræ faciem diffunditur, per quem, ut semel dicam, omnia effecta sunt, pelagus bonorum: ut idem deprædicat: vel, ut Tert. adversf. Jud. c. 6. verba sonant, *Novæ legis lator, & Novi Testamenti hæres, & novorum sacrificiorum sacerdos, & novæ circumcisionis purgator, & æterni sabbati cultor, qui legem veterem compescat, & novum testamentum statuat, nova sacrificia offerat, & cæremonias antiquas reprimat, & circumcisionem veterem cum suo sibi sabbato compescat, & novum regnum, quod non corrumpatur, adnunciet.* Habes opera Christi Prophetæ, Sacerdotis, Regis.

§. 13. Sit igitur *officium*: de quo notanda sunt (1.) *Assertio* Doctorum huius seculi. Tertulliano auctore verbum Dei incarnatum *prædicavit novam legem, & novam promissionem regni cœlorum.* c. 13. de præsc. Clemens Alexandrinus tres libros de Pædagogo hominum, Christo, conscripsit: Et in προτρ. f. 69. ipsi idem est *ille magister, qui implevit omnia sanctis potestatibus, opificio, salute, beneficio, legislatione,* προφητείᾳ, διδασκαλίᾳ, *prophetia, doctrina,* πάντα νῦν ὁ διδάσκαλος κατηχεῖ: *omnia nunc instruit Magister*: Idque peregit variis modis *minis admonendo, maledicens convertendo, deflens miserendo, psallens invitando; per rubum loquitur, sed & igne terret; ipse est Dominus loquens in Isaia, ipse in Elia, ipse in ore Prophetarũ.* Simul innuit, quod iam in V. T. munere Prophetico quodammodo functus sit: quæ communis patrum hujus seculi sententia fuit. Vide Tert. c. 9. adv. Jud. c. 13. de præscr. c. 16. adv. Prax. Origen. lib. III. contra Cels. Cypr. de idol. vanit. §. 6. Methodium de castitate apud Phot. cod. 237. Confer ad præcedentia Orig. l. 2. περὶ ἀρχ. c. 6. Cypr. de mort. §. 4. de oper. & eleemos. §. 8. Arnob. lib. 1. adversf. gent. Dionysium Alex. apud Athanas. de sent. Dionys. p. m. 143. Patres Antiochenos in literis ad Paulum Samosatenum; Pionium & Sabinam martyres apud Baron. an. 254. §. 1. seqq. (2.) *Probatio*: Patres adductis in medium scripturæ testimoniis, & juncta ipsis adimpletione probarunt suam assertionem. Illustris locus est Deut. XVIII. 18. de propheta post Mosen futuro, allegatus à Cypr. lib. 1. adversf. Jud. c. 18. Cui jungit alia Clemens Alexandrinus, nempe Deut. XXXII. 10. seqq. Exod. XX. 2. Gen. XVII. 1. XXVIII. 15. XXXIII. 24. vide lib. 1. Pædagog. c. 7. Tertul. c. 13. de præscr. Dionysius urget locum Math. XI. 27. Luc. V. 22. Clemens remittit nos ad

(7.) Officia 1. Propheticum.

Tit.I II. 12. in προτρ. f. 5. (3.) *Divisio*: Consistit autem hoc Christi officium in prædicatione verbi sive immediata, sive mediata, & in institutione ministerii: De ista iam dictum, de hac audi sequentia: Tertul. c. 20. de præsc. ait: *Christus duodecim præcipuos* (discipulorum) *lateri suo adlegerat, destinatos nationibus magistros.* Quibus gemina scribit Cypr. de idol. vanit. §. 8. Orig. l. 2. περ. ἀρχ. c. 6. adiungit illis ipsis septuaginta discipulos, & ipsos à Christo missos, quod contendit idem in dialogo cum Megethio de recta in Deum fide: mox ab initio. Sacramentorum meminit Fortunatus Episcopus Tuchaborensis, cum in concilio Carthaginensi ita votum format: *Jesus Christus Dominus & Deus noster, Dei patris & Creatoris Filius, super petram ædificavit Ecclesiam suam, non super hæresin, & potestatem baptizandi Episcopis dedit, non hæreticis*: Hactenus bene, quod à Christo datam esse potestatem baptizandi asserit. Nec obstat calumnia Celsi Epicuræi, cum mentitur: *Jesum adscitis decem, undecimve famosis hominibus, publicanis, nautisq; nequißimis, cum his ultro citroq; fugitasse, corrogantem cibos sordidè ac turpiter*: Huius enim impudentiam pro merito castigavit Origenes, lib. 1. p. 47. ostendens & in historiam, & in fidem impingere calumniatorem; in istam, quod ex piscatoribus faciat nautas; in hanc, quod viros præstantissimos, divinitus illuminatissimos, martyriis fortissimos, audeat tam indignè calumniari!

II. *Sacerdotale.* §. 14. (II.) *Sacerdotale.* Observa (1.) *Nomina*, quæ à Patribus Christo tribuuntur: Clementi Alex. προτρ. f. 74. seqq. *Jesus unus est* ὁ μέγας Ἀρχιερεὺς θεοῦ τε ἑνὸς τοῦ αὐτοῦ καὶ πατρὸς ὑπὲρ ἀνθρώπων εὔχεται, καὶ ἀνθρώποις ἐγκελεύεται *magnus ille sacerdos summus Dei, qui idem quoq; est pater; orans pro hominibus, & adhortans homines.* Confer lib. II. strom. f. 367. Tert. advers. Jud. c. 14. Origenes lib. VIII. adv. Cels. Cypr. lib. 1. advers. Jud. §. 17. qui officium hoc probat ex

(1.) Nomina.

(2) Partes. Psal. CX. 3. seq. I. Sam. II. 35. (2.) *Partes*: Bene Origenes tom. III. in Gen. I. 14. dividit gesta Christi in ea quæ *Et fecit, & passus est*: Hinc enim elucet, quod alia sit Christi *obedientia* activa, alia passiva: *Activa*, dum legem exactè implevit, nullius peccati reus: ut eundem Clemens Alex. merito appellet ἀναμάρτητον, ἀνεπίληπτον, καὶ ἀπαθῆ τὴν ψυχὴν, ἄχραντον, ἀκηδίλωτον, ἀπώλυτον εἰς τὸ παντελὲς ἀνθρωπίνων παθῶν: *sine peccato, sine reprehensione, sine affectibus, impollutum, imaginem*

ginem impollutam, exemptum ab omnibus humanis perturbationibus. pæd. lib. 1. c. 2. Confer Origen. lib. VI. in Rom. c. VIII. Passiva autem, dum peccati pœnas in sese suscepit per passionem & mortem expiandas: Id quod in V. T. fuit adumbratum typis Isaaci, Josephi, serpentis ænei, quas figuras explicat Tert. c. 10. advers. Jud. à Prophetis prædictum: Id quod Orig. lib. 1. contra Cels. p. 41. asserit, docens: *passionem eius prædictam esse à Prophetis, atq; etiam passionis causam, nimirum utilem esse hominibus mortem, pro ipsis obitam, & vibices, quos, ut damnatus, perpessus est*: allegat autem loca Esai. LII. 13. LIII. 1. seqq. & vindicat ab exceptionibus Judæorum; quod & Cypr. lib. 2. advers. Jud. c. 15. facit. Adimpleto vero tempore reipsa præstitit quod præfiguratum & prædictum erat, subeundo passionem & mortem *voluntario*, ut ex Joh. X. 18. XVIII. 5. Matth. XXVI. 52. seqq. probat Orig. lib. 1. advers. Cels. & l. III. p. 130. Cypr. de idol. van. §. 8. Et facundè describit Cypr. de bono pat. §. 14. Miraculum post mortem factum est in latere perfosso. Nam sanguinem & aquam emisit: *In aliis mortuis corporibus sanguis cogitur, nec aqua limpida ex eis promanat; ex Jesu autem mortui corpore, ne tunc quidem cessantibus miraculis, sanguis & aqua profluxit è latere*. Orig. l. 2. advers. Cels. (3.) *Effectus* huius passionis & mortis in compendio exhibet Clem. Alex. προτρ. f. 69. sic differens: *Inclinatus quidem est Dominus, homo autem surrexit; & qui cecidit ex paradiso maius obedientiæ præmium, cœlos, accipit*: Et Cypr. ad Demetr. §. 22. *Hanc gratiam Christus impertit, hoc munus misericordiæ suæ tribuit subigendo mortẽ trophæo crucis, redimendo credentem precio sanguinis sui, reconciliando hominem Deo Patri suo; vivificando mortalem regeneratione cœlesti. Hunc si fieri potest, sequamur omnes, huius sacramento & signo censeamur, hic nobis viam vitæ aperit, hic ad cœlorum regna perducit, cum ipso semper vivemus, facti per ipsum Filii Dei, cum ipso exultabimus semper, ipsius cruore reparati*. Illustris est locus, utpote ex quo præcipua beneficia Christi pro nobis passi, & beneficiorum pretium edisseruntur. Pretium erat sanguis, quem veluti lytron Patri suo pro nobis solvit, ut emeret nos & redimeret: Probat Orig. in dial. cum Marcionitis de rect. in Deũ fide ex illo Isai. LII. 3. *gratis venditi estis & non argento redimimini*; hinc infert: *Illud: non cum argento, non est dubium quin Christi sanguine. Hoc enim prophetavit: Ipse vulneratus est propter peccata nostra: livore ejus sanati*

(3.) Effectus.

sanati sumus; pro hoc pretio impetravit nobis beneficia, cum privativa, tum positiva; Ista, dum à peccatis, & peccatorum pœnis, morte, inferno, diabolo nos redemit: Hæc, dum reconciliavit Patri proscriptos, & reconciliatis recuperavit vitam, adoptionem, & æternam salutem. Indigitat hoc Origenes in dialogo cum Marcionitis: Megethius, ut probaret, Patrem Christi non esse justum, objecerat, quod ea, *quæ opificis*(Dei)*erant, rapuerit, alienisq; imperet*: Sed regessit Origenes: *Non rapuit, sed misericordia motus, Filium, ut bonum, misit, nosq; eripuit.* Innuens nos pretioso sanguine esse emptos. Regerit hæreticus: E. prius non eramus Christi; nemo enim emit sua. ℞. Orig. f. 502. eramus venditi sub peccatum, cui serviebamus: Hactenus ergo non eramus
vel privativi Christi, sed mortis. *Privativa* sunt: liberatio à peccatis: Nam *manifeste dicitur Jesus omnia pertulisse* ὑπὲρ ἁμαρτωλῶν *pro peccatoribus* ἵν' αὐτοὺς ἀπαλλάξῃ τῆς ἁμαρτίας, καὶ ποιήσῃ δικαίους, *ut ipsos liberaret à peccatis, & justos redderet*: ait Origenes lib.3. advers. Cels. p.173. vel, ut lib. III. loquitur, venit, καθὸ μὲν ἰατρὸς τοῖς ἁμαρτωλοῖς, *sicut medicus peccatoribus*: Liberatio à morte, à semet destructa: Hunc enim *tyrannum redegit in servitutem*, ut ait Clem. Alex. προτρ. f. 69. τὸ θάνατον εἰς ζωὴν ἀνεσταύρωσεν, *mortem in vitam cruci affixit*: eamque nostri gratia, qui aliter à morte liberari non poteramus: *Nec* enim *mors nostra solvi posset, nisi domini passione.* Tert. de bapt. Et de pud.c.22. *Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Filius Dei? Proinde, qui illam æmularis, donando delicta, si nihil ipse deliquisti, plane patere pro me: si vero peccator es, quomodo oleum facundiæ tuæ sufficere & tibi & mihi poterit?* Sua igitur morte Christus delevit mortem nostram, qui peccatores extiteramus, morte digni, neque morte iram Dei expiare potueramus: Liberatio à Diabolo: Docet enim Orig. lib. VII. advers. Cels. *mortem Christi non modo exemplar esse propositam moriendi pro pietate,* ἀλλὰ γὰρ καὶ ἐιργάσατο ἀρχὴν καὶ προκοπὴν τῆς καταλύσεως τοῦ πονηροῦ καὶ διαβόλου, *sed etiam insuper profligasse mali & Diaboli potentiam* πᾶσαν τὴν γῆς νενεμημένου *latè per orbem terrarum dominantis*: Id, quod confirmat exorcismis fieri solitis: σημεῖα δὲ τῆς καθαιρέσεώς εἰσιν αὐτοῦ οἱ διὰ ἐπιδημίαν Ἰησοῦ πανταχόθεν φυγόντες μὲν τοὺς κατέχοντας αὐτοὺς δαίμονας: *Signa destructionis eius sunt hi, qui propter adventum Jesu fugiunt ubiq; possessores suos dæmonas, & ab eorum servitute liberati totos sese Deo dedicant, indies in puriore*

pie-

pietate proficientes pro viribus : Sic igitur gemina est liberatio, alia à possessione diaboli corporali, alia à spirituali. Liberatio denique etiam ab æterna damnatione : Christus enim ἐξαρπάσας τῆς ἀπωλείας τὸν ἄνθρωπον, *exitio eripuit hominem*, *& in æthere suspendit* juxta Clem. Alex. προτρ. f.71. Nam *sanguine Domini ab interitu & corruptione redempti sumus*.lib.1. pæd.c.5. Gentilibus, vicariam hanc Christi passionem & mortem negantibus, Origenes opponit domestica exempla eorum, qui pro exercitibus, urbibus, &c. sese devoverunt, ut istos liberos præstarent à periculis & calamitatibus: lib.1. adverſ. Celſ.p.m.25.

§. 15. *Positiva* sunt ea bona, quæ in Adamo amisimus: *Quod* enim *perierat olim per lignum in Adam, id restituitur per legem Christi*; juxta Tert. adverſ. Iud. c.13. confer Origen. comm. in Epist ad Rom.V.12. seqq. lib.V. f.m.346.opp. Talia sunt justitia vice peccati: Christus enim *è contrario aditum justificationis aperuit, per quem vita ingrederetur ad homines, & ideo dicebat de semetipso: Ego sum ostium, per me si quis ingressus fuerit, salvabitur*: l.1. Origenes ait: innuens, quod autor justitiæ sit autor & vitæ, & salutis. Idem lib. VI. adverſ. Celſ. p.329. sic redemptum à Christo comparat Petro super Petram fundato, quia ipsius *verbi beneficio super portas mortis*, infernum scilicet, *sit exaltatus*: Et Arnobio lib.2. adverſ. gent. auctore, *Vnius Pontificium Christi est dare animis salutem, & spiritum perpetuitatis apponere*: Id quod potissimum apparebit in die extremo, quippe quo dicit Cyprianus Christum *offerre nos Patri, cui nos sanctificatione restituit, æternitatem nobis immortalitatemq; largiri, ad quam nos sanguinis sui sanctificatione reparavit, reduces ad cœlum denuo facere, regiam cœlorum fide & veritate suæ pollicitationis aperire*: de oper. & eleemoſ. §.24. Tum scilicet etiam corpora nostra à mortuis resuscitata beneficiis Christi mortui quondam, & resuscitati, fruentur. Vide Tertull. lib.1. adverſ. Marc.c,24. seqq.

vel positivi.

§. 16. *Vniversale* hoc est Christi meritum. De hominibus hic sermo est, non de diabolis. In actis Afræ refert Welserus verba Narcissi Episcopi ad diabolum: *Tu ipse ex ore tuo confessus es, Christum pro peccatis hominum passum esse; si, quomodo pro hominum peccatis passus est, etiam pro dæmonum impietatibus passus esset, restituerentur Creatori suo*: Homines igitur id beneficii concernit, eosque

(4.) Quantitas.

omnes: Nam *quomodo Servator & Dominus* (Christus fuerit) *si non est* OMNIUM *Servator & Dominus*? quærimus cum Clem. Alex. lib. VI. strom. ἐπὶ τὴν κοινὴν ἀνθρώπων ἐλήλυθε σωτηρίαν *ad communem hominum venit salutem.* lib. VII. strom. & rursus: *Verbum æternum* διά τε ἑκάστοις καὶ κοινῇ πᾶσιν εἷς ἐστι Σωτὴρ *singulis & communiter omnibus est Salvator.* Confer Pædag. c. II. strom. lib. VII. Origenes lib. I. adversus Cels. ὡς καθαρὸν, ait, παρέδωκεν ὑπὲρ πάντων τῶν ἡμαρτηκότων ὁ θεὸς: *eum purum tradidit DEUS pro* OMNIBUS *peccatoribus*: Et l. 2. mortem eius *utilem fuisse* dicit παντὶ *universo humano generi*: Et paulo post: *ingentem utilitatem* (τῷ παντὶ χρήσιμον, omni utilem) *ad omnes homines redundasse*: Et post aliquot paginas: *Admirare sermonem Dei factum hominem, eo consilio,* ὅλον τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος ὠφελῆσαι βεληθέντα, *ut prodesset universo hominum generi.* Caius Martyr ita precatus est: *Domine Deus, Pater Christi, qui omnibus ad salutem & vitam æternam misisti Dominum nostrum Jesum Christum, ut nos è mundi tenebris erueret.* Vide acta apud Baron. an. 294. §. 11. Confer plura Patrum loca apud Vos. histor. Pelag. part. I. lib. VII. θ. 3. Nam ingenue fatetur: *Veteris Ecclesiæ iudicium fuit, Christum pro culpa universali hominibus prævidisse à remedio universali, solvendo* λύτρον *infiniti pretii, ne eius defectu periret quisquam.* Hæc ille.

Intercessio. §. 17. *Intercessio.* Origenes lib. VIII. contra Cels. negat angelos esse colendos; *Etenim* (rationem addit) *omnis oratio & interpellatio, & votum, & gratiarum actio dirigi debet Deo rerum omnium Domino per summum nostrum Pontificem, sermonem vivum, & Deum, qui est supra omnes angelos constitutus.* Idem lib. III. p. m. 131. celebrat Christum nostrum mediatorem, quod *nobis à suo Patre omnia beneficia deferat,* διακομίζοντος ἡμῶν τρόπον ἀρχιερέως τὰς εὐχὰς πρὸς τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν, *& vicissim in morem Pontificis vota nostra ad summum Deum perferat.* Et lib. IV. p. m. 233. *omnia vota, omnes interpellationes, deprecationes, & gratiarum actiones destinandæ sunt* (non ad angelos, sed) *ad Deum, rerum omnium Dominum* διὰ τοῦ ἐπὶ πάντων Ἀγγέλων ἀρχιερέως ἐμψύχου λόγου καὶ θεοῦ, *per maiorem omnibus Angelis summum Pontificem, vivum verbum & Deum.* Atque hic ita sufficit, ut alio mediatore non sit opus: *Atq; ut demus, ab homine comprehendi moram quandam & arcanam eorum* (Angelorum) *notitiam, officiorumq;, quibus funguntur Angeli, hoc ipsum inhibebit, ne quis audeat preces offerre, nisi soli Deo Domino, quiq; omnibus abundè*

abundè sufficit, διὰ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν υἱοῦ τοῦ θεοῦ, *per Servatorem nostrum Dei Filium, verbum, sapientiam, veritatem, & quidquid de eis Prophetarum Apostolorumq; Jesu literæ prædicant.* Confer lib. VIII. p.m. 386. Nec valet exceptio: Christum quidem esse intercessorem, iuxta ipsum vero & alios esse, atque & hos invocandos; Nam *solus adorandus est Deus optimus maximus*; καὶ πρωτοτόκῳ πάσης κτίσεως, λόγῳ θεοῦ, καὶ ἀξιοτέον αὐτὸν, ὡς ἀρχιερέα, τὴν ἐπ᾽ αὐτὸν φθάσασαν ἡμῶν εὐχὴν ἀναφέρειν ἐπὶ τὸν θεὸν αὐτοῦ, καὶ θεὸν ἡμῶν, *& preces offerendæ primogenito totius creaturæ, qui ut Pontifex eos ad Deum suum, & ad Deum nostrum perferat, & Patrem suum, atq; omnium iuxta verbum eius viventium*: eiusdem verba sunt p. 395. Patet hinc (1.) Officii sacerdotalis esse, intercedere apud Deum pro hominibus. (2.) Eius intercessionis gratia Christum esse compellandum. (3.) Quia nemo alius summus est Sacerdos & Pontifex: ideò etiam neminem præter Christum pro nobis intercedere, & à nobis esse invocandum. Cypr. de orat. §. 21. *Magna*, inquit, *Domini propter salutem nostram benignitas pariter & pietas, ut non contentus, quod nos sanguine suo redimeret, adhuc pro nobis amplius & rogaret.* Et ep. 8. §. 4. *Orabat ille pro nobis, cum peccator ipse non esset, sed nostra peccata portaret pro nobis, ac pro delictis nostris ille & laborat, & vigilat, & precatur. Habemus advocatum & deprecatorem pro peccatis nostris Jesum Christum Dominum & Deum nostrum.* In quibus & similibus locis aliis nullius vel sanctuli, vel Angeli fit mentio, ut adeo uni & soli Christo dignitas hæc sarta tectaque relinquenda sit.

§. 18. *Regium officium.* Prænunciatum est Isai IX. explicante Tertul. contra Jud. c[illegible]o. *Quoniam puer*, inquit, *natus est nobis, & datus est nobis Filius. Quid novum? si non de Filio Dei dicit; Natus est nobis, cuius imperium factum & super humerum ipsius; Quis omnino regum insigne potestati suæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut in manu sceptrum, aut aliqua propriæ vestis posita? sed solus novus Rex seculorum, Christus Jesus, novæ gloriæ & potestatem & sublimitatem suam in humero extulit, crucem scilicet, ut secundum superiorem prophetiam exinde Dominus regnaret à ligno*, confer Cypr. lib. 2. advers. Jud. §. 29. Nam ex S. literis probat, quod Christus sit *Rex in æternum regnaturus*: Rex scilicet non de hoc mundo, sed de altero, plane singularis. 3. *Regium*

§. 19. Regnum est triplex, (1.) *Potentiæ.* Præfiguratum in V. T. per montem, quo futurum erat, ut totus orbis vel potentiæ

comminueretur & compleretur, Dan. II. 31. seqq. allegante Cypriano lib. 2. advers. Iud. §. 17. Imo & exercitium: *Omnem enim dicens potestatem, & omne iudicium, & omnia per eum facta, & omnia tradita in manu eius, nulla exceptione temporis permittit: quia omnia non erant, si non omnis temporis fuerint. Filius itaq; est, qui ab initio iudicavit,* &c. Tert. advers. Prax. c. 16. Præmiserat dicta Matth. XXVIII. 19. Joh. V. 22. 27. &c. Ut obtineret, non solum opera mundi à Filio esse facta, sed & quæ deinceps gesta sunt, ut adeo potentissimum regnum exerceat Filius.

vel gratiæ. §. 20. (2.) *Gratiæ*; *Spirituale* est, non corporale. Certatum est hac de re inter Nepotianos & Dionysium Alexandrinum Episcopum. Nepos enim Ægyptii Episcopus millenarium Christi regnum somniabat, quam sententiam Dionysius refutavit. Euseb. lib. VII. hist. c. 19. Origene lib. 1. contra Cels. p. m. 46. censente, *œcumenicum* est. Nam *Christi regnum & nomen ubiq; porrigitur, ubiq; creditur, ab omnibus gentibus supra numeratis colitur, ubiq; regnat, ubiq; adoratur.* scribit Tertull. de præscript. Adeoque *ubiq; obtinet.* Tert. contra Jud. cap. 7. *In quibus* (enumeratis) *omnibus locis Christi nomen, qui iam venit, regnat. Quis enim omnibus regnare potuisset, nisi Christus Dei Filius? Qui omnibus in æternum gentibus regnaturus nunciabatur. Christi nomen & regnum ubiq; porrigitur, ubiq; creditur, ab omnibus gentibus, supra enumeratis, colitur, ubiq; regnat, ubiq; adoratur, omnibus ubiq; tribuitur æqualiter.* Sed de hoc inferius in Catholicismo pluribus agetur.

vel gloriæ. §. 21. (3.) *Gloriæ.* Indigitatur à Dionysio in literis, quas scripsit ad Fabium Antiochenum. De martyribus enim verba faciens, ita loquitur: *Illi divini martyres, qui iam Christo quasi assessores sunt, & regni eius consortes, participes iudicii, & illius in hominibus iudicandis sententiam approbantes fuerunt.* Euseb. VI. 34. *Thronus in ævum magis Christo Dei filio competit.* Tertul. advers. Jud. c. 14. Ubi thronus, ibi rex & regia dignitas. In cœlis igitur dignitas illa regia erit, quæ Christo competat regi, apparebitque in judicio extremo.

VII. *Status* est duplex. §. 22. *Status Christi.* Duplex est, juxta Tert. advers. Jud. c. 14. verba habes infra §. 30. Prædictus est ab Isaia c. LII. 13. *Ecce intelliget puer meus,* &c. Explicante Origene lib. 1. contra Cels. p. 41. & in dialogo cum Marcionitis: Exhibitus evidenter: *Cum in eo quædam ita videamus humana, ut nihil à communi, i. e. mortalium fragi-*

fragilitate distare videantur, quædam ita divina, ut nulli alii, nisi illi primò & ineffabili in se conveniat Deitati, habere: Origenes l. 2. περ. ἀρχ. c. 6.

§. 23. *Exinanitionis.* Vox occurrit apud Origenem lib. IV. contra Cels. p. m. 169. *Id, quod ad homines descendit, erat in forma Dei, & propter amorem humani generis,* ἑαυτὸν ἐκένωσεν *seipsum exinanivit, ut posset concipi ab hominibus.* Confer lib. 3. περ. ἀρχ. c. 6. Prædictus est hic status ab Isai. LV. 1. seqq. XXX. 5. 6. XLII. 2. 3. 4. Psal. XXII. allegante Cypraino lib. 2. adversus Jud. §. 13. Occurrit etiam in literis Dionysii Episcop. Alex. de incorruptibili sanguine Christi (Vide Baron. ann. 265. §. 7. & 8.) Sic enim illæ: *Hæc est Dei ad nos exinanitio, ut admittamur ad capiendum eum*, puta in Sac. cœna. Explicat in præcedentibus verba dicti Phil. II. his verbis: *Ait Apostolus de Christo, quod cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo: i. e. non sic, quemadmodum per studium virtutis ac laboris, ac certaminis, regnum Dei capiunt*, &c. &c. *Hæc est Dei exinanitio, ut admittamur ad capiendum eum.* Remotior est hæc de exinanitione sententia. Propius pedem confert Tertullianus c. 4. de carn. Christi, & lib. 3. contra Marc. c. 11. & 17. Disputat enim adversus hostes carnis Christi, Marcionitas, qui conceptionem, nativitatem, passionem & mortem Christi abnegabant, traducentes *Spurcitias genitalium in utero elementorum, humorum & sanguinis fœda coagula, carnis ex eodem cœno alendo per novem menses; uterum de die in diem insolescentem, gravem, anxium, libidinibus* fastidii & gulæ. *Infantem cum suis impedimentis, profusum utiq; & oblitum; cloacam vocantes uterum; partus immunda & pudenda tormenta, puerperii spurcos, anxios, ludicros exitus*: Proxime Cypr. de bono pati: §. 3. 4. Origen. lib. 1. contra Cels. p. m. 43. 52. Novat. de Trinit. c. 17. *Christus*, ait hic, *se etiam exinanivit, dum humanam conditionis fragilitatem suscipere non recusavit.* Et paulo post: *Exinanivit se, dum ad injurias contumeliasq; descendit, dum audit infanda, experitur indigna. Finis* est nostra salus. Cyprianus de oper. & eleemos. §. 1. *Humiliavit se* (Christus) *ut populum, qui prius jacebat, erigeret; vulneratusq; est, ut vulnera nostra sanaret; servivit, ut ad libertatem servientes extraheret; mori sustinuit, ut immortalitatem mortalibus exhiberet.*

vel exinanitionis.

§. 24. *Exaltationis.* Christus secundum humanam naturam exaltatus est; prædicentibus Prophetis. Cyprianus lib. 2: advers. Jud. §. 26. ex dictis scripturæ probat, quod Christus,

vel exaltationis.

stus, cum resutrexisset, acceperit à Patre omnem potestatem, & potestas eius æterna sit. Inter alia dicta etiam probationem sumit ex Esai. 33. 10. *Nunc exsurgam, nunc clarificabor, nunc exaltabor,* &c.

ut vivificatio.

§. 25. *Vivificatio.* Neque enim Christus *à morte potuit vinci,* sed habebat & retinebat Christus potestatem recipiendi suam animam, uti ex Joh. X. 18. probat Cyprian. lib. 2. adversus Jud. §. 24.

descensus ad inferos.

§. 26. *Descensus ad inferos.* Tertul. de anim. c. 54. scribit: *Christus non ante ascendit in sublimiora cœlorum, quam descendit in inferiora terrarum.* Prædictus à Prophetis Psal. XXX. 4. XVI. 10. allegante Cypriano lib. 2. advers. Jud. §. 24. In Symbolis autem Tertulliani, Gregorii Thaumaturgi, Origenis lib. 1. περ. ἀρχ. præfat. non comparet hic articulus.

Resurrectio.

§. 27. *Resurrectio.* Huius (1.) *Veritas* apparet ex vera morte antegressa, & sollicitè à Prophetis prædicta, & ab Apostolis & Euangelistis annotata, ὁ γὰρ ἀληθῶς ἀποθανὼν, εἰ ἀνέστη, ἀληθῶς ἀνέστη; *Nam qui vere mortuus est, si resurrexit, resurrexit verè.* Scribit Origenes l. 2. contra Cels. p. 70. Eodem fundamento nititur adversus instantias Celsi, desumptas à Zamolxide, Rampsinito &c. qui clam sese subduxissent, & mox comparuissent iterum, mentientes, sese in inferno fuisse, & resurrexisse. Nam respondet, eos non fuisse mortuos revera, & in omnium conspectu, sicut Jesus noster: *Jesus crucifixus inspectantibus Judæis omnibus, & post mortem coram eodem populo de cruce demptus, quomodo potest insimulari tale quidpiam finxisse, qualia jactantur de heroum ad inferos descensu & reditu?* Cum vero plerique non tam mortem negent, quam resurrectionem ex morte, hæc quoque probanda est, & quidem (1.) κατ᾽ ἄνθρωπον; gentilibus eam possibilem esse probavit Origenes exemplis eorum, quos Ethnici scriptores tradant ex mortuis rediisse, e.g. Erum Armenium, mulierem Heraclidis. (2.) Κατ᾽ ἀλήθειαν, ex constantia discipulorum, resurrectionem annunciantium, tanta alacritate, ut mortem mallent subire, quam negare vel tacere resurrectionem Christi. Excipit quidē Epicuræus: mulierem, cui Christus apparuit, fuisse fanaticam, & discipulos magicæ vanitatis sectatores, vel certe spectris delusos. Sed R. Origenes

genes p.77. meras has esse calumnias. Discipuli certe tam creduli non erant, utpote nolentes credere, nisi vidissent ipsum, audissent, tetigissent, à mortuis resuscitatum. Regerit Epicuræus: debuisset Christus sese potius hostibus ostendere vivum, & ulcisci sese, quam credulis & addictis sibi discipulis. ℞ voluisse Christum iis solum apparere, qui apparitionem suam sustinere possent. (3.) Ex *prophetarum vaticiniis*; ταῦτα μυρίων προφητῶν καὶ τοῦτο προειρηκότων *hæc constant ex testimonio Prophetarum multorum, qui prædixerunt*, ait lib.3. contra Cels.p.137. Confer Cypr.lib.2.advers.Jud.§.24. 25. (2.) *Causalitas.* Christus ex propria potestate, & sponte resurrexit, ut Deum se esse ostenderet. Cypr. de idol. vanit. §.87. *Hoc* (crucifixionem) *eos* (Judæos) *facturos, & ipse* (Christus) *prædixerat, & omnium Prophetarum testimonium sic ante præcesserat, oportere illum pati, non, ut sentiret tantum mortem, sed ut viveret, & cum passus esset, ad superos denuo regredi, ut vim divinæ majestatis ostenderet*, & §.8. *Spiritum sponte dimisit, & die tertio rursus à mortuis sponte surrexit.* Et Origenes, lib.3. contra Cels. ἔλαβε ψυχὴν, *resumpsit animam.* juxta illud Joh.II. 19. *Corpus* ex mortuis resuscitatum alias habebat qualitates, quam prius: *Habuit post resurrectionem corpus quoddam medium inter crassitudinem illam, quæ ante passionem inerat, & animam nudatam illo corpore*: scribit Origenes l. 2. contra Cels.p.98. & lib.3. p. 136. *Quid mirum, qualitatem mortalem Jesu corporis providentia Dei sic volentis mutatam in ætheream & divinam qualitatem? Si possibile est, ut mutet qualitates materia, quæ recipit quaslibet qualitates; annon possibile est*, καὶ τὴν σάρκα τοῦ Ἰησοῦ ἀμείψασαν ποιότητας γεγονέναι τοιαύτην, ὁποίαν ἐχρῆν εἶναι τὴν ἐν αἰθέρι καὶ τοῖς ἀνωτάτω αὐτοῦ τόποις πολιτευομένην, &c. *Etiam carnem Jesu mutatis qualitatibus talem esse redditam, qualem decebat habitare in summo æthere nihil retinentem carnalis infirmitatis congenitæ.* Fructus mortis & resurrectionis Christi est nostra resurrectio: ita ut negata resurrectione Christi, etiam nostra nulla sit: *Resurrectione Christi infirmata, etiam nostra subversa est. Nec ea enim valebat, propter quam Christus venit, si Christus non resurrexit.* Tertul. lib.3. contra Marc. c,8. *Ascensio.*

§. 28. *Ascensio.* Cypr. de idol. vanit. §.8. *In cœlum circumfusa nube sublatus est, ut hominem, quem dilexit, quem induit, quem à morte protexit, ad Patrem victor imponeret.*

§. 29.

Sessio ad dextram.

§. 29. *Sessio ad dextram.* Tertul. lib. de carne Christi c.16. *Non sumus,* scribit, *tanta amentia , ut ipsam carnem Christi opinemur, ut peccatricem, evacuatam esse, cum illã & ad dextram Patris in cœlis præsidere meminerimus, & venturum inde è suggestu paternæ charitatis prædicemus.* Idem in Symbolo, seu regula fidei, confitetur, verbum Dei hypostaticum *in cœlos ereptum sedere ad dextram Patris.* c.13. de præscript. Methodius in libello de castitate, carnem Christi reginæ comparans illibatæ & beatæ, hanc, ait, *secum in cœlis deportavit verbum,* ἐκ δεξιῶν παρέστησε τοῦ πατρὸς, *atque in dextra Patris collocavit, vestitu deaurato exornatam* apud Phot. cod. 237. Cyprianus lib. II. advers. Jud. §. 26. probat ex Psal. CX. 1. seqq.

Adventus ad judicium.

§. 30. *Adventus ad judicium.* Duplex est Christi adventus, humilis alter, alter gloriosus: iste spectat ad statum exinanitionis; hic ad judicium extremum: Utrumque descripsit Tertullianus adversus Jud. c.14. cum inquit: *Apud Zachariam in persona ipsius, imò & in ipsius nominis Sacramento verus summus sacerdos Patris Christus Jesus duplici habitu in duos adventus delineatur: primo sordidis indutus est, i.e. carnis passibilis & mortalis indignitate, cum & diabolus adversabatur ei, auctor scil. Judæ traditoris, qui eum etiam post baptismum tentaverat; de hinc spoliatus pristinas sordes, exornatus podere, & mitra, & cidari munda i. e. secundi adventus: quoniam gloriam & honorem adeptus demonstratur:* Respicit ad locum Zach. III. 4. seqq. ubi describitur Josua summus Pontifex, Christi Jesu typus, diversis vestimentis indutus. Ad Prophetarum alia testimonia, pro *duplici adventu* Christi probando provocant etiam Origen. lib. 1. contra Cels. p. 43. & Cypr. de idol. van. §. 6. Dionysius Alex. lib. 1. de promiss. laudat. ἔνδοξον καὶ ἀληθῶς ἔνθεον τοῦ Κυρίου ἡμῶν ἐπιφάνειαν *gloriosam & verè divinam Domini nostri apparitionem* apud Euseb. lib. VII. c. 20. Humana igitur Christi natura divina gloria exornata est. Nam *carnem* Christi *venturam esse è suggestu paternæ charitatis* asserit Tertull. de carne Christi c.16. Et suffragatur Cypr. de bon. pat. §. 14. *Hic est Deus noster,* aiens, *i.e. non omnium, sed fidelium & credentium Deus, qui, cum in secundo adventu manifestus venerit, non silebit; Nam cum in humilitate prius fuerit occultus, veniet in potestate manifestus;* nempe secundum quam naturam sustinuit contumelias iniusti judicii, secundum eandem exercet maiestatem justi; *Hic est, qui, cum in passione tacuerit, in ultione postmodum non tacebit.*

bit. Ibidem perhibetur. *Assessores* habebit sanctos, ut martyres, vid. Dionys. Alex. apud Euseb. lib. VI. hist. c. 34. Actus præcipuè erunt duo, hinc piorum liberatio & salvatio, inde impiorum condemnatio: Tertullianus confitetur Christum *venturum esse cum claritate, ad sumendos sanctos in vitæ æternæ & promissorum cœlestium fructum, & ad profanos judicandos igni perpetuo, facta utriusq; partis resuscitatione cum carnis resurrectione.* de præscr. c. 13. Cyprianus §. 15. de bon. pat. propterea diem istum vocat *iræ & vindictæ*, quia Christus tum sese exhibebit *judicem & vindicem nostrum, Ecclesiæ suæ populum, & ab initio mundi justorum omnium numerum secum pariter vindicaturum*: imprimis autē diabolus rigorosū subibit judiciū: *Venturus* enim *est* Christus *è cœlo ad pœnam diaboli, & ad censuram generis humani, ultoris vigore, & judicis potestate:* Id. de idol. vanit. §. 8. Concluserunt hinc orthodoxi adversus Marcionitas, Deum N. T. non solum bonum, sed & justum esse. Orig. t. 1. opp. f. 503. Confer quæ infra in Ἀνθρωπολ. de extremo judicio dicturi sumus.

SECTIONIS V.

Ἀνθρωπολογίας.

Argumentum.

Consideratur homo secundum quatruplicem statum (1.) Institutionis, *juxta quem creatus est à Trinuno Deo ad imaginem Dei, in sapientia mentis, sanctitate voluntatis, arbitrii libertate, corporis immortalitate, solvi:ur objectio.* (2.) Destitutionis: *juxta quem peccavit, auctore non Dco, sed Diabolo, invido seductore, liberè tamen, solvuntur objectiones, & explicaturdiaboli uatura; Et hominis, diabolo cooperantis infidelitas & superbia, peccati quoq; natura & effectus cum spirituales, tum corporales.* (3.) Restitutionis: *qui est possibilis; auctore principali Deo, mediatore Christo, ministerio verbi & sacramentorum, quæ beneficia concernunt omnes homines; Instrumento verbo quod est, vel lex, vel Euangelium; Sacramenta duo, Baptismus & Eucharistia: utriusq; nomina, causæ, affectiones, operationes explicantur & defenduntur: Finis est, hominem, & omnem quidem, vocare, convertere, illuminare, ad pœnitentiam adducere, justificare, adoptare, mystica unione copulare, renovare ad virtutes utriusq; decalogi tabulæ, quæ explicantur sigillatim; imperfecta tamen sunt nostra opera; Eucharistiæ mysterium explicatur: Terminus hujus status est mors, & post mortem sepultura.* (4.) Glorifica-

rificationis: *incipit cum resurrectione, declarabitur in mundi consummatione, judicio extremo, & erit in vita æterna, cujus quidditas explicatur: oppositum est mors, & damnatio æterna.*

§. I.

Homo in statu (I.) Institutionis.

HOmo quoad statum I. *Institutionis* creatus est ad imaginem Dei. Deus enim *mundo hominem præposuit, & quidem ad imaginem Dei factum, cui mentem & rationem indidit, & prudentiam, ut Deum posset imitari*: juxta Nova.. de Trinit. c. I. Adeoque Deus etiam *bonus*, ut ex bonitate operis probat Origenes in dialogo de recta in Deum fide, t. I. opp. f. 497. seq. Deus Pater, ille ὁ ἀριστοτέχνης πατὴρ τοιοῦτον ἄγαλμα ἔμψυχον ἡμᾶς τὸν ἄνθρωπον ἔπλασεν, *optimus artifex Pater, talem animatam imaginem nos, hominem nempe, finxit*: juxta Clement. Alex. προτρ. f. 62. Deus Filius, quem idem dicit κατ' εἰκόνα τὴν ἑαυτοῦ, *secundum suam imaginem* fecisse hominem. Deus Spiritus sanctus, qui & super aquas ferebatur: vid. Tert. de Baptis. c. 2. Clemens Alex. in Eclogis p. 345. Cypr. de Spir. sanct. §. 3. Hujus numinis effectus & simul status felicissimi, subjectum est Adamus, ille *naturæ, & generis humani fons*; uti appellatur à Tertull. de anim. c. 20. & 43. *auctor generis, qui à Deo tot tantisq; privilegiis donatus pariter ac bonus est*; uti Dionysius Alex. in homilia: cui similis est homo: loqui amat. Certa tamen lege præscripta, ne ederet de arbore scientiæ boni & mali: *In hac lege Adæ data omnia præcepta condita recognoscimus, quæ postea pullulaverunt data per Mosen. Primordialis data est enim lex Adæ & Evæ in paradiso, quasi matrix omnium præceptorum Dei*: Tert. advers. Jud. c. 2. ubi simul enumerationem specialium præceptorum defendit: confer & lib. 2. advers. Marc. c. 4. Constat homo ex anima & corpore, tanquam partibus essentialibus, quarum utraque est subjectum imaginis, quæ fuit (I.) *Sapientia* in mente: Est enim homo verbi imago; *veraq; mens est, quæ in homine est*, ὁ κατ' εἰκόνα τοῦ θεοῦ, καὶ καθ' ὁμοίωσιν διὰ τοῦτο γεγενῆσθαι λεγόμενος, τῇ κατὰ καρδίαν φρονήσει τῷ θεῷ παρεικαζόμενος λόγῳ, καὶ ταύτῃ λογικός, *qui ad Dei imaginem & similitudinem propterea factus esse dicitur, quod sapientia mentis Deo fuerit assimilatus, & ratione præditus*: verba sunt Clementis Alex. προτρ. f. 62. confer strom. lib. VI. f. 671. 682. Tertull. lib. 2. contra Marc. c. 9. Orig. lib. IV. περ. ἀρχ. ubi docet, imaginem

Dei

Dei definiendam esse non *per effigiem corporis, quæ corrumpitur, sed per animi prudentiam, per justitiam, per moderationem, per virtutem, per sapientiam, per disciplinam, per omnem deniq; virtutum chorum definiendam esse, quæ, cum Deo insint per substantiam, in homine possunt esse per industriam, & per imitationem Dei*: unde simul emergit (2.) *Sanctitas* voluntatis & virtutum: λιθίνη γὰρ οὐδεμὴ ἔκτισαι ὑπὸ θεοῦ καρδία, ἀλλ᾽ ὑπὸ τῆς πονηρίας τοιαύτη γίνεται, *nullum cor lapideum à Deo est creatum, sed fit tale per malitiam*: ait Origenes l.3. περ. ἀρχ. *Nec ex primis causis creationis in vasa honoris & ignominiæ fit alius in honorem, alius in ignominiam*: l. c. vtpote quod omnes ad imaginem Dei creati simus: confer l.III. contra Cels. p.153. Methodius ipsius alias adversarius in libro de resurrectione explicans dictum Rom. VII. 9. dicit in statu innocentiæ *extra concupiscentiam viximus*, οὐ γινώσκοντες ὅλως ἐπιθυμίας προβολήν, *ignorantes prorsus vim concupiscentiæ*: sublata autem prava concupiscentia, tanquam radice peccatorum, ipsa quoque peccata tolluntur. (3.) *Libertas arbitrii*: Anima enim divinitus inspirata habuit *lineas Dei, qua immortalis, qua libera sui liberi arbitrii, qua præscia plerumq;, qua rationalis*: ajente Tert. lib. 2. adv. Marc. 9. qui hoc libro multus est in hoc asserendo: adversus Marcionem; urget autem Dei & bonitatem, & naturam hominis, pro obtinenda libertate arbitrii; vide c.6. & 7. Conferri potest Origen. in dialogo cum Marcionitis habito tom.1. opp. f.507. Methodius in libello peculiari de libero arbitrio, inter alia sic disserit: *Libero cum arbitrio factum esse dico hominem, non tanquam malo aliquo jam existente, cujus eligendi, si velet, potestatem haberet; sed sola causa erat obediendi Deo, vel non obediendi Deo.* Innuens, libertatem arbitrii indifferentem fuisse ad bonum & malum, etsi malum tum nondum fuerit.

§. 2. *Immortalitas* corporis & totius hominis. Tert. de anim. c.52. *Qui primordia hominis novimus, audenter determinamus, mortem non ex natura secutum hominem, sed ex culpa, ne ipsa quidem naturali. Facile autem usurpari animæ nomen in ea, quæ videntur à nativitate ex accidenti adhæsisse. Nam si homo in mortem directo institutus fuisset, tunc demum mors naturæ asscriberetur. Porro non in mortem institutum eum probat ipsa lex, conditionali comminatione suspendens, & arbitrio hominis addicens mortis eventum.* Hinc patet, quod immortalitas fuerit homini *naturalis*: sicut justitia concreata eidem fuit naturalis: ut errent, qui

mortalitatem homini integro congenitam statuunt, & naturalem. Sicut peccatum est præternaturale & merè accidentale; ita & mortalitas: multo autem magis ipsa mors: Nisi enim deliquisset, nequaquam obiisset. Origenes lib. 3. περ. ἀρχ. ἄφθαρτον φύσιν πεποίηκε τὴν νοερὰν, κ̀ αὐτῷ συγγενῆ, *incorruptibilem naturam fecit intelligentem, & sibi cognatam.* Methodius subscribit, explicans dictum Rom. VII. 7. seqq. promissionem, ait, primævo homini *datam esse ad vitam & immortalitatem, ut obediens illi vitam ad immortalitatem semper efflorescentem haberet & gauderet.* Hæc ille sententia meliore, quam explicatione.

Hæ qualitates coniunctæ vocantur *imago Dei.* Differit de hac Methodius cum Origene in libello de resurrectione; *Homini,* inquiens, *datum est, ut esset similis Deo, Deiq; formæ, & omnia, quæ ad perfectam & primigeniam Patris & Filii unigeniti imaginem spectant.* Allegante Photio Bibl. cod. 234. Et realiter differebant ab essentia humana, ita ut separari potuerint, cum Deus contra per essentiam sit bonus, vide Origen. t. 1. opp. f. 507. *Naturalia* tamen sunt homini, juxta Tert. c. 41. de anim. locum ex scriptura vide infra §. 6.

Dicas, qui ad imaginem Dei conditus sit homo, cum Deus non sit homo? ita Celsus Epicuræus, cui resp. Origenes, quod *imago sit in interiori homine, qui renovatur, & aptus natus est ad referendam conditoris imaginem,* e g. in perfectione, sanctitate, justificatione, lib. VI. contra Cels. p. m. 519.

II. *Destituti.* cuius causa est diabolus.

§. 3. II. *Destitutionis* status sequitur priorem. Cujus (1.) *Efficiens* causa, eaque *principalis,* est Diabolus, illa *vis perniciosissima, illa antiqui erroris artifex, illa veritatis avocatrix,* juxta Tert. c. 1. de anim. πονηρὸν κ̀ ἑρπιστικὸν θηρίον *maligna & serpens bellua*: uti loquitur Clem. Alex. in προτρ. f. 6. ille ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος *princeps potestatis aëris*: ille ἄρχων τῆς κακίας, *princeps malitiæ,* uti f. 57. vocatur: Ille *reprobatus à Deo,* ut ex Johanne Apostolo (qui, Dionysio observante, sæpius nebulonis hujus mentionem facit in suis scriptis) appellat Dionysius Alex. apud Euseb. VII. hist. c. 20. Hic primarius est peccati auctor: *Satanam nos dicimus malitiæ Angelum, totius erroris artificem, totius seculi interpolatorem, per quem homo à primordio circumventus, ut præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo ser-*

sermone infectum, suæ etiam damnationis traducem effecit. verba sunt Tertull. c.21. de anim. confer de test. anim. c.3. lib.2. advers. Marc. c. 10. Clemens Alex. in προτρ. conqueritur, *fascino quodam in servitutem redegisse* hominem; *Et initio Evam, nunc autem alios quoq; homines, ad mortem adduxisse* : Origenes apud Euseb. lib. VII. de præp. Euang. appellat κακῶν ποιητὴν, *malorum artificem* : Impulit ipsum sua adversus hominem felicem *invidia*, confer dial. de rect. in Deum fid. t. 1. opp. f. 508. lib. III. περ. ἀρχ. Id quod Cypr. de Zel. & liv. §.3. ex professo agit: *Hinc*, aiens, *diabolus inter initia statim mundi & periit primus, & perdidit: Ille dudum Angelica majestate subnixus, ille Deo acceptus & charus, postquam hominem factum ad imaginem Dei conspexit, in zelum malivolo livore prorupit, non prius alterum dejiciens instinctu zeli, quam ipse zelo ante dejectus, captivus antequam capiens, perditus antequam perdens, dum stimulante livore homini gratiam datæ immortalitatis eripit, qui ipse quoq; id, quod prius fuerat, amisit*: ut merito *Magister perditionis* §. 4. ab eodem appelletur: (confer de bon. pat. §.11.) cui *interiorem mentis aciem excœcare perfacile est*, Tert. de anim. c.57. Id quod ex S. literis *Christianæ potestatis documentis* discimus, c.1. Unde apparet, quis, & quare, primum peccatum in mundum introduxerit, diabolus nempe, scripturis id revelantibus.

§. 4. Subordinata tamen causa est *Homo* : qui sui arbitrii libertate abusus diabolo sese obnoxium dedit. Quo de prolixè disputat Tert. lib.2. advers. Marc. c.8. Removet enim à Deo culpam peccati, qui quidem liberi arbitrii hominem crearit, bonitate sua, fide, & sapientia motus, neque tamen homini, suæ rationis compoti, auctor extiterit, ut laberetur, id quod & Origenes tom.1. opp. f.508. adversus eosdem propugnat: Clementi Alex. προτρ. f.69. homo est instar pueri, qui inobedientia sua in parentem deliquit. Dionysius Alex. in homilia : cui simile est homo? instituit collationem inter primum Adamum, & latronem in cruce, de isto docens, quod *à Deo tot tantisq; privilegiis donatus pariter ac donis, semel ceciderit, ne omnibus repente excideret.* Cyprianus ait; *Adam præcepti fuit immemor, & datæ legis transgressor*: de bon. pat. §. 6. & §. 11. *Adam contra cœleste præceptum cibi lethalis impatiens, in mortem cecidit, nec acceptam divinitus gratiam patientia custode servavit.* Methodius in libro de resur. apud Phot. cod.234. ita hominem facit

Et homo.

loquentem: *Ego pronus ad violandam legem spiritualem, videlicet præcepti, & promptus ad carnalem, serpentis videlicet, suggestionem, propter hanc electionem venundatus cecidit in peccatum, obnoxius diabolo*, cui similia scribit Arnob.lib.II. contra gent. p.m.88. Inobedientia igitur fuit primum hominis peccatum, sicut & Dionysius in loco cit. loquitur, vel ἀπείθεια *infidelitas*: Sic enim hic: *Intellectus est puer cupiditatibus vir effectus* ἀπειθείᾳ *infidelitate, & cum patrem non audiisset, Deum affecit ignominia*, προτρ. fol.69. Et lib.1. pædag.c.8. ait: διὰ τὴν ἀπιστίαν τὴν ἀνθρωπίνην γένεσιν ἔχει κακία *propter infidelitatem humanam ortum est peccatum*, & c.13. ἡ πρὸς τὸν λόγον ἀπείθεια ἁμαρτίας ἐστιν γεννητική *infidelitas erga verbum est generativa peccati*: Et paulo post: ἥμαρτεν ὁ πρῶτος ἄνθρωπος, καὶ παρήκουσε τοῦ θεοῦ, *peccavit primus homo, & inobediens fuit Deo.* Cui igitur credidit? *Diabolo autem credidit*: ait Tert. contra Jud. c. 2. Ille *opifex peccati, accepta per præceptum occasione, hominem per inobedientiam decepit, deceptumq; occidit*; apud Phot. cod. 234. cui geminum est, quod cod.236. habet; vocat enim παρακοὴν *inobedientiam* primum peccatum; sponte igitur sua peccavit homo, non coactè, secus nec libero fuisset arbitrio præditus, nec dignus pœnis, quod argumentum urgent Tertul. lib.2. adversf. Marc. c. 6. Orig. dial. tom.1. opp. f.510. lib.3. περ. ἀρχ. qui & ad objectiones respondet: Methodius quoq; apud Phot. cod.234.

Non Deus. §. 5. Hinc consequitur; Deum non esse auctorem peccati: Nam *quod homo elegerit, atq; adeo id, quod vetitum erat, elegerit, non est culpa in Deum transferenda*, ait Clem. Alex. lib. 2. strom. & lib.1.f.271. Deum vocat ἀναίτιον *sine causa* existentem: cui suffragatur Methodius in libello de libero arbit. Deus, inquiens, *non est auctor malorum*, ratione addita: ὅτε μηδὲ τούτοις ἥδεται, ἀλλὰ καὶ τοὺς δρῶντας αὐτὰ βδελύσσεται, *quia istis non delectatur, sed facientes ea abominatur*: allegante Phot. cod.236. Quale quid etiam Arnob.lib. 2. adversf. gent. p.m.81. scribit: *Objectiones* in contrarium variæ & multæ solent objici: In compendio referamus. Possunt autem referri ad duas classes, quarum I. *ex S. literis videtur deduci*: e. g. (1.) Isai.XLV.7. Ego sum, qui condo mala. ℞. Tertull. lib.2. adversf. Marc.c.14. dist. inter malum culpæ & pœnæ: *Non adhibita distinctione utriusq; formæ, separatis malis delicti, & malis supplicii, malis culpæ & malis pœnæ, suum cuiq; parti definimus auctorem, malorum quidem peccati & culpæ*

culpæ, diabolum; malorum vero supplicii & pœnæ, Deum creatorem ; ut illa pars malitiæ deputetur, ista justitiæ , mala condentis judicia adversus mala delicti ; De his ergo Creator profitetur malis, quæ congruunt judici : Deus igitur est auctor mali pœnæ, non culpæ. (2.) Deus, quem vult, indurat, Rom,IX.18. seqq. ut Pharaonem Exod. VII. 3. ℞. Origenes, causam indurationis esse penes hominem , *Neq; enim*, ajens, *Dei voluntas in honorem aut ignominiam quendam facit*, ἐὰν μὴ ὕλην τινὰ διαφορᾶς ἔχῃ τὴν ἡμετέραν προαίρεσιν *nisi materiam quandam differentiæ habeat voluntatem nostram, quæ in deteriora, vel meliora, propendeat* : unde reprobat, qui causam quærebant in prædestinatione, ἐλεοῦντος μὲν (Θεοῦ) τοὺς πνευματικοὺς, σκληρύνοντος δὲ τοὺς χοϊκοὺς, *Deo miserente eorum, qui Spirituales* creati , *indurante vero, qui terreni* : causam enim perhibet propriam cujusque malitiam : Esse enim, qui beneficiis etiam divinis indurentur, ut lutum sole; & plagis deteriores fiant , ut servi contumaces. Isai.LXIII.27. Ierem.XX.7. aut inflammentur , ut ulcus emplastro, quod tamen adhibitum erat à chirurgo , ut emolliret: sic Pharaonem esse induratum pœnis divinitus inflictis, quæ tamen Deus eo fine inflixisse , ut emollirentur. Summa hæc est eorum, quæ Origenes disputat c. 27. Philoc. ad Rom. IX. 22. Et Commin. 2. Cant. Cant: (3.) Matth.XIII.13. dicitur Christus in parabolis esse locutus, ne intelligerent auditores. ℞. Clemens Alex. lib.1. strom.f.m.270. esse istam prophetiam, non causam : *Non quod eis Deus præbeat ignorationem*, καὶ γὰρ οὐ θεμιτὸν τοῦτο φρονεῖν: *sic enim sentire est nefarium ; sed quod eam, quæ inerat, prophetiæ arguerit ; & ea, quæ dicebantur, non esse intellecturos, judicarit :* Sic pater loquitur; II. *Exhibet argumenta ex consequentiis facta*; ut (1.) quod Deus diabolum, mali auctorem, crearit. (2.) liberum hominis arbitrium. (3.) materiam homini dederit , animam & corpus. (4.) præsciverit peccatum. (5.) Non prohibuerit, cum tamen potuerit. (6.) Deus legem dederit peccati irritatricem. Ad. 1. ℞. Tertul.lib.2. advers. Marc.c.10. diabolum à Deo esse creatum Angelum non malum, ut Marcionitæ delirabant, & Bardianistæ, notante Origene tom. 1. opp.f.m.506. sed bonum , sponte autem sua per superbiam & invidiam cecidisse. vide Orig. comm. in Rom. lib. 1. & Philocal. c.26. Methodium apud Phot.cod.234. Ad.2. ℞. Tert. lib.2.adv. Marc.c.6. Deum creasse liberum hominis arbitrium rectum, sed homi-

hominem esse abusum: *Libertas hominis recogitata se potius ream ostendit, quod ipsa commisit.* Ad.3. ℞. c.9. Deum inspirasse quidem homini animam, sed libertate arbitrii & imagine Dei præditam, ut potuerit non peccare: *Itaq; non per illud jam videri potest anima deliquisse, quod illi cum Deo affine est, i.e. per afflatum: sed per illud, quod substantiæ accessit, i.e. per liberum arbitrium, à Deo quidem rationaliter attributum, ab homine vero, quia voluit, agitatum. Quod si ita se habent, omnis jam Dei dispositio de mali exprobratione purgatur. Libertas enim arbitrii von ei culpam suam respuet, à qua data est, sed à quo, non, ut debuit, administrata est*: nempe ab homine. Quod vero materiam attinet hominis, tanquam aliqua ab æterno mala fuerit, id vero prolixe in Hermogene refutat Tertullianus, præsertim c. 14. seqq. advers. Hermog. *Etsi habeamus à Deo, quod animalia simus, moveamur, hæc vel illa membra, manus, aut pedes moveamus*, οὐκ ἂν δ' λόγως λέγομεν ἔχειν ἀπὸ θεοῦ τὸ εἰδικὸν, τόδε ἤτοι τὸ κινεῖσθαι πρὸς τὸ τύπτειν, ἢ ἀναιρεῖν, ἢ ἀφαιρεῖσθαι τὰ ἀλλότρια, *non tamen jure dixerimus speciem hanc motus, ut moveamur ad cædendum, aut interficiendum, aut aliena rapienda, ex Deo habere, sed motum in universum à Deo accepimus*; ἡμεῖς ἢ χρώμεθα τῷ κινεῖσθαι ἐπὶ τὰ χείρονα, ἢ ἐπὶ τὰ βελτίονα, *sed nos utimur motu sive ad pejora, sive ad meliora: Ita & vim agendi, qua animalia sumus, & velle ab opifice accepimus, nos autem, qua homines, voluntate ad honesta, vel ad contraria, sicut & agendi virtute, utimur.* Ita Origenes lib.3. περ. ἀρχ. allegante Philocalia c. 21. Etiamsi igitur motum, seu vim movendi, habeamus ex Deo, determinationem tamen motus ad peccandum non accipimus ex Deo, sed quisq; à propria sua voluntate; ut peccatum Deo non possit abscribi. ℞. ad.(4.) N.C. Deus præscivit peccatum, E. est causa, ut N.C. lapsum Judæ proditoris præscivit & prædixit David. E. ipsius erat causa: οὐ γὰρ ἐπεὶ ἔγνωσαι, γίνεται; ἀλλ' ἐπεὶ ἔμελλε γίνεσθαι, ἔγνωσαι, *non enim, quia præscivit, fit; sed quia futurum erat, scivit*: verba sunt Origen. Comm. in Gen. l.14. confer Tertul. lib.2. advers. Marc. c.5. Et quæ supra sect.3. §.26. & 29. promisimus. ℞. (5.) N.c. Deus non prohibet. E. est causa: Nam nec Clypeus prohibet telum, neq; tamen est vulneris causa; quæ est instantia Clem. Alex. lib. 2. strom. f.m.310. vera causæ ratio consistit in influxu, qui h.l. nullus est. Etsi igitur mala fiant, θεοῦ μὴ κωλύσαντος *Deo non prohibente*, puta potentia absoluta, ut loquitur Clem. Alex. l. 4. strom. ut per-

persecutiones, quas *permittit*, uti scribit Clerus Romanus ad Carthaginensem epist. inter Cypriani III. §.1. Licet etiam suam retrahat gratiam, ob antegressa scelera; Rom. I. 28. vide Orig. l. 5. advers. Cels. p. 252. causa tamen dici minime meretur, vide Orig. in dial. cum Marcionitis tom. I. opp. f. 506. Ad. 6. ℞. N. c. impii enim ipsi sumunt sibi ansam peccandi ex lege: *Lex Dei nequaquam mihi causa fuit, ut corruptionis iugum subirem, sed diabolus*, asserit Methodius in lib. de resur. ratione addita: *scimus enim, quod lex spiritualis est, διὸ καὶ οὐδὲν αἴτιος βλάβης οὐδενί propterea nulli ullius damni causa.* Plura qui velit argumenta & responsa adeat vel unum Tertullianum lib. II. advers. Marcionem, ubi similia huius generis inveniet.

§. *6.* Diabolo igitur & homine seducto auctoribus natum est *peccatum*: Est autem peccatum πᾶν τὸ παρὰ τὸν λόγον τὸν ὀρθὸν, *quidquid est præter rectam rationem*, ut ait Clem. Alex. lib. 1. pæd. c. 13. Quidditas.
Est vel *originale*, vel *actuale*; Istud est ex Protoplastis, & per traducem in singulos homines deriuatur. *Omnis* enim *anima eousque censetur in Adam, donec in Christo recenseatur; tamdiu immunda, quamdiu recenseatur; peccatrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam suam ex carnis societate*, ait Tertul. c. 40. de anim. Et §. 2. de vel. virg. vocat *fecem contagionis antiquæ*; ut adeo nullus homo, ne infantes quidem, sint exempti. *Omnis, qui ingreditur hunc mundum, in quadam contaminatione effici dicitur; propter quod & scriptura* (Job. XXV. 4.) *dicit: nemo mundus est à sorde, nec si unius diei fuerit vita eius. Hoc ipso ergo, quod in vulva matris est positus, & quod materiam corporis ab origine patris seminis sumit, in patre & in matre contaminatus dici potest. Aut nescis, quia cum* 40. *dierum factus fuerit puer masculus, offertur ad altare, ut ibi purificetur, tanquam qui pollutus fuerit in ipsa conceptione, vel paterni seminis, vel uteri materni? Omnis ergo homo in patre & in matre pollutus est, solus vero Jesus Dominus meus in hac generatione mundus ingressus est, in matre non est pollutus*: Verba sunt Orig. hom. XII. in Lev. cui geminus extat locus l. III. advers. Cels. p. m. 150. & lib. VII. p. m. 366. Vnde consequitur & Mariam virginem fuisse peccatis infectam: *solus Deus sine peccato, & solus homo sine peccatis Christus, quia & Deus Christus*: ait Tert. c. 41. de anima. iam verò Maria non est Deus, E. peccatis erat infecta; *Solum verbum est sine peccato, nos vero habemus ad peccandum* πρώτας

Divisio. (margin)

ὁρμὰς ἐκ γενέσεως, *primos impetus à nativitate*: quare & Maria virgo habuerit. Clem. Alex. lib.3. pæd. Atque hoc peccatum trahit post sese maledictionem: *Maledictio Adæ est communis omnium*, ait Origenes IV. contra Cels. p.191. *Homo damnatur in mortem ob unius arbusculæ delibationem, & exinde prosiliunt delicta cum pœnis, & pereunt jam omnes, qui paradisi nullum cespitem norunt*, ait Tert. l.1. contra Marc. c. 22. An autem per peccatum hominis essentia tota mutata sit in peccatum? Negatur adversus Manichæos; corrupta quidem est natura, sed non conversa, id quod reliquiæ boni testantur: *Nam, ut diximus, naturæ corruptio alia natura est, habens suum Deum & Patrem, ipsum scilicet corruptionis auctorem, ut tamen insit & bonum animæ principale, illud divinum atq; germanum, & proprie naturale*: Tert. c.4. de anima; Et inhabitatio; aliud enim est inhabitans, aliud inhabitatum: *Peccatum autem me insidet, & incolit, & inhabitat in carne mea.* juxta Methodium de resur. ex Rom. VII.18. seqq.

Mala (1.) *Spiritualia*, ut Cœcitas mentis.

§. 7. Concernit hoc peccatum *mala* cum spiritualia, tum corporalia. 1. *Spiritualia*, ut sunt (1.) *Cœcitas mentis*: Nam Clemens Alex. προτρ. f.3. hominem comparat lapidi: ἐν ἀγνοίᾳ καὶ ἀνοίᾳ *propter ignorantiam & amentiam suam*, allegato dicto Luc. III. 8. Simili alio illustrat fol.70. *Quemadmodum*, aiens, *si sol non esset, quod ad alia quidem astra attinet, nox essent omnia; ita, nisi verbum cognovissemus, & eo illuminati essemus, nihil differremus ab auibus, quæ pascuntur, ut qui pinguefiamus in tenebris, & morte nutriamur*; paulo ante *mentem* nostram dixerat ἐν σκότει κατορωρυγμένον *in tenebris defossam* nempe, ut ibidem conqueritur: *defossi eramus in tenebris, & inclusi in umbra mortis*: Cyprianus ep.2. ad Donatum fatetur, ante conversionem suam *in tenebris atq; in nocte cœca se jacuisse, veritatis ac lucis alienum.* Similia habet Lactantius lib.I. institut. c.1. Unde consequitur, hominem, nisi Deo illuminante, nihil rerum divinarum per naturam intelligere posse; Clemens idem confirmat, cum lib.1. pæd. c.1. ostendit, Christum esse Doctorem, qui animam deducat πρὸς γνώσεως ἐπιτηδειότητα, *ad cognitionis aptitudinem*, δυναμένην χωρῆσαι τὴν ἀποκάλυψιν τοῦ λόγου, *ut possit capere revelationem verbi*: cum quo sensit veteranus ille Thebææ legionis miles, qui hæc memorabilia protulit verba: *Totus mundus caligine submersus tenebris circumfluentibus latet, nisi nobis aut viam Christus ostenderit, aut lumen Christi affulserit.*

ferit, referente Eucherio Lugdunensi in literis ad Sylvium Episcopum, apud Baron. an.297. §.18. Unde colligitur, quod homo per naturam non *possit* divina mysteria vel ipse excogitare, vel exposita sibi, naturali aliqua facultate, apprehendere: id quod ex 1. Cor. II. 14. probat Origenes lib. VI. adversus Cels. p.m. 324. Et Tertullianus alludit, cum animam nostram post lapsum vocat *irrationalem*: c.16. de anima. Tenues aliquot reliquiæ supersunt, quæ *magistra natura, & discipula anima* sciuntur juxta Tertul. de test. anim. c.5. Et *natura plerumq; suggeruntur, quasi de publico sensu, quo animam Deus dotare conatus est.* c.2. de anim. confer Apol. c.17. Orig. lib.1. adversus Cels. p. 6. (2.) *Pravitas voluntatis & concupiscentiæ*: ut, Tertulliano c.38. de anim. auctore, homo *iam non ex instituto naturæ, sed ex vitio, agat.* Ex hac veluti radice peccata actualia nascuntur, ut sunt pravæ cogitationes, desideria, opera; id quod Rom. VII. 18. Apostolus vult declarare, nempe, *peccatum in nobis post prævaricationem per concupiscentiam indicasse*, ἧς δὴ καθάπερ βλάστημα νέα φιλήδονοι περὶ ἡμᾶς ἀεὶ λογισμοὶ συνίστανται *cuius velut nova germina, cogitationes, carnem titillantes in nobis semper explicantur*: explicante Methodio lib. de resur. confer Cypriani ep.2. ubi facundè mysterium illustrat. II. *Corporalia*; ut sunt mortalitas; *In illa* enim *prima transgressione præcepti, firmitas corporis cum immortalitate discessit, & cum morte infirmitas venit*: iuxta Cypr. de bon. pat. §.9. Breviter: homo *excidit immortalitate*: ait Tert. c.2. advers. Jud. Et *contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahit.* iuxta Cypr. ep.59. §.4. *Omnis homo in Adam est mortuus*, censente Origene lib. VII. advers. Cels. p. 350. *Anima* tamen mansit immortalis, *Habens sua firmamenta, & propriæ conditionis alimenta, immortalitatem, rationabilitatem, sensualitatem, intellectualitatem, arbitrii libertatem*, ut cibo & potu pro sese non indigeat: Tertul. de anim. c.37. seqq. confer Augustin. ep. 167. ad Optat. Quæ & similia alia animæ mysteria omnium optimè ex S. literis ediscuntur: Tert. c.1. de anima disputans de Socrate in carcere mortuo, negat ex natura de animæ immortalitate constare, *Interea*, inquiens, *in isto tenebrosiore carcere seculi inter suos Cebetas, & suos Phædonas, si quid de anima examinandum est, ad Dei regulas dirigat. Certè nullum alium potiorem animæ demonstratorem, quam auctorem à Deo discat, quod à Deo habeas, aut nec ab alio, si nec à Deo.* Hæc ille. Etsi

pravitas voluntatis.

(II.) *Corporalia*, ut Mortalitas & mors.

in c.2. seq. non omnino negat, etiam Philosophos aliquid huius mysterii rescivisse. An & corpus evaserit animæ *carcer* ? Origenes affirmat, refutatus propterea à Methodio, sentiente, συμπεριάγεσθαι μᾶλλον τὸ σῶμα, καὶ συνεργεῖν, πρὸς ἃ ἡ ψυχὴ ἐπιτρέπει, *corpus circumferri potius, & cooperari, ad ea, quæ anima committit*: in lib. de resurr. apud Phot. cod. 234. animæ igitur à corporibus non impediuntur, ut objiciebat Origenes, sed adiuvantur.

(III.) Status Restitutionis.

§. 8. III. Status *restitutionis* est, cum homo *primo exemplari assimilatur, quantum illac pertingere conceditur iis, qui carne sunt ligati, & qui parvum boni defluxum suscipere possunt*, uti Cyprianus ait apud Gregor. Nazianz. panegyr. in Cypr. f. m. 125. Etiamsi enim peccatum homini sit naturale, ut viribus hominis *demutabile non debeat credi, quod naturale dicitur*, uti statum format Tertul. de anim. c. 21. attamen virtute Dei id fieri poterit: *Non dabit enim arbor mala bonos fructus, si non inseratur, & bona malos dabit, si non colatur, & lapides filii Abrahæ fient, si in fidem Abrahæ formentur, & genimina viperarũ fructum pœnitentiæ facient, si venena malignitatis expuerint*: sed cuius id beneficio futurum est? Dei: *Hæc erit vis divinæ gratiæ, potentior utiq; natura, habens in nobis subiacentem sibi liberam arbitrii potestatem, quod αὐτεξούσιον dicitur*: Deus igitur poterit restituere, sicut & iam initium restituendi fecit, uti lib. 1. advers. Marc. c. 22. disputat.

eius *Efficiens* principalis.

§. 9. Ut igitur ordine procedamus, sit restitutionis causa (1.) *Efficiens principalis* Deus: certum enim est, μηδὲν κρεῖττον ἐν ἀνθρώποις γεγονέναι ἀθεεὶ *nihil inter homines* (boni) *fieri sine Deo*, juxta Orig. lib. 1. advers. Cels. p. m. 21. & quidem sine eo ipso Deo, qui primum creavit cœlum & terram, ut idem sit Creator & Restaurator, quod disputant adversus Marcionitas Tert. lib. 1. c. 22. Origenes in dialogo tom. 1. opp. f. 504. seqq. Causa autem impellens sit Dei gratia & misericordia, qui *non vult mortem peccatoris*, asserente Dionysio Alexandrino, post Johannem Euangelistam, quod est apud Euseb. lib. VI. hist. c. 34. & VII. c. 20. *Quia enim*, inquit cum Paulo Apostolo Origenes, *omnes conclusi sunt sub peccato, jam non in meritis, sed in misericordia Dei salus humana consistit*. lib. IX. in epist. ad Rom. quibuscum conferri possunt, quæ in eandem sententiam disserit lib. III. περ. ἀρχ. f. m. 455. Et Cyprianus de oper. & eelemos. § 1. qui Patri Filium coniungit, de quo post. *Universalis*

universalis.

est

est hæc Dei erga omnes homines, & semper prona voluntas: *Amore enim nostri præditus Pater, & quidem verè Pater*, οὐ παύεται προτρέπων *non cessat adhortari, admonere, diligere; neq; enim cessat dare salutem*: ait Clem. Alex. προτρ. f. 59. docens, Deum semper esse paratum ad salutem dandam; quod & Orig. docet lib. IV. advers. Cels. p. m. 165. *nunquam defuisse Deo voluntatem iustificandi vitam hominum, quia illud semper curavit, data ad virtutem sectandam suasione, ut rationale animal ad rectiora se converteret.* Quæris autem, quibus obtulerit istam facultatem? Omnibus hominibus: πάντων γὰρ ἀνθρώπων ὁ παντοκράτωρ κηδόμενος θεός: *omnium* enim *hominum curam gerens omnipotens Deus alios quidem præceptis, alios verò minis, & nonnullos quidem signis prodigiosis, aliquos vero benignis convertit ad salutem promissis*: idem ait lib. VI. strom. Et ita ἀφορμὰς δίδωσι σωτηρίας *occasionem dat salutis*, uti ait p. 271. & recenset, nempe *principium fidei*, *vitæ rectè instituendæ promptum & alacre desiderium, veritatis appetitionem, & ad eam imitationem, motum inquisitionis, vestigium cognitionis*; Innuens, Deum non modo velle, idque semper, hominis restitutionem, sed etiam adhibere apta restituendi media, *qui omnibus misericors, & benignus, & pius est*, scribit Cyprianus, ut obtineat, *neminem per nos debere* (à baptismo, salutis medio) *prohiberi*, epist. 59. §. 4. Idem vult, propterea nos *precem pro omnium salute facere*, in explicatione petitionis orationis dominicæ. §. 12. ut nimirum similes reddamur DEO erga omnes misericordi: Eadem habet de oper. & eleemos. §. 23. Dicas: *si Deus est potens, misericors, conservator, convertat nobis mentes, & invitos faciat suis pollicitationibus credere*, ut adeo omnes convertamur & salvemur: R. Arnob. lib. 2. advers. gent. p. 89. *Vis ergo est ista, non gratia, nec Dei liberalitas Principis, sed & vincendi studium, puerilis atq; animi contentio.* i.e. Talis agendi modus absolutus Deo esset indignus: ordinavit ille sua media, quibus homo potest repugnare; nec interdum desunt *quædam consequentiæ seriesq;* ἄφατοι, καὶ ἀνεκδιήγητοι, *ineffabiles & inexplicabiles, de variis modis, quibus hominum disponuntur mentes*: observante Origene lib. IV. advers. Cels. p. m. 166. Ordinariè tamen omnes vult salvare, ut repugnantes isti intentioni divinæ θεομαχεῖν *Deo repugnare* merito dicantur Tert. c. 4. ad Scap. confer Orig. lib. 5. περ. ἀρχ. Philocal. c. 21.

§. 10. (2.) *Meritoria* est Christus, à Patre suo missus, sa- meritoria.

lutis nostræ gratia. *Multa* enim *& magna sunt, fratres charißimi, beneficia divina, quibus in salutem nostram Dei Patris & Christi larga & copiosa Clementia & operata est, & semper operatur; quod conservandis ac vivificandis nobis Pater Filium suum misit, ut reparare nos posset, quodq; Filius missus, esse, & homo Filius voluit, ut nos Dei Filios faceret:* ait Cypr. §. 1. de oper. & eleemos. Talem miseria nostra flagitabat restauratorem: *Qui ægrotamus, servatore opus habemus; qui aberravimus, eo, qui nos deducat; & qui sitimus, fonte vitali, cuius, qui sunt participes, non amplius sitient; & qui mortui sumus, vita egemus; qui oves, pastore; quiq; pueri, pædagogo.* iuxta Clem. Alex. lib. 1. pædag. c. 9. Et quia *omnes* indigebamus, ideoque *omnium* Salvator extitit: σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, μάλιστα πιστῶν, *Salvator omnium hominum, maximè fidelium*, uti vocatur à Clem. Alex. προτρ. f. 55. *Effectus hostia per omnia pro omnibus nobis*: Tertul. c. 14. advers. Jud. *Salvator omnium*; iuxta Julium Africanum lib. 5. epit. allegante Baron. an. 222. §. 2. *non unius tantum terrarum anguli medicus, sed universorum, quanta in ipso est: Servator enim venit omnibus hominibus*: iuxta Orig. lib. IV. advers. Cels. p. m. 164. Unde clarè patet, quod pro omnibus promiscuè hominibus Christus sit destinatus Salvator.

Ministerialis — §. 11. (3.) *Ministerialis* est ministerium Ecclesiasticum, in V. T. prædictum, Ezech. XXXIV. 11. Jerem. III. 15. XXXI. 10. allegante Cypriano lib. 1. contra Jud. §. 14. unde dicuntur τοῦ αὔξοντος ὄντες διάκονοι, Dei *incrementa dantis ministri: ut in ministerio unum sint*, iuxta Pauli effatum 1. Cor. III. 6. seqq. citante Clemente Alex. lib. 1. strom. f. 272. *sinceram quandam & incorruptam cognitionem ingenerantes eorum, qui audiunt, animis*: f. 274. Versantur circa officium verbi & Sacramentorum: quæ quidem coram mundo spreta sunt media, revera tamen sunt præstantissima: *Nihil adeo est, quod obduret mentes hominum, quam simplicitas divinorum operum, quæ in actu videntur; & magnificentia, quæ in effectum repromittitur; ut hic quoque, quoniam tanta simplicitate sine pompa, sine apparatu novo aliquo, deniq; sine sumptu homo in aqua demissus, & inter pauca verba tinctus, non multo, vel nihilo mundior resurgit, eo incredibilis existimetur consecratio æternitatis*: disserente Tertulliano c. 2. de bapt. quod ipsum etiam de verbo Dei valet. Verbum viam sternit εἰς τὴν θεοσέβειαν *ad Dei cultum*; &

& instrumentalis est *Verbum.*

divi-

divina gaudet virtute: *cum* enim *de Domino Deo vox est, vocis pura sinceritas non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, sed rebus*: scribit Cypr. epist. 2. §. 1. sive sit scriptum, sive ore prolatum: *ambo* enim *verbum prædicant*, ὁ μὲν τῇ γραφῇ, ὁ δὲ τῇ φωνῇ, *alter quidem scriptura, alter verò voce*: iuxta Clem. Alex. lib. 1. strom. f. 270. Dividitur in *legem* & *Euangelium*: Istius variæ sunt acceptiones, quas evolvit Origenes tom. IX. in epist. ad Rom. VII. 7. allegante Philocal. c. 9. Eo nos h. l. sensu capimus, quo Euangelio opponitur; & Judæos in V.T. concernebat: *Prius veteri populo vetus erat testamentum, & lex cum metu populum erudiebat*: juxta Clem. Alex. lib. 1. pæd. c. 7. & c. 11. *Lex*, ait, *est pædagogus puerorum insolentium, qui habenis non facile retinentur*: nempe, *ut & peccata rescindat, & ad res honestas rectè & ex virtute gerendas exhortaretur*: quare sic definit: κανὼν τυγχάνων δικαίων τε καὶ ἀδίκων, *regula est justorum & injustorum*: lib. 1. strom. φῶς ὁδοῦ *lumen viæ*, ὁ πάντων βασιλεὺς, *omnium rex*; θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων, *mortalium & immortalium*; λόγος ὀρθὸς, *sermo rectus*, seu ratio recta; χρηστὴ δόξα, *salutaris opinio*; χρηστή τε καὶ ἀληθὴς, *bona vero & salutaris* f. 350. 356. 366. Dividitur in partem νομοθετικὴν & φυσικὴν *legislativam & naturalem*, iuxta eundem fol. 350. quarum ista concernit legem moralem, & forensem; hæc ceremonialem. Sub morali comprehenditur & *naturalis*, quam τὸ ἅμα τῇ γενέσει *congenitam* appellat fol. 356. fundatam Rom. II. 14. explicante Origene ad l. c. Et lib. V. contra Cels. p. 256. cui opponitur lex positiva: Duæ enim sunt leges in genere: καὶ τοῦ μὲν ὄντος τῆς φύσεως νόμου, *altera naturæ, cuius Deus lator est*, *altera scripta, valens in civitatibus*, quarum ista est immutabilis, *regina aliarum* legum, l. c. *quæ in cordibus scripta est, & in gentibus, natura, quæ lex iubet, facientibus*; *nec alia est ab ea*, *quæ secundum communem sensum naturæ inscripta est principi parti nostræ*, *& quæ quotidie cum rationis perfectione ac consummatione adultior fit & solidior*, idem ad Rom. 2. annotat. Est perpetua, ut probat Tertul. lib. V. contra Marc. c. 4. Clemens Alex. lib. 2. strom. cum cæremonialis sit abrogata. Vide Anatolium in Canonibus Paschalibus apud Euseb. VII. 26. Tert. c. 2. & 3. advers. Jud. Et lib. IV. adv. Marc. c. 1. Orig. t. 1. opp. f. 505. Est potior legibus civilibus & Leviticis: *Cum enim duæ sint leges in genere, altera naturæ lex, cuius Deus lator est; altera scripta, valens in civitatibus: ubicunque scripta lex legi Dei non adversatur, decet accommodare se civibus*,

Legis.

vibus, nec affectare leges exteras; ubi verò scriptæ contrarium naturæ, i.e. Dei lex imperat, vide, annon ratio dictet, ut scripta lege valere jussa, Deo legislatori te committens, vivas juxta illius præscriptum, etiamsi id faciendum sit cum innumeris periculis, laboribus, mortibus, ignominiis. Orig. lib. 5. adverſ. Celſ. p. 256. ſed de hoc inferius plura dicemus, ubi de renovatione loquendum fuerit. Contradiſtinguitur legi *Euangelium*, quæ eſt *nova lex*, uti appellat Tertul. c. 3i adverſ. Jud. *lex Spiritus vitæ*, ut ex Rom. VIII. 2. nuncupat Methodius de reſur. apud Phot. cod. 234. *εἰρηνικὸν μέλος pacificum carmen* à Chriſto decantatum. Clem. Alex. *προτρ.* f. 72. *Novo & recenti populo novum ac recens testamentum datum est, & verbum fuit genitum, & metus in dilectionem conversus est, & mysticus ille Angelus, Jesus, pariter*: lib. 1. pæd. c. 7. Materia igitur Euangelii eſt Chriſtus, & effectus eſt dilectio ex beneficiis divinis accenſa; Unde colligere licet differentiam (contrarietas enim, propriè ſic dicta, nulla eſt, aſſerente Tert. contra Marcionem lib. 1. c. 19.) inter Legem & Euangelium; *Confitetur* enim idem Tertullianus *alium ordinem decurrisse in veteri dispositione apud Creatorem, alium in nova apud Christum*: lib. IV. c. 1. confer Orig. l. 1. opp. f. 499. Differunt autem (1.) materia; Euangelium enim verſatur circa credenda, lex vero facienda, vel omittenda: Eſt enim *προστακτικὸν τῶν ποιητέων, ἀναγορευτικὸν δὲ τῶν οὐ ποιητέων, imperativa faciendorum, & prohibitiva omittendorum* ait Orig. in Rom. 7. Euangelium autem revelat *justitiam Dei, quæ à Jesu Christo revelata est.* l. c. Confer Clement. Alex. libr. 1. ſtrom. f. 350. 351. Lex umbram habuit, Euangelium verò corpus ipſum, Chriſtum in carne, exhibet: vide Methodium apud Photium cod. 237. Tert. lib. 5. adverſus Marc. c. 6. (2.) *Forma.* Lex enim, utpote violenta, damnat, Euangelium vero, utpote pacificum, iuſtificat. Tertul. c. 3. adverſ. Jud. quod ipſum c. 9. typo illuſtrat, Moſis & Joſuæ; quorum iſte populum in terram Canaan non, uti hic, introduxerit: ita nec legem hominem iuſtificare & ſalvare, ſed Euangelium à Jeſu Chriſto annunciatum. (3.) *Adjunctis*, ut ſunt *duratio*, Euangelio enim ceſſit Lex. Tert. c. 6. adverſ. Jud. *ambitus*; Lex enim, non perinde, ut Euangelium, omnibus gentibus eſt annunciata. l. IV. contr. Marc. c. 1. *Tempus.* Lex enim in V. T. Euangelium vero in N. T. ſolenniter eſt annunciatum & promulgatum, vide c. 6. adverſ. Jud.

& Euangelii.

§. 12.

§. 12. *Sacramenti* (1.) vox notat propriè juramentum. Sacramenti. 1. *Vox.* Vide notas Pamelii ad Tertul. de præscript. §. 239. c. 40. deinde ad plura alia applicatur. Nam de quibusvis symbolis & mysteriis divinis usurpatur, e. g. Trinitatis, quam Tertul. c. 2. adverf. Prax. vocat *οἰκονομίας sacramentum*; cui subscribit Cypr. de unit. §. 5. Unionis duarum in Christo naturarum, quæ facta est in incarnatione: Nam Novatianus vocat *altissimum atq; reconditum Sacramentum*; c. 18. de Trinit. Tunicæ Christi inconsutilis, quæ dicitur *Sacramentum* unionis Ecclesiasticæ à Cypr. de unit. §. 6. impositionis manuum, qua baptizati ab hæreticis recipiebantur in Ecclesiam Epist. 72. Quod notandum adverf. Pontificios pro septenario Sacramentorum numero frustra ex voce pugnantes. Sic enim & oratio dominica esset Sacramentum; Ita enim appellatur ab eodem in explicat. orat. dom. §. 5. & dictum Johannis XVII. 3. Nam & hoc *Sacramentum vitæ* appellat §. 20. (2.) *Differentia* est inter Sacramenta V. T. & N. T. *Creator* 2. *Differentia.* enim *tam ipse notus, quam & Sacramenta eius, palam scilicet decurrentia apud Israel, sed de significantiis obumbrata, in quibus sapientia Dei delitescebat:* ait Tert. lib. 5. adverf. Marc. c. 6. Hinc patet, quod in V. T. umbræ solum fuerint, in N. T. autem corpus verum exhibeatur. (3.) Numerus. Sunt duo tantum propriè sic dicta: Baptismus 3. *Numerus.* & Eucharistia; juxta numerum aquæ & sanguinis, quæ è vulnere crucifixi emanarunt; *proinde ut nos faceret aqua vocatos, sanguine electos, hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit*; *quia, qui in sanguinem eius crederent, aqua lavarentur: & qui aquâ lavissent in baptismo, etiam sanguinem potarent in Eucharistia*: ait Tert. c. 16. de bapt. & lib. IV. adverf. Marc. c. 34. laudat solum *Sacramentum baptismatis & Eucharistiæ*. Excipit quidem Pamelius, nec sine convitiis, auctorem *non loqui de omnibus Ecclesiæ Sacramentis*; de quibus igitur? *Solum,* ait, *de Sacramentis, quibus fideles seu Christiani fiunt:* Atqui solo Baptismo Christiani fiebant, qui est Sacramentum initiationis; Eucharistia autem, etsi in adultis conjungeretur, attamen erat solum confirmationis: Etiam impositio manuum coniungebatur baptismo, cuius tamen Tertullianus non meminit: vanum est, quod de Episcopo regerit annotator, tanquam ideo non meminisset Tertullianus *Manus impositionis*, quod Marcion Presbyter

fuerit, non Episcopus: Nam & Presbyteri baptizabant, manusque imponebant, manent igitur duo Sacramenta, *aquæ & calicis*: Cypr. 1. adverſ. Jud. c. 22.

Baptiſmi 1. Nomen, §. 13. *Baptiſmi* (1.) Ὀνοματολογία removet acceptiones, de quibus h. l. nobis nulla quæstio: ut eſt *lavacrum ſanguinis*, quod vocat Tert. c. 16. de bapt. ex Luc. XII. 50. &c. quem & *ignis* vocat Origenes apud Euſeb. lib. VI. hiſt. c. 4. Baptiſmus Ethnicorum, *Nam & ſacris quibusdam per lavacrum initiantur*, c. 5. de bapt. *villas præterea*, ut l. c. addit, *domos, templa, totasq; urbes aſpergines circumlatæ* aquæ *expiant paſſim*: iſta diaboli κακοζήλε phantaſmata h. l. removemus: viderint autem Pontificii, quomodo ſeſe à ſocietate Ethnicorũ liberent: nobis h. l. ſermo eſt de baptiſmo divinitus inſtituto & præcepto, quem *Symbolum mortis, mortem criminum, & vitam virtutum, Sacramentum ſanctificationis, ſignaculum Chriſtianorum, lavacrum vitale, ſpiritualem circumciſionem, undam genitalem, lavacrum aquæ ſalutaris*, λυτρὸν καὶ φωτισμὸν, *lavacrum & illuminationem*, ὕδωρ λογικὸν, *aquam rationalem*, εἰλικρινεστάτην κάθαρσιν, *puriſſimam purgationem*, μυστήριον τῆς κατ' Ἰησοῦν θεοσεβείας *myſterium chriſtianæ religionis*, καθάρσια ἁμαρτημάτων, *luſtralia peccatorum* appellat Tertul. de pœnit. c. 6. & c. 4. de bapt. de ſpect. c. 4. Cypr. ep, 2. Clemens Alex. προτρ. f. 59. 62. Euſeb. VII. 8. Origenes III. contra Celſ. Prædictum in V. T. ab Iſaia XXIII. 18. XLVIII. 21. vide Cyprian. adverſ. Jud. §. 12. & præfiguratum variis typis; de quibus conſulatur Tert. c. 4. & 9. ſeqq. de bapt. Cyprian. ep. 63. §. 5. Præ quibus eminet, quod Spiritus Dei vectus ſit

2. *Cauſæ* principalis. ſuper aquas in prima creatione. (2.) Πραγματολογία, complectens *cauſas*, ut *principalem*, quæ eſt Deus; Nam *per Dei auctoritatem* efficax eſt. Tert. c. 5. de bapt. Chriſtus; *fidem* enim *noſtram, baptiſmatis gratiam, & legis Eccleſiaſticæ regulam, Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſuo ore Apoſtolos docens perimplevit, dicens*: *Ite, & docete*, ait Euchratius Epiſcopus in Concilio Carthaginenſi, & alius Fortunatus: Spiritus quoque ſanctus: Hic enim eſt, *qui operatur ex aquis ſecundam nativitatem: ſemen quoddam divini generis, & conſecrator cœleſtis nativitatis,*

Miniſteriales. *pignus promiſſæ hæreditatis*: juxta Novat. de Trinit. c. 29. *Miniſtri* ſunt homines in officio Eccleſiaſtico conſtituti: ut ſunt Epiſcopi; Nam *Chriſtus poteſtatem baptizandi Epiſcopis dedit*, ait Fortunatus in Concilio Carthaginenſi: ſucceſſoribus Apoſtolorum: *Tingebant diſci-*

discipuli eius, ut ministri, ut Johannes ante præcursor eodem baptismo Johannis: ait Tert. c. 11. de bapt. *His*, ait Fortunatus, *nos successimus, eadem potestate Ecclesiam gubernantes.* Sed & Presbyteri; Gabinius enim Presbyter baptizavit Claudii filios, referente Baronio ann.. 294. §. 22. in casu necessitatis etiam laici: *Quod* enim *ex æquo accipitur, ex æquo dari potest*: ait de bapt. Tertullianus. *Obiectum* erant non adulti modo, sed & infantes: *parvuli* enim, ait Origenes, *baptizantur in remissionem peccatorum*; & iterum: *quia per baptismi Sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur parvuli:* in c. 2. Luc. Nec opus est, ut exspectetur dies octavus, ut in circumcisione: Cum enim Fidus quidam movisset quæstionem: anne infantes octavo demum die essent tingendi, quo olim circumcidebantur? ℞. Cyprianus ep. 59. ex sua & concilii mente; quod non: *universi potius iudicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam denegandam:* eo quod Filius hominis venerit animas salvare, non perdere Luc. IX. 56. Quæ vero Fidus in contrarium attulerat, solvit. *Adulti* autem præparare sese cogebantur pœnitentia; apud Tertul. c. 6. de pœnit. & aliis, ut crebris *orationibus, ieiuniis, & geniculationibus, & pervigiliis, & cum confessione omnium retro delictorum*: testatur idem c. 20. de baptis. & Origenes lib. III. advers. Celsi calumnias; imprimis autem iam credere tenebantur: *qui in sanguinem eius credunt, aqua lustrantur*: Tert. c. 16. de baptis. & informandi erant, ut crederent: *prius est prædicare, posterius tingere.* c. 14. Hinc examen prius instituebatur, quam baptizarentur, per quæstiones & responsiones: vide Euseb. lib. VII. hist. cap. 8. Materia duplex est, vel terrena, vel cœlestis; Terrena est aqua; *in aqua nascimur, nec aliter, quam in aqua permanendo salvi sumus*, ait Tertullianus c. 1. de bapt. Intelligit autem nativam aquam; Nam c. 3. vocat *liquidum elementum*: quæcunque denique sit: *nulla distinctio est, mari quis, an stagno, flumine an fonte, laco an alveo diluatur*, c. 4. Oportet tamen cum verbo coniungere: *Omnes*, ibidem ait, *aquæ de pristina originis prærogativa Sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo*: Et Sedatus in Concilio Carthaginensi: *aqua sacerdotalis, prece in Ecclesia sanctificata, abluit delicta.* Materia cœlestis est Spiritus S. *Neq; enim Spiritus sine aqua operari potest, neq; aqua sine Spiritu*, supposita institutione & assertione Christi Joh. III. 5. ait Nemesianus

Obiectum. *Materialis* terrena. & Cœlestis.

Thubunensis in Concilio Carthaginensi. Tertullianus c. 4. de bapt. præclare : *Omnes aquæ de pristina originis prærogativa Sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo; supervenit enim statim Spiritus de cœlis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt*: Confer Novat. c. 29. de Trinit. Cypr.

Formalis. ep. 63. §. 5. *Forma* erat recitatio verborum : in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, vide Tert. c. 6. de bapt. & immersio in aquam : *in aqua mergimur*, ait c. 7. immersio autem solennis, juxta ritum Ecclesiæ : unde cum quidam putarent, discipulos Christi esse baptizatos, cum in mari de vita periclitarentur, seu, uti verba habent Tertul. *cum in navicula fluctibus aspersi, operti sunt*; regessit Tertul. *aliud est aspergi, vel intercipi violentia maris*; *aliud tingi disciplina*

Finalis. *religionis*. c. 12. de bapt. *Finis* est receptio in regnum gratiæ : Quare ille ex hæreticis reversus, obtestatus est, ut hac purissima lavacri purgatione καὶ παραδοχῆς καὶ χάριτος *& receptionis, & gratiæ* possit particeps fieri. referente Dionysio apud Euseb. lib. VII. hist. c. 8.

3. Effectus in genere. §. 14. *Effectus* insignes sunt : quos *spiritales* vocat Tert. c. 8. de bapt. in compendio recitat Clem. Alex. lib. 1. pæd. c. 6. *illuminati*, aiens, *in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur. Multis autem modis vocatur hoc opus lavacrum, gratia, illuminatio, perfectum lavacrum, per quod abstergimur; gratia, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur : illuminatio autem, per quam sanctam illam & salutarem lucem intuemur, perfectum autem dicimus, cui nihil desit*: Distin-

in specie (1.) remissio peccatorum. ctius enumeremus hæc. Est (1.) peccatorum remissio : *Ablutionem* n. *delictorum fides impetrat, obsignata in Patre, Filio, & Spiritu sancto*, eamq; certo; *Nam si in tribus testibus stabit omne verbum, quanto magis dum habemus per benedictionem eosdem arbitros fidei, quos & sponsores salutis, sufficit ad fiduciam spei nostræ etiam numerus nominum divinorum.* ait Tert. c. 6. de bapt. Cui subscribit Clemens Alex. lib. 1. pæd. c. 6. cum ait : *propter remissionem peccatorum* nos baptizari : *In baptismo remissio peccatorum datur* : dicit Cypr. de oper. & eleemos. §. 2. non tantum actualium, sed & originalis : *In baptismo secundum antiqui hominis peccata carnalia & mortui & sepulti sumus* : scribit idem de zelo & liv. §. 12. consentanea iis, quæ habet Orig. hom. XIV. in c. 2. Luc. Nec peccata solum, sed & peccatorũ pœnæ remittuntur : *Qui unum semel anno liberabant, nunc quotidie populos conservant, deleta morte per ablutionem delictorum*: juxta

juxta Tert. c. 5. de bapt. Est (2.) *Regeneratio*: Nam *secundam nativitatem* eam vocat idem c. 41. de bapt. *reformationem*, c. 3. de bapt. *παλιγγενεσίαν, regenerationem* Clemens Alex. *προτρ.* f. 56. *Aquæ* enim *animare noverunt*, juxta Tert. c. 3. de bapt. non novam essentiam commodando, sed novas vires; unde Cyprianus ep. 2. §. 1. scribit, *hominem renasci, & in novam vitam lavacro aquæ salutaris animatum, quod prius fuerat, deponere, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutari*: pergit, aiens, *exsui, quod vel genuinum situ materiæ naturalis obduruit, vel usurpatum diu senio vetustatis inolevit.* Nimirum intercedit quoddam quasi coniugium inter Ecclesiam matrem, & Deum Patrem, cuius virtute nos renascimur in baptismo; *Connubium inter animam & Spiritum*, laudat Tert. de anim. c. 41. Quod amplius & jucunde explicat Clemens Alex. *προτρ.* f. m. 89. Et concludit: *Nos, qui aliquando fuimus filii iniquitatis, per verbi clementiam nunc facti sumus filii Dei*: Spiritum sanctum, utpote filiationis Spiritum, propterea laudat Heraclas Episcopus Alexand. teste ipsius successore Dionysio in literis ad Philemonem apud Euseb. lib. VII. hist. c. 6. Est (3.) *Illuminatio*: Nam scribente Cypr. ep. 2. §. 2. *in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit*: Et mox: *mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa &c.* nempe susceptum post baptismum, cæperunt. Quo spectat illud Maximi confessoris: *Hactenus cœcus fui, modo illuminatus video*: Quærebat Cæsar: *quo lumine*? regerebat Christianus, *in fide Domini nostri Jesu Christi*, nempe, quam conceperat paulo ante baptizatus, vide Baron. an. 259. §. 13. Signum erat illuminatio interdum etiam corporalis, ut exemplum recitat Baron. §. 23. 25. ex actis Stephani, qui Nemesii filiæ visum restituerat. Est (4.) *Renovatio* ad studium pietatis. Est enim *mors criminum, vita virtutum*: juxta Cypr. ep. 2. ut *templa Dei sint membra nostra, ab omni fece contagionis antiquæ lavacri vitalis sanctificatione purgata: nec violari ea, aut pollui fas sit, quando, qui violat, & ipse violetur.* de hab. virg. §. 2. Vis exemplum? ipsum cape Cyprianum, sicut baptizatus *parsimoniam didicit, cum antea epularibus cœnis & largis dapibus assuevisset* &c. ep. 2. Tertullianus urget fidem coniugalem erga Spiritum sanctum, veluti maritum: *sequitur animam nubentem spiritui caro, ut dotale mancipium, & jam non animæ famula, sed spiritus. O beatum concubium, si non admiserit adulterium!* c. 41. de anim.

(2.) Regeneratio

(3.) Illuminatio.

(4.) Renovatio.

anim. Reſultat inde etiam dilectio proximi; eum enim in finem renaſcimur, *ut in unam multi cogamur dilectionem per monadicæ eſſentiæ communionem*: Summa, reſtituitur imago Dei quondam amiſſa: *Ita reſtituetur homo Deo ad ſimilitudinem eius, qui retro ad imaginem Dei conditus fuerat: Imago in effigie, ſimilitudo in æternitate cenſetur. Recipit enim illum Dei ſpiritum, quem tunc de afflatu ejus acceperat, ſed poſt amiſerat per delictum.* juxta Tertul. c.5. qui per Spiritum homini inſpiratum non intelligit animam, ſed concreatam animæ perfectionem.

(5.) Salvatio.

(5.) *Salvatio.* Nam, teſte Tertulliano, *lavacro hoc diluitur mors, aquæ animantur, caro in baptiſmo abluitur, ut emaculetur anima.* De reſur: *lavacro aquæ ſalutaris gehennæ ignis extinguitur.* Cypr. de oper. & eleem. §.1. ut Deus, adhortando ad baptiſmum, hortetur nos *πρὸς σωτηρίαν ad ſalutem.* Clem. Alex. *προτρ.* f.59.

4. *Adjuncta.* ut Efficacia.

§. 15. Baptiſmus igitur non eſt nudum ſignum, ſed efficaciſſimum *organum* prædictorum effectuum: *Aquæ* enim *animant, ſanctificant,* vim *ſanctificandi combibunt, aquis abluimur à peccatis, liberantur de ſeculo nationes per aquam.* ait Tert. c.9. de bapt. *per lavacrum peccata abſtergimus; ac remittuntur pœnæ,* & quæ porro in antecedentibus præmiſſa ſunt. Eaque virtus patet omnibus, obicem non ponentibus: *Omnes, qui ad divinum munus & patrium baptiſmi ſanctificatione perveniunt, hominem illic veterem gratia lavacri ſalutaris exponunt, & innovati Spiritu ſancto à ſordibus contagionis antiquæ iterata nativitate purgantur*: juxta Cypr, de hab. & diſc. §.18. Si qui autem adulti excidunt iſtis fructibus, ipſi in cauſa ſunt, *δι' ἀπείθειαν per incredulitatem* ſuam, cenſente Clem. Alex. *προτρ.* f.89. 9. per quam Judaica eccleſia ſterilis extitit.

Neceſſitas

An vero *neceſſarius* abſolutè ſit baptiſmus? quæritur. Negant Patres; *remittuntur* enim *peccata credenti utiq;, nec tamen tincto*: ait Tert. c.2. de bapt. Ordinariè tamen neceſſarius eſt: id quod in hoc ipſo libello ex profeſſo idem diſputat: Obiecerat ſibi: ſi fides juſtificat, & ſalvat. E. non opus eſſe baptiſmo: ℞. *Fuerit ſalus retro per fidem nudam ante Domini paſſionem & reſurrectionem, addita eſt ampliatio Sacramenti obſignatio baptiſmi, veſtimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda, nec potentiam habuit ſine ſua lege. Lex enim tingendi impoſita eſt, & forma præſcripta: Ite, docete nationes, tingentes eas. Huic legi collata definitio illa: niſi quis renatus fuerit, obſtrinxit fidem ad baptiſmi neceſſitatem. Itaq; omnes exinde credentes*

tingun-

tinguntur. Hæc ille. Consentit Clemens Alex. προτρ. f. 62. hortatur enim gentiles ad baptismum, rationis loco subdit: καθαροὺς εἰς οὐρανοὺς ἀναβῆναι δεῖ, *oportet puros in Cœlum adscendere homines*: Cyprianus lib. II. de test. anim. §. 35. & ipse urget locum, Joh. III. *ad regnum Dei, nisi baptizatus & renatus quis fuerit, pervenire non posse.* Ex quibus patet ordinaria baptismi necessitas. *Tempus* in sese est indifferens: *Omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo; si de solennitate interest, de gratia nihil refert*: ait Tert. de bapt. c. 19. suggerens distinctionem inter *tempus* divinitus, & humanitus definitum, inde nullum esse præscriptum, ut hinc est: *Diem baptismo solennem pascha præstat; cum & passio Domini, in qua tingimur, adimpleta est*: Et paulo post: *Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est, quo & Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, & gratia Spiritus sancti dedicata, & spes adventus Domini subostensa.* Habuit igitur Ecclesia suas pias occasiones, quare illo potissimum tempore voluerit baptismum administrari. Atq; hæc solenniora tempora diu observabantur, usque ad tempora Regum Francorum, ut patet ex ipsorum sanctionibus, quæ extabant olim *Argentorati, in libraria templi maioris.* Tempus.

§. 16. Causæ hæc sunt, & media (1.) *Vocationis*: quæ est *universalis*: pertinens ad omnes homines: *Dominus enim, cum sit benignus,* πάντας ἀνθρώπους *omnes homines ad veritatis agnitionem adhortatur,* ait Clemens Alex. προτρ. f. 55. & fol. 75. introducit Christum sic loquentem: *Audite gentes innumerabiles, vel potius, quicunq; ex hominibus estis ratione præditi, & Barbari & Græci* πᾶν ἀνθρώπων γένος καλῶ *omne genus humanum voco*: Nec nude vocat, sed & media veniendi commodat: *Volo enim,* porro ait, *volo vos hac quoq; impertiri gratia, plenum & integrum præbens beneficium, ut ab omni vindicemini corruptione; sed & verbum vobis largior, Dei scilicet cognitionem, perfectum meipsum largior. Verbi* meminit, utpote cuius *benignitas nulli sese subtrahit creaturæ sub cœlo.* juxta Origen. lib. 1. adversus Cels. & vis seminalis prodesse vult παντὶ τῷ ἀνθρώπων γένει *omni hominum generi.* l. 2. Clemens similia habet lib. VI. strom. f. m. 694. & 697. Origenes lib. I. p. 22. II. & III. advers. Cels. p. m. 150. IV. 179. Finis est, *ut credentes salventur, incredulis vero nulla relinquatur excusatio, nec possint ignorantiam prætexere, quasi nihil* *Vocatio* est universalis.

nihil doctrinæ huius ad aures ipsorum pervenerit: bene scribit Origenes lib. IV. advers. Cels. p. m. 165. confer Clem. Alex. lib. VI. strom. f. 639. Quo ipso dicto innuit, vocationem non ab omnibus admitti, dum alii credunt, alii in incredulitate perseverant: Unde Clemens Alexand. lib. 1. strom. f. 314. distinguit inter κλητὺς & κεκλημένυς: istos vocat, qui vocationi obediverunt; hos, qui respuerunt: *cum omnes homines vocati sunt, qui voluerunt obedire, nominati sunt vocati:* Græce ita sonant: πάντων τόινυν ἀνθρώπων κεκλημένων, οἱ ὑπακȢσαι βȢληθέντες, κλητοὶ ὠνομάσθησαν. Causa igitur, quod nonnulli pereunt increduli, non est penes Deum, qui *æqualiter omnes vocat*, juxta Arnob. lib. II. advers. gent. p. m. 88. sed hominem, ordini divino sese subtrahentem, *Deus semper adhortatur ad virtutem, nos autem recusamus auxilium, & differimus salutem*, ait Clem. Alex. προτρ. f. 7. *Non negligit Dominus* (perituros) *suadens, terrens, adhortans, excitans, admonens*: idem ait ex Hebr. III. 7. 15. *veritas obvia est, sed requirentibus*, nervosè ait Minucius Felix p. m. 25. innuens, hominem studium debere adhibere: nec reniti: *Divinus sermo permittit eorum, qui ad se accesserint, malitiam, quam lapideum cor nominat*, ȣ̓χὶ ἐκείνων μὴ βȢλομένων, ἀλλ᾽ ἑαυτὺς τῷ Ἰατρῷ τῶν καμνόντων παρεχηκότων *non renitentium, recusantiumq; depulsurum, sed eorum modo. qui se ægrotorum medico tradiderunt*: ait Origenes lib. 3. περ. ἀρχ. innuens, hominem repugnan-

Obj. do sese incapacem reddere gratiæ vocantis. *Dicas*: solis tamen

Resp. Judæis Deus suum verbum revelavit. ℞. Tert. c. 2. advers. Jud. negando: *Nisi enim omnibus* (legem) *eam dedisset, nullo pacto ad eam etiam proselytos ex gentibus accessum habere permitteret. Sed ut congruit bonitati & æquitati ipsius, utpote plasmatoris generis humani, omnibus gentibus eandem legem dedit. quam certis & statutis temporibus observari præcepit, quando voluit, & per quos voluit, & sicut voluit.* Nimirum habet Deus suas horas & moras, quibus uni homini, etiam genti præ altera uberiorem gratiæ gradum impertitur, uti ex Psal 147. 20. ostendit Clemens Alex. lib. VI. strom. f. m. 646. & erudite disputat Origenes lib. 3. περ. ἀρχ. allegante Philocal. c. 21. & lib. II. contra Cels. p. 109. ex Isai. LXV. 1. Deut. XXXIII. 21.

Illuminatio. §. 17. (II.) *Illuminatio & conversio*: Est effectus verbi vocantis admirabilis: *Ausim dicere, juxta Magistri promissionem, maiora etiam*

etiam fecisse discipulos, quam quæ tunc Jesus externis sensibus exhibuit. Semper enim aperiuntur cæcarum animarum oculi,& aures,quæ ante surdæ præceptis de virtute fuerant, dociles redduntur audiendo verbo Dei; atq; æternæ vitæ promissionibus; multi præterea claudicantes pedibus interioris, ut Scriptura nominat, hominis, nunc,sermone divino sanati,saliunt &c. Verba sunt Origenis lib.II. adversus Cels. p.m.88. In quibus duo dicit, nempe verbum fuisse organum conversionis,& conversionem esse opus divinum, supra vires humanas constitutum: *Deus*, ait Clemens Alex. *à somno excitat, & ab ipsis tenebris eos, qui aberraverant, facit resurgere* προτρ. f.54. *Cœlitus Spiritu Sancto in novum me hominem nativitas secunda reparavit:* scribit Cypr. epist.2.§.2. *Misericordiam Christi Filii adeptus cognovi jam Creatorem meum:* ait Nemesius confessor apud Baron.an.259.§.25. Homo hîc nihil potest: *Nam nostrum propositum sufficiens non est ad hoc, ut mundum habeamus cor,* ἀλλὰ θεοῦ ἡμῖν δεῖ, κτίζοντος αὐτὴν τοιαύτην, *sed Deo opus est nobis, qui id creet in nobis.* asserente Origene lib.VII. advers. Cels. p.m.354. ex Psal. LI. 10. *qui oculos nostrorum cordium illuminet, ut resipiscentes à superstitione idololatriæ ad veram lumen Christi unitatis convertamur,* ait denuo Nemesius apud Baron.l.c. Neque tamen media excluduntur,ut est ministerium verbi,de quo paulo ante Origenem audivimus,& ipsum verbum Dei, sed nec pædagogica excluduntur: ut sunt reliquiæ luminis naturæ, studia literarum, &c. quæ primum quasi gradum ad meliora sternunt: unde Origenes auditores ad discendas literas exhortabatur, *eos enim non parum fructus & commoditatis ex illis & ad sacrarum literarum cognitionem, & ad mentis ad eas ingrediendas præparationem percepturos:* referente Euseb. lib.VI. hist. c.13. Exemplum dedit Gregorium Thaumaturgum,& fratrem, quibus cum Philosophia simul Theologiam instillavit; item Photinum, quem Christianis saltem faventem reddidit ipse, & Ammonius Philosophus: referente Marsilio Ficino lib. VIII. Plot.c.7.confer Clementem Alexandrinum lib.I. strom. & Baron. ann.234.§.6.& 7. Minime tamen censendum, ac si Philosophia, aut ulla hominis virtus, conversionem ipsam procurare possit; manet hæc gloria solius verbi; ut exemplo est ipse Thaumaturgus, qui simplicitate & efficacia scripturarum conversus est, ut narrat Greg. Nyss. in vita ipsius. f.381. Adde Cyprianum, quem Hieronymus refert

audisse sermonem Jonæ, & ad pœnitentiam conversum, in tantam venisse virtutem, ut Christum publicè prædicaret, & pro illo cervicem gladio flecteret. ad c.3. Jon. id quod amplius apparebit, si cogitemus *materiam* conversionis, hominem, quem lapidi comparat Clem. Al. διὰ τὴν ἀμάθειαν τὴν πολλὴν, καὶ τὴν σκληροκαρδίαν τῶν εἰς τὴν ἀλήθειαν λελιθωμένων, *propter inscitiam multam, & duritiem cordis eorum, qui lapidaverunt veritatē.* (sicut lapides induruerunt) προτρ. f.3. unde σπέρμα θεοσεβείας *semen pietatis* Deum inferre dicit: iis qui *antea* erant *immanissimæ feræ, lupi, genimina serpentum*: Mat. VII.15. XXIII.33. Tit. III.3. somnolenti, tenebricosi, aberrabundi, lapsi l.c. Cyprianus de Orat. dom. §.1. vocat *in tenebris mortis errantes, improvidos & cæcos*; confer facunde de iisdem defectibus disserentem ep. 2. & quæ Gregorius Nyssenus in vita ipsius refert. Hominem ita desperatum excipit Deus, & ablato lapideo carneum cor inserit; ut ex Ezech. XI.19. docet Origenes lib. III. περ. ἀρχ. quales, qui sint, describit idem lib. III. advers. Cels. p.m.147. disserit enim, media hæc ideo adhiberi, *ut audita salutari doctrina peccatores non peccare discant, insipientes intellectum acquirant, pueriles mentem virilem, deniq; infelices felicitatem, ubi vero iam conversi ad saniorem mentem profecisse videntur, & divino verbo purgati vitam etiam in melius mutasse pro viribus, dum demum initiamus eos nostris mysteriis.* Oppositum est induratio, seu Excœcatio, quæ non est opus Dei, quod Manichæi contendebant, refutati eo nomine ab Archelao Cascharor. Episc. Obiecerat Manes hæreticus ex 2. Cor. IV.3.4. patere, quod Deus mentes excœcet hominum; sed, præterquam quod diabolus l.c. intelligatur, Archelaus insuper addit, homines semetipsos reddere indignos canes, quibus margaritæ objiciantur: *Non igitur, quod Deus ipsos odisset, volebat, ut non viderent, sed propter indignitatem, quod oculos suos ipsi obstruxissent.* (Matth. XIII.13.) *ubi* enim, pergit, *spontanea pravitas, ibi & impedimentum gratiæ est. Habenti enim dabitur, &, qui non habet, & hoc, quod videtur habere, auferetur ab eo.* Paulo post illustrat simili à sole, quo excœcantur homines, *non quod sol vim habeat excœcandi, sed quod corrupta videntium natura videre per se non possit: sic & infideles ægrotantes in corde non possunt videre divinitatis radios.* In eosdem homines culpam rejicit Clemens Alex. *ut qui sua sponte & consulto peccent*, disputans ad Ose. IV.1. seq. lib.1. pæd. c.9. & Origenes lib.3. περ. ἀρχ. prolixè, respondens ad obiectiones ex Exod. IV. 21. VII.

Excœcatio.

21. VII. 3. Marc. IV. 12. depromptas. & lib. VI. p. 314. & lib. VII. contra Celſ. p. m. 364. & Cyprianus §. 7. de idol. vanit. De oper. & eleemoſ. §. 12. epiſt. 64. §. 3.

§. 18. (III.) *Pœnitentia.* Vox eſt ambigua: interdum enim notat internam mentis mutationem, interdum externam confeſſionem & ſignificationem, quo ſenſu dicitur ἐξομολόγησις, vide Tertul. de pœnit. c. 9. Priore ſenſu nunc accipimus, & notamus, quod ſumatur interdum μερικῶς, interdum ὁλικῶς; partialiter, pro altera tantum parte, nempe contritione, *quam communem* vocat Clemens Alex. lib. VI ſtrom. f. m. 663. ὅτι τὸ πεπλημμελήκαμεν, *propterea, quod peccaverimus*; Totaliter vero pro contritione & fide ſimul, quod idem l. c. obſcurius innuit, clarius Cyprianus contra Demetr. §. 22. cuius hæc ſunt verba: *In iſto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla ſera eſt, patet ad indulgentiam Dei aditus, & quærentibus atq; intelligentibus veritatem facilis acceſſus eſt. Tu ſub ipſo licet exitu & vitæ temporalis occaſu, pro delictis roges, & Deum, qui unus & verus eſt, confeſſione & fide agnitionis implores, venia confitenti datur, & credenti indulgentia ſalutaris de divina pietate conceditur.* Sermo eſt Cypriano de pœnitentia, ut tum frequens erat quæſtio, an lapſi & pœnitentes eſſent in ſinum Eccleſiæ recipiendi, conceſſa peccatorum venia? affirmat Cyprianus, ſed & ſimul deſcribit, quid à pœnitente requiratur, nempe peccatorum agnitio, & contritio, & vera in Deum fides, quæ credat indulgentiam à Deo ſeſe habiturum, ad eum ſcilicet modum, quo publicanus in templo, quem exempli loco ſiſtit Origenes lib. III. contra Celſ. p. m. 150. ſic Calderinus quidam ad eundem Cyprianum ſcribit: *recuperavimus fidem, quam amiſeramus, pœnitentiam agentes*: epiſt. XIX. Quibus confirmatur, quod Clemens Alex. lib. 2. ſtrom. f. 371. differit: πίστεως, inquiens, καὶ ἡ μετάνοια κατόρθωμα *fidei quoq; officium & opus eſt pœnitentia. Niſi enim crediderit eſſe peccatum, quo prius tenebatur, non dimovebitur; & niſi crediderit, ei quidem, qui delinquit, impendere ſupplicium; paratam autem eſſe ſalutem ei, qui ex præceptis vivit, non mutabitur.* Hinc patet, non ſolum contritionem conſtituere pœnitentiam, ſed & fidem, quæ apprehendit gratiam Dei, peccata remittentis. Confirmatur ex *effectu*, quem habet, nempe remiſſione peccatorum & ſalute æterna. Id quod exemplo Ninivitarum probat Clem. Alex. προτρ. f. 63. qui τῆς προσδοκηθείσης

Pœnitentia.

θείσης ἁλώσεως μετανοίᾳ γνησίῳ τὴν καλὴν ἀντικατηλλάξαντο σωτηρίαν, exspectatam captivitatem per sinceram pœnitentiam egregia salute commutavere: Quorsum pertinent illa, licet sarcastice repetita, verba Pontificis Romani apud Tertullianum: *Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* Montanistæ, ut tum erat sectæ addictus Tertullianus, negabant lapsis veniam peccatorum, quam Orthodoxi largiebantur, probantes ex Luc. XV. 4. ubi refertur, de ove perdita pridem; sed à pastore quæsita, inventa, & humeris relata: quod quidem ad Ethnicos solos refert Tertullianus c. 6. de pudicit. sed frustra limitans, ubi scriptura non limitat. Acrius deinde à Novatiano mota est controuersia, qui cum suo Novato lapsis veniam peccatorum negabat, etsi resipiscentibus: Pro contraria autem, adeoque vera, sententia steterunt Cornelius Romanorum, Cyprianus Carthaginensium, Dionysius Alexandrinorum, aliique aliorum Antistites: qua de re inferius, Deo volente, in Novatiana hæresi dicemus.

Justificationis (1.) Vox — §. 19. *Justificatio.* Sumitur vox in significatione forensi, ita ut homo sit instar rei, qui absolvitur à peccatis, eorumque pœnis. Illustris locus est Cypriani de passione Domini disserentis; *Ecce*, ait, *plus potuit donum, quam delictum, & gratia, quam peccatum; quoniam ex debito damnationis obnoxios, gratis, sine ullo merito gratiæ, beneficio pietatis absolvit, & iudicium imperante Christo, misericordiæ dedit locum, & distinctionis suæ temperamentum iustitia, domino disponente, modestè sustinuit.* Sistit hîc hominem *ex debito*, scilicet peccatorum, *damnationis obnoxium*, sicut coram tribunali iustitiæ divinæ *sine ullo merito suo gratis absolvitur* à suis peccatis, ut rei gratis absolvuntur, Christo interveniente suo merito, & misericordiam Dei homini conciliante.

(2.) Causæ. Efficiens ergo nostræ justificationis est Deus: *Deus, qui proprium Filium tradidit pro nobis, ipse iustificat electos*, ait Origenes in epist. ad Rom. VIII. f. 373. l. 7. Motus sua gratia, quæ est gratuita misericordia erga miserum peccatorem: *Nec ad hoc pretiis, aut ambitu, aut manu opus est, ut hominis summa vel dignitas, vel potestas elaborata mole pariatur, sed gratuitum de Deo munus, & facilè est*: scribit Cypr. epist. 2. *Nam*, idem scribit epist. 59. *Deus, ut personam non accipit; sic nec ætatem, cum se omnibus ad cœlestis gratiæ consecutionem æqualitate librata præbeat parem.* Gratia igitur dicitur, quia sine ullo nostro meri-

merito iustificamur: nec infusa ea est gratia; sed extrinseca, utpote quæ *absolvit gratis* reos damnationis. Marcion equidem gratuitum hunc Dei favorem calumniabatur, velut inconstans esset Deus, modo reprobando, modo recipiendo peccatores; sed R. Tert.l.2. advers. Marc.c.23. *nihil tam bono & judici competit, quam pro præsentibus meritis & rejicere, & adlegere*: innuens, non inconstantem esse Deum, qui peccatores, ipsorum peccata intuendo, semper damnet, absolvat vero, si merito Christi ista peccata expientur. *Christus* enim meruit nobis iustitiam, quæ imputatur. *Deus enim justus est, & justus justificare non poterat injustos, ideo interventum voluit esse propitiatoris, ut per ejus fidem justificarentur, quia per opera propria justificari non poterant*, commentatur Origenes ad c.3. Rom.lib.3. innuens, per justitiam Dei fieri non potuisse, ut sine satisfactione peccata nobis condonarentur: Christum igitur impleta lege, & exantlatis pœnis peccati propitiasse iratum & justũ Deum: *Nam cum superius* (Rom.II.24.Eph.I.7.) *dixisset, quod pro omni genere humano redemptionem semetipsum dedisset, ut eos, qui in peccatorum captivitate tenebantur, redimeret, dum sine dolo pro omnibus mortem gustat, nunc addidit aliquid sublimius, & dicit: quia posuit eum Deus propitiationem per Fidem & sanguinem ejus: quo scilicet per hostiam sui corporis propitium hominibus faceret Deum, & per hoc ostenderet justitiam suam, dum eis remitteret præcedentia delicta, quæ pessimis tyrannis serviendo contraxerant eo tempore, quo sustinebat & patiebatur Deus hæc fieri.* Hæc idem f.325. f.2. opp. Quibus consonant præmissa f.324. lit M. Explicans enim quo sensu Christus dicatur *redemptio* nostra, ait: *Redemptio dicitur, quod datur hostibus pro his, quos in captivitate detinent, ut eos restituant pristinæ libertati. Detinebatur ergo apud hostes humani generis captivitas peccato tanquam bello superata, venit Filius Dei, qui factus est nobis non solam sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio* (1. Cor.I.30.) *sed & redemptio: & semetipsum dedit redemptionem, i.e. semetipsum hostibus tradidit, ac sitientibus eis suum sanguinem fudit: & hæc est credentibus facta redemptio; sicut & Petrus 1. cap.1.19. ait &c.* Quibus verbis clarè explicat, quod Christus vice nostri in mortem sese tradiderit, ut illa ipsius mors, à morte nos liberaret, & sanctitas nobis imputaretur: Nam peccata nostra *illo Christi sanguine & sanctificatione purgantur*, juxta Cypr. de oper. & eleemos.

meritoria.

mos. §.1. & *prospecta est nostri benedictio*: Tert.lib.5. advers. Marc.c. 4. Summa, ipse est δικαιωτὴς *justificator* ex sententia orthodoxorum apud Orig. lib.IV. advers. Cels.

Instrumentalis.

§. 20. Oportet autem istud Christi meritum *fide* apprehendere. Fides nascitur ex verbo Dei, lecto vel audito, ut adeo *sensus sit fidei principium*, ipso censente Theophrasto apud Clem. Alex. l.2. strom.f. 362. sensus a. non quivis, sed qui pro objecto habet verbum Dei: *qui divinis ergo credidit scripturis, primum habens judicium, cui contradici nequit, demonstrationem eius, qui Scripturam dedit, vocis accipit.* l.c. quo fundamento si nititur, evadit ἀμετάπτωτον κριτήριον, *immotum judicium*: confer f.370. & 670. ubi ex professo idem agit. Constat *notitia* cum præteritorum, tum futurorum apud Clem. Alex. l.2. strom.f.384. *assensu*, adeo ut sine hoc, ne quidem notitia & intelligentia vera esse possit, imo ipse *assensus* dicatur apud eundem l.c. confer f.362. & *fiducia*; nam idem f. 371. vocat πεποίθησιν *plenam persuasionem*; & definit, quod sit διάληψις βεβαία περί τινος *firma de aliquo apprehensio*: Infert: *quare ei credimus, in quo fiduciam habuimus in gloriam divinam, & salutem. In solo autem Deo fiduciam habuimus, quem scimus, non transgressurum ea, quæ sunt pulchrè nobis promissa, & ideo creata, & benevolè nobis ab ipso data.* Alibi definit, quod sit πρόληψις ἑκούσιος *voluntaria anticipatio, pietatis assensio, rerum, quæ sperantur, substantia, argumentum eorum, quæ non videntur.* f. 362. item, ex mente tamen aliorum: *Est rei apparentis uniens assensio*: confer fol. 365. 384. ubi ait: *Est virtus ad salutem & potentia ad vitam æternam*, quæ definitiones sumptæ sunt, partim ab actibus substantiam fidei ingredientibus; partim à fine & effectu; partim ab objecto, circa quod versatur. Imprimis notandum, quod sit *fiducia*, eaque in merito Christi collocata. Illustris locus est Dionysii Alexandrini in homilia: cui similis est homo, sic autem sese habet: *Duos imprimis homines serio considero hinc Adamum, generis auctorem, qui à DEO tot tantisq; privilegiis donatus pariter ac bonis, semel cecidit, ac omnibus repente excidit; Quod cum cogito, à desparatione parum abest, quin obrui me sentiam; Cum ad ea autem, quæ latroni evenerunt, animum converto, videoq; verbo unico, deletis omnibus criminibus servatum, spe jam recreor, reficiorq;, quin & ad resipiscentiam accurro. Siquidem re alter, sive agendo, cecidit;*

alter

alter verbo unico servatus est; alter stupenda vidit miracula, & non obediit; Hic nihil præter Christum, eumq; crucifixum, atq; ignominia affectum noverat, & credidit. Habes en fiduciæ medium, nempe verbum Euangelii, & obiectum, nempe Christum in cruce pendulum, & vera fide apprehensum cum salute apprehendentis: Hæc jam est illa *una & universalis humani generis salus, fides*, apud Clem. Alex. lib. 1. pæd. justifica, de qua nobis h.l. sermo est: & dicimus cum Tert. contra Jud. c. 8. *peccata per fidem nominis Christi omnibus in eum credentibus remittuntur*: & lib. 5. adversf. Marc. c. 3. *jam ex fidei libertate justificatur homo, non ex legis servitute*, Id quod probamus cum eodem ex Hab. II. 4. *quia justus ex fide vivet*: *Ex* (Gal. III. 10) *quia in lege maledictio est, in fide vero benedictio. Ex* (Eph. I. 3. Gal. III. 14.) *accepimus benedictionem spiritalem per fidem. Ex* (Rom. I. 17.) *Ex fide scilicet vivet justus secundum Creatorem.* Cum Cypriano lib. III. de test. anim. §. 45. ex Gen. XV. 6. ubi scriptum est: *Credidit Abraham Deo, & deputatum est ei ad justitiam*: quod dictum eo ipso fine adducit, ut probet, *fidem in totum prodesse, & tantum nos posse, quantum nos credimus.* Etsi enim unus Abraham nominetur, tamen typus fuit & pater omnium credentium & salvandorum: *Si enim Abraham Deo credidit, & deputatum est justitiæ, atq; exinde Pater multarum nationum meruit nuncupari: Nos autem credendo Deo magis proinde justificamur, sicut Abraham, & vitam proinde consequimur, sicut justus ex fide vivet*: Explicatio est Tertul. lib. 5. adversf. Marc. c. 3. cum qua conferri possunt aliæ non minus illustres apud Origenem Comment. in Rom. III. & IV. prolixiores enim sunt, quam quos exscribere voluimus. Neque tamen sufficit fidem justificare, nisi & *solam* justificare ostenderimus. Præclarus locus est Origenis Comment. in Rom. IV. f. m. 326. in verba Pauli: ubi est gloriatio tua &c. sic commentantis: *Dicit sufficere* SOLIUS FIDEI *justificationem, ita ut credens quis* TANTUMMODO *justificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum. Imminet igitur nobis, qui integram esse scripturam Apostoli conamur asserere, & ordine suo cuncta constare, ut requiramus, qui sine operibus* SOLA FIDE *justificatus sit. Quantum igitur ad exemplum pertinet, sufficere arbitror illum latronem, qui cum Christo crucifixus, clamavit ei de cruce: Domine Jesu memento mei, cum veneris in Regnum Tuum. Nec aliud quicquam*

quam describitur boni operis eius in Euangeliis, sed pro hac SOLA FIDE *ait ei Jesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Aptemus nunc, si videtur, huius latronis verba causæ Apostoli Pauli, & dicamus ad Judæum; ubi est ergo gloriatio tua? Certum, quia exclusa est, exclusa autem non per legem operum, sed per legem fidei: Per fidem enim justificatus est hic latro sine operibus legis: quia super hoc Dominus non requisivit, quid prius operatus esset, nec exspectavit quid operis, cum credidisset, expleret, sed* SOLA *confessione justificatum comitemq; sibi Paradisum ingressurus assumpsit.* Subdit deinde exemplum aliud mulieris pœnitentis, cui *Christus ex nullo legis opere, sed pro* SOLA FIDE *ait: remittuntur tibi peccata tua, & iterum fides tua te salvam fecit, vade in pace:* Quæ Origenis explicatio eo studiosius observanda est, quod retundat impetum Pontificiorum, calumniantium Lutheri versionem Rom. III. 26. *sola fide.* Nam antiquissimus pater in eundem sensum Apostoli verba explicavit. Marcus Welserus in append. hist. August. p. 152. refert, quod Narcissus, Vindelicorum Apostolus, Afræ, pridem lupanariæ, sed pœnitenti, & quærenti: *quomodo possum à tantis sordibus ablui?* responderit: TANTUM *crede, & baptizare, & salva eris.* confer Cypr. epist. LXIII. §. 3. Quia autem Pontificii objicere solent, hac doctrina studium pietatis everti, ideoque audiant, quid Origenes porro scripserit: *sed fortassis hæc aliquis audiens resolvatur, & bene agendi negligentiam capiat, si quidem ad justificandum* SOLA *fides sufficiat. Ad quem dicemus: Quia post justificationem, si injuste quis agat, sine dubio justificationis gratiam sprevit. Neq; ob hoc quis accipit veniam peccatorum, ut rursum sibi putet licentiam datam, Indulgentia namq; non futurorum, sed præteritorum criminum datur.* Innuit, cum gratia & statu justificationis non posse consistere προαίρεσιν peccandi; oportet enim fidem justificam esse vivam: bona opera sunt signa fidei veræ & vivæ: *Quia qui hæc agit, hic se ostendit credere in eum, qui suscitavit Jesum Dominum nostrum à mortuis; & huic vera fides reputatur ad justitiam. Neq; enim possibile est, ut habenti in se aliquid injustitiæ possit justitia reputari, etiamsi credat in eum, qui suscitavit Dominum Jesum à mortuis.* f. 336. opp. idem disserit. Quibus verbis docet, fidem justificantem consistere non posse in eo, qui peccatis dominatum permittit, & scelera secure perpetrat. Confer Clem. Alex. li. VI. strom. f. 668.

§. 21.

§. 21. Consequitur hinc, gratis nos, & sine merito, aut influxu bonorum nostrorum operum justificari & salvari. Iterum audiamus sententiam Origenis ex lib. 3. Comm. in c. 3. Rom. f. m. 324. 2. ad illa verba: omnes peccaverunt, & egent gloria &c. Sic autem ille: *Justitia Dei per fidem Jesu Christi ad omnes perveniens, qui credunt, sive Judæi, sive Græci, purgatos eos à prioribus sceleribus iustificat, & capaces facit gloriæ Dei: & hoc non ex meritis eorum, nec pro operibus facit, sed gratis gloriam præstat.* Sermo est Origeni de *justitia Dei*, quæ *per fidem Christi manifestatur in omnes credentes, in quibus nulla est distinctio, utrum ex Judæis, an ex gentibus credant!* hanc dicit *per fidem* ad omnes credentes pervenire, & justificare purgatos à peccatis, & *capaces reddere gloriæ* Dei, qua pridem carebant; *idq; non ex meritis* eorum, aut *pro operibus*, sed GRATIS: Quid clarius dici potuisset adversus meritum & influxum operum? Paulo post f. 327. exemplo illustrat Publicani & Pharisæi orantium, quorum iste justificatus sit, hic minime: quare? *Jactantiæ morbo corruptus non descendit justificatus de templo. Talis ergo gloriatio, quæ veniebat ex operibus legis, quia non habet humilitatem crucis Christi*, scil. à Paulo intelligitur: *In qua, quia gloriatur, audi quid dicit: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Vides Apostolum non gloriantem super iustitia sua, neq; super castitate, neq; super sapientia, neq; super cæteris virtutibus, vel actibus suis, sed apertissime pronunciantem & dicentem: Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Apostolus Paulus, cum isthæc scriberet, jam erat justificatus, & tamen, Origene explicante, non nitebatur justitia sua inhærente, aut castitate, aut alia virtute, sed unius Jesu Christi Justitia: Nec immerito, quia nemo hominum legi divinæ ex asse potest satisfacere: *Quis enim rectè vel super castitate sua gloriabitur, cum scriptum legat: quia si quis aspexerit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo: Unde & Propheta dicit: quomodo gloriabitur quis castum se habere cor? aut quis gloriabitur super sapientia, cum scriptum videat: quia mundus per sapientiam suam non cognovit Deum, & ideo placuit Deo, per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Et iterum: Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes. Quis autem vel super justitia sua gloriabitur, cum audiat Deum per Prophetam* (Isai. LXIV. 6.) *dicentem: Quia omnis justitia vestra, sicut pannus mulieris menstruatæ.* En tibi causam,

quare nemo hominum, etiam regenitorum, in suis operibus fiduciam locare, aut gloriam quærere possit, defectum scilicet requisitæ & debitæ perfectionis. Cyprianus lib. III. de test. §. 4. inde idem probat, quod nihil nostrum sit, omnia autem Dei: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* probat autem ex Joh. III. 27. 1. Cor. IV. 7. &c.

Objectum. §. 22. Ex dictis apparet *objectum* justificationis, homo peccatis, & propter peccata æternæ damnationi, obnoxius: *Antequam enim nos Deo dederemus, erat nostrum cordis habitaculum interitui obnoxium, & imbecillum, verè templum magnum ædificatum* &c. iudice Barnaba, allegante & probante Clemente Alex. lib. 2. strom. f. 410. Exempla latronis in cruce, publicani post fores templi, &c. idem confirmant. *Materia* autem imputationis est meritum Christi, qui nobis à Deo factus est justitia; *forma* est remissio peccatorum, facta propter meritum Christi fide apprehensum; *Finis* est æterna salus; *Quæ eam Ecclesiam continet, ut Pastor inquit, virtus, est fides, δι' ἧς σώζονται per quam salvantur electi Dei*, ait Clem. Alex. l. 2. strom. f. 384. seq quia hæc in §§§. præced. satis munita & declarata sunt testimoniis, nolumus prolixiores esse.

Materia.

Forma.

Finis.

(3.) Adjuncta. §. 23. Homo justificatus certus est de remissione peccatorum, & gratia DEI. *Fides* enim *integra secura est de salute*: ait Tert. c. 18. de bapt. *Securæ estote caro & sanguis*; *usurpatis & cælum & regnum Dei in Christo*, idem monet de resur. c. 51. Minucius Felix in dialogo perhibet Christianos *securos spe futuræ felicitatis*: Cyprianus quærit: *Quis hic anxietatis & solicitudinis locus est? quis inter hæc trepidus & mœstus est, nisi cui spes & fides deest? Eius est enim mortem timere, qui ad Christum nolit ire: Eius est ad Christum nolle ire, qui se non credat cum Christo incipere regnare. Scriptum est enim: justum fide vivere. Si justus es, & fide vivis, si verè in Deum credis, cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris, amplecteris?* de mortal. confer ad Demetr. §. 17. Fides est, quæ nos justos præstat, innixa merito Christi; eadem discutiat timorem mortis, quia certi per eam sumus nos cum Christo post mortem futuros. Neque enim certitudo isthæc & tranquillitas conscientiæ nostris operibus & meritis nititur, sed unicè merito Christi: *Pacem utiq; habemus ad Deum* (Rom. V. 1.) *sed per Dominum nostrum Jesum Christum, qui*

nos

nos per hostiam sanguinis sui reconciliavit Deo; *sicut scriptum est* : *Cum essemus inimici Dei reconciliati sumus Deo, si quis ergo pacem habet ad Deum , & reconciliatus est per sanguinem Christi, ultra non cogitat ea , quæ sunt inimica Deo*; utrumque innuit , & quod propitium habeamus Deum ex merito Christi, & quod abstinere debeamus à peccatis , ne bellum recrudescat. Comment. ad Rom. 5. lib. 4.

§. 24. Excidere tamen gratia justificationis potest homo ad peccata graviora relapsus. Tertullianus de præscr. c. 3. non est, ait, hoc *mirum, ut probatus aliquis retro postea excidat*; id n. Saulis, Davidis, Salomonis patere exemplis : Marcionis addit exemplum, cum lib. 1. advers. Marc. c. 1. scribit : *Marcion Deum, quem invenerat, extincto lumine fidei suæ, amisit.* Origenes urget locum 1. Cor. IX. 27. sugillo corpus meum, &c. *his enim apertè declarat* (Apostolus) *nisi sugillaret corpus suum, & in servitutem redigeret, posse se , postquam aliis prædicasset, reprobum fieri, & ipsi væ esse, nisi euangelium prædicasset*, lib. 1. Comm. in epist. ad Rom. allegante Philocalia c. 25. confer lib. IV. advers. Cels. p. m. 252. Multus est in eodem asserendo Cyprianus : cum enim quidam obiecisset, Martyrem secus sentientem, regessit ipse: *Quisquis ille Confessor est, Salomone major, aut melior, aut Deo charior non est* : *Qui tamen, quamdiu in viis Domini ambulavit, tamdiu gratiam, quam de Domino fuerat consecutus, obtinuit; postquam dereliquit Domini viam, perdidit & gratiam Domini, sicut scriptum est* : *Et excitavit Dominus satanam ipsi Salomoni* 1. Reg. XI. 14. *& ideo scriptum est* : *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Apoc. III. 11. *Quod utiq; Dominus non minetur auferri posse coronam justitiæ, nisi quia recedente justitia, recedat necesse est & corona.* & §. 20. *quorundam fides fracta est.* ex Rom. III. 3. Idem de Zelo & liv. §. 1. hortatur ad vigilantiam , ne adversarius *ruinas fidei, & salutis ac vitæ naufragia moliatur.* Ep. 7. § 3. confirmat denuò solicitudinem exemplis; *Salomon*, inquiens, *& Saul, & cæteri multi, quamdiu in viis Domini ambulaverunt, datam sibi gratiam tenere potuerunt* : *Recedente ab iis disciplina dominica, recessit & gratia.* De test. anim. lib. III. §. 7. ex Joh. XV. 14. 1. Cor. VI. 19. 2. Par. XV. 2. probat *baptizatum quoq; gratiam perdere, quam consecutus sit, nisi innocentiam servat.* Ex quibus omnibus patet , posse justificatum amittere fidem, & cum fide gratiam Dei, beneficia baptismi , salutem æternam.

(4.) Contrarium.

Filiatio. §. 25. Justificati per fidem evadunt Filii DEI. Est alius DEI Filius per naturam, nempe Christus, isque solus; alius per gratiam, ut fideles, apud Clement. Alex. l.2. strom. f. m. 393. Origenemq; l.1. adversus Cels. p.m.45. Nobis h. l. quæstio est de gratiosa υἱοθεσίᾳ Θεοῦ, *adoptione in filios Dei*, nuncupante Dionysio Alex. lib.1. promiss. apud Euseb. lib. VII. hist. c.20. Est hæc opus Dei, fide conciliante: *Nos enim ille adoptavit, & noster tantum vult esse Pater*, οὐ τῶν ἀπειθέντων *non eorum, qui fidem non habent*: ait Clem. Alex. προτρ. f.76. Si igitur infidelitas causa est, cur Deus non sit Pater; Fides erit medium, quo nos adoptamur. Cyprianus aliquanto clarius idem asserit in explicatione procemii orationis Dominicæ: Patri enim subordinat filium, qui est *homo novus, renatus, & Deo suo per ejus gratiam restitutus*: subjungit medium filiationis, *fidem* ex Joh.1.11.12. Pergit §.7. describens filios Dei *eos, qui credunt, qui per eum sanctificati, & gratiæ spiritalis nativitate reparati sunt*. §.8. *quibus remissa peccatorum datur, eis Filiorum nomen adscribitur, eis & æternitas repromittitur*. Joh. VIII. 34. Parentes idem nominat, Christum & Ecclesiam: Quod enim *Christus sit Sponsus, Ecclesiam habens sponsam, de qua filii spiritualiter nascerentur*, probat ex Joel. II. 1. aliisque dictis lib.2. advers. Jud. §.19. Nec excludendus Spiritus sanctus: *Universorum enim Pater eos, qui ad eum confugiunt, recipit*, ἀναγεννήσας πνεύματι εἰς υἱοθεσίαν *regenerans Spiritu in adoptionem filiorum*, lib. 1. pæd. c.5. Pridem eramus γενεὰ σκολιὰ καὶ σκληροκάρδιος *perversa, & duræ cervicis*: l. c. postea evadimus αἱ νέαι φρένες *novæ mentes*: l. c. & nutrimur eodem, quo regeniti sumus, verbo Dei, c.6.

Unio mystica. §. 26. *Unio mystica* consequitur justificationem & filiationem, ut *inhabitata* à Deo *domus* dicamur, à Clem. Alex. f. 71. προτρ. quod lib.1. pæd. c.6. ulterius explicat, *omni*, inquiens, *ratione nos in omnibus Christo conjungimur, & familiares reddimur, & in cognatione per sanguinem ejus, quo redimimur; & in consensione per nutrimentum, quod ex verbo efficitur; & in incorruptione per eius ipsius institutionem, & vitæ agendæ rationem*. Origenes lib. IV. advers. Cels. p.177. subscribit, dicens, castorum hominum *rationalem animam & corpus Deo sacratum esse templum Numinis adorandi ab omnibus*. Quam unionem sequitur communio virium & beneficiorum aliorũ divinorum: *Dicimus ex autoritate sacræ Scripturæ, Corpori Christi, quod est Ecclesia, pro anima esse Dei Filium*; mem-

membra autem universi corporis esse quoscunq; fideles. Quoniam sicut anima vivificat & movet corpus, quod ex se ipso vivum motum non habet; ita verbum illud mira energia corpus suum incitans ad ea, quæ debet facere, movet simul membra Ecclesiæ singula, nihil sine ratione faciens. Sic idem lib. VI. Nimirum homo per naturam destituitur omnibus ad bonum viribus, regenitus autem recipit vires ex Christo ejusq; Spiritu, qui in ipso habitant, & operantur, suasque vires homini regenito communicant. Solvitur unio scelerata vita: *Requiescit Spiritus in iis, qui mundi sunt corde; & in iis, qui purificant animas suas à peccato; sicut è contrario non habitat in corpore subdito peccatis, etiamsi habitarit in eo*: ait Orig. hom. VI. in Num. *Continua* igitur *oratione & prece opus est, ne excidamus à regno cœlesti, sicut Judæi, quibus hoc promissum fuerat, exciderunt*; juxta Cypr. de discipl. virg. §. 2.

§. 27. Nascitur hinc καινὸς ἄνθρωπος, θεῷ πνεύματι ἁγίῳ μεταπεπλασμένος, *novus homo, Dei sancto Spiritu transformatus*; uti ait Clemens Alex. προτρ. f. 69. vel, ut in eundem sensum explicat Cyprianus in orat. Domin. §. 6. *homo novus, renatus, & Deo suo per ejus gratiam restitutus.* De quo beneficio amplius & distinctius disseramus. Renovationis.

§. 22. *Causæ* Efficientes, & quidem (1.) *Principalis* est Deus, isque Pater, Filius, & Spiritus sanctus: Ille enim *vult* nos renovari: ita ut secundum ipsius voluntatem renovatio sit instituenda: *Omnia de Dei voluntate facienda sunt, ut Domini nostri vestigia & magisteria divina sectemur, qui monuit, & dixit, non descendi de cœlo, ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui me misit.* Joh. VI. 38. juxta Cypr. de disc. virg. §. 6. *Hinc aimus, eum vitæ officia facere, qui Creatoris memor, quibusve rebus ille delectetur,* καὶ πάντα πράττοντα πρὸς τὸ φίλον τῷ θεῷ *quidquid facit, spectat Dei voluntatem*: cum Origene lib. VIII. advers. Cels. p. 415. *Monet* ille & *præcipit* in suo verbo quidquid nos fieri vult: *sospitantis Domini verba sunt & docentis, curantis pariter & monentis*: Ecce, *inquit*, sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat: *Dat vivendi morem, dat innocentiæ legem, postquam contulit sanitatem; nec habenis liberis & solutis vagari postmodum patitur, sed ipsis potius, quibus sanatus fuerat, mancipato gravius comminatur.* Iterum Cyprianum audisti de disc. virg. §. 2. Marcion equidem calumniabatur, Christum leges divinitus mandatas sustulisse, sed blas-

(1.) *Causæ* I. Efficiens principalis.

blaſphemiam iſtam graviter refutavit Origenes in dialogo cum Marcionitis habito, docens, quidquid Chriſtus legum urſiſſet, jam ante in Moſe & Prophetis haberi. t.i. opp. f. 505. Probè obſervandum eſt, cui quid ſit imperatum, Judæis ſolum, an omnibus hominibus? qua diſtinctione idem diſputat pro circumciſione adverſus Celſum Epicuræum lib. V. p. m. 263. Iſtud autem Dei juſſum & præceptum non eſt traditum viva voce, ſed in S. literis expreſſum: *Scripturis* enim *ſanctis inſtrui nos Dominus voluit, & moneri*: ait Cyprianus de diſc. virg. §.9. confer de lapſ. §.15. ut *honeſtæ & moderatæ vitæ inſtitutiones* merito laudentur à Clem. Alex. f. 50. προτρ. In hoc ſuo verbo ipſe ſeſe *exemplar* faciendorum & omittendorum proponit, Chriſtus cumprimis, qui in carne apparuit, & vixit: *Nullum imitemur, &, ſi volumus imitari quempiam, propoſitus eſt nobis ad imitandum Chriſtus Jeſus: deſcripti ſunt actus Apoſtolorum, & Prophetarum geſta de ſacris voluminibus agnoſcimus. Illud exemplar firmum eſt, illud propoſitum ſolidum, quod, qui ſequi cupit, ſecurus ingreditur*: admonitio eſt Orig. hom. 7. in Ezech. confer Cyprian. de diſc. virg. §.6. de Zel. & liv. §.9. epiſt. VIII. §.4. de teſt. anim. lib. III. §.39. Et ante ipſum Clem. Alex. προτρ. f. 61. 72. 73. lib. 1. pæd. c. 2. & 3. Id quod obſervandum (1.) adverſus opera electitia, quæ nullum in S. literis vel mandatum, vel exemplum, vel promiſſum habent, ſed ex proprio cerebro nata ſunt. (2.) Adverſus Scepticos & Epicuræos, qui mera hominum opinione virtutes eſſe cenſent & vitia, quod Origeni ἀτοπώτατον *abſurdiſſimum* merito eſt, eo quod vel ipſa natura quædam ſint honeſta, quædam turpia, vide lib. V. adverſ. Celſ. p. m. 256. Ex verbo Dei naſcitur *Fides*. *Ambo* enim (ſervi) *verbum prædicant, hic quidem ſcripto, ille vero voce, quomodo non ſint ambo admittendi*, ἐνεργὸν τὴν πίστιν διὰ τῆς ἀγάπης πεποιημένοι *qui effecerunt, ut fides operetur per dilectionem*? juxta Clem. Alex. l. 1. ſtrom. f. 270. 271. Fides cognoſcit ex ſacris literis veritatem agendorum, imprimis ex decalogo, ut lib. VI. ſtrom. diſputat prolixè; Et eſt radix bonorum operum: *Tunc reſpondet ad fidem nominis ſectatio veritatis, & credenti præmium datur, ſi, quod creditur, geratur*: cenſet Cypr. de diſc. virg. §.6. *Si enim, qui credit, quod Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt, &, qui ex Deo natus eſt, non peccat; manifeſtum eſt, quia, qui credit Jeſu Chriſto, non peccat: quod ſi peccat, certum eſt,*

quia

quia non credit ei. Judicium igitur fidei veræ, ubi non delinquitur, sicut è contra ubi delinquitur, infidelitatis inditium est: disserente Origene ad Rom. IV. lib. 4. f. m. 329. Innuit, per fidem hominem vires concipere agendi, quod bonum; ut vires nascendo accipimus faciendi naturalia: In baptismo, ubi regeneramur, & fidem concipimus, *Spiritus sanctus nos animat,* juxta Cypr. ep. 2. Et *Dominus in mentes nostras indulgentiæ cœlestis allapsu clementer influit.* ibid. Et *facultas datur castitate sobria, mente integra, voce pura, virtute sincera in medelam dolentium vulnerum posse venenorum virus extinguere.* §. 2. confer §. 12. de orat. domin. Præsente fide tum demum opera nostra placent Deo, id quod exemplo Abelis & Caini probat Tertull. lib. 2. advers. Marc. c. 22. & illustrat simili desumpto à mendico, cuius munus gratum sit, etsi exiguum, si ex bona mente fuerit profectum, præ altero, quod *nec ex fide, nec ex corde puro profectum.* Confirmat idipsum Clemens Alex. lib. 2. strom. fol. 363. 364. quem vide. Fide impellente cum fiducia & securitate agimus, quod agimus. *Operatur enim* (misericors) *ideo, quia credit, quia scit vera esse, quæ prædicta sunt verbis Dei, nec scripturam sanctam posse mentiri:* Cypr. de oper. & eleemos. §. 8. quidquid autem in verbo Dei fundamentum non habet, id masculè respuit fides, nec pro opere bono habet. Id quod idem suo exemplo comprobavit. Confessores nonnulli veniam lapsis intempestive dederant, cum Cyprianus rescripsit: *Mandant aliquid Martyres fieri? sed si scripta non sunt in Domini lege, quæ mandant, ante est, ut sciamus, illos de Deo impetrare, quod postulant, tunc facere quod mandant:* pergit §. 16. *Neq; enim statim videri potest de divina majestate concessum, quod fuerit humana solicitatione promissum.* & §. 17. *Nec quicquam sibi usurpat & vindicat humana sententia, nisi annuat & censura divina:* & de unit. Eccles. §. 1. contendit: *verbis Christi insistere, quæcunq; & docuit & fecit, discere & facere demus.* En fidei παῤῥησίαν! in rebus agendis nititur verbo Dei, nec facere vel admittere vult, quod in S. literis non habet fundamentum.

§. 29. (2.) *Minus principalis* est homo ex verbo Dei regenitus & per fidem renovatus, seu, *nativitate cœlesti Filius Dei factus* uti de Zel. & liv. §. 11. describit Cyprianus. Is & *debet* & *potest* præstare opera Deo placentia. *Debet* propter beneficia divinitus accepta: ut sunt Redemptio: *Qui per sanguinem Christi Domini nostri* Minus principalis.

redempti

redempti sumus, per omnia servitutis obsequia redemptoris imperio pareamus, demusq́; operam, ne quid immundum & profanum templo Dei inferatur, ne offensus sedem, quam inhabitat, derelinquat: juxta Cyprian. de hab. virg. §. 2. Filiatio; *ne evadamus mancipia, neq́; porcis efficiamur similes,* ἀλλ᾽ ὡς τέκνα φωτὸς γνήσια *sed ut germani filii lucis intueamur lucem, & sursum aspiciamus, ne nos esse adulterinos deprehendat Dominus, ut sol aquilas:* monente Clem. Alex. προτρ. f. 59. *Quando Deum Patrem dicimus, quasi Dei filii agere debemus.* juxta Cypr. comm. in Orat. Dom. §. 8. confer de bon. patient. §. 2. Illuminatio: *Ne sitis particeps eorum; fuistis enim aliquando tenebræ, nunc lux in Domino, ut filii lucis ambulate.* monente Gregorio Thaumaturgo in epistola canonica: & imprimis Cypriano de Zel. & liv. §. 8. seqq. Mystica unio & communio: *Conversemur tanquam templa Dei, ut Deum in nobis constet habitare. Nec sit degener actus noster; Spiritum, & cœlestia cogitemus, & agamus:* juxta Cypr. in Orat. dom. §. 8. quo ipso innuitur sanctificatio: *si filii Dei sumus, si templa eius esse cœpimus, si accepto Spiritu sancto, sanctè & spiritaliter vivamus:* juxta eundem de Zel. & liv. §. 12. Deus in cordibus habitat, pridem squalida sanctificans; vide Clem. Alex. l. 2. strom. f. 410. Apparet hinc, unde Patres argumenta ad veram pietatem impellentia derivarint, nempe ex sublimissimis fidei articulis, secus ac hodie fit, ubi, insuper habita mysteriorum articulorumque fidei cognitione, virtutes urgentur, quales scilicet & Ethnici fecerint. Sed & *potest* homo regenitus bona opera facere, viribus novis instructus: Est enim illuminatus, sanctificatus, purgatus, *facultate* donatus, nempe *castitate sobria, mente integra,* &c. Cypr. ep. 2. Vapulant proinde, qui (1.) astris virtutes adscribunt, actiones humanas necessitantibus: quos argumentis aliquot in medium adductis graviter refutat Orig. t. 3. in gen. l. 14. quod hac ratione & libertas arbitrii, & præmia bonorum, & supplicia impiorum, incarnatio Christi, verbi prædicatio, ministerii institutio, & reliqua salutis media evertantur. (2.) Qui gentilibus veras adscribunt virtutes. Qua de re post Clementem Alex. lib. VI. strom. f. 669. disputat Cyprianus §. 1. de bono pat. *Hanc* (ajens de patientia) *se sectari philosophi quoq́; profitentur, sed tam illis patientia falsa est, quam & falsa sapientia est. Unde enim vel sapiens esse, vel patiens possit, qui nec sapientiam, nec patientiam Dei novit?* Nimirum

rum destituebantur verbô Dei, norma agendorum; & vera fide, matrice virtutum. Si quid sani de virtutibus docuerunt, sacrarum literarum traditionibus debent: *virtutes, quæ scriptæ sunt apud Moysen, præbuerunt Græcis principium totius loci moralis*: ait Clemens Alexandrinus. (3.) Qui bestias virtutum capaces somniant, ut Celsus Epicuræus porcus, quem proinde falsè castigauit Origenes sub finem libri quarti.

§. 30. *Formalis* sunt *virtutes* ad quas', & quibus homo renouatur. Est virtus, generalius loquendo, διάθεσις ψυχῆς σύμφωνος ὑπὸ τῦ λόγυ περὶ ὅλον τ̃ βίον *animæ continua ac congrua dispositio, quæ rationi subjicitur per totam vitam.* lib. 1. pæd. c. 13. moderatio inter excessum & defectum, quod c. 12. innuit. Conformitas cum sanctitate diuina: vide lib. 2. strom. f. 403. Cypr. ep. 8. Consistens non in nuda contemplatione: potest enim quis esse ἀρετῆς μὲν θεατῆς, κακίας ἢ ἀγωνιστής, *virtutis quidem contemplator, sed malitiæ athlet..*: juxta Clem. Alex. προτρ. f. 41. sed in operatione, vide lib. 1. pæd. c. 1. 12. Cypr. de bon. pat. §. 2. de zel. & liv. §. 10. pro norma habens decalogum, quem in compendio explicuit Clemens Alex. lib. VI. strom. f. 680. seqq. Etsi multis allotriis admixtis. Dividuntur vel in facienda, vel omittenda, *ut bonum eligentes imitemur, partim autem, ut malum repudiantes aversemur.* Nec malum tantum, sed & mali occasiones; unde Christianis non licebat vel spectacula adire, ut est apud Tertullianum in libellis de Spectaculo, & de velandis virginibus: vel dividuntur juxta decalogi tabulas, quarum prior agit de dilectione Dei, posterior de proximi. Vide Clem. Alex. προτρ. f. 72. Cypr. de unit. §. 13. quarum tamen hæc perinde hominem obligat, ut ista; vide Clem. Alex. lib. 2. strom. f. m. 395. Dionysium Alex. apud Euseb. VII. 20. qui in scriptis Johannæis idem obseruauit. Vtraque volentem requirunt operatorem, non coactum; vide Tert. c. 24. 28. Apolog. & c. 2. Scap. Clement. Alex. l. 2. pæd. Origen. lib. 1. comm. in Rom. 1. l. IV. contra Cels. p. 163.

2. Formalis. Sunt *Virtutes* in genere.

§. 31. *Tabulæ prioris* virtus generalis est θεοσέβεια, pietas in DEUM: *Generalis* enim, *sola, & quæ ad totam scilicet spectat vitam in omni tempore, in omni eventu, &, quod est præcipuum, vitam dirigit ἡ θεοσέβεια pietas in Deum*, juxta Clem. Alex. προτρ. f. 70. & hæc super

In specie. *Tabulæ prioris.*

 omnia,

omnia, ut si optio daretur carendi divina cognitione, vel æterna vita, hac potius, quam ista, careamus, juxta lib.IV. strom. Unde & Deo plus obediendum, quam hominibus, quod Dionysius Confessor cum suis apud Æmilianum Valeriani præfectum palam prædicavit, referente Euseb. lib. VII. hist. c. 10. plusque Deus, quam homines timendi, quod scribit Clerus Romanus ad Carthaginensem apud Cypr. epist. 3. §. 2. Summa est dilectio. Tert. c. 2. adversus Jud.

Cuius præceptum (1.) requirit Dei metum.

§. 32. Præceptum I. docet, Deum super omnia (1.) *timere.* Est enim, juxta Salomonem Eccles. l. 16. *initium sapientiæ metuere Deum*; quod aliis scripturæ & dictis, & exemplis, & promissis inculcat Cypr. l. 3. ad Quir. allegat enim præterea Prov. XXVIII. 14. Esai. XXII. 66. Gen. XXVII. 27. Psal. II. 11. XXXIII. 10. XVIII. 10. Ratio, quia Deus non modo est bonus, i.e. diligendus, sed etiam *justus*, quare *metuendus.* vide Tertul. lib. 1. contra Marc. c. 26. 27. Objiciebant quidem Marcionitæ, qui Deum in N. T. statuebant bonum solum, non justum: *Malus timetur, bonus autem diligitur*; sed ℞. Tert. l. c. *plane nec pater tuus est, in quem competat & amor propter pietatem, & timor propter potestatem!* Confer Clem. Alex. l. 2. strom. f. 373. Ejus oppositum est *securitas*: qua gratia Dei excidimus: *sit timor innocentiæ custos, ut Dominus, qui in mentes nostras indulgentiæ cœlestis allapsu clementer influxit, in animi oblectantis hospitio iusta operatione teneat, ne accepta securitas indiligentiam pariat, & vetus denuo hostis obrepat*: monente Cypriano ep. 2. confer Tert. c. 7. de pœnit. Aliud oppositum est *superbia*; in quod vitium invehitur Cyprianus hinc inde; vide epist. 55. 69. (2.) *Diligere*: Et quidem super omnia: Dilectioni Dei & Christi nihil præponendum; juxta Cyprianum lib. 3. ad Quirin. qui id probat ex Deut. VI. 5. Matth. X. 37. &c. (3.) *Confidere*: virtus latius explicata est à Clemente Alex. l. 2. strom. Nos breuiter describamus. Est necessaria à *nobis necessario requisita*, uti Johannem imitatus ait Dionysius apud Euseb. lib. VII. hist. c. 10. suamque fiduciam collocat in Deo; Nam *qui in hominem solitarium credit & nudum, maledictus dicitur*, juxta Novat. c. 24. de Trinit. confer Clem. Alex. lib. 6. strom. f. 682. ejusque verbo fidem habet: *Annon est enim rationi consentaneum, cum res omnes hominum à fide pendeant, Deo potissi-*

dilectionem

fiduciam.

potiſſimum credere? Orig. lib. 1. adverſ. Celſ. etiamſi non poſſis comprehendere, qui ſit, & fieri poſſit, quod credis, vide Arnob. lib. 2. adverſ. gent. Symbolum erat: πίςευσον, ἢ σωθῆναι θέλεις, ἢ ἄπιθι, *crede, ſi ſalvari vis, aut abi:* ubi verba ipſorum referuntur apud Orig. l. c. quod tamen de fide illuminata, & confirmata, explicante Origene, eſt capiendum. Conjunctam habet *ſpem*, quæ eſt *bona acquirendi explicatio:* juxta Clem. Alex. l. 2. ſtrom. repoſita *in Deo,* ſolo, *qui eſt veritas*, juxta eundem lib. VI. f. m. 682.

§. 33. *Extrema* hujus præcepti duo ſunt: ἀθεότης & δεισιδαιμονία; Sic enim Clemens Alex. προτρ. f. 15. ait: ἀκρότητες ἄρα ἀμαθείας ἀθεότης καὶ δεισιδαιμονία: *extrema igitur inſcitiæ ſunt impietas & ſuperſtitio,* Sunt autem Athei non illi ſolum, qui nullum Deum credunt, ſed & qui falſum. Cum enim Chriſtiani ab Ethnicis dicerentur profani & Athei, reſpondit Arnobius retorquendo: *Qui magis rectius horum feret inuidiam nominum, quam qui alium præ hoc, Deum, aut novit, aut ſciſcitatur, aut credit?* lib. 1. adverſ. gent. Neque cauſa huius ignorantiæ eſt penes Deum, ſed homines tumore inflatos; *Si non mentis elatio & typhus, qui appellatur à Græcis, obſtaret, atq; officeret vobis, jamdudum ſcire potuiſſetis, quid, aut quare prohibuerit fieri, intra fines quos ſtare voluerit religionem:* &c. lib. 2. idem cenſet. Superſtitio circa *idola* eſt occupata, & vetita à primo præcepto, juxta Clem. Alex. lib. VI. ſtrom. f. 682. verba ſunt hæc: *Primum præceptum decalogi oſtendit unum ſolum eſſe Deum omnipotentem, qui populum tranſtulit ex Ægypto, per ſolitudinem in patriam terram, ut per divinas quidem operationes comprehenderent, ut poterant, ejus potentiam,* ἀφιςῶνται δὲ τῆς τῶν γεννητῶν εἰδωλολατρείας, *ab eorum autem, quæ ſunt genita, abſtinerent idololatria, omnem ſpem habentes in Deo, qui eſt ex veritate.* Quare ab eorum cultu abſtinebant Chriſtiani: ut à cultu ſimulachrorum: *Ego prius legeram, & Epiſcopo tractante cognoveram, nec ſimulacra à ſervo Dei adorari debere,* ita Libellaticus apud Cyprianum in epiſt. ad Antonianum. *Apud nos nullum e materia ſenſili ſimulachrum, ſed qui ſola percipitur intelligentia Deus, qui ſolus verè eſt Deus.* ait Clem. Alex. in προτρ. f. 34. & f. 41. adductis in medium ſcripturæ verbis, ſubiungit: *Nobis eſt apertè vetitum fallacem artem exercere,* nempe plaſticen, iuxta Exod. XX. 4. confer Tertul. de idol. c. 3. & 6. Quæ tamen non eo ſenſu accipienda ſunt, quaſi nullas omnino imagines habere liceret; Nam

Extrema ſunt Atheiſmus etiam ſubtilis.

& Superſtitio in colendis ſimulachris.

ne in veteri quidem Testamento erant absolutè prohibitæ. Cum enim Marcionitæ objicerent, duos inter sese esse contrarios Deos, alterum, qui imagines prohibuisset, alterum, qui serpentem æneum, cherubim &c. fieri iussisset, respondit Tertul. lib.2. advers. Marc. c.22. *Serpentis ænei effigies postea præcepta Moysi à Domino, non ad idololatriæ titulum pertinebat, sed ad remediandos eos, qui à serpentibus infestabantur, & taceo de figura remedii; sic & Cherubim & Seraphim aurea in arcæ figurarum exemplum certè simplex ornamentum, accommodata suggestui, longè diversas habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur.* Hæc ille, docens, licere imaginibus uti ad significanda mysteria divina, aut ornamenti gratia, minimè autem ad cultum. Nec valet excusatio: Ego idola non colo, sed per idola verum Deum; *Non enim minus insaniunt, qui putant, veris Diis honorem reddi per huiusmodi opera nequissimorum nonnunquam opificum.* censente Origene lib. III. adversus Cels. p.158. Ad imagines referri possunt *cruces:* quas perinde non colebant Christiani: *Cruces nec colimus, nec optamus* rotunde apud Minucium Felicem profitetur Christianus. vide Bald. præfat. in Minuc. B. 3. Excipiunt quidem Alanus Copus dial. IV. & Gretser. de cruce l. 1. c. 60. *tantummodo negat crucem à Christianis eo modo coli, quo eam putabant coli infideles. videlicet tanquam numen quoddam.* Sed ℞. qui negat *ullo modo* vel coli, vel optari, his nullo modo coli fatetur: *idololatria est, quidquid ultra humani honoris modum ad instar divinæ sublimitatis extollitur,* juxta Tertul. c.20, de idol. Sed nec *Sancti* colendi. Cum enim judex Fructuosi Episcopi Tarraconensis Diaconum interrogaret: *Nunquid & Tu Fructuosum colis?* respondit hic: *Ego non colo Fructuosum, sed eum colo, quem colit & Fructuosus*: referente Augustino serm. 101. c. 2. Neque *Angeli*, ut patet ex Origenis libro V. p.233. verba habes supra sect.3. §. 46. p.711. Neque unus Deus, sub falso conceptu: *Si enim unicum Creatorem confitentur, aliter eum differunt, quam in vero est*: juxta Tertul. c.40. de præsc. Quod notent patroni illi Judæorum & Turcarum, qui contendunt, eosdem verum Deum colere, dum colunt unum omnium Creatorem: *Omne mendacium, quod de Deo dicant, quodammodo genus est idololatriæ,* eodem censore. Sed ab illis quoque abstinendum, quæ aliquo modo

[Margin notes: crucibus. — Sanctis. — Angelis.]

modo ad idola & superstitionem spectant: e. g. idolothytis nolebant Christiani vesci, cum in persecutione Diocletianæa iuberentur. vide acta apud Baron. an. 290. §. 25. Clem. Alex. l. 2. pæd. c. 1. Versabantur enim tum in puncto confessionis; extra quem alias licet iisdem frui. Qua de re videri potest epistola Canonica à Gregorio Thaumaturgo ad Episcopum eo de casu exarata: verba sunt hæc: *Non cibi nos gravant, sancte Papa, si captivi ea comederint, quæ, qui in eos dominium obtinent, eis apposuerunt; maximè quando una de omnibus fama est, Barbaros, qui in nostras regiones incursionem fecerunt, idolis non sacrificasse. Dicit autem Apostolus:* (1. Cor. VI. 13.) Escæ ventri, & venter Escis: Deus autem & hunc & hos destruet: *sed Salvator quoq; omnes cibos mundans*: non quod intrat, *inquit*, (Matth. XV. 11.) coinquinat hominem, sed egreditur. Hæc ille t. 1. Bibl. Patr. Multum igitur refert, quo fine, modo, quibusve circumstantiis aliquid fiat. Unde etsi quis mente abhorreat ab idolis, idem tamen ne actu quidem externo cultum ipsis exhibeat, simulando scilicet, *ne quando incidamus credulitatem, ut & iis tribuamus divinitatis aliquid*. iuxta Orig. lib. VII. adversus Cels. & iterum: *Non hoc tantum stultum est, si quis preces simulacris offerat, sed etiam cum aliquis id simulat, vulgi opinionibus se attemperans.* Quod observent nostri peregrinatores hypocritæ. Nam vel ipsa natura prohibet, sicut & ab idolis crassis absterret, ut olim Romanos, qui ante exactos reges neque simulacra, neque templa habuerunt; docente Tertul. apol. c. 25.

Idolothytis.

Simulatione.

§. 34. Præceptum II. occupatum est circa sanctificationem nominis divini: De quo sic ait Clemens: *Secundum significat, non oportere assumere, neq; inferre magnam, & omni veneratione dignam ejus potentiam, quæ quidem est nomen (huius enim solummodo discendi multi sunt adhuc capaces) neq; transferre eius nuncupationem ad res genitas, & inanes, quas quidem fecere homines artifices: in quibus is, qui est, non ponitur: in identitate enim ingenita, qui est, est ipse solus*, lib. VI. strom. f. 682. Per *nomen* igitur Dei *potentia* ipsa intelligitur; sed *nomen* vocatur, quod de ea nihil nisi nomina in scripturis revelata sciamus, ipsius autem rei profunditatē exhaurire nequeamus. Profanatur hoc nomen, juxta Clē. cum creaturis potentia Dei adscribitur, quæ ipsis tamē

(II.) Præceptum.

vel *poſitivum* ut ſanctificatio nominis divini:

non competit, ſed quia hæc explicatio non exhaurit vim præcepti, imo ad primum pertinet, ideoque plenior tradenda. Sunt quædam (1.) *Præcepta*, nempe ſanctificatio nominis divini, quæ quomodo fiat, explicuit Tertul. lib. de Orat. c. 3. nempe, etſi in ſeſe ſanctiſſimum ſit Dei nomen, tamen *glorificandum eſſe* à nobis quoque: *Plane benedici Deum omni loco ac tempore condecet, ob debitam ſemper memoriam beneficiorum eius ab omni homine*: ſicut Angeli id faciunt; clamantes: ſanctus, ſanctus, ſanctus; deinde *Sanctificetur in nobis, qui in illo ſumus, ſimul & in cæteris; quos adhuc gratia Dei expectat, ut & huic præcepto pareamus, orando pro omnibus, etiam pro inimicis noſtris.* Cyprianus interpretatur de finali perſeverantia in ea ſanctitate, quam baptizati & juſtificati conſecuti ſumus: in explic. Orat. Dom. *Opus eſt* enim *nobis quotidiana ſanctificatione, ut qui quotidie delinquimus, delicta noſtra ſanctificatione aſſidua repurgemus*, vel, ut paulo poſt ait, *ut ſanctificatio & vivificatio, quæ de Dei gratia ſumitur, ipſius protectione ſervetur.*

puritas doctrinæ & ſacramentorum:

Ad ſecundum igitur hoc præceptum ſpectant (1.) *puritas verbi & ſacramentorum*, utpote quæ media ſunt ſanctificationis noſtræ: Rogamus enim, juxta Cyprianum, *ut, qui in baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo, quod eſſe cœpimus, perſeveremus.* in explic. orat. dom.

Laudes Dei & orationes:

(2.) *Laudes* Dei, pro beneficiis præſtitis & *Orationes* pro nobis, & pro proximo. Dicuntur ſacrificia novi fœderis, Mal. I. 10. explicante Tertul. lib. IV. adverſ. Marc. c. 1. quo ſenſu explicat idem Cypr. lib. 1. adverſ. Jud. c. 16. addito parallelo Pſalm. XLIX. 13. *Quomodo* orandum, Chriſtus in oratione Dominica ſatis dilucide expoſuit: *Quæ vera magis apud Deum precatio, quam quæ à Filio, qui eſt veritas, de eius ore prolata eſt? ut aliter orare, quam docuit, non ignorantia ſola ſit, ſed & culpa*: ait Cypr. in explicat. orat. Domin. caſtigans hoc ipſo Pontificios, qui ſecus orant, quam Chriſtus docuit. Reliqua in precibus obſervanda apud eundem, ut & Tertullianum vide. Solebant autem Chriſtiani ante & poſt ſumptionem, mane, & veſperi, & noctu quoque orare: *Antequam ſumimus alimentum* τῶν συμπάντων εὐλογεῖν τὸν ποιητήν *laudare nos convenit factorem univerſorum*: ait Clem. Alex. l. 2. pæd. c. 4. Et mox: *Ita etiam in potu nos ei decet pſallere, cum eius creaturarum efficimur participes, antequam nos ſomnus invadat, pium & ſanctum eſt Deo gratias agere.* & c. 9. *ſæpe etiam noctu è lecto ſurgendum eſt, Deusq; eſt laudandus*, more Angelorum ἐγρηγόρων *Vigilum.*

lum. Precibus accedebant eleemosynæ, operosius commendante Cypriano de orat. §.23. & 24. *Cantiones*; quas moderatur Clemens Alex. l.2.pæd.c.4. *Sint*, inquiens, *honestæ & pudicæ harmoniæ, contra à forti & nervosa nostra cognitione verè molles & enerves harmoniæ amandandæ quam longissimè, quæ improbo flexuum vocis artificio ad delicatam & ignavam vitæ agendæ rationem deducunt.* Hæc ille. (3.) *Vota*, ita tamen comparata, ut potuerint relaxari. Juxta Baronium an.253. §.46. edebant tum vota monastica (posito, sed non concesso, verum esse) adeoque & cœlibatus: accidit autem, ut votivæ virgines in scortationes inciderent, ut amat fieri, si ordinem Dei negligimus: quid tum faciendum? Consultus Cyprianus epist.62.§.9. respondet: *si ex fide se Christo dicaverunt, pudicè & castè sine ulla fabula perseverent; ita fortes & stabiles præmium virginitatis exspectent, si autem perseverare nolunt, vel non possunt, melius est nubant, quam in ignem delictis suis cadant.* Quam moderationem si Pontificii observarent, minus esset scelerum & scandalorum Monachalium. *Juramenta* in hanc classem spectant. An jurare Christianis liceret? disceptatum est. Distinguendum erat inter religiosa & idololatrica iuramenta, quorum ista præstabant, hæc autem declinabant. Vide Tertul.c.31. Apol.c.11. de cor.milit. Eucherium Lugd. in literis de martyribus Thebæis apud Baron. an.297.§.6. seqq. Balduin. præfat. in Minuc. Felic. B.3. Huc spectant *exorcismi* in nomine Dei facti: *Dæmonas, i.e. genios adjurare consuevimus, ut illos de hominibus exigamus, non dejerare, ut illis honorem divinitatis conferamus* Tert. apol.c.32. (4.) *Confessiones.* Nam & ille sanctificat nomen Dei, qui suam orthodoxam fidem vel verbis, vel factis profitetur. Est enim duplex confessio, altera verbalis, altera realis: *Primus victoriæ titulus, gentilium manibus apprehensum Dominum confiteri; secundus ad gloriam gradus est, cauta secessione subtractum Domino reservari: Illa publica, hæc privata confessio est:* juxta Cypr. de lapsi.§.2. De martyriis infra.

Vota. Juramenta. Confessiones. vel negativum.

§. 35. (2.) *Prohibita* sunt contraria vitia, ut 1. *hæresis*, in cujus fautores invehitur Tertul. lib.2. advers. Marc.c.5. *O canes!* inquiens, *quos foras Apostolus* (Phil.III.2.) *expellit, latrantes in Deum veritatis:* Veritatem igitur, in verbo Dei revelatam, oppugnant hæretici. De quibus infra pluribus. (2.) *Blasphemia* Dei. In

Prohibita. (1.) Hæresis. (2.) Blasphemia.

quod

quod vitium insurgit Arnobius lib. IV. advers. gent. p. m. 150. seqq. Castigans gentiles, quod licentiam faciant poëtis suis indi-

Magia.

gnissima quæque Deo tribuendi. Quorsum pertinent *Magi* abutentes nomine Dei. Est magia alia naturalis, alia diabolica: hanc vetitam dicimus cum Origene lib. V. advers. Cels. p. m. 220.

Astrologia.

Vicina ipsi est curiosa *Astrologia*, quam μετεωρολογοῦσαν & ἀδολεσχοῦσαν *incertam* & *nugacem artem* nuncupat Clemens Alex. προτρ. f. 44. Tertullian. autem gravissimè invehitur in lib. de idolol. c. 9. seqq. Et apol. c. 35.

(3.) Juramenta profana.

(3.) *Juramenta* profana: Sic enim Tertul. Apol. c. 32. *sed & juramus*, ait, *sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est angustior omnibus geniis.* Malebant Christiani mori, quam per genios Cæsarum i. e. dæmonas jurare, confer de idolat. c. 20.

(4.) Apostasiæ.

(4.) *Apostasiæ.* Has esse prohibitas adductis in medium scripturæ dictis probat Cyprianus epist. 64. suggerit idem remedium adversus incitamenta, quæ sunt scandala: *Nec vos moveat, fratres dilectissimi, si apud quosdam in novissimis temporibus aut lubrica fides nutat, aut Dei timor irreligiosus vacillat, aut pacifica concordia non perseverat. Prænunciata hæc sunt futura, in fine seculi, & Domini voce, atq; Apostolorum contestatione prædictum est: deficiente iam mundo, atq; appropinquante Antichristo, bona quæq; deficere, mala vero & adversa proficere*, Ep. 68. Locum describere voluimus in gratiam eorum, qui nobis insultant propter apostasias magnorum Nominum, velut ideo nostra religio deterior esset, & falsa melius sese haberet: *Nec* enim *Christianam fidem aliena perfidia deprimit ad ruinam, sed magis excitat & exaltat ad gloriam, secundum quod beatus Apostolus Paulus hortatur, & dicit: Quid enim si exciderunt à fide quidam eorum, nunquid infidelitas illorum fidem Dei evacuavit?* Rom. III. 3. ibid. scribit. Quare confirment potius, quam deprimant nos apostatæ.

Præceptum III. de Sabbato. (1.) agenda. (2.) omittenda.

§. 36. Præceptum III. est de Sabbato. Memento, ut sanctifices. Quæ sanctificatio consistit (1.) *in meditatione* creationis & beneficiorum aliorum Dei, inde emanantium: *Tertium* enim *præceptum significat, mundum à Deo esse factum*: ait Clemns Alex. lib. VI. strom. f. 682. (2.) *In quiete* ab operibus nostris & profanis. *Dedit* enim *Deus nobis septimum diem ad quiescendum, propter eam, quæ est in vita, afflictionem, & malorum perpessionem*, l. c. Tertullianus

urget

urget lib. 2. Marc. c. 21. pronomen *tuum*: cum sic scribit: *Septima die sabbata Domino Deo tuo: non facies in ea omne opus: quod? utiq; tuum. Consequens enim est, ut ea opera sabbato auferat, quæ sex diebus supra indixerat*, tua *scilicet, i. e. humana & quotidiana. Arcam vero circumferre, neq; quotidianum opus videri potest, neq; humanum, sed rarum & Sacrosanctum, & ex ipso tunc Dei præcepto &c.* Bene distinguit inter opera; Neque enim simpliciter omnia opera prohibita sunt: Ut vapulent Pharisæi, cum quævis opera vetita censeant: *Nam quum de die Sabbati dicit: Omne opus tuum non facies in ea, dicendo*: tuum, *de humano opere definiit, quod quisq; ex artificio, vel negocio suo exsequitur, non de divino.* Ejusdem verba sunt lib. IV. adv. Marc. c. 12. Si autem prohibita sunt opera alias licita, profana tamen, & humana, multo magis prohibita erunt opera mala, *ut focos & thoros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu obolfacere, vino lutum cogere, catervatim cursitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras*: quo modo gentiles *solennes dies Principum* solebant celebrare, exprobrante Tertul. c. 35. Apol. Unde bene Clemens l. c. *septima ergo dies dicitur quies, abstinentia à malis.* Quare & idololatrica festa sunt prohibita. Celsus equidem Epicuræus Christianis persuadere volebat festa gentilium, propter mutuam concordiam, quod unus omnium esset Deus; sed ℞. Origenes: (1.) Festa ista non esse à Deo instituta, sed per errorem introducta; (2.) Celebrari ebrietatibus, libidinibus, aliisque sceleribus. Quare & Evangelici abstineamus à festis Pontificiorum superstitiosis, & idololatricis, & profanis. Orig. l. VIII. adv. Cels. p.m. 393. Quæritur: An sabbatum Judaicum hodie adhuc obliget Christianos quoque? Negat Tertul. c. 4. advers. Jud. *Sequitur itaq;*, ajens, *ut quatenus circumcisionis carnalis, & legis veteris abolitio expuncta suis temporibus demonstratur: Ita sabbati quoq; observatio temporalis fuisse demonstretur*: Imo c. 2. eousque pro cesserat, ut ante Mosen Sabbata fuisse observata negaret. Origenes l. c. hac ipsa de quæstione disputat, & negat, nos hodie ad festa Judaica obligari. Addit: *Si quis nobis objiciat ex adverso nostras Dominicas, parascevasq;, aut Pascha, & Pentecosten, recurrentes solenniter*, respondet, ejusmodi diebus & festis non opus habere perfectiores, qui quotidie agant, quod alias in illis festis fieri soleat; *vul-*

gus autem eorum, qui credentes videntur magis, quam sunt, qui vel non potest, vel non vult quotidie festum agere, opus habet, ut contineatur talibus sensibilibus admonitionibus, ne omnino dilabatur ab officio. Hæc ille.

Tabulæ secundæ (1.) objectum

§. 37. *Tabulæ secundæ* virtus cardinalis est dilectio proximi. *Summum fidei sacramentum, Christiani nominis thesaurus*, laudante Tert. c. 12. de patient. Notemus ergo (1.) *objectum*, quod est proximus: per quem intelligitur ipsemet homo; Nam charitas incipit à seipsa. Id quod in Protoplastis ostendit Tertul. adv. Jud. c. 2. *Si proximum*, ajens, *diligerent, i. e. semetipsos, persuasioni serpentis non credidissent, atq; ita in semetipsos homicidium non commisissent, excidendo de immortalitate, faciendo contra Dei præceptum, à furto quoq; abstinuissent, & de fructu arboris clam non degustassent, nec à conspectu Domini Dei nostri sub arbore delitescere gestiissent.* Duo dicit, quemque semetipsum debere diligere, & dilectionem esse fundamentũ reliquarum virtutũ, sicut neglectus ejusdem est fons reliquorum vitiorum: postea diligat & alios, nec amicos solum, sed & inimicos: *Amicos enim diligere omnium est, inimicos autem solorum Christianorum:* Ita Tertul. c. 1. ad Scap. cum libellum exhibuisset pro christianis, & scripsisset: *Ita enim disciplina jubemur diligere inimicos quoq;, & orare pro eis, qui nos persequuntur.* Confer. Orig. in dial. cum Marcionitis. f. 499. t. 1. ubi disputat adversus hæreticos, qui contendebant, alium esse Deum V. T. alium N. T. quia ille jusserit inimicos odisse, hic diligere; Ostendit enim ex Exod. XXIII. 4. quod & in V. T. inimici fuerint diligendi. (2.) *Affectum* expressit Deus, paucis quidem, sed accuratissimis verbis: Sicut te ipsum diligas: *Totam Creatoris disciplinam principali ejus præcepto inclusit: diliges proximum tuum tanquam te:* juxta Tertul. lib. V. adv. Marc. c. 14. Item: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; Matth. VII. 12. dictum adeo tritum, ut Alexander Cæsar in ore frequenter habuerit, & per præconem sæpe recitari jusserit, referente Lampridio in ejus vita. Item: hoc est mandatum ad vos, ut diligatis vos in vicem, sicut ego dilexi vos: allegante Flaviano martyre apud Baron. an. 223. §. 3. Sicut igitur Christus vitam pro nobis posuit, ita & nos pro fratribus: quod urget Dionysius Alex. cum verba facit de peste Alexandrina, in qua Christiani aliis succurrentes vitam suam morti exposuerunt.

(2.) Debitum

fuerunt. Euseb. lib. VII. c. 17. Cum affectu igitur & *effectus* debet esse conjunctus; ut est officiosa charitas, juxta 1. Cor. XIII. apud Tertul. c. 12. de pat. in visitandis infirmis, curandis pupillis & viduis, juvandis pauperibus: vide Cypr. l. 3. ad Quir. item de opere & eleemosyna: orandis beneficiis, docente Fructuoso apud August. Serm. 101. c. 2. de divers. (3.) *Argumenta* post Johannem Apostolū frequentem in hac virtute laudanda, observante eodem Dionysio apud Euseb. c. 20. collegit & derivavit Cyprianus cumprimis epist. 60. ex articulis fidei, utpote unione mystica, morte & merito Christi &c. Ut discamus fontes veræ & Christianæ pietatis. (4.) *Symbolum* erat mutuum Christianorum osculum, Item appellatio fratrum & sororum; de quibus vide Balduin. præfat: ad Minucium Felicem: Columbis comparat Cyprianus de unit. §. 8. & membris συμπαθῶσι. epist. 60. §. 1.

(3.) Argumenta

(4.) Symbolum

§. 38. Præceptum tabulæ secundæ I. est de honore debito patri & matri. Clemens Alex. l. VI. strom. f. 687. nescio qua de caussa vocat præceptum *quintum*. Cum prius tria tantum enumerasset: Clarius errat, cum per *Patrem* h. l. intelligit Deum, & per *matrem* sapientiam, confundens priorem cum posteriore tabula. Verum (1.) *objectum* sunt naturales parentes, heriles, politici. (2.) *Officium* liberorum, servorum, subditorum est honorare istos. Cyprianus lib. 3. Quirin: commendat liberis monitum Pauli Eph. VI. 1. 2. 3. Servis: Eph. V. 6. junioribus, & auditoribus verbi præceptum ejusdem. 1. Tim. III. 1. Præcipuum, quod urgebant Christiani, erat officium erga Magistratum, ut calumniam contumaciæ à sese devolverent. Agnoscebant characterem divinum in Magistratu etiam Ethnico, & hujus respectu debitum ipsi honorem deferebant. *Nos judicium Dei suspicimus in imperatoribus, qui gentibus illos præfecit. Id in eis scimus esse, quod Deus voluit; ideoq; & salvum volumus esse, quod Deus voluit, & pro magno id juramento habemus.* c. 32. Apol. Et c. 33. *Sed quid ego amplius de religione atq; pietate Christiana in Imperatorem? quem necesse est suspiciamus, ut eum, quem Dominus noster elegit: ut merito dixerim, noster est magis Cæsar, ut à nostro Deo constitutus, itaq; ut meo plus ego illi operor in salutem. Siquidem ab eo non solum postulo eam, qui potest præstare, aut*

(5.) *Præcepta* (1.) cujus

(1.) objectum (2.) officium *subditorum*

quod talis postulo, qui merear impetrare, sed etiam quod temperans majestatem Cæsaris infra Deum, magis illum commendo Deo, cui soli subjicio: Subjicio autem, cui non adæquo. Illustris locus: ex quo patet, etiam infideles, adeoque & hæreticos Magistratus suam potestatem à Deo ita habere, ut orthodoxi ipsis obedire teneantur: nec Cæsarem esse Pontifici Romano subjectum; Nam *Soli Deo* Cæsarem subijcit Tertullianus. Confirmat de idol. c. 25. *Quod attinet ad honores Regum, vel imperatorum, satis præscriptum habemus, in omni obsequio nos esse oportere secundum Apostoli* (Rom. XIII. 1. Tit. III. 1.) *præceptum: subditos magistratibus & principibus, cui ne persequenti quidem vi resistendum non est.* Notent hoc, qui contendunt, Magistratui, si vim faciat, resistendum esse, quod negat Tertullianus, etsi Presbyter, à potestate scil. Magistratus politici non exemptus. Nec defuisset facultas rebellandi, si modo voluntas annuisset: *Externi sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, Senatum, forum:* ait Apol. c. 37. ostendens, non deesse sibi vires ad resistendum, *Si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occides.* Quare calumnia erat Celsi Epicuræi per Christianos subduci filios parentibus, concitari in Magistratum subditos: Petit Origenes sibi ostendi, *à quibus patribus prudentibus, à quibus Magistratibus, seria docentibus, alienarent parvos pueros* Christiani, *& mulierculas; producat hos Celsus!* lib. 3. p. 145. & lib. VIII. p. 426. Bene autem restringit potestatem Magistratus; Neque enim promiscuè obediendum erat, etiamsi legibus jubentibus: *iniquam exercetis dominationem,* ait Tert. in apol. *Si ideo negatis licere* (indicta caussa Christianos damnare) *quia vultis, non quia debuit non licere. Si lex tua erravit, ab homine concepta est; Neq; enim de cœlo ruit, Miramini hominem aut errare potuisse in lege condenda, aut resipuisse in reprobanda? Suspecta lex est, quæ probari se non vult, improba autem, si non probata dominetur.* Ita, cum juberentur Christiani receptos Deos colere, denegabant obedientiam, ratione addita, quod Deus isti verus non essent: regerentibus autem gentilibus: *Sed nobis Dii sunt!* responderunt Christiani: *Appellamus & provocamus à vobis ad conscientiam vestram, illa nos judicet, illa nos damnet, si poterit negare omnes istos Deos homines fuisse.* Magistratus igitur conscientiis subditorũ dominari non potest, nec

nec debet obtrudere Subditis religionem vel cultũ, prius quam informati, & convicti fuerint. Alias quod (3.) *officium* Magistratus attinet, ad jura sacrorum etiam sese extendit. (3.) Officium Magistratus. Tert. c. 1. Apol. justum censet, ut *Romani Imperii antistites palam dispiciant, & coram examinent, quid sit liquido in caussa Christianorum:* Et Arnobius lib. IV. adv. gent. statuit, Magistratum, à poetarum scandalosa Theologia abhorrentem, debuisse *rogationibus, plebiscitis, consultorum Senatus metu intercedere, prohibere, sancire, ne quis vellet de Diis passim, nisi quod esset plenum religionis, effari:* Hinc patet, Magistratui competere etiam examen dogmatum Theologicorum, vera an falsa; bona, an mala? sint. Cum Paulus Samosatenus nollet domo Episcopali excedere, interpellatus est ipse Cæsar Aurelianus, ut sua auctoritate eijceret hæresiarcham, id quod & factum est: referente Euseb. lib. VII. hist. c. 29. unde patet, externam quoque potestatem in Episcopos eidem esse commissam. Sed & jus gladii belliquehabet. Tert. de ani. c. 33. disputans adversus μετεμψύχωσιν Pythagoræ, & μετενσωμάτωσιν Empedoclis, inter alia sic disserit: *Tanta est apud homines homicidii vindicta, quanta ipsa, quæ vindicatur, natura. Quis non præferat seculi justitiam, quam & Apostolus non frustra gladio armatam contestatur, quæ pro homine servando religiosa est:* Et Orig. lib. IV. cont. Cels. p. m. 217. bella refert ad ipsum jus naturæ, quod vel ipsæ bestiæ nos *doceant juste* (bella) *gerere, si res ita postulet.* Et p. 218. laudat *bella pro patria gerenda.* Imò, juxta Tertul. Apol. *In reos majestatis & publicos hostes omnis homo miles est.* Licet igitur in novo quoque testamento sontes morte punire, & bella gerere, Nisi cum Marcionitis velimus blasphemare, in N. T. Deum non esse justum, sed solum bonum.

§. 39. Præceptum II. est de cæde cavenda. Denuo Clemens & ordinem turbat, præmittens interdictum de adulterio; Et sensum, explicans de cæde spirituali, qua *oratio de Deo & ejus æternitate tollitur.* lib. VI. strom. f. 687. Judicio Origenis meliore *interdixit legis lator Christianorum omne homicidium*, lib. III. cont. Cels. p. 115. variis igitur modis homicidium admittitur, Christus *homicidium etiam in verbo maledicti, vel convicii judicat, & in omni impetu iræ, & in negligentia charitatis in fratrem:*

(II.) (1.) Interdictum *homicidium* qualecunq;

trem: censet Tertul. c. 2. de idol. innuens, homicidium committi vel privativè, neglectu charitatis; vel positivè, idque vel corde, fratri irascendo; *sicut Johannes* (1. Joh. III. ℣. 15.) *docet, homicidium esse, qui oderit fratrem:* vel ore, eidem maledicendo: Confirmat ex dictis Christi Matth. V. 20. seqq. ubi vult, meliorem esse nostram Pharisaica justitiam, qualis non foret, *si in his tantum delictis judicaremur, quæ etiam Nationes decreverunt vindicanda. Quomodo abundabit justitia nostra super Scribas & Pharisæos, ut Dominus præscripsit, nisi abundantiam adversariæ ejus i. e. injustitiæ perspexerimus*: Quare non subsistendum est in cæde externa, ut Pharisæi faciebant, sed pergendum etiam ad internam, quæ corde & affectu committitur: Hæc quoq; vetita est. Imò Christianis ne quidem spectare licebat cædes in ludis gladiatoriis; verebantur enim, ne vel oculos prava specie contaminarent. vide Fr. Bald. præfat. in Minuc. Fel. B. 4. Neque fœtus in utero materno elidere, *φθορείοις συγχρώμεναι φαρμάκοις corruptiva adhibendo medicamenta*; perhibente Clemente Alex. l. 2. pæd. c. 10. Neq; *castrare*
(2.) Objectum. sese licebat, ne quidem sub nomine castitatis servandæ; vide Arnob. lib. V. contr. Gent. p. 163. *Objectum* cædi vetitum est omnis homo, adeoque & inimicus; quippe quod & injuriam facientes sint tolerandi, & diligendi: vindicta Deo commendata: *Si manu quis tentaverit provocare, præsto est Dominica monela: verberanti te, inquit, in faciem, etiam alteram genam obverte* Matth. V. 39. juxta Tertul. de pat. c. 8. Et Cypr. d. bon. patient. p. 366. qui multi sunt in hac virtute commendanda. Quod si autem ne inimicus quidem occidendus, etiam, & quidem multo minus, sibimet ipse homo cædis auctor esse debet, vel vi, ut αὐτόχειρες, vel inordinata vita, ut solent intemperantes in cibo, potu, somno, venere &c. esse: reprehensi à Clemente Alex. l. 2. pæd. c. 9. vel imprudentia, & intempestiva confidentia, ut solent, qui, cum fugere possent, aut latere, nec fugere, nec latere volunt, sed sese ultro persecutoribus offerunt: Nemo *ultro se gentilibus offerat*, ait Cypr. ep. 83. *Nec quisquam, fratres dilectissimi, cum populum nostrum fugari conspexerit, metu persecutionis, & spargi, conturbetur, quod collectam fraternitatem non videat, nec tractantes Episcopos audiat. Simul tunc omnes esse non possent, quibus occidere non licet, sed occidi necesse est:* idem scri-
bit

bit epist. 56. innuens, cum Christianis non liceat vim vi repellere, fugiendũ ipsis esse, ne impune ita occidantur: id quod etiam Ecclesiæ ministris in persecutionibus personalibus faciendum, sicut fecit Cyprianus à Tertullo monitus. epist. 6.

§. 40. Præceptum III. (1.) *prohibet* adulteria & quamcunque impuritatem: adeoque 1. *impuras cogitationes & affectus*; Bene Clemens Alex. στρ. f. 68. censet: ἐπιθυμίᾳ μόνῃ μεμοίχευκας *sola concupiscentia admisisti adulterium.* Id quod Tertul. c. 2. de idol. probat ex Matth. V. 28. *Dominus,* inquiens, *quam extensius ista disponat, certissimus, cum adulterium etiam in concupiscentia designat, si oculum quis impegerit libidinosè, & animam commoverit impudicè*: Secus ac Pharisæi Pseudhermeniis suis statuebant. 2. *impudica colloquia,* aspectus, tactus, risus, gestus, nutus, habitus, picturas: arguente Clemente Alex. l. 2. pæd. c. 10. *Horum non solum usus, sed etiam aspectus, & auditus, deponendam esse memoriam vobis annunciamus. Scortatæ sunt aures vestræ, fornicati sunt oculi, &, quod est magis novum, ante complexum vestri adulterium admiserunt aspectus*: idem ait στρ. f. 41. unde Christianis vetita erat *theatrorum & saltatorum insania,* juxta Orig. lib. 3. adv. Cels. p. 145. Balnea quoque publica, in quibus *vident turpiter, & videntur,* ut acutè Cyprianus judicat: Nudatio membrorum: *Nullo modo permittendum est mulieribus, ut nudam aliquam corporis partem offerant viris, ne ambo prolabantur*: *Hi quidem, ut qui ad videndum incitentur; illæ verò, ut quæ in se virorum intuitum attrahant.* Clem. Alex. lib. 2. c. 2. pæd. Contactus impudicus. c. 6. meretricius & levior habitus: *Continentia & pudicitia non in sola carnis integritate consistit, sed etiam in cultus, & ornatus honore, pariter ac pudore.* Cypr. d. disc. virg. §. 4. vid. Clem. Alex. l. 2. pæd. c. 11. 12. Fucus lenocinans: Nam Cyprianus idem invehitur §. II. in eas, quæ solebant *oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris & capitis veritatem.* Ex quibus & similibus apparet, prohiberi etiam *occasiones* impudicitiæ, & incentiva libidinis, e. g. ebrietatem, *adolescentes* enim *intus calefacti propensi fiunt ad libidines,* juxta Clem. Alex. l. 2. pæd. c. 2. & 7. Cohabitationes impudicorum hominum, Cypr. ep. 62. §. I. cibos lautiores: Clem. Alex. l. 2. pæd. c. 1. Quæritur: An membra genitalia, scelera quoq; & flagitia e. g. sodomia

(III.)
(1) *Prohibitio,* ut
1. cogitationes pravæ

2. colloquia & signa.

domia, bestialitas &c. ne quidem pro concione sint nominanda? R. Clemens Alex. l. 2. pæd. c. 10. *Neq; vero nobis turpe est ad auditorum utilitatem nominare partes, in quibus fit fœtus conceptio, quæ quidem Deum fabricari non puduit.* Nec puduit eundem de flagitiis

3. Actus. prædictis palam disserere in pædagogo. (3.) *Impuros actus*, ut sunt: Scortatio simplex: *Pueros puberes in venerem prurientes castigamus, non solum admonitos, quam turpe sit indulgere libidini, verum etiam, quantum inde animæ immineat periculum, quæve tales pœnæ maneant:* ait Orig. l.3. adv. Cels. p.145. Adulterium sive simplex, sive compositum: cui mortem decernit Clemens Alex. l. III. strom. f. 424. etiam in N. T. Nec enim, ait, *lex cum Evangelio pugnat*: adversus Carpocratianos, uxorum communionem introducentes. f. 429. seqq. Divortia iniqua, quippe quibus occasio & ansa datur adulteriis: *Mulierculas ab impudicitia, exercendisq; cum maritis simultatibus, atq; à divortiis arcemus.* ait Orig. l. 3. adv. Cels. vide & Clem. Alex. l. 2. strom. f. 424. Pæderastias, molliciem, & similia horrenda flagitia, in quæ invehitur Clemens Alex. l. 2. pæd. c. 10. Distinguendũ autem est, inter actus voluntarios, & involuntarios: Fit enim, ut per vim alicui stuprum inferatur, quo corpus quidem renitentis corrumpitur, non anima, quo de casu agit Gregorius Thaumaturgus in epistola Canonica. Præterea Dist. inter divortia licita, & illicita, ista sunt, quæ fiunt propter commissa adulteria, docente Tert. lib. IV. adv. Marc. c. 34. Nam urget conditionaliter à Christo esse prohibitũ divortiũ, nisi nempe adulteriũ intervenerit; *prohibuit dimittere uxorem, non in totum prohibuit, & quod non in totum prohibuit, permisit. Habet itaq; & Christum assertorem justitiæ divortii. Jam hinc ab illo confirmatur Moses, ex eodem titulo prohibens repudium, quo & Christus, si inventum fuerit in muliere negocium impudicum.* Et paulo post: *Præter ex caussa adulterii, Creator non disjungit, quod ipse conjunxit.* Hæc ille adversus Marcionitas, qui & ex hoc alium V. T. alium N. T. Deum fingebant, quod iste divortium permiserit, hic prohibuerit. Eadem est sententia Clementis Alex. l. 2. strom. sub finem.

(II.) Jussa; ut *Conjugium*: cujus 1. definitio

§. 41. II. Jubet autem contrarias his vitiis virtutes, & imprimis præsentissimum libidinis remedium, *Conjugium*, amplecti, cujus notentur (1.) *definitio*: quæ, juxta Clementem Alex. est: *legitima*

legitima viri & mulieris conjunctio ad liberorum procreationem lib. 2. strom. f. 421. (2.) *Caussæ*, & quidem *efficiens principalis*, quæ est Deus: Deus enim & naturæ appetitum erga comparem implantavit. Clem. Alex. l. 2. pæd. c. 10. *Et marem & fœminam miscuit; Conjugium pro rei honestate benedixit, incrementum generis humani:* juxta Tert. lib. 1. contr. Marc. c. 29. Si autem Deus conjugii auctor est, non erit ille status ulli hominum generi indecorus, vel illicitus. Dicas: libido tamen conjugatis adhæret: R. l. c. Tert. *Non ideo & cibi damnabantur, quia operosius exquisiti, in gulam committunt, ut nec vestitus ideo accusabantur, quia pretiosius comparati in ambitione tumescunt; Sic nec matrimonii res ideo despuentur, quia intemperantius diffusæ in luxuriam inardescunt. Multum differt inter causam & culpam, inter statum, & excessum; Ita hujusmodi non institutio, sed exorbitatio reprobanda est.* Hæc ille adversus Marcionitas, conjugii hostes, & omnes eos, quotquot conjugium tq. statum carnalem traducunt. *Minus principalis* sunt homines, potestatem habentes, vel in se, vel in alios. In alios, ut parentes in liberos: Nam *nec in terris filii sine consensu parentum ritè & purè nubunt.* Tert. l. 2. ad. uxor. Unde puella à Marcione solicitata ad conjugium, respondit: Tu matrem conveni de matrimonio. apud Clem. Alex. l. 3. strom. *Materiæ* sunt mas unus, & una fœmina cujuscunque sint conditionis, etiam Ecclesiasticæ; *veteres enim justi vixerunt in matrimonio*, ἐπαιδοποιήσαντες: γήμαντες ἐγκρατῶς; *Apostoli ipsi, Petrus enim & Philippus filios procrearunt, Philippus autem filias suas quoq; viris tradidit:* differente ex professo Clemente Alex. lib. III. strom. Vetita sunt conjugia cum infidelibus contrahenda. Nam Cypr. de laps. §. 4. inter caussas persecutionis motæ refert *jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, prostituere gentilibus membra Christi.* Inepti sunt inhabiles, ut Eunuchi, & Hermaphroditi; etiamsi libidinem vel exercere, vel admittere possint, ut idem ex professo disputat lib. 2. pædag. c. 10. *Forma* eum conjugii est non modo consensus mutuus, sed etiam unio, & copula legitima: *Finis* autem procreatio sobolis: *Qui matrimonio juncti sunt, iis scopus est & institutum ἡ παιδοποιΐα, procreare liberos*, ait l. c. Clemens; & probat ex verbo Dei: *crescite & multiplicamini:* Conjuncta quidem est voluptas cum hoc scopo, sed

2. caussæ vel principalis

vel Minus principalis

Materialis

Formalis

Finalis

ipsa scopus non est, unde & licita: ἐξ ἧς (uxore) *μόνης καρποῦσθαι τὰς σαρκὸς ἡδονὰς δίκαιον, ex hac sola licet capere fructum voluptatis carnalis*; Εἰς διαδοχὰς γνησίας; *ad suscipiendam legitimam* (prolis) *successionem*: Citra autem hunc legitimum scopum ψιλὴ ἡδονὴ, κἂν ἐν γάμῳ παραληφθῇ, παράνομός ἐστι, καὶ ἄδικος, καὶ ἄλογος *nuda voluptas, etiamsi in matrimonio capiatur, & contra legem, justitiam, & rationem*. Qui locus notandus est adversus eos, qui statuunt, licere Eunucho, congredi valido, cum juvencula matrimonium inire; præter enim nudam voluptatem præstare nihil potest. (3.) *Adjuncta*, quæ sunt *honestas*; egregie Tert. de anim. c. 27. *Natura veneranda est, non erubescenda; concubitum libido, non conditio, fœdavit: Excessus, non status est impudicus. Siquidem benedictus status apud Deum; Excessus vero maledictus.* Et Clem. lib. 3 strom. de epistolis Paulinis loquens οὐδαμοῦ, ait, γάμον ἠθέλησαν τὸν σώφρονα *nunquam honestum moderatumque matrimonium prohibuerunt, sed legis cum Evangelio servantes convenientiam utrumque admittunt*, τὸν τε εὐχαρίστως, τῷ θεῷ γάμῳ κεχρημένον σωφρόνως, τὸν τε εὐνουχίᾳ, ὡς ὁ θεὸς βούλεται, συμβιοῦντα, *& matrimonio cum fratiarum actione honestò utentem, & extra matrimonium, Deo sic volente, conversantem.* Potest igitur cum matrimonio consistere honestas, benedictio divina, gratiarum actio: *Pudica quæ nupsit, vitam cum Deo, & cum marito dividit; pudica mulier, ut ego quidem sentio:* σχολάζουσα τῷ ἀνδρὶ *quæ marito dat operam* ἀνυποκρίτως θεοσεβεῖ *sine fuco pia est erga Deum:* idem lib. 2. pæd. c. 10. censet. Et Origenes in dial. cum Marcionitis t. 1. opp. f. m. 510. *Adulterii*, inquit, *nomen viri & mulieris congressum declarat; sed si quis concumbat cum muliere propagationis liberorum, propagandique generis gratia, bonus & honestus congressus efficitur.* Apparet hinc, usum matrimonii, & pudicitiam, castitatem, pietatem una consistere posse. Unde videant, qui matrimonium castitati, honestati, pietati opponunt, atque hoc ipso prohibent, in quorum numerum pertineant, nempe eorum, qui docent doctrinas dæmonum. 1. Tim. IV. Certe Clemens Alex. eo refert, cum lib. 3. scribit: *Castitas* (cœlibatus) *non est bonum, & ex virtute, nisi fiat ex dilectione Dei; Est hæc doctrina dæmoniorum prohibere nubere. Veteres justi vixerunt in matrimonio* &c. disputans adversus eos, qui Apostolis, aliisque Ecclesiarum ministris, matrimonium prohibebant, tanquam juste & sancte & castè in hoc statu vivere non possint. Neque hoc

solum

3. Adjuncta ut honestas.

ſolum in primis, ſed etiam in iteratis, nuptiis valet: *De ſecundis nuptiis: ſi uraris, inquit Apoſtolus*, jungere matrimonio: explicante Clemente Alex. l. 3. ſtrom. f. 428. *In nuptiis*, etiam *virginum* Deo dicatarum, quod ex Cypriani epiſt. 62. §. 1. patet. *Utilitas*, quæ redundat in genus humanum, utpote inde propagatum hactenus, & Eccleſiam inde auctam. Viderint in papatu, in quo multis hominum millibus matrimonio interdictum eſt, annon ad ſeſe pertineat, quod Tertullianus in Marcionitas, matrimonii contemptores & hoſtes, lib. 1. c. 29. dixit: *Non erit immanior duritia Pharaonis naſcentium enecatrix; Nam ille animas adimit; hic* (prohibens matrimonia, vel abſtinens) *non dat; ille aufert à vita; hic non admittit in vitam. Nihil apud ambos de homicidio differt. Sub utroq; homo interficitur, ſub altero jam æditus, ſub altero ædendus.* Confert prohibitores matrimonii cum Pharaone infanticida, quatenus hic natos ſuſtulit, illi naſcendos impediunt, & in ipſa quaſi herba ſuffocant. *utilitas.*

§. 42. Hæc vero nolumus dicta *in caſtitatem heroicam*, quæ extraordinarium Dei donum eſt; Non enim omnes capiunt verbum hoc, ſed illi, quibus datum eſt. Matth. XIX. 11. allegante Cypriano de diſc. Virg. §. 3. Si qui autem capiunt, *tam carne, quam mente, ſe Deo vovere* poſſunt, & merentur ſinguli elogium, quod l. c. Cyprianus decantavit: *Flos ille Eccleſiaſtici germinis, decus atq; ornamentum gratiæ Spiritalis; læta indoles, laudis & honoris opus integrum atq; incorruptum, Dei imago, reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti.* Sic comparatam caſtitatem præferimus, quoad externa quædam commoda, matrimonio: *Sanctitatem ſine nuptiarum damnatione novimus, & ſectamur, & præferimus, non ut malo bonum, ſed ut bono melius: Non enim projicimus, ſed deponimus nuptias, nec præſcribimus, ſed ſuademus, Sanctitatem ſervantes, & bonum & melius pro viribus cujusq; ſectando*, cum Tertul. lib. 1. adv. Marc. c. 29. confer lib. V. 7. Si cui autem heroicum caſtitatis donum non eſt datum, operam det temperantiæ, ſobrietati, frugalitati, precibus, ut libidinem carnis refrænet: Quo ipſo tamen neque divitiarum poſſeſſio, aut uſus vitæ lautioris prohibentur: *Non eſt enim poſſeſſoribus eorum uſus prohibitus, ſed, quod in eis ponitur, ſtudium eſt prohibitum*: juxta Clem. Alex. l. 2. pæd. c. 9. imo *vanam* cenſet

caſtitas heroica.

media ordinaria.

censet *Cynicorum gloriam, nisi cogat aliqua necessitas*; qui *agrestis bovis consternebant tergora subtus*: medium tenuere beati! utuntur rebus mundanis ad necessitatem. e.g. lectis, vestimentis &c. *Si æstus sit, quod protegat; si sit frigus, quod foveat*: Id quod miriones in Papatu Monachi observent, carni suæ injuriam inferentes: *Non aspernanda nobilissima Creatoris munera, sed utendum eis est cum gratiarum actione*: bene Censet Orig. VIII. adv. Cels. p. 399. Clemens idem licitas ait & φιλοδησίας & φιλότητας, *pocula amicitiæ*, rejecta Etiam χαριεντίσασθαί τι ἔξεστι *licet aliquid urbanè dicere*: f. 152. Quæ eo fine dicuntur, ut sciamus, hac ætate superstitiones austeras castratio. vitæ, & heautontimorias in nullo precio fuisse. Facessat *castratio*, quod nonnulli remedium putabant: *Quasi enim vero affecti corporalibus his damnis fiant languidioris audaciæ, & non quotidie videamus eos, qui sibi demessuerint has partes, majoris petulantiæ fieri, atq; omnibus postpositis pudoris & verecundiæ frænis, in obscœnam perrumpere vilitatem, flagitiorum confessione vulgata*. censente Arnobio lib. V. ad. Gent.

IV. §. 43. Præceptum IV. (1.) vetat *furta*, quod obvium: Pertinet huc disputatio Clementis Alex. lib. III. strom. adversus Carpocratianos, qui rerum omnium communionem statuebant, qua stante, nullum fuisset furtum, ut adeo lex de furto cavendo, sit caussa peccati; Et illegitima vitæ sustentandæ media, ut est histrionia, damnatâ à Cypriano Ep. *61.* Unde autem vivat histrio? Cyprianus jussit ex Ecclesiæ sumptibus alimenta egenti præberi: *Avaritiam*, quæ est ἀκρόπολις τῆς κακίας *arx summa malitiæ*, definiente Clem. Alex. l. 2. pæd. c. 3. consentiente Gregorio Thaumat. in epistola Canonica. (2.) *Præcepta* autem sunt eleemosynæ: *Deus* enim *eleemosynis & vitæ sanctimonia delectatur*: ait Claudius Confessor apud Baron. an. 285. §. 4. Nec tamen opus est proprietate suorum bonorum sese abdicare, dummodo & aliis inde eroges: vide Cyprianum de opere & eleemosyna; & de disc. Virg. §. 8. epistolas hinc inde. Ut autem habeas, quod des pauperibus, stude frugalitati, etiam in supellectilibus: quod prolixè & accuratè monet Clem. Alex. l. 2. pæd. c. 3.

V. §. 44. Præceptum V. vetat *mendacia*, etiam realia, ut

nt est simultatio, & dissimulatio in rebus etiam religionis: *Nec enim hoc tantum stultum est, si quis preces simulachris offerat, sed etiam cum id aliquis simulat, vulgi opinionibus se attemperans; Nihil enim adulterium debet esse in anima hominis verè pii erga Deum:* Origen. l. 7. adv. Cels. allegante Cassandro art. 21. Consult. Est fucatus habitus: *Num enim sinceritas perseverat & veritas, quando, quæ sincera sunt, polluuntur colorum adulteriis, & medicaminum fucis in mendacium vera mutantur?* quærit Cypr. de hab. virg. §. 13. Perjuria; Item §. 4. de laps. inter caussas persecutionis refert non *jurare tantum temere, sed adhuc etiam peierare.*

§. 45. Præceptum VI. prohibet concupiscentiam, peccatorum aliorum radicem: *Præclare*, inquit Clemens, *& mira arte solet vitiorum radices exscindere illud: non mœchaberis, per illud: non concupisces. Adulterium enim fructus est concupiscentiæ τῆς ῥίζης τῆς κακῆς, quæ est mala radix.* lib. 2. pæd. c. 6. VI.

§. 46. Peccatis admissis Deus pœnas comminatur & infert. Exemplum recitat Dionysius Episcopus Alex: in literis ad Hermammonem, quod Deus statuit in Valeriano & filiis: *Prædictio illa, quam Deus olim ediderat* (Ego sum, qui ulciscor peccata Patrum in liberos, usque in tertiam & quartam generationem, his, qui oderunt me) *in istis perspicuè declarata fuit. Nam nefarias cupiditates, quarum explendarum spe ipse excidisset, in filiorum capita conjecit, & cum improbam ejus nequitiam, tum odium erga Deum, in illorum animos effudit:* referente Euseb. lib. VII. hist. c. 9. Virtutibus præmia decernit, quæ interdum *merita* appellantur. Illustris Cypriani locus est in expl. orat. Dom. p. 310. *Cum sibi*, inquit, *Pharisæus placeret, sanctificari publicanus hic magis meruit, qui sic rogavit, qui spem salutis non in fiducia innocentiæ suæ posuit, cum innocens nemo sit; sed peccata confessus humiliter oravit, & exaudivit orantem, qui semper humilibus ignoscit.* Meruisse h. l. dicitur publicanus sanctificationem, quomodo? an meritis operum præstitis? absit! Nec enim innocens fuit, sed peccator: igitur ex gratia Dei; ut mereri sit idem quod accipere. Similis locus est Epist. 59. §. 4. ubi de infantibus loquitur, dicens, quod plorando, dum nascuntur, *de divina misericordia plus mereantur*: Ecce de *infantibus loquitur*, qui meritorum, propriè sic dictorum, nondum sunt capaces, & de

Promissiones & præmia virtutum.

de *misericordia* Dei, quæ omne meritum propriè sic dictum excludit. Epist. 76. *mentem* hominis dicit *mundari per fidei meritum:* cum tamen fides operibus, adeoque & meritis, opponatur. Lib. III. ad Quirin. ait: in *nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Confer & Tertul. l. IV. adv. Marc. c. 19.

Imperfectio. §. 47. *Imperfectio.* Clem. Alex. lib. 1. pæd. c. 6. miratur, *quomodo audeant quidam seipsos vocare perfectos & Gnosticos,* cum tamen Apostoli ipsi, ut Paulus, sese non audeant inter perfectos referre. Phil. III. 12. Origenes lib. III. contra Cels. p. 149. impossibile esse ait, *inveniri hominem ἀναμάρτητον à peccatis immunem*, solo Christo excepto. Idem lib. XII. in Levit. *In septimana dierum*, inquit, *consummatus est mundus, in quo, donec sumus in carne positi, ad liquidum puri esse non possumus, nisi octava venerit dies. i. e. nisi futuri seculi tempus advenerit.* Confer f. 2. opp. f. 321. C. & D. Cyprianus explicans petitionem primam in oratione Dominica §. 9. *Id*, ait, *petimus & rogamus, ut, qui in baptismo sanctificati sumus, in eo, quod esse cœpimus, perseveremus, & hoc quotidie deprecemur; Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione, ut, qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus.* Hinc opus est, ut & rogamus, quo fiat voluntas Dei in nobis. *Quia nobis à Diabolo obsistitur, quo minus per omnia noster animus atq; actus Deo obsequatur, oramus & petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei, quæ ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate i. e. ope ejus & protectione; quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia & misericordia tutus est.* §. 12. subdit caussam imperfectionis, nempe quotidianam pugnam inter carnem & spiritum, *ut non, quæ volumus, ipsi faciamus*, dum spiritus cœlestia & divina quærit, caro terrena & secularia concupiscit. Idem habet in explicatione petitionis quintæ, ubi deprecamur nostra debita: *Ne qui sibi tanquam innocens placeat, cum innocens nemo sit, & se extollendo plus pereat; instruitur & docetur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare.* §. 16. Repetit in de oper. & eleemos. §. 3. *Nemo*, inquiens, *sine peccato esse potest, & quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est.* Locum hunc citat August. l. 2. contr. Jul. c. 8. Et lib. III. §. 54. de testim. probat, *neminem sine sorde & sine peccato esse.* Arnobius lib. 1. p. m. 15. fatetur, nos esse *pronos ad culpas, & ad libidinis varios appetitus, vitio infirmitatis ingenitæ.* Loquitur autem & de sese, jam regenito. Saltem homo

homo non potest præcavere mala cogitata; *Neq; enim est in nostra potestate cogitare, vel non cogitare absurda, sed uti, vel non uti cogitationibus, reipsa in nobis est*; *statuit* Methodius in libello de resurrectione: addens quasi rationem desiderii: ἐπειδὴ τοῦτο τὸ ἀγαθὸν παντάμωμον, *quia hoc bonum est prorsus inculpatum*, nempe, ne mala quidem cogitet homo, etsi non sit sperandum in hac vita. Pergit, & distinguit in nobis duo cogitationum genera, alterum ex lege Dei, alterum ex prava concupiscentia, diabolo impellente. Dicit, ipsum Apostolum Paulum, hac morte laborantem, optasse liberationem Rom. VII. 24. statuit igitur Paulum l. c. de seipso loqui, peccatis adhuc suis vexato, etiam cum jam regenitus esset.

Dicas: Cur igitur Deus, qui omnipotens est, per suam potentiam absolutam non corrigit homines perfectè, demptis omnibus vitiis? Ita Celsus Epicuræus; Cui R. Orig. l. IV. p. m. 163. Deum agere, non secundum suam potentiam absolutam, sed ordinatam, quæ suum hominibus liberum arbitrium relinquat: *Nos libere dicimus, Deum nunquam non correctores mittere*; *quandoquidem extant præcepta ejus optima, ab ipso hominibus tradita, ad optima quæq; eos provocantia.* p. 164.

§. 48. Sacramentum confirmationis hominis regeniti & renovati est *Eucharistia*, cujus notanda (1.) *Nomina* & *descriptiones*. Dicitur Eucharistia, & quidem cum addito, *medica*, à Tertul. de pudic. c. 18. explicante Clemente Alex. lib. 2. pæd. c. 2. *amborum temperatura, potus scilicet & verbi, dicitur Eucharistia*, χάρις ἐπαινουμένη, καὶ καλὴ, *gratia laudata & bona.* Et Orig. l. VIII. adv. Cels. p. m. 416. *habemus*, ait, *ejus gratiarum actionis Symbolum, panem, qui Eucharistia vocatur.* Dicitur & *Missa* à Cornelio Romanorum Episcopo in literis ad Lupicinum; A tempore, quo solebat celebrari, nempe ἐν ἀφέσει λαῶν, cum diceretur: *ite, missa esto.* Item *mysterium*, voce à gentilium sacris mutuo accepta. vide Dn. D. Dannh. ἀνθιχρ. sect. 1. art. 1. p. 77. Cum addidamento: *tremendum* à Dionysio Alexandrino; *Novum testamentum* & *sacramentum inenarrabile*, vide Baron. ann. 265. §. 7. *Sacrificium* ab eleemosynis distribui solitis, & precibus ad Deum fusis: En tibi Cypriani locum de oper. & eleemos. §. 14. *Locuples & dives es, & Dominicum celebrare*

Eucharistia. (1.) Nomina.

celebrare te credis, quæ Corbonam omnino non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis. Quid h. l. *sacrificium*, nisi eleemosyna, offerri solita? vide Gerh. l. 2. conf. Cath. part. 2. art. XV. p. 1151. Etiam distributio dicitur sacrificium, apud Cypr. epist. 63. §. 1. Nec opus de novo sacrificare: *Sacrificium* enim, *quod in cruce* (Christus) *obtulit, sic in beneplacito Dei constat acceptabile, & perpetua virtute consistit, ut non minus hodie in conspectu Patris oblatio illa sit efficax, quam ea die, qua de saucio latere sanguis & aqua exivit, & semper reservatæ in corpore plagæ salutis humanæ exigant pretium, & obedientiæ donationem requirant:* verba sunt Cypr. d. bapt. §. 7. Si igitur sacrificium semel oblatum adhuc hodie *in beneplacito Dei constat acceptabile, & perpetua virtute consistit*, quid opus est nova oblatione? *Sigillum* Domini, apud Euseb. lib. VI. hist. c. 4. in historia Basilidis martyris; *μακάρια σφραγὶς beatum sigillum*, à Clem. Alex. l. 2. strom. f. 363. quo communicantes *σφραγίζονται obsignantur*; juxta epistolam Cornelii ad Fabium de Novato: *Sacrorum communio* à Dionysio Alex. apud Euseb. lib. VII. c. 8. *Convivium Dominicum* à Tertul. l. 2. ad uxor. *Commeatus* à Cypriano de mortal. §. 13. *immortalitatis alimonia:* de coen. ab eodem. *Agape* à Tertul. c. 39. Apol. II. *Caussæ*, & quidem instituens, est

(2.) *Caussæ* efficientes Christus, *dans seipsum in mystica coena, non sicut secundum legem sacerdotii Aaronici carnes pecudum aræ olim imponebant: Scribit enim Moses, inquiens: Carnes sanctæ imponentur altari, & comedet populus, & quicunq; immundus eas tetigerit, peribit; Nunc autem non sic: Quia potius ipse Dominus dicit: qui manducat me, ipse vivet propter me. Deus ergo est, qui habitat in nobis, secundum testamentum, quod disposuit, dicens nobis: accipite hoc, & dividite inter vos: novum testamentum est, hoc facite:* verba sunt Dionysii Alex. in literis ad Paulum Samosatenum de incorruptibili sanguine Christi. Institutio ipsa dicitur *traditio dominica* à Cypr. epist. 63. §. 3. juxta quam unicè de hoc sacramento judicandum, ut graviter monet Cyprianus epist. cit. Distribuentes sunt Ecclesiæ *præsidentes*; Nec enim ait Tert. c. 3. de Coron. milit. *de aliorum manu sumimus, quam præsidentium.* Attamen & *Diaconi* adhibentur. Refert enim Cyprianus de Diacono, quod *solennibus adimpletis calicem offerre præsentibus cœperit.* de laps. §. 26. Confer art. 2. supr. §. 7. p. 525. Et Pamel. not. ad Tert. p. 296.

§. 49.

§. 49. *Materia* duplex est terrena & cœlestis. *Terrena* est panis & vinum, etiam post consecrationem: *Quod enim vinum esset, quod benedictum est, ostendit* (Christus) *rursum, dicens discipulis; Non bibam ex fructu vitis hujus*: ita Clemens Alex. lib. 2. pæd. c. 2. adversus Encratitas, qui à vino abstinebant, neque à vini accidentibus: Et Origenes in c. XV. Matth. notat etiam de cibo Eucharistico: *quod habet materiale in ventrem & in secessum ejicitur*: Et hom. V. in c. 7. Lev. *Dominus*, ait, *panem cum discipulis dabat, dicebat eis: accipite, manducate; non distulit, nec servavit in crastinum*: quo ipso non modo panis post consecrationem, utpote datus, vocatur panis, sed & simul fruitio innuitur, ne asservetur in crastinum, ut Pontificii solent. Et adeo clarum est hoc testimonium, ut Bell. l. IV. de Euchar. c. 5. non habuerit, quod exciperet, nisi traditionem. Solebant interdum, consuetudine non adeo proba, panem vino macerare, & ita ægrotis distribuere, ut patet ex historia Serapionis apud Euseb. lib. VI. c. 37. Addebant lac, & mel, ad concordiam intimandam: *suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus*: ait Tert. c. 4. de coron. milit. confer Baron. an. 294. §. 9. Admiscebant etiam aliquid aquæ; ut ex Cypriani epistola 63. patet: Quid vero de hac mixtura judicandnm sit, lege apud B. D. Gerh. Loc. de Euchar. p. 39. nempe, permitti posse, si fiat extra opinionem necessitatis: Minime autem permitti potest substitutio elementi alieni: *Admonitos nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neq; aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit, ut calix, qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur*: ita Cyprianus adversus Aquarios, qui in S. Coena vino substituebant aquam, contra Christi institutionem. ep. 63.

Materialis vel terrena.

§. 50. *Cœlestis* est corpus & sanguis Christi. Probatur (1.) *directè* ex controversiis inter Orthodoxos & Heterodoxos, e. g. Inter Tertullianum & Marcionitas; quorum hi veritatem carnis Christi negabant: Iste igitur, ut hæreticos refutaret, argumentum inter alia sumebat etiam à S. Coena, in qua corpus & sanguis Christi distribuerentur, & acciperentur: *Acceptum panem, & distributum discipulis, corpus Deum* (Christus) *fecit, hoc est corpus meum dicendo, i. e. figura corporis mei. Figura autem non fuisset,*

vel *Cœlestis.* Probatur (1.) directè

Ggggg *nisi*

nisi veritatis esset corpus, Cæterum vacua res, quod est phantasma, figuram capere non potest: disserit lib. IV. contr. Marc. c. 41. Unde patet, quod corpus non sit ipse panis; figuratum enim à figura realiter differt; neq; sit mera umbra; corpus enim, ut panis est, non est umbra phantasmatis; neq; tamen sit sine corpore panis: Nam panem suum corpus sacramentali unione fecerat Christus: *Proinde panis & calicis sacramento jam in Evangelio probavimus corporis & sanguinis Dominici veritatem adversus phantasma Marcionis*: idem concludit lib. V. c. 8. Alia controversia erat orthodoxis cum Paulo Samosateno, qui sanguinem Christi corruptibilem statuebat; Regerebant enim isti, qui corruptibilis fuerit, cum in S. Coena sumptus sit vivificus? *In sanguinem vivificum, & in Spiritum Sanctum insurrexit, eum conculcans. Etenim si sanguis Christi est corruptibilis, quia dividitur, & funditur* (quæ fuit hæretici objectio) *reperietur quoq; Spiritus Sanctus corruptibilis, ut sanguis vitæ: Si quidem scribit Lucas in Actis Apostolorum: cum complerentur dies Pentecostes &c. paulo post subjungit: Et apparuerunt illis linguæ dispertitæ tanquam ignis.* Hæc Dionysius Alex. perscripsit ad Paulum Samosatenum, literis à Turriano latine versis. Ex quibus palam est, à Dionysio statui, quod Christi sanguis in coena sit, & operetur. Ulterius mentem suam declarat, & nostram sententiam confirmat, quando Leviticas ceremonias. s. victimas confert cum Eucharistia; quod istæ caruerint corpore & sanguine Christi; hæc vero exhibeat eadem: *Deus ergo est, qui habitat in nobis, secundum testamentum, quod disposuit, dicens nobis: Accipite hoc, & dividite inter vos. Novum Testamentum est, hoc facite* &c. His accedunt alia Patrum dicta variis occasionibus prolata. Cyprianus §. 1. de laps. ut indignitatem lapsorum exaggeraret, exprobrat ipsis, quod idolothytis comestis commacularint *sanctificata ora cœlestibus cibis*, nempe, *corpore & sanguine* Christi. In quam sententiam dudum ante peroraverat Tertullianus de idol. c. 7. *Tota*, inquiens, *die ad hanc partem Zelus fidei perorabit, ingemens, Christianum ab idolis in Ecclesiam venire, attollere ad Deum Patrem manus matres idolorum, his manibus adorare, quæ foris adversus Deum adorantur, eas manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt.* Nota *manus admovere corpori Domini* dicit communicantes in S. Coena; oportet igitur *corpus Domini* realiter

realiter præsens fuisse in eo terræ loco, ubi Eucharistia distribuebatur. Cornelius Rom. Episcopus scriptis ad Fabium Antiochenum literis conqueritur de Novati Presbyteri audacia, quod communicantibus apud sese fidelibus dixerit: Ὄμοσόν μοι κατὰ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ *jura mihi per corpus, & per sanguinem, Domini nostri Iesu Christi:* referente Euseb. lib. VI. hist. Eccles. c. 35. Hæc ille ad participes Eucharistiæ, ut per ipsos Episcopatum obtineret. Post Cornelium sedit Xystus, seu Sixtus, ad quem literæ Dionysii Alex. extant, in quibus disserit de aliquo hæretico, *qui gratiarum actiones audivisset, qui Amen una pronunciasset, qui adstitisset mensæ, qui manus ad Sanctum illud alimentum capessendum porrexisset, qui illud recepisset,* καὶ τοῦ σώματος, καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν μετασχόντα ἱκανῷ χρόνῳ *qui fuisset corporis & sanguinis domini nostri particeps idoneo tempore:* referente Euseb. lib. VII. c. 8. Ex quo loco patet, quod & indigni corpore & sanguine Christi fruantur. Hic ipse est ille Xystus, cui ad martyrium ducto Laurentius Diaconus succlamavit: *Num degenerem probasti? Experire certè, utrùm idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem; cui consummandum consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?* apud Ambrosium lib. 1. offic. c. 41. Ecce Laurentius dispensavit *Dominicum sanguinem*, oportet igitur coram præsentem esse sanguinem, cum S. Coena celebratur: Sed & corpus Christi: *Panis iste, quem Deus verbum corpus suum esse fatetur, verbum est nutritorium animarum, verbum de verbo Dei procedens, & panis de pane cœlesti, qui potius est super mensam, de qua scriptum est: Præparasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Et potus iste, quem Deus verbum sanguinem suum fatetur, verbum est potans & inebrians præclare corda bibentium, qui est in poculo, de quo scriptum est: Et poculum tuum inebrians, quam præclarum est.* Verba sunt Origenis tract. 35. in Matth. apud M. Anton. de Domin. de rep. Eccles. l. V. c. 6. Ecce *panis cœlestis*, qui est corpus Christi, dicitur esse *super mensam*; oportet igitur indistanter præsens hoc esse. (2.) *Consequenter* ex calumnia Judæorum pariter ac gentilium, quod *Christianis puerum aliquem immolandi mos esset, cujus & carnem singuli degustarent:* referente Origene lib. VI. adv. Cels. Quod aliquanto prolixius exponit Cæcilius apud Minucium Felicem (2.) Consequenter.

in dialogo: *Jam de initiandis tyrunculis fabula tam deteſtanda, quam nota eſt. Infans farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur ei, qui ſacris imbuitur. Is infans à tyrunculo farris ſuperficie quaſi ad innoxios ictus provocato, coecis occultisque vulneribus occiditur, proh nefas! ſitienter ſanguinem lambunt, hujus certatim membra diſpertiunt; hac fœderantur hoſtia, hac conſcientia ſceleris ad ſilentium mutuum pignorantur.* Dubio procul audiverant calumniatores ex publica Chriſtianorum doctrina, Chriſti corpus & ſanguinem, in ara crucis mactat, & fuſum, in, cum, & ſub pane Euchariſtico diſtribui & accipi; Hinc illi Thyeſtæas coenas fingebant, ut in invidiam & odium publicum Chriſtianos revocarent.

Formalis. §. 51. *Formalis* cauſſa eſt actio divinitus inſtituta, nempe præviâ εὐλογίᾳ ipſa diſtributio & ſumptio. Clemens Alex. l. 2. pæd. c. 2. laudat vinum εὐλογηθὲν *benedictum*: Nervosè Origenes ſupralaudatus: *Dominus*, inquit, *panem cum diſcipulis dabat, dicebat eis: Accipite, manducate; non diſtulit, nec ſervavit in craſtinum.* hom. V. in c. 7. Levit. Id quod obſervent Pontificii, panis Euchariſtici circumgeſtatores & aſſervatores: Dionyſius Alex. dicit; nos in S. Coena *Sanctorum myſteriorum participes fieri*: Cajus Pontifex. Rom. *participavit cum omnibus myſteriũ Dei*: Aliis eſt *convivium*, aliis *commeatus*, quæ verba ipſam fruitionem inferunt. Dicas: panem quidem eſſe omnibus diſtribuendum & ſumendum, ſed calicem non: ℞. Orig. hom. XVI. in Num. *Populus Chriſtianus in uſu habet ſanguinem bibere.* Dicas: in *uſu*, quidem, ſed non in *mandatis*: Imò habet *in mandatis*. vid. Tert. c. 3. de Coro: milit. & Cypr. ep. 63. §. 1. qui illuſtris locus eſt.

Accipientes. §. 52. Patet hinc, qui ſint *fruentes* Symbolorum externorum. Internæ materiæ qui ſint deinceps erit dicendum. Interna autem eſt corpus & ſanguis Chriſti: ſunt iſti omnes accedentes, ſive digni, ſive indigni; ſive electi, ſive reprobi. De dignis & electis quæſtio non eſt, ſed de reliquis. Cyprianus §. 13. de lapſ. invehitur in apoſtatas, quod auſint ad coenam accedere: *Mortiferos*, inquiens, *idolorum cibos adhuc pæne ructantes, exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus, & contagia funeſta redolentibus, Domini corpus invadunt.* Et poſt aliquot interjecta: *Spretis his omnibus* (quæ Lev. XXII. 3. 1. Cor. X. 11. 21. 27. habentur) *atq; con-*

temptis

temptus vis infertur corpori ejus & sanguini, & plus modo in Dominum manibus atq; ore delinquunt, quam cum Dominum negaverant. Eodem respicit §. 18: *Jacens stantibus, & integris vulneratus minatur: & quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur.* Ex his testimoniis apparet, quod apostatæ, & impœnitentes, adeoque fide vera destituti, dicantur *Domini corpus invasisse: in Dominum manibus atq; ore deliquisse, corpus Domini inquinatis manibus accepisse* &c. Oportet igitur *ore* corporis participes fuisse factos Domini: Neque valet Nicolai Goulartii Calviniani exceptio: deliquisse ipsos symbolis abutendo; Symbola enim non sunt ipsum *corpus*, ipse *Dominus*, quod Cyprianus urget. Quare & incredulus fit particeps rei cœlestis, sed soli fideles remissionis peccatorum, & vitæ æternæ. Eucharistiæ *qui per fidem sunt participes* ἁγιάζονται καὶ σῶμα καὶ ψυχὴν *Sanctificantur & quoad corpus, & quoad animam:* juxta Clem. Alex. l. 2. pæd. c. 2.

§. 53. III. *Effectus* sunt varii. Est *remissio peccatorum.* Sic enim Origenes tract. 35. in Matth. *Si sanguis testamenti,* inquit, *infusus est in corda nostra, in remissionem peccatorum nostrorum, effuso eo potabili sanguine in corda nostra, remittuntur & delentur omnia, quæ gessimus ante, peccata.* Nititur institutionis verbis, utpote in quibus mentio fit remissionis peccatorum. Hanc sequitur *lætitia* in corde, de Deo sibi reconciliato: quam deprædicat Cypr. epist. 63. §. 8. *vita spiritualis*, qui enim, inquit Christus, *manducat me, vivet propter me*, citante & probante Dionysio Alex. Cui suffragatur Cypr. §. 13. in orat: Dom. allegato Joh. VI. 35. *Sanguinem vivificum* vocavit Dion. Alex. *idem sanguinem vitæ* laudavit. *Est unio mystica*, ex qua sequitur *præsentia* vera & gratiosa: *Ipse enim, qui accepto calice dixit: Bibite ex hoc omnes, nobis bibentibus, non discedit à nobis; sed bibit eum nobiscum, cum sit in singulis ipse; quoniam non possumus soli, & sine eo vel manducare de pane illo, vel bibere de generatione illius vitis veræ:* Juxta Origen. tr. 35. in Matth. *Deum in nobis habitare* per Eucharistiam Dionysius contendit. d. incor. sang. Christi. Sequitur *Sanctificatio*: Nam juxta Cypr. in orat. Dom. §. 13. *ideo panem nostrũ i. e. Christum dari nobis quotidie petimus, ut, qui in Christo manemus, & vivimus, à sanctificatione ejus & corpore non recedamus.* Imitatus Clementem Alex. l. 2. pæd. c. 2. Sic enim hic: *Eucharistiæ qui per fidem sunt participes, sanctificantur*

(3.) *Effectus* ut remissio peccatorum

lætitia cordis:

vita Spiritualis

unio mystica

Sanctificatio;

ctificantur & corpore & anima, cum divinum temperamentum (ὁ θεῖον κρᾶμα) *hominem scilicet divina voluntas Spiritu & verbo mysticè contemperaverit. Etenim veræ quidem Spiritus animæ, quæ ab ipso fertur, conjungitur, & familiaris efficitur;* ἡ δὲ σὰρξ τῷ λόγῳ: *caro autem verbo.* Illustris locus est, ex quo apparet, non modo vera unio, sed etiam communio, dum ex Christo accipimus fruentes sanctitatem. *Solatium* hoc ingens fuit Andronico Martyri, qui propterea prædicavit: *Habeo Christum Filium Dei in me.* referente Baron. an. 290. §. 26. Potest tamen inhabitans expelli & amitti: Id quod indigitat Cypr. de hab. virg. §. 2. *Demus operam,* inquiens, *ne quid immundum & profanum templo Dei inferatur, ne offensus sedem, quam inhabitat, derelinquat.* Tandem est *resurrectio*, vi Christi inhabitantis: Nam *per ipsum & in ipso resurgemus:* juxta Cypr. d. Mortal. §. 15.

Solatium

Resurrectio

§. 54. Terminus regni gratiæ est *Mors*: Quæ (1.) *vocatur naturæ delictum* à Tertulliano de ani. c. 53. *redditio* à Cypr. de oper. & eleemos. §. 24. Et (2.) *describitur* à Tert. l. c. quod sit *discretio corporis animæq; divortium* (3.) Dividitur in ordinariam, s. naturalem, & extraordinariam s. violentam. à Tert. c. 52. l. c. (4.) *Caussa* meritoria est peccatum, ut adeo omnes homines sint morti obnoxii: *Quid enim nobis in hoc mundo non commune cum cæteris, quamdiu adhuc secundum legem primæ nativitatis manet caro ista communis? Quod neq; isthic in mundo sumus, cum genere humano carnis æqualitate conjungimur, spiritu separamur.* ita Cyprian. d. mortal. §. 5. ad quæstionem propositam: Cur *nobis cum cæteris mortalitas communis sit?* Differentia tamen inter mortem piorum & impiorum est: *Mortalitas enim ista, ut Judæis & Gentibus, & Christi hostibus pestis est; ita Dei servis salutaris excessus est:* §. 11. *Ad refrigerium justi vocantur, ad supplicium rapiuntur injusti: datur velocius tutela fidentibus, perfidis pœna.* Quo ipso indigitat duo tantum post mortem defunctorum loca, Cœlum & infernum, istud piis, hunc impiis destinatum: *Quando isthic excesserit, pœna jam sola superest ad dolorem:* juxta eundem advers. Demetr. §. 15. Et §. 16. *Intra unam domum boni & mali interim continemur; Quidquid enim intra domum evenerit pari sorte perpetimur; donec ævi temporalis fine completo ad æternæ vel mortis vel immortalitatis hospitia dividamur.* Confer §. 1. 4. de immort. &

Mors
(1.) Nomina
(2.) descriptiones
(3.) Divisio
(4.) Caussa

Tertul.

Tertul. c. 4. de anim. Exsulat ergo purgatorium: *Quando enim isthic excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus; hic vita aut amittitur, aut tenetur: hic saluti æternæ cultu Dei & fructu fidei providetur.* Cypr. ad Demet. §. 22. Quare l. c. *hortamur, ait, dum facultas adest, dum adhuc de seculo superest Deo satisfacere:* Quod vero *animam* concernit, *immortalis* est. Cum Arabes quidam assererent, animas cum corpore mori, & demũ in resurrectione redire, Orthodoxi Episcopi, & Origenes mascule sese opposuerunt, referente Euseb. lib. VI. hist. c. 30. Ex quo fundamento Cyprianus §. 14. de immortal. monet, ne mortuos *ut extinctos & perditos lugeamus*: Probatur autem immortalitas ista ex Matth. X. 28. XXII. 32. Novat. d. Trinit. c. 20. Exitura acrius intelligit anima, juxta Tertul. c. 53. de anim. Soluta ante diem extremum non revertitur ad mortales: ut *præstigias* Tertullianus §. 7. judicet, si quæ apparere visa fuerit: Et quia objicere solent Samuelem Sauli exhibitum, regerit. *Absit, ut animam Sancti, nec dum prophetæ, à dæmone credamus exstructam, sed acti, quod ipse Satanas transfiguretur in Angelum lucis, eo Deo se asseveraturus, signaq; portentosa editurus ad evertendos, si fieri posset, electos*: Quæ & Pionii Martyris sententia fuit, referente Rainoldo in cens. libb. Apocryph. prælect 89. p. 1085. Defuncti lugendi sunt, juxta Cypr. de lapsi. §. 25. nec tamen immodicè. §. 15. Corpora defunctorũ non sunt comburenda, sed sepelienda, juxta Minuc. Felic. p. II. Etsi autem non necessarium sit propria habere Mausolea, juxta sententiam Dionysii Thaumaturgi apud Gregorium Nyssenum in vita; attamen nec abijciendum erit corpus, ut bestiarum solent cadavera, quam inhumanitatem in Heraclito castigat Orig. lib. V. & VIII. adv. Cels.

§. 55. IV. *Status Glorificationis.* Est certò futurus. *Regnum Dei, fratres dilectissimi, esse cœpit in proximo, præmium vitæ & gaudium Salutis æternæ, & perpetua lætitia, & possessio paradisi nuper amissa, mundo transeunte, jam veniunt, jam terrenis cœlestia, & magna parvis, & caducis æterna succedunt. Quis hic anxietatis* & *solicitudinis locus est? Quis inter hæc trepidus & mœstus est, nisi cui spes & fides deest?* verba sunt Cypr. d. mortal. §. 2. Ut autem distinctè procedamus IV. Statu Glorificationis.

§. 56.

incipit (1.) cum *resurrectione* §. 56. Sit (1.) *resurrectio*, à quâ principium est Status perfectè gloriosi, quod Dionysius Alex. lib. 1. de promis. disputat adversus errorem Nepotis Chiliastæ. *Distinguendum* autem est inter resurrectionem Spiritualem & corporalem cum Tert. c. 22. de resur. Quæstio enim est de hac, non de ista; Item inter resurrectionem, & μετεμψύχωσιν: Istam vocamus reditum ejusdem animæ ad idem corpus suum, id quod ipsa vox subindicat resurrectio: *Re enim syllaba iterationi semper adhibetur. Igitur resurgere non est nisi ejus, quod cecedit: Iterum enim surgendo, quia cecidit, resurgere dicitur.* Tert. l. 5. contr. Marc. c. 9. Hanc vero conjunctionem animæ cum diverso corpore. vid. Apol. c. 48. Quæstio est non de hac; sed de ista. Etiamsi enim stoici statuerint, ut & Platonici, exacto magno anno omnia ad pristinum statum esse reversura, adeoque proximè ad sententiam Christianorum accesserint, judice Orig. l. 5. adv. Cels. p. 245. meliores *nominetenus tantum Christianis*, eodem censore; neque tamen idem prorsus est, quod
cujus explicatur Christiani credimus νοηθέν τι περὶ τῆς ἀναστάσεως μυστήριον *cognitum de resurrectione mysterium.* vide Tertul. c. 1. de res. Hujus beneficii
(1.) Efficiens (1.) *Efficiens* est Christus, quem *habemus in cœlis Dominum, spem resurrectionis nostræ, sermonem qui vivificat, in quo & vivificamur*, ut est
(2.) Subjectum. Andronici confessio apud Baron. an. 290. §. II. (2.) *Subjectum* quod est homo, quo est idem numero corpus, *in sua corpora revertentibus animabus* Tert. c. 33. de ani. idque justitia Dei exigente: *Satis ingratus & injustus Deus est, si non & hanc* (corporis) *substantiam resuscitaturus est, in qua pro fide ejus tanta tolerantur; in qua & mors Christi circumfertur, in qua & eminentia virtutis consecratur:* Tert. lib. V. adv. Marc. c. 9. confer. c. 10. seqq. resur. c. 17. 54. seqq. Minuc. Felic. p. m. 11. Non anima; Nam damnati sunt Arabes hæretici, cum & animam resurgere docerent. Euseb. lib. VI. hist. c. 3. Confer Tert. de resur. c. 52. & 62. Diversis tamen qualitatibus affectum erit corpus: *Credentes resurrectionem mortuorum, dicimus mutari qualitates corporum*, cum Orig. lib. IV. adv. Cels. p. 202. Confer lib. V. p. m. 246. ubi idem ex professo agit adversus Celsum, qui resurrectionem mortuorum inde oppugnabat, quod incredibile sit, animam purissimum spiritum in corpus tam fœtidum reverti: Origenes igitur

tur ex 1. Cor. XV. 35. seq. ostendit, quod ex corruptibili, spreto &c. futurum sit incorruptibile, gloriosum &c. (3.) *Finis* non erit corporalis voluptas: *Omnium enim est absurdissimum, dicere, præclaris facinoribus præstare divitias, & corporis sanitatem, cui nefariæ doctrinæ affixi nonnulli crediderunt fore* μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν ταῖς πρώταις ἐπαγγελίαις ἐσθίειν ἡμᾶς μέλλειν τὰ τοιάδε βρώματα καὶ πίνειν, *ut excitatis corporibus in vitam reduces juxta primas illas promissiones, edamus hos & illos cibos, & bibamus* τινὲς καὶ τὸ τεκνοποιεῖν, *aliqui, ut liberos etiam generemus:* verba sunt Orig. comm. in. Rom. Phil. c. 26. Feriunt hæc Chiliastas, qui corporale Christi regnũ post resurrectionẽ somniabant. (4.) *Exceptiones* & *objectiones* adversariorum proponit & diluit c. 5. de resur. seqq. *Excipiebant*, dicta scripturæ loqui de resurrectione spirituali, non corporali; & ut hoc obtinerent, *objiciebant*, ignobiliorem esse carnem, quam quæ resuscitetur, & cœlum intret; nec tantam esse Dei potentiam, quæ ex pulvere & cinere restauret corpus: At, qui indigna sit caro? cum Deus eam crearit, suaq; manu formarit, & elaborarit ex limo, imo eadem ab ipso λόγῳ in hypostasin Divinam sit assumpta in incarnatione: Et, qui Deus non possit corpus resuscitare, qui æque stupenda & præstiterit, & promiserit? Hæc & similia Tertullianus l. c.

(3.) Finis

(4.) Exceptiones.

§. 57. (2.) *Judicium extremum.* Cujus (1.) *Futuritio* ex Patribus palam est. Origenes t. 3. in Gen. l. 14. vocat κυρηγμένην θεοῦ κρίσιν *deprædicatum Dei judicium* Cypr. ad Demetr. §. 17. *retro*, ait, *est judicij dies, quem scriptura sancta denunciat* Isai. XIII. 6. Etsi quo præcise tempore futurum sit, ignoretur: *Diem* enim *solus Pater novit, ut pendula exspectatione solicitudo fidei probetur, semper diem observans, dum semper ignorat, quotidie timens, quod quotidie sperat.* Tert. c. 33. de anim. Plerique tamen Patrum censuerunt, finito millenario VIto. venturum esse. vide Photium cod. 234. *Vapulant* igitur *Epicuræi*, qui ad perterrefaciendos modo homines à Theologis effictũ hoc judicium calumniabantur, refutati ab Orig. lib. IV. cont. Cels. p. 167. Sed & *Astrologi* astris omnia tribuentes: *Sic enim illud prædicatione celebratum terribile Dei judicium, poenarum minæ sceleribus intentæ, præmia bonis cum sempiterna beatitate promissa evanescunt; Quod enim horum jure demum fiat?* idem disserit ad Gen. I. Hoc vult, si omnia fato irresistibili fiunt, nemo vel præmiis, vel suppliciis

Judicium extremum

(1.) Futurum.

(2.) Administrandum. dignus erit : liberum enim arbitrium tollitur. (2.) *Administratio* erit Christi, Cypr. ep. 63. *habe tu literas meas, & ego tuas, in die judicii ante tribunal Christi utraq; recitabuntur*, qui judex futurus est hominum; *Nam ad extremum judicium sistentur omnes homines :* Orig. lib. III. adv. Cels. p. 151. & omnium hominum cogitator. dictor. factor. lib. IV. p. 200. *Credentibus præmium vitæ æternæ dabit, incredulis æterna supplicia gehennæ ardoribus irrogabit :* juxta Cypr. §. 20. ad Demetr. Omnia juste : *Deus judicabit plenius, quia extremius per sententiam æternam tam supplicii, quam refrigerii :* ait Tert. c. 33. de anim: Idque juxta normam à Christo prædictam : *Verbum explicata veritate ostendit hominibus altitudinem salutis, vel ut salvi fierent, ducti pœnitentia; vel judicarentur, si non obediissent.* Clem. Alex. προτρ. f. 72. Sed de hoc plenius postea.

Consummatio seculi (1.) Notitia

§. 58. Habito judicio succedit (3.) *Consummatio mundi.* Hujus (1.) *notitiam* Christiani minime acceperunt ex gentilibus, ut quidem Celsus Epicuræus calumniabatur, eo quod scripta Mosis & Prophetarum sint longè antiquiora gentilium Philosophis : Orig. l. IV. p. 176. Gentiles igitur potius παρὰ τῶ ἀρχαιοτάτε ἔθνες ἑβραίων λαβῦσι *ab antiquissima Judæorum gente acceperunt :* lib. V. p. 240. Etsi minus sincerè tradiderint suis, quod ex variis erroribus apparet. (2.) *Quidditatem* expressit Tertul.

(2.) Quidditas c. 34. advers. Hermog. cum scribit : *omnia ex nihilo constitisse illa dispositio suadebit, quæ omnia in nihilum redactura est.* Probat sententiam ex SS. literis : *Siquidem & cœlum convolvetur, ut liber, imò nusquam fiet cum ipsa terra, cum quo primordio factum est.* Origenes lib. IV. adv. Cels. agnoscit τὴν τῦ κόσμε φθορὰν *mundi corruptionem.* Cypriano contr. Demetr. §. 19. *mundi finis in proximo est.* Quæ testimonia non de renovatione aliqua, sed essentiali

(3.) Caussalitas. abolitione loquuntur. (3.) *Caussalitatem.* Concursum siderum nonnulli Ethnicorum Philosophi censebant caussam fere conflagrationis; sed malitiam hominum substituit Orig. lib. IV. adv. Cels. Confer lib. 1. περ. ἀρχ. c. 6. & l. 3. c. 6. Minuc. Felic. p. m. 11.

Vita æterna. (1.) certitudo

§. 59. *Vita æterna.* Hujus 1. *certitudinem* habet homo fidelis, *fides* enim *integra secura est de salute :* scribit Tert. de bapt. eaque ex

ex ſcriptura; Etſi enim Gentiles quoque aliquid ejus ſciverint, id tamen vel ex traditione habuerunt, juxta Orig. l. VII. adv. Celſ. p.m. 351. ſeqq. vel minus firmiter crediderunt: judice Minucio Felice p. II. dial. 2. *Meritoria* & *efficiens* cauſſa eſt Chriſtus, quippe qui ἐλεεῖ *miſeretur*, *caſtigat*, *hortatur*, *admonet*, *conſervat*, *cuſtodit*, *& doctrinæ mercedem* ἐκ περιουσίας *ex redundantia quadam copia nobis regnum cœlorum promittit, hunc ſolum fructum percipiens ex nobis*, ὃ σωζόμεθα *quod ſalvi ſimus.* juxta Clem. Alex. προτρ. f. 5. Ex gratia igitur; *Habes ergo promisſionem*, *habes benignitatem*, τῆς χάριτος μετάλαμβανε *evade gratiæ particeps.* eodem monitore: *à Jeſu Chriſto h. e. Dei verbo & ſapientia virtuteq; promiſſum finem beatum*, καὶ δωρεᾷ θεοῦ ἀπαντησόμενον *gratuita Dei benignitate poſt vitam innocenter actam repræſentandum cunctis*, *quicunq; indivulsè adhæſerunt charitati Dei*, merito ſtatuit Orig. lib. III. adverſ. Celſ. ſub fin. Et Cyprianus d. oper. & eleemoſ. §. 8. *Vita æterna cruore Chriſti eſt pretioſa.* Ex quibus teſtimoniis patet, quod vita æterna detur ex gratia propter meritum Chriſti, ut ſit κληρονομία οὐρανῶν *hæreditas cœleſtis*, juxta Clem. Alex. f. 8. προτρ. Et non propter noſtra, quod Cyprianus §. 4. d. orat. Dom. declarat exemplo Publicani, qui *ſpem ſalutis non in fiducia innocentiæ ſuæ proſuerat*, & juſtificatus eſt. Adeo, ut ne martyres quidem ſuo merito ſalventur: quod idem ex Rom. VIII. 18. probat lib. III. de teſt. §. 17. (3.) *Organum* eſt fides: quippe quæ homines conſtituit *hæredes divinæ promisſionis*, juxta Clem. l. 2. ſtrom. f. 364. ut vel ipſi Judæi fatentur, οὐκ ἂν ἄλλως σωθῆναι, μὴ οὐχὶ ὡς Ἰησοῖ πεπιστευκότας, *non aliter ſe ſalvari*, *niſi per fidem in Chriſtum*: προτρ. f. 55. Idem *pro modica fide* ſcribit, *dedit tibi* (Deus) *in cœlos mittere coloniam.* f. 71. Confer Baron. an. 290. §. 22. Origenes probat ex Joh. XVII. 3. *ſciant*, inquiens, *Chriſtiani, æternam vitam conſiſtere in cognitione unius veri Dei*, *& ab illo miſſi Jeſu Chriſti.* Erat igitur communis hæc doctrina Chriſtianorum. Idem addit, *ſola* fide nos ſalvari: Comm. in ep. ad Rom. t. 2. opp. f. 330, lit. H. 4. Illa tamen fides vera eſſe debet; quod cognoſcitur ex fructibus, nempe bonis operibus: *quare quando audierimus: fides tua te ſalvam fecit*, *non accipimus eam dicere abſolutè eos ſalvos futuros*, ὁπωσοῦν πιστεύοντας, *qui quomodocunq; crediderint*, ἐὰν μὴ καὶ τὰ ἔργα ἐπακολουθήσῃ *niſi opera quoq; fuerint conſecuta*; cum Clemente

(2.) Cauſſæ, ut efficiens meritoria

organica

materialis. Alex. l. VI. strom. f. 668. sentimus. *Subjectum* est homo & quoad animam, & quoad corpus: De ista non est controversia, sed de hoc, quia Marcionitæ corpori salutem denegabant, in quos invehitur Tertul. lib. 1. adv. Marc. c. 24. contrarium probans ex baptismo, martyrio, incarnatione Christi, quorum beneficiorum & passionum particeps sit corpus, cur non & salutis? Oportet autem hominem credere, & in fide vera perseverare: *Fides* enim *ipsa & nativitas salutaris non accepta, sed custodita, vivificat. Nec statim consecutio, sed consummatio hominem Dei servat.* juxta Cypr. ep. 7. §. 2. hoc vero est non nostrum, sed Dei, opus: *Non solum enim ad id, ut honestus & bonus fiat aliquis, opus est voluntate nostra, & divina ope conspirante, quæ, quantum ad nos, arbitraria non est, sed ad id etiam, ut, qui honestus & bonus evasit, in virtute perseveret*: juxta Orig. Comm. in Psal. IV. Philocal. c. 26. Nec denegatur, nisi homini petulanter respuenti, quod idem disputat lib. V. adv. Cels. p. m. 247. Eventualiter soli electi salvantur. *Quomodo* enim *peregrino permissum sit* (in Cœlum) *ingredi: sed quando, ut puto, inscriptus, & civis effectus,* (ἐγγραφῇ καὶ πολιτευθῇ) *fuerit, & patrem acceperit, tunc erit in numero filiorum Patris,* τότε κληρονομῆσαι καταξιωθήσεται, *tunc dignus habebitur, qui hæreditatem adeat, tunc germano & dilecto regnum Dei impertietur.* juxta Clem. Alex. προτρ. f. 3. Hæc tamen electio, & electionem concomitans inscriptio, non est absolutè, sed ex prævisione fidei facta: *Unumquodque* enim *vas, ut vel ad honorem à creatore formaretur, vel ad contumeliam, ex seipso caussas & occasiones præstitit Creatori*: Censet Orig. lib. 3. περ. ἀρχ. c. 1. Minus ad palatum Bezæ in c. IX. ad Rom. Imo invehitur Origenes in eos, qui *naturas inducant perditas, quæ servari non possint, & alias salvas, quæ perire nullo modo possint.* vide Vos. hist. Pelag. §. 8. Ulterius mentem Origenes illustravit suam comm. in ep. ad Rom. 1. ubi inter alia notanter scribit: *Justificationis & vocationis principium electio non est (si enim hæc principium esset eorum, quæ sequuntur, haud dubiè vincerent, qui absurdam naturæ rationem comminiscuntur)* ἀνωτέρω δέ ἐστι τοῦ προορισμοῦ ἡ πρόγνωσις, *sed ante prædestinationem prænotio est.* Probat ex Rom. VIII. 28. seqq. *Quos enim,* ait Apostolus, *prænovit, hos & prædestinavit conformes imagini Filii Dei. Deus igitur, qui futurorum seriem prospexit, & libertatis nostræ propensionem cognovit, & aliquorum ad pieta-*

tem

tem impetum, affectumq́; post hanc propensionem, quodq́; ij se totos virtuti daturi essent, ipsos prænovit, γινώσκων μὲν τὰ ἐνιςάμενα, προγινώσκων δὲ τὰ μέλλοντα, *cognoscens quidem præsentia, præsciens vero futura, & quos ita prænovit futuros conformes imagini Filii Dei, prædestinavit.* Hæc ille, & plura alia l.c. in hanc sententiam; bonis mala miscens, cum quib⁹ confer, quæ supra in Theol. de scientia Dei præmisimus. (5.) *Forma* Formalis.
erit beatitudo non corporalis, ut Nepos Chiliasta sensit, *exigua & mortalia præmia, qualia ab hominibus in hac vita exspectare solemus, in regno Dei fore,* uti sententiam ex Dionysio refert Euseb. lib. VII. 19. (24.) Sed cœlestis, consistens in contemplatione Dei: *Qui enim sunt mundi corde Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attigerint.* juxta Clem. Alex. l. 5. strom. confer προτρ. f. 74. in assimilatione Dei, uti Dionysius apud Euseb. l. c. meminit ἐπισυναγωγῆς καὶ ὁμοιώσεως, *Consociationis & assimilationis cum Deo.* In luce perpetua, apud Cypr. orat. §. 27. in quiete & securitate, de mortal. §. 3. in consortio beatorum. §. 18. in pulchritudine corporum; vide Baron. an. 262. §. 14. *Gradibus* tamen diversis: juxta Clement. Alex. l. VI. strom. f. 667. 668.

§. 60. *Mors æterna.* dicitur ignis æternus à Pionio Con- *Mors æterna.*
fessore in actis apud Metaph. die 1. Febr. Baron. an. 254. §. 8. Gehenna: quam vocem explicat Origenes lib. VI. contra Cels. p. m. 292. Fore mortem & ignem æternum ipsi gentiles non omnino negarunt. Tert. Apol. c. 49. Caussa est *incredulitas.* Clem. Alex προτρ. f. 55. ait: *Non dicuntur ingredi in requiem* διὰ τὴν ἀπιστίαν *propter incredulitatem, priusquam ipsi Mosen successorem consecuti, sero tandem dicant, se non posse aliter esse salvos, quamsi Jesu crediderint.* Et in genere peccatum, Rotunde idem f. 71. scribit: θάνατος γὰρ ἀΐδιος ἁμαρτία, *mors enim æterna est peccatum.* Hæc ille. Confirmat idipsum Origenes lib. V. contra Cels. p. m. 267. Exposito enim, quod Christus missus esset, ut omnibus Dei voluntatem annunciaret, & salutem offerret, subjungit: *Qui hoc tam felix nuncium repellerent, scirent se suapte culpa* ὡς ἑαυτοὺς μακρυνόντων ἀπὸ τοῦ θεοῦ, καὶ ἐπὶ τὴν ἀπώλειαν, διὰ τὴν περὶ θεοῦ ἀπιστίαν ὁδευόντων *per incredulitatem alienatos à Deo properare ad interitum. Apostasia:* unde Theonilla martyr, jussa pœnas timere, respondit: *Ego illum timeo, qui potestatem habet animam & corpus mittere in gehennam ignis, qui crematurus est eos,*

qui deficiunt à Deo, & colunt dæmones. vide acta Proconsularia apud Baron. an. 285. §. 12. Et Tharacus alius martyr, cum Præses ignem ipsi comminaretur, respondit: *ignem tuum temporalem non timebo; timeo autem, si forte consentiam* (idololatriæ) *tibi, ne ignis æternus dominetur mihi.* an. 290. §. 14. Iterum §. 17 dicit, ignem paratum esse diabolis, & *qui voluntatem ipsorum faciunt. Inobedientia.* Clem. Alex. lib. 1. pæd. c. 9. ponit: *At Deo non obedis? Ejus rei culpam tibi adscribe, qui judicem attrahas. Subjectum* est homo, ab æterno reprobatus, neque tamen sine intuitu peccati. *Dei* enim *boni non est, nondum merentes prædamnare*, scribit Tertul. l. 2. adv. Marc. c. 23. *Duratio* est æterna. *manet carcer æternus, & jugis flamma, & pœna perpetua, nec audietur illic rogantium gemitus*, ait Cypr. ad Demetr. §. 7. & 21. *Dicis*: qui æternus fuerit ignis, cum corpora comburat? ℞. Methodius in libro de resur. per instantiam ab aliqua stirpe pyragno sumptam, quæ in medio igne floreat: ita corpora hominum in igne mansura incorrupta.

Ecclesiæ (1.) Nomen

§. 61. Cœtus talia credentium vocatur *Ecclesia.* Cujus (1.) *vox* ab evocando dicitur. Et quidem juxta Methodium, παρὰ τὸ ἐκκεκληκέναι τὰς ἡδονάς, *ab evocando voluptates*: in lib. d. creat. Synonyma sunt: *populus Dei* apud Clem. Alex. προτρ. f. 40. *Mater* lib. 1. pæd. c. 5. Cypr. de unit. §. 5. *Arca dominica* apud Cornelium P. R. in epistola ad Lupicinũ: *Grex Christi*: Cypr. ep. 7. §. 1. *Sponsa, quæ in salutem nostram operatur.* Clem. Alex. l. 1. pæd. c. 5. *Corpus Trinitatis* à Tert. de bapt. *Virgo mater; integra quidem & inviolata, ut virgo; Amans autem ut mater; quia suos accersens infantulos sancto lacte, nempe verbo infantili, enutrit*: apud Clem. Alex. l. 1. pæd. *Secta*: Dicit enim Cypr. præfat. ad Quirin. lib. III. se *excerpturum de scripturis sanctis quædam capitula ad religiosam sectæ nostræ disciplinam pertinentia.* Qui ad Ecclesiam hanc spectant dicuntur *Christiani*, qui *nihil aliud sunt, nisi magistro Christo, summi regis ac principis veneratores*: de finiente Arnobio lib. 1. adv. gent. p. 14. Alii alias descriptiones dant. Clem. Alex. προτρ. f. 40. *Non sumus ex iis, qui sunt inferius, sed ab eo, qui venit superne; omnia didicimus, qui Dei oeconomiam, seu carnis susceptæ dispensationem, mente comprehendimus, qui, ut in vitæ novitate ambularemus, nos exercuimus*, & fol. 53. *Primogeniti nos filii, qui sumus Dei alumni, qui primogeniti sumus.*

§. 62.

§. 62. (II.) *Divisio.* Alia est militans, alia triumphans. Ista describitur à Cypr. d. mort. §. 3. *Quid aliud in mundo*, ait, *quam pugna adversus diabolum quotidie geritur? quam adversus jacula ejus & tela conflictationibus assiduis terminatur? Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione, congressus est: cum carnalibus vitiis, cum illecebris secularibus assidua & molesta jactatio est*: Est thesauraria verbi divini, in qua est *veritas scripturarum, & omnium traditionum Christianarum*: unde facile ex opposito colligitur, quæ sit Ecclesia triumphans. Aliæ quoque sunt Ecclesiæ Apostolicæ, aliæ *soboles Apostolicarum*: Istæ sunt *matrices & originales fidei*; hæ vero *traducem fidei & semina doctrinæ* ab istis *mutuatæ* sunt. Tertul. c. 21. de præscr. 2. Divisio

§. 63. III. *Caussæ*: Et quidem *efficiens* principalis est Deus; *ministerialis* est ministerium: *instrumentalis* est verbum Dei: Discipuli Christi *in orbem profecti eandem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgarunt, & proinde Ecclesias apud unamquamq; civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & semina doctrinæ cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, ut Ecclesiæ fiant*: verba sunt Tert. c. 20. de præscr. Habes en! Christum Dominum, discipulos ministros, doctrinam medium credendæ Ecclesiæ. *Contemplemur* igitur *eam, quomodo ædificata sit in summis montibus* πάντων τῶν προφητῶν *omnium prophetarum, qui ejus fundamenta sunt.* juxta Orig. lib. V. adv. Cels. p. 252. Denuo apparet, quod verbum Dei, in scriptis etiam propheticis contentum, sit fundamentum, cui Ecclesia innititur. *Materia* autem sunt homines credentes verbo & obsequentes: Hæc est enim *primogenita Ecclesia* ἡ ἐκ πολλῶν ἀγαθῶν συγκειμένη παιδίων, *quæ constat ex multis bonis filiis*, juxta Clem. Alex. προτρ. f. 53. vel, ut lib. 1. pæd. c. 5. ait. *qui sustinuerunt testimonium.* Similes descriptiones ex descriptionibus paulo ante præmissis idem docebunt. Confer Tertul. de carne Chr. cap. 7. Cypr. ep. 55. §. 8. Hactenus igitur æquales sunt omnes, qui vera Ecclesiæ membra sunt, etsi origine sint discrepantes. Alii ex Judæis, alii è gentilibus evocabantur. vide Cypr. lib. 1. adv: Jud. c. 21. Distribuuntur etiam in aliquot ordines, de quibus audiamus Origenem lib. III. contr. Cels. p. m. 142. *Christiani, quantum possunt,* 3. Caussæ

possunt, præexaminant animos audire se cupientium; ac primo privatim incantatos, priusquam in cœtum recipiantur, ubi videntur eo profecisse, ut honestæ vitæ sint cupidi, tum demum introducunt distinctis ordinibus τάγμα τῶν ἄρτι ἀρχομένων, καὶ εἰσαγομένων, καὶ οὐδέπω τὸ σύμβολον τοῦ ἀποκεκαθάρθαι ἀνειληφότων, *altero recens admissorum, nec dum assecutorum instructionis symbolum; altero eorum qui, quantum in se est, demonstrant, sibi propositum esse, nihil aliud, nisi cum Christianis velle & sentire; Inter quos nonnulli præpositi sunt, qui in vitam & mores eorum, qui admittuntur, inquirant, ut non concessa facientes candidatos religionis arceant à suis conventibus: cœteros horum dissimiles excipiant ex animo, & quotidianis accessibus meliores faciant.* Hæc ille. *Forma* ex dictis elicitur, nempe vera fides, qua renascimur filii Dei & Ecclesiæ. *Finis* est salus hominum: *Ecclesia* enim *nos Deo servat, hæc filios regno, quos regeneravit, assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. Nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi.* juxta Cypr. d. unit. §. 5. Unde colligitur, unumquemque, si fieri possit, debere sese Ecclesiæ veræ addicere; *Habere* enim *non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem*, juxta Cypr. d. unit. Eccles. §. 5. & §. 21. *quidquid à matre recesserit, seorsim vivere & spirare non poterit, substantiam salutis amittit*, quod multi negligunt: *Pleriq; enim nec Ecclesias habent, sine matre, sine sede, vera fide extorres, quasi sibi, late vagantur.* conquerente Tertullian. in Apol. Hoc tamen intelligendum est potissimum de invisibili Ecclesia; Nam extra visibilem, necessitate cogente, potest quis esse, & tamen salvari. Clem. Alex. lib. VI. strom. f. 638.

4. Affectiones (1.) unitas.

§. 64. IV. *Affectiones.* In quibus est (1.) *Unitas*: laudata à Cypr. ep. 64. §. 4. Et de unitate Ecclesiæ peculiari libello; Et alibi sæpius, idque ideo, quod hoc tempore plurimum disceptatum fuerit de hoc attributo in controversia de baptismo hæreticorum: Urgente Cypriano cum suis locum Eph. IV. vide & Concilium Carthaginense sub finem opp. Cypriani: Cum autem unum id sit, quod est indivisum in sese, & divisum à quovis alio, ideo & Ecclesia hoc respectu una erit. *Quia Christi populus non potest scindi, tunica ejus per totum textilis & cohærens divisa à possidentibus non est: individua copulata connexa ostendit populi nostri, qui*

Christum

Christum induimus, concordiam cohærentem, Cypr. de unit. Eccles. §. 6. Ex quo loco apparet, quod Ecclesia sit (1.) *indivisa* in sese, sicut tunica Christi fuit: *Omnes* enim *Ecclesiæ primæ, & omnes Apostolicæ, dum unam omnes probant unitatem, communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio.* juxta Tert. c. 20. de præscr. Quo ipso innuit unitatis fundamentum, nempe *idem sacramentum*, seu, eandem *doctrinam*, ut illi unam Ecclesiam constituant, qui eadem fide contineantur: seu, uti Clemens Alex. προτρ. f. 56. describit, *Cum ex vocum multitudine & dispersione divina ceperit harmonia, unus fit concentus; unum chori ducem sequens, & Magistrum verbum, in eadem acquiescens veritate, dicens: Abba Pater!* Quod Tertulliano est *Sacramentum*, & *traditio*, & *doctrina*, hoc Clementi est *veritas*. Dionysius Alex. Episcopus in literis ad Stephanum Rom. Episcopum ex hoc ipso fundamento laudat unitatem Ecclesiæ a Novatianismo liberatæ: *Jam scito omnes orientales Ecclesias, quæ antea fuerant propter errorum perversitatem nonnulla dissensione distractæ, ad concordiam denuo esse reductas: Omnes etiam Ecclesiarum præsides, qui ubiq; locorum sunt, summo animorum consensu conspirare, & ob pacem hanc præter omnium exspectationem constitutam, incredibili lætitia affici.* Exprimit *summum animorum consensum*, ut doceat, non consistere unitatem in verbis, sed in animorum sensibus. (2.) *Divisa à quovis alio cœtu heterodoxo.* Cyprianus vult, ne quidem *loquendum esse cum hæreticis.* lib. III. de test. ani. §. 78. Et probat ex Tit. III. 10. 11. Confirmat §. 8. de unit. Eccles. *Gratulandum est*, ajens, *cum tales de Ecclesia separantur, ne columbas, ne oves Christi sæva sua & venenata contagione prædentur. Cohærere & conjungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas.* Ipse igitur genius hominum, diversa religione imbutorum, sibi invicem repugnat, ut coire non possint. Praxis id abundè illustrat. Tertullianus in apol. docet, Christianos gentilium quidem lavacris, sed non cæremoniis esse usos; notante Rhenan. f. 410. in Tert. Origenes, etsi studiosus adhuc, noluit tamen cum Paulo hospite suo, alias benigno, sed heterodoxo, sacris & precibus interesse, referente Euseb. lib. VI. hist. c. 3. idem invehitur in eos, *qui, cum*

Christiani essent, solennitates gentilium celebrabant, & anathemata in Ecclesias introducebant. hom. 7. in Gen. Idem ne quidem in justa caussa patrocinari volebat hæreticis adversus Celsum, *ne imbecilliores ansam inde arriperent declinandi ad deteriora dogmata*: uti caussam reddit lib. VII. adv. Cels. Cum synodus Africana haberetur, & Privatus quidam hæreticus interesse vellet, exclusus inde est, scribente Cypr. ep. 55. Cum Dionysius Alex. legeret scripta hæreticorum, erant inter fratres, qui ipsum dehortarentur, censentes λυμαίνεσθαι τὴν ψυχήν, *pollui animam legentis*, sicut ipse refert in literis ad Philemonem apud Euseb. lib. VII. hist. c. 6. Idem narrat, quod Heraclas Alex. Episcopus conversatos cum hæreticis ne quidem recipere voluerit, nisi prius professos, quid apud istos vel vidissent, vel audivissent. Sed nec ipse Dionysius dignatus est Samosatenum, ut literas ad ipsum perscriberet. c. 24. Cyprianus objurgavit Martialem Hispanorum Episcopum, quod *sepulchris gentilium* usus fuisset. ep. 78. Vapulat igitur *Syncretismus*: apud Tert. de præscr. c. 41. *Pacem*, ait de hæreticis, *passim cum omnibus miscent. Nihil enim interest illis, licet diversa tractantibus, cum ad unius veritatis expugnationem conspirent.* Januarius: *Si non obtemperat error veritati, multo magis veritas non consentit errori*: Et Lucianus Rucumensis, alius in eadem Carthaginensi synodo Episcopus, *scriptum est*, inquit, *& vidit Deus lucem, quia bona est, & divisit inter lucem, & tenebras. Si potest luci & tenebris convenire, potest nobis & hæreticis aliquid esse commune.* Objiciebat quidem Celsus Epicuræus: *Deus omnibus communis est, bonus, nullius indigus, invidens nemini; Qui igitur vetet sacratissimum quemq; cum aliis frui festo publico?* R. Orig. lib. VIII. p. m. 392. Deum gentilium superstitiosa festa non instituisse, nec idolothyta approbasse. 1. Cor. VIII. 4. seqq. quare ab ipsorum usu & communione esse abstinendum. Tertullianus lib. 2. adv. Marc. c. 1. urget argumentum à damnoso: *Non potest ædificare mendacium, sine demolitione veritatis. Aliud subruere necesse habuit, ut, quod vellet, exstrueret.* Cum igitur veritati, quoad in nobis fuerit, suppetias ferre deceat, decebit & mendaciis erroribusque sese opponere. Origenes lib. III. adv. Cels. p. m. 160. promittit vitam æternam observantibus εὐσέβειαν εἰλικρινῆ, καὶ καθαρὰν,

καὶ ἀμι-

καὶ ἄμικτον, pietatem sinceram, & puram, & alieno errore non mixtam. Unde patet quantum puritati Ecclesiæ, & religionis tribuerint veteres Christiani. Hæc tamen non eo trahenda sunt, quasi propter quævis delicta unio & communio Ecclesiæ statim relinquenda sit. Cyprianus enim *tolerandos potius in Ecclesia malos, quam propter eos Ecclesiam deserendam & præcepto admonuit, & suo confirmavit exemplo*: referente Augustino tom. VII. lib. adv. Donatist. c. 29. imprimis si impii sint occulti & hypocritæ: vide eundem Cyprianum epist. 54. quod adversus Puritanos & Anabaptistas notamus.

§. 65. (2.) *Sanctitas.* Fluit ex vera doctrina, tanquam ex fonte rivus. *Ubi* enim *Deus, ibi metus in Deum, qui est initium Sapientiæ; ubi metus in Deum, ibi gravitas honesta est; & diligentia adtonita, & cura solicita, & adjectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subjectio religiosa, & apparitio devota, & processio modesta, & Ecclesia unita, & Dei omnia. Proinde apud nos hæc testimonia disciplinæ ad probationem veritatis accedunt.* Tert. d. præsc. c. 43. Et Origen. lib. 1. adv. Cels. nomen. s. doctrina Jesu *miram quandam mansuetudinem, morumq; honestatem, humanitatem, bonitatem, placiditatem omnibus, qui non propter vitæ curas, humana, alias ve necessitates, sed ex animo amplectuntur prædicationem Dei, Christiq; atq; futuri judicii*, confer lib. III. p. 152. His & similibus virtutibus prædicti vocantur *Sanctissimi*, ut Cyprianus à Donato: Ecclesiaque tota *incorrupta & pudica*, à Cypri. §. 5. de unit. Eccles. Sed quia de virtutibus in renovatione hominis superius, & inferius in forma externa ulterius, etiam de aliis Sanctitatis momentis, locuturi sumus, hac vice subsistimus. (2.) Sanctitas.

§. 66. (3.) *Catholicismus.* Laudatus à Cypriano ep. 64. §. 4. Fructuoso Episcopo Tarraconensi apud Baron. an. 262. §. 59. & 66. Pionio apud Metaphrasten die 1. Febr. Patribus Antiochenis in literis ad Paulum Samosatenum. Est. 1. *doctrinæ*, quod innuunt Patres Antiocheni in literis ad Paulum Samosatenum, disputantes pro mysterio Trinitatis, *quod acceperint à principio, habeantq; traditam & servatam in Catholica & sancta Ecclesia, usq; in hodiernum diem à beatis Apostolis, qui viderunt ipsi & ministri fuerunt verbi, prædicati ex lege, & Prophetis, ac Novo Testamento.* Quo ipso (3.) Catholicismus.

respectu dicitur & *Apostolica* Ecclesia: Sic enim Tertullianus: *Ad formam doctrinæ provocabant, quæ, licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quæ denique in eadem quotidie instituantur, tamen fide conspirantes, non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. Ac per hoc*, ita pergit idem, *& ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Ecclesiarum Apostolicarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ unam esse illam ab Apostolis primam: ex qua omnes. hic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum unam omnes probant unitatem.* Nota Apostolicas dici Ecclesias quotquot doctrinam ab Apostolis prædicatam, & in scriptis ipsorum contentam, approbant, etsi serius collectæ fuerint. Quare & nostra hodierna Evangelica est vera & Apostolica Ecclesia, quia recipit doctrinam ab Apostolis orbi annunciatam. Perinde etiam Catholicæ dicebantur particulares Ecclesiæ, *omnes Ecclesiæ Catholicæ nobiscum consentiunt*, scribunt Patres Antiocheni ad Samosatenum, innuentes, plures esse Ecclesias Catholicas, nempe particulares. Strictissima est significatio, cum pro iis Apostolicæ sumuntur Ecclesiæ; in quibus ipsi docuerunt Apostoli, literasve eò miserunt, quo sensu Corinthiaca, Philippensis, Romana &c. Apostolicæ dicuntur. vid. Tertul. de præscr. (2.) *Hominum*, doctrinam orthodoxam recipientium: Gentiles enim *vociferabantur, obsessam civitatem in agris, in castellis, in insulis Christianos; omnem sexum, ætatem, conditionem, etiam dignitatem, transgredi ad hoc nomen quasi detrimento mœrent.* Tert. apol. c. 1. Confer Euseb. lib. VIII. hist. c. 1. Neque igitur hi erant omnes de fece plebis, ut quidem Celsus calumniabatur, sed & eruditione, dignitatibus, divitiis præstantes, ostendente Origene lib. 1. cont. Cels. p. 22. lib. III. p. 139. l. VI. p. 285. Arnobio lib. II. adv. gent. p. 44. Ipsi Imperatores & imperatrices Christianis favebant, si vera sunt, quæ de Philippo Cæsare refert Euseb. lib. VI. hist. c. 29. deque Mammæa Alexandri matre imperatrice ab Origene informata. c. 15. & lib. VIII. c. 1. cum quo conferatur Origenes ipse lib. III. advers. Cels. p. 117. Potest autem Ecclesia consistere vel in tribus, etiam Laicis. Nam *in uno & altero Ecclesia est.* juxta Tert. c. 10. de poenit. *Sed & ubi tres, Ecclesia est, licet Laici. Unusquisque enim de fide sua vivit.* de exhort. ad cast. c. 7. (3.) *Locorum.*

Religio

Religio enim Christiana amplissimè sese diffudit: *Christi* enim *regnum & nomen ubiq; porrigebatur, ubiq; credebatur, ab omnibus gentibus supra numeratis colebatur, ubiq; regnabat, ubiq; adorabatur*: juxta Tertullianum; numeraverat autem *Ægyptios, Afros, Romanos*q; *Judæos, Getulos, Mauros, Hispanos, Gallos, Britannos, Sarmatas, Dacos, & Germanos, & Scythas, & abditas multas gentes, & provincias & insulas multas*. Idem facit Dionysius Alexand. in literis ad Stephanum P.R. apud Euseb. lib. VII. hist. c. 4. recensitis *Asiæ* illustrioribus Ecclesiis: Sicut Tertullianus *Europæas*, & suas *Africanas* expresserat. Suffragatur Cypr. de unit. Eccles. §. 4. *Ecclesia*, inquiens, *Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubiq; diffunditur, nec unitas corporis separatur.* Origenes lib. 1. adv. Cels. inter præcipua Christi miracula hoc refert, quod *extent apud universi orbis homines, quam late inter gentes incolunt, fundatæ per Jesum Ecclesiæ Dei*. Tertullianus lib. III. adv. Marc. c. 20. deducit hinc argumentum prò Messia; quod juxta Prophetarum oracula gentes in ipsum crediderint. Quare non absurdi sumus, si argumentum ex conversione, per Lutherum facta, solenni sumimus pro veritate doctrinæ ab ipso annunciatæ: De Christo ait Origenes: *Nescio an homo, ausus universum orbem ad sui cultum, suamq; doctrinam attrahere, potuisset sine Deo tantum successum habere, superareq; omnia suæ doctrinæ obstacula, etiam Reges, imperatoresq;, senatum ipsum Romanum, & omnes omnium populorum principes.* lib. 2. adv. Cels. p. 110. De Luthero mutatis mutandis similia dicere licet: Nescio, an homo universum Papatum ausus fuisset aggredi, & bonam ipsius partem ad suam doctrinam, quæ Dei erat, pertrahere potuisset, sine Deo successum largiente; Neque enim virtute aliqua & viribus humanis nitebatur, sed unicè verbo Dei, quo & Christi regnum conditum & stabilitum est: *Omnem* enim *humanam naturam vicit sermo prædicatus cum potentia, nec est videre ullum genus hominum, à quo hæc doctrina recepta non sit*: idem ait lib. IV. adv. Cels. Idem adversus gentiles urget Arnobius lib. II. p. 44: *Nonne vel hæc saltem*, inquiens, *fidem vobis faciunt, argumenta credendi, quod jam per omnes terras in tam brevi temporis spatio immensi nominis hujus sacramenta diffusa sunt.* &c. Confer. Tertul. de præscript. c. 28. Neque tamen prætermittendum,

dum, quod, Sapientia Dei dirigente, Romanum Imperium eo ipso tempore fuerit amplissimè diffusum, observante Origene lib. II. adv. Cels. p. 79. Et licet Barbari interdum irruptiones fecerint, attamen & hic divina providentia vigilavit; Nam Ministri Ecclesiæ in captivitatem abducti etiam inter Barbaros Christianam fidem plantabant. vide Sozom. lib. II. hist. c. 5. Niceph. lib. VIII. c. 33. (4.) *Temporum.* Nam juxta Clem. Alex. lib. 1. c. 5. Ecclesia εἰς τοὺς αἰῶνας μένει *in æternum manet*: Certe mansit usque ad finem hujus seculi, quo cœpit persecutio Diocletianæa; *Doctrina* enim *veritatis in Deum omnium rerum gubernatorem, mundo per Christum patefacta, apud omnes homines, Græcos simul ac Barbaros, ante istam* (Diocletiano auctore) *persecutionis tempestatem, quæ nostra ingruit memoria, obtinuit*: referente Euseb. lib. VIII. hist. c. 1. Hæc quidem hactenus relata potissimum sunt exempla, ut videantur spectare ad sequentia potius, quam ad hoc caput, in quo de dogmatibus agitur. Cæterum virtute continent doctrinam de Catholicismo Ecclesiæ Christianæ, quem ex propheticis vaticiniis adstruit Cyprianus lib. 1. adv. Jud. c. 20. *Vapulant* calumniæ gentiles, quibus Christianorum fides κρύφιον δόγμα *occultum dogma* traducebatur; in aperta enim luce versabatur: asserente Origene lib. 1. adv. Cels. viderint ipsi potius gentiles, quam elumbis fuerit ipsorum philosophia, etiam Platonica, quæ ne Gallieno quidem, gentili licet, persuadere potuit, Plotino sollicitante, ut civitas ad leges Platonis in Campania conderetur, ut ex Porphyrio ipso refert Baronius an. 264. §. 12.

5. Notæ. §. 67. V. *Notæ.* Sunt (1.) *prædicatio verbi divini.* Præcipuè hoc agit Tertullianus in libro de præscriptione. Cum enim inter Orthodoxos & Heterodoxos etiam quæstio esset: penes quos esset vera & Apostolica Ecclesia? Tertullianus respondit, penes eos esse, qui doctrinæ Apostolicæ adstipularentur: *Apostoli* enim *in orbem profecti eandem doctrinam ejusdem fidei Nationibus promulgaverunt, & proinde Ecclesias apud unamquamq; civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, ut Ecclesiæ fiant. Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Ecclesiarum Apostolicarum.* c. 20. de præscr.

præscr. En cur Apostolicæ dicantur? nempe *ob semina doctrinæ*, & *traducem fidei* Apostolicæ, & cap. 21. *communicamus*, ait, *cum Ecclesiis Apostolicis, quod nulla doctrina diversa, hoc est testimonium veritatis.* Iterum Apostolicas agnoscit ex doctrina, quæ eadem fuerit Apostolorum. Confer. cap. 32. Et de carne Christi. c. 2. (2.) *legitima administratio Sacramentorum.* idem enim de baptismo sic disserit: *Sufficit ad fiduciam spei nostræ etiam numerus nominum divinorum: Quum autem sub tribus & testatio fidei, & sponsio salutis pigneretur, necessario adjicitur Ecclesiæ mentio; quoniam ubi tres. i. e. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ibi Ecclesia, quæ trium corpus est*: En ubi Ecclesia sit? nempe ubi baptismus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti i. e. Sacramentum legitimè administratur.

§. 68. Pontificii varias & alias Ecclesiæ notas comminiscuntur sive veræ, sive falsæ cognoscendæ: Ut sunt. I. *Nomina*: Nam exinde, quod *Catholica* dicitur ipsorũ Ecclesia, ipsi concludunt, veram eandem esse Ecclesiam: At *de nominis appellatione privilegium gratiæ sibi nemo audeat defendere*: concludit Tertul. c. 1. adv. Jud. ex Gen. XXII. ubi & Judæi & gentiles communi gentium nomine appellantur. Certe Samosateniani, quamvis hæretici, erant tamen χρισῦ ὄνομα ἐνδεδυμένοι *nomine Christi induti*, referente Epiph. hæres. 65. *Novatianus simiarum more, quæ, cum homines non sint, homines tamen imitantur, vult Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem sibi & veritatem vindicare, quando ipse in Ecclesia non sit, imo adhuc insuper contra Ecclesiam rebellis & hostis extiterit*: ita Cyprianus scribit ad Jubajanum epist. 73. innuens, etiam hæreticos sibi nomina speciosa arrogare. Confirmat idem Lactant. div. instit. lib. IV. c. 31. *Singulares*, ajens, *quiq; cœtus hæreticorum, se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant.* Non igitur sufficit *putare* se, vel dicere, Catholicum, sed oportet *esse*. Rursus Pontificii ex nominib⁹ discretivis nos volunt Catholicismo privare; Et Calviniani ideo abhorrent ab ejusmodi nominibus, quasi à religione alienis: At, *si nominis odium est, quis nominum reatus? Quæ accusatio vocabulorum? nisi si aut barbarum sonat aliqua vox nominis, aut infaustum, aut maledicum, aut impudicum*, juxta Tertul. c. 3. Apol. Anne igitur prorsus non licebit ex nomine denominatos cense-[illegible]

& ju-

& judicare? & objurgare? licebit utique, sed tum, cum auctor, unde denominantur, vel minister malus extiterit: *Plane, si qui probat malam sectam, & ita malum etiam auctorem, is probabit & nomen malum dignum odio de reatu sectæ & auctoris. Ideoq; ante odium nominis competebat prius de auctore sectam recognoscere, vel auctorem de secta:* iterum Tertulliano differente. Quare Pontificii prius examinent Lutheri doctrinam, quam convitium nobis faciant de nomine Lutheranorum: *At nunc utriusq; inquisitione & agnitione neglecta nomen detinetur, nomen expugnatur, & ignotam sectam, ignotum & auctorem vox sola prædamnat, quia nominantur, non quia revincuntur,* cum eodem conquerimur in simili casu.

Antiquitas. §. 69. II. *Antiquitas.* Plurimum huic tribuunt Pontificij, censentes, suam esse antiquam, & nostram novitiam fidem & Ecclesiam. Cæterum etiam Ethnicis

– – – *pro magno teste vetustas*
creditur; acceptam parce movere fidem.

Et Christianis *objectare consueverunt, novellam esse religionem ipsorum, & ante dies natam propemodum paucos; neq; ipsos posse antiquam & patriam linguere, & in barbaros ritus, peregrinosque traduci.* referente Arnobio lib. 2. advers. gent. vide apud Minucium Felicem, quid putet Cæcilius Ethnicus. Quid vero ad hæc Christiani? *Neq; veritas desiderat vetustatem, neq; mendacium devitat novellitatem. Teneo plane falsum antiquitate generosum:* Ita Tertul. de anim. c. 8. & de vel. virg. c. 1. *Hæreses non tam novitas, quam veritas revincit. Quodcunque adversus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo.* Consentit Arnobius. Cum enim gentiles exciperent in controversia de veritate monumentorum, *antiquiora nostra sunt, ac per hoc fidei & veritatis plenißima;* regessit pater: *Quasi vero errorum non antiquitas plenißima mater sit, & non ipsa pepererit res eas, quæ turpißimas Diis notas ignominiosis concinnaverunt in fabulis, Ante millia enim annorum decem non potuerunt falsa & audiri & credi? aut non simillimum veri est, fidem vicinis & finitimis, quam spatiorum inesse longinquitate distantibus?* lib. 1. Quibus verbis docet, antiquitatem ex doctrina æstimandam esse, si falsa hæc & absurda fuerit, ut fuit gentilium, tum ex antiquitate nullum esse præsidium; Dari enim & errores antiquos; sicut vice versa recentior potest esse veritas. *Itaq;*, pergit lib. 2. *Cum nobis intenditis aver-*

sionem à religione priorum, caussam convenit ut inspiciatis, non factum; nec, quid reliquerimus, opponere, sed secuti quid simus potißimum contueri? At indecorum est mutare sententiam! *Si mutare sententiam culpa est ulla, vel crimen à veteribus institutis in alias res novas voluntatesq; migrare, criminatio ista & vos spectat, qui toties vitam consuetudinesque mutatis; qui in mores alios, atque alios ritus priorum condemnatione transistis.* Ejusdem est instantia, quæ etiam adversus Pontificios valet, utpote qui & ipsi multos novitios mores, ordines, interpretationes scripturæ, dogmata &c. adsciverunt. *Cujus est autem pudoris, quinimo inverecundiæ cujus, quod agere te videas, in eo alterum reprehendere? maledicti & criminis loco dare ea, quæ in te possunt reciprocata vicißitudine retorqueri?* iterum verba Arnobii nostra meritò facimus adversus novitatis calumniatores. Origenes lib. II. advers. Cels. dat instantiam à Christo: *Christus*, inquiens, *majus quiddam ausus aggredi antiquatis institutis pristinis moribusq; patriis, in quibus gentes educatæ fuerant, superinduxit novam reip. formam, ex præscriptis Evangelicis.* Ergone falsam? Absit! Lactantius rationem in subsidium vocat, *dedit*, ajens, *omnibus Deus pro virili portione sapientiam, ut & inaudita investigare possent, & audita perpendere. Nec quia nos illi temporibus antecesserunt, sapientia quoque antecesserunt, quæ si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Quare cum sapere, i. e. veritatem quærere omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine posito non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur, aut illi desipuerunt, quia majores nominantur.* l. 2. de orig. error. c. 8. Sed quid opus in re manifesta verbum addere, qui plura velit adeat Minucium Felicem in Octavio, Originem lib. I. & V. adversus Cels. Cyprianum §. 6. de idolorum vanit. Arnobium libro secundo, ubi habes responsum ad objectionem Pontificiorum: Lutherus novissimè vobis Lutheranis prædicavit, Ergo religio vestra est nova: *Quod sequimur*, respondet ille, *novum non est, sed nos sero audivimus, quidnam sequi oporteat & colere; aut ubinam convenire, & spem salutis affigere, & salutaria subsidia collocare. Nondum enim affulserat, qui viam monstraret errantibus, & caligine in altißima* (Papatus invalescentis) *constitutis cognitionis lumen immitteret, & ignorationis discuteret cæcitatem!* Ex dictis manet verum, quod idem censuit: *Religionis aucto-*

ritas non est tempore æstimanda, sed numine; nec colere quâ die, sed quid, cœperis, convenit intueri, ut inepte quærant Papistæ, quo die & consule, vel ipsi à vera religione defecerint, vel nostra olim religio ante Lutherum extiterit.

Duratio. §. 70. III. *Duratio*: Et hanc perinde jactabant Ethnici, quibus *perpetuus venerationis tenor mansit, qui longa ætate non infringebatur, sed augebatur*: gloriabatur Cæcilius Ethnicus in dialogo cum Octavio Christiano. Munnulus à Girba Cypriani sectator pro rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptismum acceperant; ita suffragium tulit: *Ecclesiæ Catholicæ matris nostræ veritas semper apud nos fratres, & mansit & manet, & vel maximè in Baptismatis Trinitate.* Nisi igitur ipsa veritas durationi subesse probetur, nihil concludes.

Amplitudo. §. 71. IV. *Amplitudo.* Urgetur & hæc à Pontificiis; sed frustra. Nam paucitas nihil veritati derogat, cum *Ecclesia etiam in uno & altero* sit, juxta Tert. d. pœnit. c. 10. Neque copia arrogat, cum *melior sit unus timens, quam mille filii impii.* apud Cyprian. lib. 1. ep. 3. Et *facilius sit errare cum pluribus, quando veritas à paucis ametur.* juxta Tert. de pudic. c. 1. Et gentiles suam Christianis exprobrabant paucitatem, sed frustra. *Neq;* enim, ait Arnobius, *res stare sine assertoribus non potest, & religio Christiana; aut eo esse comprobabitur vera, si adstipulatores habuerit plurimos; & auctoritatem ab hominibus sumpserit. Suis illa contenta est viribus, & veritatis propriæ fundaminibus nititur, nec spoliatur vi sua, etiamsi nullum habeat vindicem; imò si linguæ omnes contra faciant, contraq; nitantur, & ad fidem illius abrogandam consensionis unitæ animositate conspirent.* Hæc ille lib. III. ab init. Contra jactabant illi ipsi suam copiam: *per universa imperia, provincias, oppida, videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere, & Deos colere municipes, ut Eleusinios Cererem, Phrygas Martem, Epidaurios Æsculapium, Chaldæos Belum, Astarten Syros, Dianam Tauros, Gallos Mercurium, universa Romanos.* ita Cæcilius Ethnicus apud Minucium: an ovum ovo similius, quam hæc gloriatio Pontificiæ? & convitia convitiis? Gentilibus Christiani erant *latebrosa & lucifugax natio, in publicum muta, in angulis garrula!* Quid aliud Pontificii loquuntur, quam in uno Germaniæ angulo, nec eo toto, nos nidulari?

§. 71.

§. 72. V. *Successio.* Et hanc gentiles urgebant: *Quanto* enim, dicebant, *venerabilius ac melius Antistites veritatis majorum excipere disciplinam, religiones traditas colere, deos, quos à parentibus ante imbutus es, timere, quam nosse familiarius, adorare, nec de numinibus ferre sententiam, & prioribus credere, qui adhuc rudi seculo in ipsius mundi natalibus meruerunt Deos vel faciles habere, vel reges:* ita peroravit Cæcilius Ethnicus apud Minucium Felicem; & deduxit à prima antiquitate ad sua usque tempora gentilem religionem. Sed & hæreticis solenne erat ad successionem ab Apostolis cœptam provocare; Cæterum Tertullianus c. 32. de præsc. jubet edi catalogum Episcoporum ab eo tempore deductorum; neque hunc solum, sed vel maxime successionem fidei Apostolicæ, sine qua personalis successio nihil proficiat: *Etsi confinxerint* (personalem successionem) *nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diversitate & contrarietate sua pronunciabit, neq; Apostoli alicujus autoris esse, neq; Apostolici, Quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita & Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi, qui ab Apostolis desciverunt, & aliter prædicarunt. Ad hanc itaq; formam provocabuntur ab istis Ecclesiis, quæ, licet nullum ex Apostolis, vel Apostolicis autorem suum proferant, ut multo posteriores; quæ deniq; quotidie instituuntur, tamen in eadem fide conspirantes non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreses ad utramq; formam à nostris Ecclesiis provocatæ, probent se quaqua putant Apostolicas. Sed adeo nec sunt, nec possunt probare, quod non sunt: nec recipiuntur in pacem & in communicationem ab Ecclesiis quoquo modo Apostolicis, scilicet ob diversitatem Sacramenti, nullo modo Apostolicæ.* Integrum adscribere volui locũ, quia illustris est, & utilis in hodiernis etiam controversiis. Iactitant Pontificii suam esse Apostolicam Ecclesiam, quia habeant succedentes sibi invicem à Petro usque in hodiernum diem Episcopos: largiamur ipsis hanc gloriam, sicut & Tertullianus hæreticis; sed cum eodem petimus demonstrari harmoniam doctrinæ Tridentinæ cum Apostolica; quam quia demonstrare non possunt Pontificii, frustra erit, quod de successione gloriantur: Contra ipsi nos exagitant, veluti successione destitutos, cum nominare non possimus Apostolum, à quo doctrinam Lutherus suam acceperit, vel Episcopos

Apostolis succedentes; At quia nostra doctrina Apostolicæ est *consanguinea*, Ideo Ecclesiæ nostræ *non minus Apostolicæ deputantur*, ac illæ, quæ ab Apostolis immediate sunt fundatæ.

6. Conspiratio. §. 73. VI. *Conspiratio.* Neque hæc solidum præbet argumentum, cum gentibus nihil contulerit, etsi *ad fidem Christianismi abrogandam confessionis unitæ animositate conspirarint*: censente Arnobio sub initium lib. III. Et discrepantia nihil Romanæ Ecclesiæ nocuerit; ait enim Cyprianus, *eos, qui Romæ sunt, non ea in omnibus observare, quæ sint ab origine tradita, & frustra Apostolorum authoritatem prætendere, scire quis etiam inde potest, quod circa celebrandos dies paschæ, & circa multa alia divinæ rei Sacramenta videant esse apud illos aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter, quæ Hierosolymis observantur.* hæc ille ep. 75. §. 5. Jam tum igitur inter Romanam & reliquas Ecclesias *in divinæ rei sacramentis* fuit discrepantia, & non conspiratio. Conspiraverit vero secum & cum aliis, nondum tamen liquidum erit argumentum, nisi consensus innitatur verbo Dei: vide Cyprianum epist. 63. §. 11. seqq.

7. Vnio. §. 74. VII. *Unio.* Idem de hac, quod de priore, esto judicium. Nam nisi veritas sit fundamentum, unio nihili est: *Gratulandum potius est, cum tales* (à veritate abhorrentes) *de Ecclesia separantur, ne columbas, ne oves Christi sæva sua & venenata contagione prædentur:* juxta Cypr. d. unit. Eccles. §. 1. & §. 11. *quomodo potest ei cum aliquo convenire, cui cum corpore ipsius Ecclesiæ & cum universa fraternitate non convenit? Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo & ejus Evangelio separari? Non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt.* Nec tollit statim ipsam fidei unionem, si in quibusdam vel levis, vel luctans adhuc fuerit dissensus. Bene Origen. l. 3. contr. Cels. p. 117. scribit: *Mox ab initio non conveniebat inter credentes de delectu divinorum f. scripturæ voluminum, Adhæc Apostolis etiam tum prædicantibus, & quæ ex ipso Jesu audierant, docentibus, quæstio non modica inter Judæos fideles extitit de his, qui ad hanc doctrinam accedebant ex gentibus, exigendine sint ab ipsis ritus Judaici, an remittendum onus purorum impurorumq; ciborum discriminis, ut non necessarium, amplexis Jesum relicta superstitione majorum suorum.* seqq.

§. 75.

§. 75. VIII. *Sanctitas doctrinæ.* Non est hæc sanctitas æstimanda ex specie externa, aut uno tantum fidei capite, sed omnibus. *varie* alias *diabolus æmulatus est veritatem. adfectavit illam aliquando defendendo concutere. Unicum Dominum vindicat omnipotentem mundi conditorem, ut & de unico hæresim faciat.* Tertul. lib. contra Prax.c.1. Confer.Euseb.lib.V.hist.c.16.ubi scriptor ἀνώνυμος narrat de Montano seductore, quod solitus fuerit homines arguere de peccatis, ut probaret suum spiritum eum esse, qui debuerit homines arguere de peccato. vide notam Henrici Valesii ad l. c. Euseb.

§. 76. IX. *Efficacia.* Nisi denuo veritas subsit, nota hæc communis. i. e. nulla est. *Vane enim & inconsideratè pleriq; hoc ipso scandalizantur, ideo mirantur, quod tantum valeant, quasi ex aliqua veritate veniunt. Mirum scilicet, ut malum suas vires habeat, nisi quod hæreses apud eos multum valeant, qui in fide non valent.* Si igitur etiam hæreseων est aliqua efficacia, argumentum illa nudè consideratum non præbet. 9. Efficacia.

§. 77. X. *Sanctitas vitæ.* Fuerunt & inter gentiles, qui speciosè vixerunt. vide Minuc. Felic. p. 7.ubi gentiles gloriantur suos ὁμοψήφους *intrasse ritus omnium religionum, vel, ut remunerare-tur divina indulgentia, vel, ut averteretur imminens ira, aut ut jam tumens & sæviens placaretur.* Aliquot exempla sistuntur apud Orig. l. 2. contr. Cels. p. 84. Democritus pecoribus prædia sua reliquit compascua; Crates, quo liberius philosopharetur, populo Thebano largitus est pecuniam suam; Diogenes habitabat in dolio. Idem l. 5. contra Cels. p. m. 264. respondens objectioni Epicuræ, quasi aliæ gentes æque sanctæ, ac Judaica olim, viverent, concedit id quidem, sed dicit causas vivendi probè distinguendas esse, inter quas præcipua est vera fides ex verbo Dei nata. Origenes à Pontificiis in hæreticos refertur, & tamen sanctissimè, saltem quoad speciem, vixit, laudante Vincent. Lirin. d. prof. voc. c. 23. 10. Sanctitas vitæ.

§. 78. XI. *Miracula.* Tert. de præscript. c. 44. objicit *Adjicient* &c. lege reliqua notatu digna sibi pro hæreticis: Cyprianus d. unit. §. 13. *Et propheta re, ait, & dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, sublimis utiq; & admirabilis res est, non tamen regnum* 11. Miracula.

cœleste consequitur, quisquis in his omnibus invenitur, nisi recti & justi itineris observatione gradiatur. Subjicit dictum Christi Matth. VII. 22. Et additi: *præceptis ejus & monitis obtemperandum est.*

12. Lumen Propheticum. §. 79. XII. *Lumen propheticum.* Bene Origenes lib. IV. contra Celſ. p. m. 227. *Sciendum est*, inquit, *præscientiam futurorum non esse rem omnino divinam; Est enim per se indifferens, ut quæ cadat in malos æque ac bonos.* Confer. Minuc. Felic. p. 7. ubi Gentiles ad ſuos vates provocant: inde (ab oraculis) *plani & mixti Deo vates, futura præcerpunt, dant cautelam periculis, morbis medelam, spem afflictis, opem miseris, solatium calamitatibus, laboribus levamentum,* Confer p. 8. & 30. ſeqq. Tert. de præſcr. c. 44. Scriptorem ἀνώνυμον adverſus Montanum Pſeudoprophetam perorantem apud Euſeb. lib. V. hiſt. Eccleſ. c. 16.

13. Confesſio adverſ. §. 80. XIII. *Confessio adversariorum.* Judæi Chriſtianis obijciebant: *Qua fronte à nostris sacris incipitis, in progressu vero ipsa contemnitis? cum non habeatis alia vestræ opinionis initia, quam legem nostram*: referente ipſorum verba Origene lib. 2. contr. Celſ. p. 59. q. d. vos ex nobis egreſſi Chriſtiani approbatis noſtrum Moſen & prophetas, & tamen defeciſtis; Pontificii noſtri perinde jactant: vos Lutherani accepiſtis biblia à noſtra Eccleſia, cur igitur ipſi in cæteris non creditis? ſicut ille Judæus ad Chriſtianos: *Si prænunciavit aliquis vobis Dei Filium ad homines venturum, noster hic erat Propheta, nostriq; Dei.* Confer Lactant. lib. VII. divin. inſtit. c. 7. ubi Chriſtianus Pater confitetur gentiles multa vere dixiſſe & ſcripſiſſe.

14. Felicitas Temp. §. 81. XIV. *Felicitas Temporalis.* Sic enim gentiles omnium optimam habuiſſent Eccleſiam, felicitate ſumma utentes; Ita quidem ipſi cenſebant: *Romanos pro merito religiositatis diligentissimè in tantum sublimitatis elatos, ut orbem occuparint, & adeo Deos esse, ut præter cæteros floreant, qui illis officium præter cæteros faciant*; Sic illi, referente Tertulliano in Apologetico. Inſtantia dat à religione Judaica, gentilibus inimica, & tamen facili; *si Romanæ religiones regna præstant, nunquam retro Judæa regnasset, despectrix communium istarum divinitatum.* Confer Cypr. contr. Demetr. §. 15. 16. Minuc. Felic. p. 6. 28. ubi Cæcilius gentilis glorioſe amplificat felicitatem Romanorum adhuc Gentilium. Contra *O beatam Ecclesiam nostram,*

nostram, quam sic honor divinæ dignationis illuminat, quam temporibus nostris gloriosus martyrum sanguis illustrat! Erat ante in operibus fratrum candida, nunc facta est in martyrum cruore purpurea. Cypr. ep. 9. §. 4. gloriatur igitur Ecclesia de suis potius calamitatibus.

§. 82. XV. *Infelix adversariorum exitus.* Tert. Apol. c. 1. *justitia non de eventu, sed de conscientia probanda est:* Confer Minuc. Fel. c. p. 7. ubi pœnæ & interitus eorum recensentur, qui gentilium religionem neglexissent, vel risissent. Et Tertul. c. 41. Apol. ubi rationem calamitatum veris Christianis immissarum prudenter æstimat adversus gentiles. 15.

Articulus IV.

De Forma Externa

Argumentum.

Proponuntur ritus Ecclesiastici, qui observabantur in congressibus publicis. in administratione Sacramentorum, ut est baptismus, cujus actus antecedentes, ingredientes, & consequentes explicantur; Et Eucharistia, in qua notanda sunt consecratio, distributio, sumptio, deportatio, tempus, locus; In exercitio clavium; cujus varii erant actus, præcipuè excommunicatio, Satisfactio, absolutio. Adjunguntur mores Christianorum Sanctiores juxta seriem præceptorum decalogi: Charismatum quoque fit mentio, quibus Ecclesiæ hujus quoque seculi gaudebant; erant visiones, Prophetiæ, sanationes ægrotorum, ejectiones dæmonum: discretio spirituum: miracula: virtutes Heroicæ. Sacra loca, tempora, cantiones; concluditur de simplicitate.

§. 1.

PLerosque Ecclesiæ *ritus* in præcedentibus, ut occasio ferebat, indicavimus: Hoc vero loco in fasciculum collectos exhibebimus. Notentur I. *Congressus publici*: quos Tertullianus Apol. c. 39. appellavit *Sanctum commercium, conventum, cœtus*, & *congregationes*, & *coitiones*; ea vero, quæ in ipsis fieri consueverant,

I. *Ritus* (1.) in congressibus publicis.

rant, *negotia Christianæ factionis:* l. c. Ethnici vocabant *collegia*, ut Ulpianus: *Divus Severus rescripsit, eos etiam, qui illicitum collegium coisse dicantur, apud præfectum urbis accusandos.* l. 1. ff. de offic. Præf. Præt. Dionysius in literis adversus Germanum quendam vocat *conventus*, narrans, quomodo Æmilianus præfectus Cœmeteria adiri vetuerit: *Attamen nos, juvante Deo, non à conventu palam inter nos celebrando abstinuimus; quia ipse equidem quosdam in civitate fratres, perinde, ac si simul cum ipsis versatus fuissem, ad conventus perstudiosè agendos impuli.* Euseb. VII. hist. c. 10. Unde simul patet, quibus iu locis soliti fuerint convenire Christiani, nempe in cœmeteriis; Nam idem refert Æmiliani verba: *Haudquaquam licebit & vobis & aliis synodos colligere, vel ad cœmeteria* (ut *vocant*) *ingredi.* Videntur tamen & alia loca sacra habuisse: Theotecnus enim Episcopus Marinum quendam confessorem, cum secederet, dicitur deduxisse in Ecclesiam, ejusdemque sacrarium. Dicebantur & *domus Dei*, & *oratoria*, apud Euseb. lib. VIII. c. 1. seqq. An imaginibus fuerint exornata? videtur quod non. Nam *olim, cum gentiles transirent ad Christianismum, Patres studiosè cavebant imagines, ac magis statuas Dei, ne gentiles recens conversi ex pristina consuetudine colerent eos, ut Deos*: verba sunt Cornel. à Lap. ad Actor. XVII. Refert tamen Euseb. lib. VII. hist. c. 14. de imagine Christi Cæsareæ erecta; deque Petri & Pauli Apostolorum imaginibus. His igitur in locis publicos agebant conventus. In quibus comparebant Ecclesiarum ministri, & auditores: *Coimus in cœtum*, ait Tertul. *& congregationem, ut ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes*: c. 39. Apol. Precibus peractis prælegebatur à Lectore textus scripturæ sacræ è pulpito, in quo eminebat, Cypr. ep. 24. 33. Lectionem sequebatur enarratio, seu concio ipsa ab Episcopo, vel Presbytero præsente habenda: *Cogimur*, ait idem Tert. *ad commemorationem divinarum literarum.* Confer quæ supra art. 2. §. 6. præmisimus. Origenes lib. 3. adv. Cels. p. m. 142. meminit ἀναγνωσμάτων καὶ διηγήσεων lectionum & enarrationum, verba sunt hæc: *Lectionibus earumque enarrationibus populum hortamur ad pietatem erga Deum optimum maximum, cæterasque virtutes pietatis comites individuos; & abducimus à contemptu Numinis, cæterisque affectibus & præscripto rationis exorbitantibus.* Tertullianus explicatius

plicatius concionandi methodum enarrat l. c. *Fidem Sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus: Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina.* Unde patet, quod differuerint de dogmatibus credendis, consequenter & non credendis, deque virtutibus faciendis, & vitiis fugiendis. Finitis concionibus celebrabant S. Cœnam, ut innuit Cyprianus serm. 5. de lapſ. Conferebant ibidem locorum eleemosynas: Nam *modicam unusquisq; stipem menstrua die, vel cum velit, &, si modo possit, apponit: Nam nemo compellitur, sed sponte confert.* Quæ iterum Tert. c. verba sunt. Forsan & *agapas* instruebant; Nam earundem meminit: *Nam & cœnulas nostras, præterquam sceleris infames, ut prodigas quoq; sugillatis.* l. c. Convivio finito, psallebant vel singuli, vel una; non modo celebrandi Dei gratia, sed etiam ut sobrietatem suam indicarent: *Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur, quantum esurientes capiunt: Bibitur, quantum pudicis est utile; Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse; ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & lumina, ut quisq; de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Dei canere, hinc probatur, quomodo biberit. Æque oratio convivium dirimet, inde disceditur &c.* Hactenus ille de Agapis. Confer Clem. Alex. l. 2. Pæd. c. 4. Euseb. lib. V. hist. c. 28.

§. 2. II. *Administratio Sacramentorum,* ut est (1.) *Baptismi.* Cujus ritus in compendio recitat Tertullianus de cor. milit. c. 3. *Aquam,* ajens, *adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renunciare diabolo, & pompæ, & Angelis ejus. De hinc ter mergitamur, nihil amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus. Exq; ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus.* Et c. 4. *Exinde egressi de lavacro perunguimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungui oleo de cornu in sacerdotium solebant.* de bapt. Distinctius de hac re locuturi distribuamus actiones (1.) in *antecedentes*, quæ erant in adultis informatio: Aliquandiu enim erant Catechumeni, vel Audientes. intra quod tempus principia Christianæ fidei docebantur, de peccatis admissis dolebant, orabant; Sic præparati ad baptisterium ad- (2.) In administratione *Baptismi*

ducebantur, quæſiti de capitib⁹ fidei reſpondebant, & fidei confeſſionem edebant, & diabolo, & pompæ ejus, & Angelis renunciabant, idque bis, privatim & publice. vide ſupra art. III. ſect. 5. §. 13. (2.) *Ingredientes*: erat immerſio in aquas, eaque ter repetita, juxta nomina trium in Deitate perſonarum: *Ter mergitamur*, ait Tertul. c. 3. de coron. milit. Et c. 6. de bapt. *Quum ſub tribus & teſtatio fidei, & ſponſio ſalutis pignerentur, neceſſario adjicitur & Eccleſiæ mentio, quoniam ubi tres, i. e. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ibi Eccleſia, quæ trium corpus eſt.* Nonnulli, nempe Clinici, ſolum aſpergebantur; ita baptizatus fuit Novatus: Euſeb. lib. VI. c. 35. Recitabantur verba inſtitutionis: in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti: Nihil enim *amplius reſpondebant, quam Dominus in Evangelio determinaſſet*, ait Tertul. l. c. (3.) *Conſequentes* erant unctio; qualis olim ſolebat eſſe Athletarum, ut ſciret Chriſtianus, ſibi cum diabolo, mundo, & carne poſt hac eſſe pugnandum: deguſtatio lactis & mellis, quæ ſunt ſymbola filiationis Spiritualis; infantes enim ſolent tenuioribus iſtis cibis veſci: Impoſitio manuum: *egresſi de lavacro, perungimur benedicta unctione, de priſtina diſciplina: de hinc manus imponitur per benedictionem.* Tert. de bapt. Erat crucis ſignatio: uti innuit Orig. hom. 2. in Pſal. 38. Nec dubitandum alias apud alios fuiſſe cæremonias, ad ſignificanda varia myſteria: liberas tamen. Neque enim ullibi præceptas legimus. *Adjuncta* erant ſuſceptores; ſeu Sponſores, *Quid* enim, quærit Tertul. *neceſſe eſt; non tamen neceſſe eſt, Sponſores etiam periculo ingeri?* c. 18. de bapt. vide Baron. an. 284. §. 13. 14. *Veſtimenta*, eaque alba; quibus veluti candidati incedebant, donec *Euchariſtiæ* redderentur participes, quam *ſigillum domini* appellabant, & confirmationem. vide Euſeb. lib. VI. hiſt. c. 35. *Locus* erat varius. Nam & in privatis ædibus, ut in carceribus, Baron. an. 262. §. 5. & 62. in lectis, ut Novatum, Euſeb. l. c. baptizabant. In lecto tamen baptizati reconvaleſcentes in Eccleſia ſeſe ſiſtebant, & ab Epiſcopo obſignabantur. *Tempus* jure divino nullum certum eſt definitum, ſolebant tamen, circa feſta paſchatis & Pentecoſtes ritum adminiſtrare ſacrum. Tert. de baptiſ. c. 19. & de cor. milit. c. 3. De his & ſimilibus cæremoniis vide notas Rhenani

nani & Pamelii ad librum Tertulliani de baptismo; Centuriatores Magdeb. cent. III. c. 6. f. m. 86. seqq.

§. 3. (2.) *Eucharistiæ.* Hujus ritus supra art. III. sect. 5. §. 49. seqq: exposuimus. Breviter igitur summam repetamus. *& Eucharistiæ* Erat (1.) *Consecratio*: Usitatum enim erat, saltem in Ecclesia Alexandrina, *ut communicaturi de cœna Domini, ad gratiarum actionem, à Presbytero cœnam dispensante dictam responderent Amen.* quæ verba sunt Dionysii Alex. Episc. apud Eusebium in literis ad Xystum lib. VII. 8. Sequebatur (2.) *distributio* facta à diacono inter communicantes, qui, si adulti, manu accipiebant, & fruebantur: *Communicaturi* enim *mensæ assistebant, & manus ad suscipiendum sanctum cibum extendebant, eumq; accipiebant*: quod ibidem scripsit Dionysius. Hoc est, quod Tertullianus vocat *de cibo & de poculo invadere.* lib. 2. ad Uxor. (3.) *Deportatio ad ægrotos.* Solebant panem & vinum, istum in canistro, hoc in vitro deportare diaconi, vel etiam Laici, ad lecto affixos, & participes eosdem reddere sacri alimenti, ut ex Serapionis historia patet, quam refert Dionysius Alex. in literis ad Fabium Antiochenum apud Euseb. lib. VI. c. 36. (4.) *Tempus* nullum certum erat definitum: Sumebant *in cœtibus antelucanis*; adeoque mane, *ante omnem cibum*; frequentius tamen vesperi, quo tempore Christus ipse celebravit: ut ex Cypriani lib. 2. ep. 3. ad Cæcil. patet. Feria quarta & sequente sumebatur plerumque Alexandriæ. Socr. l. 5. c. 22. (5.) *Locus* ordinarius erant domus sacræ, ubi convenire solebant, Cryptæ etiam, & ædes privatæ: Euseb. lib. VI. 36.

§. 4. (3.) *Claves.* Ritus observari solitos accurate complexus est Tertul. c. 9. de pœnit. *Exomologesis*, ajens, *prosternendi & humilificandi homines disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoq; habitu atq; victu, sacco, & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animam mœroribus deijcere, illa, quæ peccavit, tristi tractatione mutare; Cæterum pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ caussa. Plerumq; verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesq; ad Dominum Deum tuum. Presbyteris advolvi, & aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere.* (3.) In usu clavium Distinctius omnia proposita sunt à Gregorio Thaumaturgo (si quidem is auctor est) in epistola cano-

nica tom. I. Patr. sic enim ille: *Fletus seu luctus est extra portam oratorii, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur. Auditio est intra portam in loco, quem νάρθηκα appellant, in ferula, ubi oportet eum, qui peccavit, stare post Catechumenos, usq; ad Catechumenos, etiam illinc egredi. Audiens enim post scripturas & doctrinam ejciatur, & precatione indignus censeatur. Subjectio autem, seu substratio est, ut intra templi portam stans, cum Catechumenis ingrediatur. Congregatio seu consistentia est, ut cum fidelibus consistat, & cum Catechumenis non ingrediatur. Postremo est participatio Sacramenti.* Habes ritum in compendio. Sed singula momenta distinctius evolvamus. Erat (1.) *Excommunicatio*, quæ fiebat in publico cœtu: Vetus enim Ecclesiastica disciplina tenuit, ut id ab Antistitibus Ecclesiæ in publico consessu fieret: *Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina* (fiunt) *Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu: summumq; futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegetur. Præsident probati quiq; seniores, honorem istum non precio, sed testimonio adepti.* Tertul. c. 39. Apol. Confer, quæ præmisimus supra art. 2. §. 9. Excommunicationem sequebatur (2.) *Satisfactio*: nempe Ecclesiastica, laudata à Cypr. lib. 1. epist. 3. quæ variis actibus constabat, quos paulo ante enumeravimus; Nam Gregorius Neocæsaréensis canonibus suis complexus est; meminit autem quinque actuum illustriorum, qui erant: πρόσκλαυσις, cum peccator stabat ante portam oratorii, flens & obtestans fideles ingredientes, ut pro sese orarent & intercederent, vide Tertul. de pudic. c. 13. Ἀκρόασις: cum intra portam reciperetur, post Catechumenos tamen stans, & audiens verbi divini lectionem & concionem. ὑπόπτωσις. cum ita intra portam templi stabat, ut cum Catechumenis maneret, & egrederetur: Σύστασις, quando cum fidelibus consistebat, & post Catechumenos exibat, spectator mysteriorum. Denique μέθεξις, participatio sacræ cœnæ. Hic ordo observabatur in Ecclesia cum pœnitentibus, qui insuper vilioribus erant induti vestibus, sacco & cinere fœdi, lachrymis madidi, facie dejecti & luridi, jejuniis macerati, vide Tertullianum ll. cc. Cyprianum in epistolis hinc inde; Eusebium lib. VI. hist. c. 8. & 35.

Epipha-

Epiphanium hæreſ. 64. Dannh. Chriſteid. p. 593. Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus fuerat, *excommunicatione laica irrogata ſatisfaciebat*, vel *peregrina*: Cypr. lib. 2. ep. 1. Euſeb. VI. hiſt. c. 35. (3.) *Abſolutio* & receptio in Eccleſiam. Si quis pœnitens impoſitum ſibi tempus abſolverat, vel veniam & indulgentiam, amputatis aliquot vel ſeptimanis, vel menſibus, vel annis, ab Epiſcopis, vel Martyribus, vel reliquis fidelibus deprecantibus, acceperat, admittebatur ad confeſſionem faciendam, qua facta manus imponebantur abſolvendi capiti, & poſtea ad ipſam S. Cœnam admittebatur percipiendam. Quibus de ritibus diſſeruimus ſupra art. II. §. 8. p. 525. ſeqq. Adde Cent. Magd. III. c. 6. f. 89. ſeqq. Sciendum tamen, quod Clerici lapſi ad nullam poſtea dignitatem Eccleſiaſticam etiam pœnitentes ordinarie promoti fuerint: *Rurſum reſipiſcentes haud ſecus ac redivivos recipiunt tandem, poſt longiorem melioris mentis approbationem, quam cum primum ad religionem addiſcendam admitterentur, ea tamen conditione, ut quoniam lapſi ſunt*, Εἰς οὐδεμίαν ἀρχὴν καὶ προστασίαν τῆς λεγομένης ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ καταλέγονται, *excludantur in poſterum ab omnibus dignitatibus & magiſtratibus Eccleſiaſticis.* Orig. lib. III. contr. Celſ. p. 142. ſeqq.

§. 5. *Mores* Chriſtianorum ſupr. art. III. ſect. 5. §. 31. prolixe explicuimus, ut eo poſſimus hac vice breviores eſſe. Sancti erant mores cum eorum, qui inter Chriſtianos recipiebantur, tum eorum, qui recepti jam inter eosdem verſabantur. De iſtis ait Origenes lib. VIII. contr. Celſ. *Chriſtiani, quantum poſſunt, præexaminant animos audiri ſe cupientium; ac primum privatim examinatos, priusquam in cœtum recipiantur, ubi videntur eo profeciſſe, ut honeſtæ vitæ ſint cupidi, tum demum introducunt, diſtinctis ordinibus; altero recens admiſſorum, nec dum aſſecutorum luſtrationis Symbolum; alterum jam profeſſorum religionem Chriſtianam. In poſteriori ordine ordinati ſunt aliquot, qui inquirant in vitas, & mores accedentium, ut non conceſſa facientes, candidatos religionis arceant à ſuis conventibus. Cæteros eorum disſimiles excipiant ex animo, & quotidianis accesſibus meliores faciant.* De his Tertul. c. 4. ad Scap. diſſerit, *depoſitum*, ajens, *non abnegamus, matrimonium nullius adulteramus, pupillos piè tractamus, indigentibus refrigeramus. Nulli malum pro malo reddimus.* Sic ille coram præ-

II. *Mores* Sanctiores.

ſide & hoſte, non dicturus niſi veriſſima, & certiſſima noviſſet. Athenienſem Eccleſiam præclarè laudavit Origenes lib.III. adv.Celſ.ut & Corinthiacam,& Alexandrinam: Confer Arnob. lib.2.adv. Gent.

juxta Tab. I. §. 6. Diſtinctius loquendo, & quidem de virtutibus I. *tabulæ*, Deum ardentiſſime diligebant, adeo, ut vel exquiſitiſsimos cruciatus pro ipſius honore & amore ſuſtinerent. vide acta Martyrum apud Baron. an. 290. §. 5. 18. 27. Fiduciam in ipſo unice collocabant §. 8. In martyris *ſtabant* Cypr. de lapſ. §. 2. invicti: ut facunde hanc adverſus gentiles virtutem exornat Arnob. lib. II. adv. gent. p. 44. Idolorum cultum deteſtabantur. Baron. an. 294. §. 7. Chriſtum ſuum intrepidè confitebantur: *adeſte, accipite, non idoli germina, ſed Chriſti*: ita Origenes exclamabat, cum juberetur Serapidi honorem exhibere: Epiph. hæreſ. 64. Iuramenta & faciebant, & ſancte ſervabant. Solebant enim milites *jurare per Deum Chriſtum, & Spiritum Sanctum, & per majeſtatem imperatoris, quæ ſecundum Deum humano generi deligenda eſt, & colenda.* Veget. l. 2. de re milit. Confer. Tert. c. II. de cor. milit. Euſeb. VI. 8. 33. hiſt. Preces cum publicè, tum privatim faciebant. Clem. Alex. l. 2. pæd. c. 9. ad orientem converſi: rationem dat Clemens idem: *ijs, qui verſabantur in ignoratione, exortus eſt dies cognitionis veritatis, ea ratione ad orientem ſolem fiunt orationes.* lib. 7. ſtrom: Iſque ritus gentilibus *innotuit, nos* nimirum *ad orientis regionem precari*, Tert. apol. Sed calumniabantur ritum, quaſi orientem Chriſtiani ſolem adorarent, vide eundem c. 24. Baron. an. 211. §. 3. In publico preces factas deſcribit Cypr. §. 22. de orat. *Sacerdos*, referens, *ante orationem præfatione præmiſſa, parat fratrum mentes, dicendo: ſurſum corda! reſpondet plebs: Habemus ad Dominum; ut admoneantur, nihil aliud ſe, quam Dominum, cogitare debere.* Idque ſtatis faciebant horis *antiquitus obſervatis.* §. 25. etſi addat, *horam nullam excipiendam eſſe:* Et admoneat: *Inſiſtamus per totum diem precibus, & oremus.* Confer dicta art. III. §. 34. Precibus jungebant *cantiones*, de quibus verba facit Clemens Alex. l. 2. pæd. c. 4. lib. VI. ſtrom. fol. 659. quas perinde, ut preces, ſonabant ſuper menſam. *Dies ſacros* obſervabant non quidem Judaicos, & ex neceſſitate: *Nobis* enim

ſabbata

sabbata extranea sunt, & Neomenia, & feriæ à Deo aliquando dilectæ: Tert. c. 14. de idol. Ex libertate tamen faciebant, *solennitates, Dominicum* diem, *& Pentecosten*, & pascha observantes. l. c. *Die dominico jejunium nefas dicimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate die paschæ in Pentecosten usq; gaudemus.* de cor. milit. c. 3. nempe propter resurrectionem Christi. Signabant se cruce: *Ad omnem progressum atq; promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunq; nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* l. c. Ritus erat ἀδιάφορος, nec addit Tertullianus, peculiarem vim & efficaciam divinam in hoc ritu fuisse.

§. 7. Tabula II. postulat virtutes charitatem proximi concernentes. Diligebant sese invicem Christiani, ut fratres & sorores, unde & istis vocabulis sese invicem appellabant: *Occultis se notis & insignibus noscunt, & amant mutuo pæne, antequam noverint: passim etiam inter eos quædam libidinum religio miscetur, ac se promiscue appellant fratres & sorores*: Ita Cæcilius Ethnicus apud Minuc. Fel. Bona malis, vera falsis miscens; Id patet, fratres sese & sorores appellasse, alio longe respectu, quam Ethnici calumniabantur, contra quos apologiam pro Christianis suis scripsit Tertul. c. 39. Apol. *Osculum* quoque sibi mutuo figebant, fideles martyribus, Episcopi auditoribus, vide Euseb. lib. VI. hist. c. 3. Baron. an. 298. §. 10. Francis. Bald. præfat. in Min. Felic. lit. B. 4. Reipsa quoque omnis generis officia sibi mutuo præstabant, ut in peste Alexandrina illustria aliquot exempla ediderunt, laudante Dionysio apud Euseb. VII. hist. c. 17. *Parentes* suos liberos dextrè & religiose educabant, cujus insigne exemplum recenset Eusebius in Leonida Origenis parente; lib. VI. hist. c. 2. Subditi magistratus etiam Ethnicos, & persecutores, venerabantur; idque eo magis, quo magis traducebantur velut Majestatum essent contemptores & violatores, contra quam calumniam strenue differunt, & protestantur Patres, suamque erga Magistratum reverentiam inculcant. vid. Tert. Apol. c. 30. & 39. Ad Scap. c. 2. Dionysius Alexand. in literis ad Hermammonem apud Euseb. lib. VII. hist. c. 1. Baron. an. 260. §. 22. Abstinebant à seditionibus: *nemo nostrum* Tab. II.

reluctatur,

reluctatur, quando apprehenditur, nec se adversus injustam violentiam vestram, quamvis nimius & copiosus sit noster populus, ulciscitur: ita Cyprian. ad Demetr. §. 14. Implorabant quoque auxilium magistratus in negociis Ecclesiasticis, ut adversus Paulum Samosatenum, cedere nolentem, Aureliani Imperatoris, quod & impetrarunt. Euseb. VII. hist. c. 29. *Abhorrebant à cædibus* adeo, ut ab edendo quoque sanguine abstinerent, ne quo modo crudeles evaderent Tertul. Apol. §. 138. *Castitati* studebant ita, ut ne concessa quidem venere uterentur: vide Orig. lib. 1. adv. Cels. & l. 7. Conjugati à mutua consuetudine interdum abstinebant Tert. de vel virg. c. 10. Etiam ab ipso conjugio, si donum castitatis facultatem dabat; veloque sese virgines obnubebant, ne paterent libidinosis oculis; hinc liber Tertulliani de velandis virginibus: Gentilium Sacerdotes bibebant cicutam, ut libidinem extinguerent, Christiani id beneficio verbi divini præstabant, gloriante Orig. lib. 1. adv. Cels. Cyprianus adhuc gentilis ope dæmonum castam virginem oppugnabat, expugnare tamen non poterat: Gregorium Thaumaturgum scortum; & Potaminæam scortatores tentarunt, Sed irrito conatu; unde gentiles lenonem potius, quam leonem minabantur Christianis fœminis; vide Tert. c. ult. Apol. & Metaphr. die 1. Febr. Euseb. VI. hist. c. 4. Eodem fine Christiani abstinebant à spectaculis impudicis, & ab ebrietate impuritatis nutricula: Et otio, & mollitie, sicut Origenes, *ad voluptates corporis coërcendas* Euseb. VI. 3. Clem. Alex. l. 2. pæd. c. 11. Erga pauperes erant liberales. Nam conferebant bona in publicũ pro indigentibus sustentandis. *Etiam si quod arcæ genus est, non de ordinaria summa, quasi redemptæ religionis, congregatur: Modicam unusquisq; stipem menstrua die, vel cum velit, & si modo velit, & si modo possit, apponit: Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensantur, sed egenis alendis humandisq;, & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamq; domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodiis duntaxat ex causa Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt.* Ita Tert. c. 39. Apol. Insignis laus est Ecclesiæ Carthaginensis, quippe quæ, hortante Cypriano, collectam fecit pro captivis in-

ter

ter Barbaros, eamque lautam, nempe 3000. aureorum. vide Cypr. ep. 60. Baron. an. 254. §. 110. Confer an. 259. §. 12. an. 293. §. 2.

§. 8. *Charismata.* in hoc seculo rariora quidem erant, quam in superiore, erant tamen quædam. vid. Orig. l. IV. adv. Cels. p. 216. Et Henricum Vales. not. ad Euseb. V. 16. Origenes laudat *Charismata concessa per spiritum Sapientiæ, cognitionisq; spiritualis* ex 1. Cor. XII. 8. lib. III. adv. Cels. p. 121. & 139. ubi simul collationem instituit inter Charismata; *Paulus* enim *pluris faciebat doctrinam, quam miraculorum facultatem*: Quia ista magis necessaria est, quam hæc. Principium & fons est Spiritus Sanctus. *Profluens enim largiter Spiritus nullis finibus premitur, nec coërcentibus claustris, intra certa metarum spacia frænatur, manat jugiter, exuberat affluenter.* Cypr. ep. 2. §. 2. Subjecta sunt promiscue homines etiam plebeij, apud Orig. lib. VII. adv. Cels. p. m. 334. Et milites, Nam Tertul. c. 11. de cor. milit. laudat quendam militem dono exorcistico præditum. *Species* erant variæ. Erant *visiones.* Tert. de spect. c. 26. refert de muliere, cui *linteum in somnis ostensum ejus diei parte, qua tragœdiam audierat, cum exprobratione nominato tragœdo, nec ultra quintum diem eam fœminam in seculo fuisse.* Cyprianus ep. VIII de aliqua etiam sua visione refert: *Nam & hoc nobis,* ait, *non olim per visionem, fratres charissimi, exprobratum sciatis, quod dormitemus in precibus, nec vigilanter oremus.* Pontius Diaconus in ejusdem vita alius alicujus meminit eidem factæ. Similem habuit quidam sacerdos, eodem Cypriano referente de mortal. §. 13. & puer interdiu. Epist. X. 4. Sciendum autem, quod istas visiones ad verbum Dei examinaverint. Dionysius Episc. Alex. in literis ad Philemonem, postquam recitasset visionem sibi factam de legendis hæreticorum libris, *recepi,* ait, *visionem, eo quod consona esset voci Apostolicæ, dicenti: Sitis diligentes animadversores, & veluti trapezitæ, qui argentum probant.* Euseb. VII. hist. c. 6. *Prophetiæ,* quo dono valebat Phædimus. *Phœdimo divinitus à Spiritu Sancto præscia futurorum vis quædam inerat*: ait Gregorius Nyssenus in vita Thaumaturgi. Erat autem Phædimus Episcopus Amasenorum. Babylas Antiochenorum Episcopus prævidit & prædixit persecutionem sub Decio futuram.

III. *Charismata.*

vel visiones

Prophetiæ

Baron. anno. 241. §. 2. Pionius suum prævidit martyrium. an. 254. §. 4. Sixtus P. R. Laurentio martyrium prædixit. vide Ambros. lib. 1. de de off. c. 41.

vis expellendi dæmonas.

Vis expellendi dæmonas: Hinc inde de hoc dono disserit Tertullianus. c. 11. de cor. mil. *dæmonia*, ait, *de vobis sine præmio, sine mercede depellimus.* Et c. 2. ad Scap. *quantos habeatis non dico; qui jam de vobis dæmonia excutiant.* Cyprianus quoque eodem argumento gentiles oppugnat: advers. Demetr. §. 12. de idol. vanit. §. 5. Id vero interdum unica vel sola voce fiebat. Gregorius Thaumaturgus obsessam precibus liberavit: referente Nysseno in vita. Novatus liberatus est à dæmone βοηθέμενος ὑπὸ τῶν ἐπορκιςῶν, *adjutus ab Exorcistis*: Euseb. VI. hist. c. 35. Dionysius ad Hermammonem perscribit: quod *satis virium ac potentiæ præsentia, aspectu, Spiritu, & voce solum ad detestabilium dæmonum insidias dissipandas & habeant, & semper habuerint,* Euseb. lib. VII. c. 9. Cavillationes gentilium, quasi ex horrore superstitionis fugerint dæmones, diluit Orig. l. 1. adv. Cels. p. 7. Et lib. III. p. 124. Arnobius lib. I. adv. gent. Origenes lib. VII. adv. Cels. *Solis*, ait, *precibus adjurationibusq; simplicibus expelli dæmonas.* & p. 376. *precibus & sacrarum literarum recitatione profligamus eos* (dæmonas) *ex obsessis hominibus, & ex locis sibi dicatis, interdum etiam ex animalibus.* Hæc ille.

Sanationes.

Sanationes etiam miraculose fiebant Tert. c. 4. ad Scap. eo provocat. Tales Thaumaturgos & Origenes producit, *qui in signum accepta per fidem virtutis mirificæ sanant leprosos, invocato tantum super eos universorum Deo, & Jesu nomine; recitataq; de rebus ejus aliqua historia.* l. III. adv. Cels. p. 124. Confer Baron. an. 259. §. 10. an. 286. §. 10. Euseb. VII. 14.

discretio Spirituum.

Discretio Spirituum. Gregorius Thaumaturgus viso Alexandro Carbonario de mente hominis accurate judicavit: vide Nyssenum in ipsius vita; & Baron. an. 233. §. 13. seqq. De admirandis aliis vide Euseb. VII. hist. c. 14. Basil. de spir. s. c. 28. Baron. an. 259. §. 21. Gentiles quidem falsa esse ista admiranda calumniabantur, sed vapulant ab Orig. lib. VIII. adv. Cels. p. 407.

Virginitas.

Virginitas frequentior erat hoc seculo, propter persecutiones frequentiores: *Constat* autem *gratia Dei*, juxta Tertul c. 10. de vel. virg. δύναμις ἔσα καὶ θεῖα χάρις, *divina potestas existens & gratia.* Clem. Alex. l. 3. strom. f. 428. *Nec* enim *omnes capiunt verbum hoc, sed illi,*

quibus

quibus datum est. Matth. XIX. 11. allegante Cypr. de disc. virg. §. 4. & §. 15. *Qui capere continentiam possunt, spadonum more viventes, castrantur ad regnum.* & §. 18. *Nec hoc jubet Dominus, sed hortatur; nec jugum necessitatis imponit, quando maneat voluntatis arbitrium liberum.* Tert. de vel. virg. c. 3. *Nubere neq; cogitur, neque prohibetur.* Confer lib. I. ad ux. c. 8. Insignis quoque fuit Heroica fortitudo in martyriis, de qua facundè in dialogo sub finem disserit Minucius Felix. Fortitudo.

IV. Loca sacra.

§. 9. *Loca sacra.* Templa hoc seculo extructa fuisse nulla videntur. Nam *Deus templis* nec indiget, nec inclusus est. *Quod enim templum habere possit Deus, cujus templum totus est mundus? & cum homo latius maneat, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam?* Cypr. d. idol. vanit. §. 5. Suffragatur Origenes lib. 1. contr. Cels. p. m. 6. 7. adducit enim pro sese testimonium Zenonis Citiensis ex ipsis naturæ principiis sumptum: *Sacella quoq; ædificare non opus erit; Nihil enim sacrum existimandum est, aut sanctum, alicujusve pretii,* οἰκοδόμων τὸ ἔργον καὶ βαναύσων, *quod à cæmentariis fabris conficitur, atq; opificibus.* Et lib. VII. contra Cels. p. m. 362. *Christianus etiam idiota persuasissimum habet, quemvis mundi locum partem esse universi, & mundum universum esse templum Dei,* ἐν παντὶ τῷ τόπῳ δεχόμενος, *& in quovis loco precatur, clausis sensibilibus oculis, erectis autem animæ luminibus.* Excipiunt quidem Pontificii, quod Patribus sermo sit de templis Ethnicis, quod Christiani tum non habuerint, vel adierint templa Ethnica. At vix stare potest hæc exceptio cum verbis Origenis lib. VIII. contra Cels. p. m. 390, seqq. Templis enim manufactis opponit templa corporis Christi, & hominum fidelium, in quibus Deus habitet: Adeoque non distinguit inter templa manufacta Christianorum, & Ethnicorum, quod faciunt Pontificii. Contra extitisse templa videntur quædam probare. Refert Anastas. in vita Calixti, P. R. quod *basilicam trans Tiberim* fecerit; Sed Platina in vita ejusdem haud immerito dubitat, an sit illa magnifica B. Virginis ædes: *Non crediderim*, inquit, *hanc illam esse, quam hodie tam celebrem & amplam cernimus; cum ea tempestate ob crebras persecutiones occulta essent omnia, & sacella potius, atq; eadem abdita, & plerumq; subterranea, quam aperta in locis ac publicis fierent.* Hæc Apostolicus quondam

Abbreviator. Addit, quod cœmeterium Callisti inviserit, & depræhenderit inter cineres & ossa martyrum etiam sacella. Minucius Felix in dialogo suo scribit, Christianis objectum fuisse, puta à Cæcilio Ethnico, quod *nullas aras haberent, templa nulla, nulla nota simulachra*: Regerit Baron. an. 211. §. 6. non quidem habuisse Christianos magnas basilicas, ut Ethnici habebant, habuisse tamen ædes sacras, quantum per furorem gentilium licebat, quo desæviente sub Constantino scil. M. tum demum etiam templa exstruxisse. Quæ ipsius sententia non omninò repudianda. Habuisse enim loca, ubi convenirent, Christianos, ex multis patet. Refert Lampridius in vita Alexandri Mammæi, cum aliquando Christiani locum pro exercitio suæ religionis occupassent, & popinarii eum ipsum ambirent, Cæsarem respondisse, *melius esse, ut quomodocunq; illic Deus colatur, quam popinariis dederetur.* An vero locus hic fuerit *taberna meritoria* trans Tiberim sita? Baronius quidem putat, sed nulla solida caussa adductus. §. 4. an. 224. *Conjecturas* ipse proponit in re *antiquissima*, &, suapte confessione, *obscura*; à singulari desiderio Christianorum, ab oleo Augusti tempore ibi locorum manante, & adhuc tum residuo; à templo Callisti ætate ibi erecto. Quod enim *acta Callisti* attinet, unde ultimum probare vult, frustra est. Nam an. 226. §. 2. ipse fatetur, non esse ea in *omnibus sincera*; Cætera duo sunt ἀσυλλόγιστα: N. C. oleum ibi fluxit sub Augusto. E. Christiani ideo desiderarunt ibi templum erigere. Vice templorum erant *Cryptæ* & *cœmeteria*, in quibus Christiani solebant prædicare verbum, & administrare Sacramenta, baptismum & Eucharistiam. Patet ex interdicto Æmiliani Præfecti adversus Dionysium: οὐδαμῶς δὲ ἐξέσται οὔτε ὑμῖν, οὔτε ἄλλοις τισιν, ἢ συνόδους ποιεῖσθαι, ἢ εἰς τὰ καλούμενα κοιμητήρια εἰσιέναι; *neq; usquam omnino vel vobis, vel aliis quibusq; potestas erit aut celebrandi conventus, aut in ea, quæ cœmeteria appellantur, ingrediendi.* Euseb. VII. 10. Contra Galienus Valeriani filius permisit Christianis eadem. c. 12. Dicebantur & προσευκτήρια *oratoria*: apud Euseb. VIII. 1. vide præfationem Fr. Balduini ad Minucium Felicem lit. B. 2. §. cujus sententia non omnino absurda est. *Cæcilius*, ait, *Christianos accusat, quod templa tanquam busta*

busta despiciant. Fatetur Octavius. Nam & Clemens Alex. in προτρεπτ. *antea probaverat illa esse sepulchra. Sed & Arnobius lib. VI. templa bustis superlata fuisse ait. Cæterum Christiani alia postea ratione ex suorum Martyrum sepulchris, non modo templa, sed & altaria effecerunt.* Et paulo post: *Etsi autem Christiani ætate nostri Minucii sua templa superbè attollere ad exemplum Ethnicorum non possent, tamen suas saltem habebant Cryptas, & quasdam etiam ædes & domus sacras in apertis & editis locis &c.* Patet idem ex actis apud Baron. an. 259. §. 8. 11. 22. Hippolytus enim in crypta degebat, ut & Stephanus, cum competentes & catechumeni baptizarentur, & communicarentur. Huc spectant *reliquiæ* reverenter habitæ, ut erat Cathedra Jacobi Hierosolymis asservata, *ut declararent perspicue, quemadmodum veteres Patres ad nostram usque ætatem sanctis viris, ob eorum veram erga Deum pietatem, debitam venerationem tribuerint*, Euseb. VI. 14.

V. Tempora Sacra.

§. 10. *Tempora sacra.* Festa alia sunt interna, alia externa. Ista sunt preces animi devoti. *Verè festum celebrat, quisquis facit quod debet, semper vacans precibus, continenter incruentas victimas offerens Deo suis precationibus*; Hæc vero sunt *dies dominica, Parasceva, Pascha, Pentecoste, recurrentia solenniter.* Instituta autem sunt vulgi gratia: *Vulgus eorum, qui credentes videntur magis, quam sunt, qui vel non potest, vel non vult quotidie festum agere, opus habet, ut contineatur talibus sensibilibus admonitionibus, ne omnino dilabatur ab officio.* Necessaria igitur non sunt festa illa externa, imo, si observentur sub opinione cultus & necessitatis, noxia evadunt, judice Paulo Gal. IV. 10. 11. Col. II. 16. & explicante Origene lib. VIII. contra Cels. p. m. 392. Secus sese res habet cum Spiritualibus, quæ diximus, festis: Decet enim diem dominicum celebrare semper divina meditando; paschalem, carnem Christi comedendo, agni scilicet nostri; Parasceven, à mundanis vitiis abstinendo, & Deo sese præparando; Pentecostalem denique, precibus Spiritum Sanctum sibi conciliando, ut l. c. facunde Origenes edisserit. Unius autem positio non est alterius remotio. Nihilominus celebrabant Christiani festos suos dies, ut Pascha, Euseb. VI. 8. luminaribus in vigilia accensis. Quo autem tempore celebrandum esset, mirifice dissentiebant; vide de tempore ex principiis Mathematicis differentem Ana-

tolium insignem hoc tempore Mathematicum in canonibus de Pachate, citante fragmentum Eusebio lib. VII. hist. c. 26. mutuas sibi epistolas festivas, seu gratulatorias mittebant, Euseb. l. 7. c. 17. Baron. an. 263. §. 14. Natales Apostolorum & martyrum. an. 286. §. 12. *Conciones Sacræ.* Plinius meminit carminũ, quæ Christiani Christo suo tanquam Deo canere solebant. vide Grot. ad Math. XXVI. 30. Quidam Ægyptiorum Episcopus Nepos ψαλμῳδίας composuit, referente Dionysio, Οἷ μέχει νῦν πολλοὶ τῶν ἀδελφῶν ἐυθυμοῦνται, *quibus hucusq; multi fratres libenter utuntur*; Euseb. VII. 19. In Ecclesia etiam Antiochena usitati erant Psalmi in honorem Jesu Christi compositi; etsi Paulus Samosatenus abrogarit, caussatus novitatem componentium; Quiipse tamen substituit mulieres, quæ die festo ipsius laudes canerent, conquerentibus patribus Antiochenis in literis Synodicis. c. 24. Sed quia de hac cæremonia in præcedentibus jam diximus, hic finis esto.

§. 11. Enumeravimus præcipuos rituum & morum Christianorum, de quibus in genere notandum, quod simplices, adeoque spreti coram mundo extiterint. Nec enim splendore aliquo externo in oculos auresque incurrebant: *Nihil adeo est, quod obduret mentes hominum, quam simplicitas divinorum operum, quæ in actu videntur, & magnificentia, quæ in effectu repromittitur,* ait Tert. c. 2. de bapt. Subjicit exempli loco ritum baptismi, & porro inquit: *Mentior, si non è contrario idolorum solennia, vel arcana de suggestu, & apparatu, deq; sumptu, fidem & auctoritatem sibi exstruunt.* Eadem hodie luditur fabula. Simpliciores sunt Evangelicorum cæremoniæ, nec religio nostra ad splendorem est composita, sicut Curia Papalis, ideoque spernitur ista à mundanis hominibus; hæc magni, imo maximi fit: Sed *proh misera incredulitas! quæ denegas Deo proprietates suas, simplicitatem & potestatem!* cum Tertulliano dicimus! Nec hoc dissimulandum est, quod nonnulli superiorum rituum cautè accipiendi sint, præsertim ii, quos ex Tertulliano descripsimus; Nam redolent interdum Montanismum, ex quo sensim sensimque in Ecclesiam redundarunt. vid. art. V. §. 10. infra.

Articulus

Articulus V.

De

Nævis, & erroribus, & scandalis aliis.

Argumentum.

Scandala quid sint. Datorum alia sunt doctrinæ, alia cultus, alia morum: Doctrinæ probantur ex testimoniis veterum Patrum, & recentiorum Pontificiorum. Exponuntur caussæ, quas deprehendimus vel penes ipsos Patres, vel penes alios, patrum vel æmulos, vel corruptores. Illustratur assertio exemplis variorum errorum, qui inveniuntur sive in phraseologia Patrum, sive in re ipsa. vel enim scripturam perversè explicarunt, vel falsa dogmata & opiniones foverunt in Theologia, Christologia, Anthropologia, id quod ad oculum demonstratur, locis ipsis in medium productis. Scandala cultus in vocatione ministerii, administratione baptismi, Et Eucharistiæ, usu clavium: Scandala morum, ut sunt vitia & peccata commissa adversus tabulam decalogi priorem, & posteriorem, idololatria, apostasia, perjuriis, timiditate, Superbia, Fuga militiæ, castratione suimet, contentionibus, osculis, intempestivo studio virginitatis & cœlibatus, Luxu, maledictis. Accepta scandala. Persecutiones extiterunt. Exponuntur nomina, caussæ, consequentia. Remedia adversus hæc mala extiterunt alia mitiora, alia rigidiora, scripta didactica, apologetica, elenchtica, pædeutica, Epanorthotica, consolatoria, Disputationes, concilia, anathematismi, separationes. s. depositiones, Reformationes, disciplina Ecclesiastica.

§. 1.

EClesia hujus seculi suis scandalis fuit obnoxia. Quid sit scandalum, descripsit Tert. de vel; virg. c. 3. *Scandalum, ni fallor, non bonæ rei, sed malæ exemplum est, ædificans ad delictum. Bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem.* Etiamsi enim scandalum aliud sit datum, aliud acceptum, de hoc tamen non est nobis tam quæstio h. l. quam de isto. Specialius acceptum denotat corruptelas in doctrina, cum usurpatur *περὶ τῶν διαστρεφόντων ἀπὸ τῆς ὑγιοῦς διδασκαλίας τῶν ἀπλουστέρων καὶ ἐξαπατώντων, de sanæ doctrinæ depra-* Scandalorum descriptio & divisio.

depravatoribus, *& simpliciorum hominum deceptoribus*: juxta Orig. l. 5. adv. Celſ. p. m. 273. Nos generalius accipimus h. l. pro ſcandalis etiam in cultu, & moribus.

I. *Doctrinæ* (1.) Exiſtentia ex veteribus

§. 2. Scandala extiterunt I. *doctrinæ*. Quorum notanda ſunt (1.) *Exiſtentia*, cum veterum, tum recentiorum teſtimoniis comprobata. *Veterum*; Nam & in ſeculo tertio, & in quarto, & inſequentibus extiterunt Doctores non infimi ſubſellii, qui alios variorum errorum, vel certè novorum incuſarunt. Methodius Epiſcopus Origenem refutavit, ſuum ferè σύγχρονον: Hieronymus in eundem graviter invectus eſt, & ſatis ipſius craſſos errores annotavit in epiſtola ad Avitum. Simile quid fecit Epiphanius in literis ad Johannem Hieroſolymitanum ab Hieronymo in Latinum translatis: repetit in epitome hæreſέων c. 64. Et poſt ipſum Auguſtinus tom. VI. de hæreſ. n. 43. Omnium clariſſimè & acerbiſſimè in ipſum invecta eſt Synodus quinta Conſtantinopolitana, Juſtiniano Imperatore habita, notatis & damnatis variis ejuſdem erroribus. Confer Bell. l. 2. de purg. c. 2. It. de Script. Eccleſ. tit. Origenes. Azor. t. 1. moral. lib. VIII. c. 16. & quæ art. I. §. 17. congeſſimus. Idem fatum fuit *Tertulliani*: Nam referente Gretſero lib. 2. de expurg. libb. c. 9. *Extat decretum Gelaſii de libris, in eo opera Tertulliani & Origenis quædam cenſura notantur.* Cum Hieronymo objiceretur auctoritas hujus Patris, & Victorini, reſpondet in invectiva adverſus Helvidium: *de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam Eccleſiæ hominem non fuiſſe.* Confer iterum, quæ ſupra art. 1. §. 8. præmiſimus. Nec Cypriano parſum eſt. Frequenter hujus Patris auctoritatem pro ſeſe allegabant Donatiſtæ adverſus Auguſtinum; Sed Auguſtinus propterea manus dare noluit, innuens, erraſſe Cyprianum: *Quia hoc genus literarum* (à Patribus profectarum) *ab auctoritate canonis diſtinguendum eſt. Non enim ſic leguntur, tanquam ita ex eis teſtimonium proferatur, ut contra ſentire non liceat, ſicubi forte aliter ſapuerint, quam veritas poſtulat*, ſcribit ad Vincentium Auguſtinus epiſt. 18. Repetit adverſus Creſcon. Gramm. lib. II. c. 31. & 32. Lib. II. de bapt. contr. Donat. c. 1. & 2. & 3. Victorini Pictavienſis (ut vulgo, etſi vitioſè, vocatur) *opuſcula Gelaſius Pontifex ipſe recenſuit inter apocrypha*: fatente Baronio in notis

notis ad 2. Novembr. Martyrol. *Dionysium* Alex. Episcopum propter semina Anomœis præbita castigat Basilius epist. 41. qui & Gregorium NeoCæsareensem, Origenis discipulum, notavit epist. 64. Confer Photium cod. 232. & dicta à nobis sup. art. 1. §. 24. *Recentiorum*, eorumque Pontificiorum, non mitiora sunt judicia. Tertullianum *non bona fide recitare doctrinam Catholicorum*; sed, *more suo & hæreticorum, doctrinæ Catholicorum passim calumnias & mendacia admiscere, ut eam odiosè proponat*: Bellarm. l. 2. de Bon. oper. c. 13. ait. Confer lib. 1. c. 5. & lib. III. de Euchar. c. 6. lib. IV. de P. R. c. 8. &c. Photius cod. 109. meminit alicujus Clementis libri, quem ὑποτυπώσεων vocat, & seminarium crassorum errorum, quorum aliquot recenset, neque tamen omnes: Nam μυρία βλασφημεῖ καὶ φλυαρεῖ, *sexcenta blasphema voce nugatur.* Azorius alios in fasciculo exhibet t. 1. moral. lib. VIII. c. 16. ajens; *Lactantius, Eusebius Pamphilus, Clemens Alexandrinus, Julius Africanus, & Arnobius, qui tamen omnes Catholici scriptores censentur, omnes lapsi fuerunt in aliquot errores.* Cum Bellarmino Cyprianus adversus traditiones objiceretur, respondit: *Cyprianum hæc scripsisse, cum errorem suum tueri vellet, & ideo non mirum, si more errantium tunc ratiocinetur.* Lib. IV. de V. D. §. c. II. Confer eorundem judicia superius art. I. plerisque patribus subjuncta. Ex quibus apparet, judicio Pontificiorum Patres hujus seculi erroribus, imo est hæresibus laborasse. Taceo, quod adversarii nostri præterea contendant, plures olim in Patribus errores fuisse, quam hodie inveniantur, postquam istorum fautores exemissent crassiores. Unicum demus exemplum Origenis. Postquam enim Dionysius Petavius Jesuita lib. 1. c. 4. tom. 2. Theolog. dogm. aliquot Origenis errores recensuisset, subdit judicium suum §. 3. f. 17. *Hæc sunt germani Platonici, & Ariana imbuti perfidia scriptoris de Trinitate dogmata, quæ in hodiernis libris περὶ ἀρχῶν frustra requiras. Hæc enim Ruffinus omnia detruncavit, negans hæc Origenis esse; sed ab hæreticis illius intexta fuisse libris asserens.* Et postquam verba Ruffini ex lib. 1. præf. recitasset, subjungit: *Hoc autem Ruffini facinus cum Catholicis omnibus merito detestatus est Hieronymus.* Hæc Petavius. Sed suamet ipse vineta cædit. Annon enim Pontificii ipsi similia patrant in Patribus antiquis,

& recentioribus probata.

quis,

quis, quos castrant? eosque, sub eodem prætextu, mutilant, caussantes, esse quædam ab hæreticis scilicet assuta? Succurrit, quod Sixtus Senensis ordinis Prædicatorum Monachus in præfatione Bibliothecæ ad Pium V. laudat: *Expurgare & emaculari curasti omnia Catholicorum scriptorum, ac præcipuè veterum Patrum, scripta, hæreticorum ætatis nostræ fecibus contaminata & venenis infecta.* Geminum est, quod index Clementis VIII. decernit: *In libris Catholicorum veterum nihil mutare fas sit, nisi ubi aut* FRAUDE HÆRETICORUM, *aut Typographi incuria manifestus error irrepserit.* En Ruffinum redivivum! Eligant Pontificii utrum velint: Aut sunt Patres errorum in scriptis suis contentorum auctores, aut non; Si istud, habemus quod volumus; & plagiarii sunt, quicunque ex illis quædam resecant; Sin hoc, Incertum saltem erit, quid Patrum sit, quidve Hæreticorum.

(II.) *Caussæ* vel *penes ipsos Patres,* qui aut rudiores erant

§. 3. (2.) *Caussæ* horum sive nævorum, sive errorum fuerunt vel penes ipsos Patres hujus seculi, vel penes alios. *Penes ipsos* erat *defectus solidæ eruditionis* & illuminatæ fidei Christianæ. Nonnulli ex Ethnicismo recens erant conversi, & vix primas luminis divini stricturas viderant, cum se ad scribendum conferrent, contenti Gentilium crassiores errores refutasse, hinc facile fieri potuit, ut incautis aliquid erroris excideret. In Victorino Petabionensi Hieroynmus desiderat eruditionem; in epist. ad Orat. M. Lactantius ipsis Pontificiis est *eloquentior, quam doctior*: Imprimis ipsis deerat etiam cognitio linguarũ originaliũ, his Græcæ, istis Hebrææ, illis utriusque, quominus suo Spiritum Sanctum idiomate loqui audirent. Residuæ erant ex Ethnicismo, & Philosophia, *reliquiæ* errorum, & amor erga istas ineptias. Ex hoc seminario non adeo boni fructus inter Christianos excreverunt. Tertullianus de præscr. c. 7. late hoc de for[illegible]e disputat, & Philosophastros Christianos inter alia his verbis pungit: *viderint, qui stoicum & Platonicum & dialecticum Christianismum protulerunt.* Tales erant Clemens Alexandrinus, quem Petavius tom. II. dogm. Theol. c. 4. §. 1. cum honore quidem appellat, dissimulare tamen non potuit ejusdem Platonismum, *Clemens*, ait, *Alexandrinus, & in Græca Platonicaq; Philosophia apprimè versatus, Christianum dogma de verbo Dei, ac filio, Platonis ad mentem*

aut Ethnicismo

accom-

accommodare statuit, sine erroris plerumq; suspicione. Subjungit deinde, quomodo Filium Patre minorem dixerit. Origenem apertius idem Platonicorum errorum paulo post, ut audivimus, arguit post Bellarminum, qui in libro de script. Eccles. tit Origenes, scripsit: *Deceptus Platonica Philosophia, in multos errores incidit.* Vires malum acquisivit ex studio placendi Ethnicis, & lucri faciendi Sapientes hujus mundi. Non possum quin adscribam judicium Petavii, quod tulit in præfatione ad tomum II. c. 3. §. 6. his verbis: *Nec diffiteor hanc ad gentilium ac Philosophicorum decretorum similitudinem temperandæ Christianæ rationem fidei fraudi interdum fuisse vel ipsis enarratoribus illius, ut Origeni, ac similibus: vel librorum ab iis scriptorum lectoribus. Nam de Origene notum est, & à nobis dictum alio loco; Cum is Christiana dogmata, scripturasq; sacras rideri ab Ethnicis, & contemni videret, tum propter eorum simplicitatem; tum quod multa continent, hominum, ac mundi, ut loquitur Apostolus, stulta judicio; dedisse operam, ut aliorsum, quam præ se ferebant, trahenda, & interpretanda illa putarentur: Ac primum rerum gestarum historicam ab scripturis veritatem abjudicasse, totumq; retulisse ad allegoricos, figuratosq; sensus: deinde fidei căpita præcipuè, ad horum similia, quæ penes gentes erant, applicasse; aut hæc in illa transtulisse. De cæteris autem, qui ex hujusmodi scriptorum lectionibus errandi caussas habuerunt, permulta sunt exempla: nec alia magis usurpanda nobis, quam quæ in hoc, de quo agimus, argumento versata sunt. Etenim Ariani, & id genus hæretici, ad erroris sui præsidium veterum aliquot testimoniis abuti solebant.* Hæc ille. Origenem exempli loco allegat, sed ipse solus non fuit, qui in hunc lapidem impegerat, sed socios habuit plurimos, & in his anteambulonem Clementem Alexandrinum, ut vel ex solo Protreptico apparet. Nec diffiterer, quod Epiphanio de Origene videtur, *arrogantiam*, quam ipse ὑπαυχενίαν appellat, suum contulisse, cum plus simplicitate Christiana, Apostolica, & recepta sentire vellent. Interdum *calor disputandi* Zelotas longius provexit, ut Origenem contra Sabellianos, si verum est judicium ἀνωνύμου apud Photium Cod. 117. Thaumaturgum contra alios, judice Basilio epistola Sexagesima quarta. vide Mald. ad Luc. II. 23. Sæpe etiam *rhetoricis flosculis* plus nimis indulserunt, quo effugio explicationes Clementis Alex. Orige-

aut nimio zelo

aut arrogantiæ & vehementiæ

aut traditionib9 nimium tribuebant.

nis &c. eludere vult Mald. in Ioh. VI. n. 113. *Traditiones* quoque multis imponebant. Recentior erat Apostolicorum virorum memoria, & multi hinc inde sive erant, sive credebantur Apostolicorum saltem discipuli, & auditores extitisse; circumferebantur etiam libri, velut ab Apostolis, vel Septuaginta cooperariis, vel ipsorum discipulis scripti, & in his alia quædam præter contenta in SS. literis; Hæc, ut curiosa sunt hominum ingenia, avide amplectebantur, & suis quoque scriptis inserebant, serosque ad posteros propagabant, velut Apostolicas traditiones. Clemens Alexandrinus præcipuus inter credulos fuit: Ex epistola Barnabæ multa recitat varie dicta; Laudat & Evangelium quoddam Ægyptiorum, in quo Christus ad Salomen dixisse legitur: *veni ad dissolvendum opera fœminæ.* lib. strom. III. Origenes quoque in libros περὶ ἀρχῶν, de fidei capitibus præcipuis agentes, ita præfatur: *Cum multi sint, qui se putant scire, quæ Christi sunt, servetur vero Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & usq; ad præsens in Ecclesiis permanens, illa sola credenda est veritas, quæ in nulla ab Ecclesiastica discordat traditione*: Sic ille gloriatur, sed quæ in libris istis traditio hodie inveniatur, palam est, nempe seminarium variarum hæresium: Et forsan plures haberemus errores, si genuina Hieronymi versio superesset, quæ enim hodie exstat est Ruffini interpolatoris.

vel *penes alios*, ut hæreticos.

§. 4. Interdum caussa residebat *penes alios*. Erant enim inter hæreticos, qui insigniorum Patrum scripta corrumpebant; Origenis libros ab hæreticis esse corruptos tradit Ruffinus, ejusdem hyperaspistes, in præfatione librorum περὶ ἀρχῶν; Et Anonymus quidam apud Photium cod. 117. Neque diffitetur Sixtus Senensis æmulos quoque Origenis scripta ipsius corrupisse. vide lib. V. Bibl. sanct. annot. 53. & 131. 134. 135. 144. 160. Lactantium quoque suspicatur Thomassius à Manichæis esse maculatum in libris divinarum institutionum. Certe Pontificii, si quo Patris loco premuntur, confidenter ajunt, esse corruptum ab hæreticis. Origenes ad Matth. XV. II. mentionem faciens corporis & sanguinis Christi, ipsum appellat *typicum & symbolicum corpus*: Quid Sixtus Senensis? *Erasmus Roterodamus,*

damus, ait, *hunc locum primus omnium animadvertit, & inscholiis Origenici fragmenti à se translati lectorum judicio expendendum protulit. Ego ut libere pronunciem sententiam meam, suspicor hunc locum fuisse ab* HÆRETICIS *depravatum* Bibl. sanct. lib. VI. annot. 66. Erant quoque, qui adulterinos fœtus Patribus supponerent. e. g. Hippolyto Portuensi adscribitur libellus de consummatione mundi, Antichristo, & secundo Christi adventu, qui prodiit Parisiis anno 1557. Sed Iuellus contra Harding. art. I. sect. 5. aliique censent, suppotititium esse fœtum. Huc spectant indices Pontificiorum expurgatorii, de quibus operæ precium est audire confessionem Jacobi Gretseri lib. 2. de libb. prohib. c. 10. §. quarto. Postquam enim exposuisset decretum Gelasii, quo Tertulliani, Origenis, aliorumque Patrum scripta proscripsit, infert Jesuita: *Jus hoc semper & est, & fuit, & erit, penes Ecclesiam, ut, quæ gregi detrimentum adferunt, solicitè amoliantur. Et si integrum librum proscribere fas est, fas etiam erit proscribere partem libri, seu magnam, seu parvam, eam exscindendo, delendo, obliterando, vel simpliciter omittendo, idq; ob lectoris utilitatem.* Hæc ille. Fas igitur fuerit etiam Tertullianum, Origenem, alios patres hujus seculi truncare in iis locis, in quibus cum Evangelicis faciunt: Quid mirum igitur errores in scriptis ipsorum inveniri? & corruptores;

. 5. Sufficerent hæc nostro scopo, qui erat, ostendere, Patres etiam in hoc seculo suis nævis & erroribus laborasse; Cæterum, ut evidentius appareat, quod intendimus, subjicimus (3.) *Exempla*, quæ ad duo capita possunt referri, nempe Phraseologiam, & Pragmatologiam. Patres enim interdum incommodè locuti sunt, interdum erroneas sententias foverunt. *Incommode locuti*, id quod malumus iterum Petavii, quam nostris, verbis exprimere: *Complures antiquorum illorum, quos auctores ac testes appellamus fidei nostræ, de plurimis dogmatibus, præsertim vero de Trinitate, multum à nobis diversa scripserunt. Verum & paucissimi illi sunt, qui in re dissentiunt à communi fide, &, si sinceros, purosq; Catholicos quærimus, omnino nulli. In reipsa dixi. Nam in loquendi modo paulululum quosdam variasse, in tertio & quarto capite primi libri de Trinitate monstravimus.* In quarto deinceps libro adducit

(III.) *Exempla.* I. In phraseologia

cit Clementis Alexandrini, Origenis, Dionyſii Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, Methodii, Luciani Martyris, de Trinitate loquendi formulas, non adeo probandas: e.g. Clemens Alex. lib. VII. ſtrom. naturam Filii divinam appellat τὴν τῷ μόνῳ παντοκράτορι προσεχεστάτην *omnipotenti Deo citimam*; quæ phraſis, Petavio judice, *Platonici, & Ariani dogmatis indolem ſapit.* Addit ex lib. IV. ſtrom. quod Pater *non cadat ſub demonſtrationem, adeoque neque ſub ſcientiam; Filius vero ſapientia ſit, & ſcientia, & veritas, & quæcunque cognata ſunt iſtis. Proinde demonſtrationem habet, & uberiorem enarrationem*: quibus verbis *inferiorem Patre Filium* inclementer cenſet. Pergit Petavius, & ex Hieronymi ad Avitum epiſtola plures recenſet Origenis phraſes adeo abſurdas, ut ipſam quoque ſententiam talem fuiſſe neceſſe ſit: certe *Arianæ perfidiæ ſemina* hinc inde ſparſa ſunt: *Chriſtum Filium Dei non natum eſſe, ſed factum; Deum Patrem per naturam invisibilem, à Filio non videri; Filium, qui ſit imago inviſibilis Patris, comparatum Patri non eſſe veritatem: apud nos autem, qui Dei omnipotentis non poſſumus recipere veritatem, imaginariam veritatem videri* &c. Hæc & alia plura legas apud Hieronymum, rigidum tamen Origenis cenſorem. Conjungit Petavius Origeni Dionyſium Alexandrinum, quippe qui & ipſe *de Filio Dei ſcripſit aliqua, quibus minorem eſſe eum Patre ſignificavit, & Arianorum prælusit hæreſi.* §. 10. Exemplis accuſationem declarat: *Opus* enim *quoddam, & factitium* dixit *eſſe Filium Dei: neque porro natura proprium, ſed peregrinum ſecundum ſubſtantiam eſſe à Patre: quemadmodum Agricola comparatur ad vitem, & navis fabricator ad navem, ſiquidem tanquam qui opus eſt, non erat antequam fieret:* Quid magis ad palatum Arianorũ potuiſſet dici? In eandem naſſam incidit Gregorius alias Thaumaturgus, Nam & ipſum *ſuſpectas nonnunquam de Trinitate ſententias protuliſſe teſtatur Baſilius epiſtola quarta & ſexageſima: Ubi illum excuſat, quod non dogmaticè, neque affirmando talia dixerit; ſed vel diſputantis, alternantisque more, vel ad eum, quo cum certabat, gentilem hominem ſeſe temperantem, accuratius expendere iſta noluiſſe*: Ita cenſet iterum Petavius §. 10. Et merito, nam κτίσμα, *creaturam*, ποίημα *factitium* quid Filium appellat. Lucianum Presbyterum Antiochenum Samoſateniaſmi arguit vel ipſe Alexander Epiſcopus Alexandrinorum, cum ad Alexandrum Byzantinum

Chiſtologiæ

zantinum perscripsit: *Lucianus* (Paulum Samosatenum) *excipiens à tribus Episcopis longo tempore mansit excommunicatus:* Et fatetur Petavius §.13. quod *de Filii divinitate, & æquali, vel una potius, cum Patre substantia, haud satis recte ab nonnullis sensisse prodatur.* Ex dictis elucet, quomodo Patres omnes, vel certè præcipui & plerique, quorum extant in seculo tertio scripta, incommodè saltem locuti fuerint in gravissimo articulo de Christo, ut Arianis non parum præluserint. In *Theologia* similes loquendi formulæ occurrunt. Negant Deum habere *nomen* Novatianus lib. de Trinit. c. 4. Et ante ipsum Octavius in dialogo cum Cæcilio; nec non Cypr. de idol. van. §. 5. Confer quæ supra art. III. sect. 3. §. 3. præmisimus. Id vero ita crudè dicendum non erat, sed cum distinctione ab Origene adhibita, ut l. c. diximus. *Corpus* Deo assignat Tertullianus. c. 3. adv. Prax. & alibi passim: Et sunt rationes, etiam ab Augustino adductæ, quibus excusari potest phrasis, sed præstitisset ab ista phrasi abstinuisse, ne haberent Anthropo morphitæ speciem alicujus auctoritatis antiquæ. *Hypostasin* trium personarum esse unam, commune Patrum horum dogma fuit. Unde Sabellius ipsorum sese auctoritate tueri voluit, conquerente Basilio ep. 62. *Trinitatis* mysterium verbis sæpe incongruis tractasse fatetur & deplorat inter alios ipse Dionysius Petavius in præfatione tomi secundi c. 1. seqq: opp. Cujus verba paulo ante allegavimus: In *attributis* divinis perinde versati sunt. e. g. De præsentia Dei Clemens Alex. lib. 2. strom. nec non Lactantius de opif. Dei. c. 16. ita scribunt, ut non ubique præsentem esse putes. De mente quidem orthodoxa non dubitamus, sed verba commodiora fuissent adhibenda. Confer superius dicta art. III. sect. 3. § 17. De potentia & voluntate Dei non semper sobrie loquebantur: Ita enim ista confundebant, ut Tertullianus dixerit Deum se Patrem & Filium potuisse facere, dummodo voluisset. c. 10. ad. Prax. De *operibus Dei* mens interdum melior erat lingua & calamo. Tertullianus Marcionis Deum confutatur⁹ argumentū sumit ab absurdo otii & cessationis, qua ab æterno quieverit: vide c. 12. & 22. adv. Marc. inde facili negocio deduci putabat, mundum ab æterno esse creatum: certe Origenes videtur inde errandi ansam sum-

Theologiæ.

sisse:

fisse: Nam ex eodem medio termino lib. I. de princ. c.2. pro mundi æternitate argumentatur. Periculosè Lactantius lib. 1. c. 7. scribit, Deum Patrem ex seipso esse creatum, Angelos esse corporeos Tertulliani sententia est lib. 3. adv. Marc. c. 9. & 11. Quod ipsum de animabus quoque hominum asserit Apol. c. 48. de anima c. 5. seqq: de carne Christ. c. 11. adeo, ut & sexum animabus tribuat. Easdem dicit ex substantia Dei, tanquam ex materia esse creatas. lib. IV. adv. Marc. c. 37. Quæ quidem commode & benigne possunt explicari, formulæ tamen loquendi insolentes sunt. In Ἀνθρωπολογίᾳ similes phrasium nævi occurrunt. e. g. Apud Cyprianum præsertim frequens est vox mereri de homine usurpata pio & honesto; qua quidem ipse meritum propriè sic dictum non intelligit, vide B. Dn. D. Dannh. Christeid. p. 258. & 997. interea tamen Pontificii ansam inde sumpserunt vel errandi, vel nos impugnandi. Idem *novo* quodam *& peculiari modo loquitur: offerre pro defunctis, & sacrificium pro dormitione eorum celebrare lib.* 1. *ep.* 9. *quas phrases interpretantur Pontificii de sacrificio propitiatorio, & de suffragiis pro expiandis & redimendis animabus defunctorum:* ut habent Chemnitii verba part. 3. exam. p. m. 167. Etiamsi autem & hæ phrases meliorem in sensum explicandæ sint, ut apud eundem Chemnitium videre est, attamen à novis formulis Cyprianus debuisset abstinere. In materia de *libero arbitrio* patribus hujus seculi phrases nonnullæ exciderunt, præsertim contra Manichæos disputantibus, quas deinde Pelagiani pro suis erroribus arripuerunt. *Purgatorii* primas scintillas dedit Origenis hom. 3. in Psal. 36. de quo infra.

Anthropologiæ.

§. 6. Satis opinor exemplorum produxi, ex quibus manifestũ est, Patres hujus seculi non semper saltem circumspectè esse *locutos.* Pergamus ad πραγματολογίαν, quam distribuimus in Pseudhermeniam, & Pseudodidascaliam. Solent enim adversarii nostri adversus nos allegare traditiones Patrum cum Hermeneuticas, tum Dogmaticas, quare opus erat ostendere, Patres & in scripturæ dictis explicandis, & in dogmatibus tradendis etiam communes errores errasse. *Pseudhermenias* plures in hoc seculo deprehendimus. Præcipuæ caussæ erant partim

2. In pragmatologia,

ut Pseudhermeniæ

tim ignorantia linguarum Originalium, partim desertio literæ, & sectatio sensus mystici tanquam sublimioris. Patres scripturarum interpretes odore Platonico adhuc erant infecti, nec simpliciores videri volebant transcendentalibus Ethnicorum Philosophis, ideoque deserta scripturæ, seu literalis sensus, simplicitate, mysteria scilicet sublimiora quærebant, & enarrabant citra mentem Spiritus Sancti. Id quod §. 3. verbis ipsius Petavii probavimus. Confer suffragia Melchioris Cani Loc. Theol. lib. VII. c. 3. §. 11. Riberæ in prooem. super Malach. Bell. lib. 3. de amis. grat. c. 3. sect. 3. Ex vetustioribus vide, imprimis quod Origenem attinet præcipuum scripturarum in hoc quidem seculo interpretem, Epiphanium in epistola ad Johannem Hierosolymitamum; Hieronymum in epistola ad Pammachium, Basilium homilia 3. in Hexaëm: qui sive expresso, sive tacito, Origenis nomine, Pseudhermenias ipsius atro calculo notarunt. Dabimus aliquot exempla, eaque ex ipso Sixto Senensi Ordinis Prædicatorum Monacho; quæ lib. V. Bibl. sanct. ipse annotavit, & veterum suffragiis interdum confirmavit. Gen. I. 7. extant verba: divisit aquas, quæ sub firmamento &c. Quæ Origenes ita intelligit, ut aquæ supra firmamentum sint Angeli boni; infra sint mali, seu dæmones. annot. II. Idem verba v. 17. posuit stellas in firmamento: eo explicat, ut stellæ sint signa rerum futurarum & contingentium; annot. 15. Gen. VI. 2. mentio fit filiorum Dei, ut duxerint filias hominum; Sed hic veluti scopulus fuit, in quem præcipui patres impegerunt. Iuvat adscribere confessionem Jacobi Pamelii Pontificii, qui statim in fronte paradoxorum Tertulliani notat, locum à Tertulliano explicari *de Angelis desertoribus, qui duxerunt filias hominum:* id quod subjectis aliquot locis ostensum dat, & subjicit: *Hujus paradoxi Tertullianus primus auctor non est, neq; postremus; sed, sicuti partim adnotavimus ad librum de Habitu Virg. ubi maximè ex proposito illud tractat, ante eum Joseph. antiqui. lib. I. Justinus Martyr. Apolg. utraq;. Athenagoras in Apol. Clemens Alex. lib. 3. & 5. strom. post eum Lactant. lib. 2. instit. divin. c. 15. S. Cyprianus lib. de disc. & habitu Virg. n. 57. Euseb. lib. 5. præp. Evang. Et Method. serm. de resurrect.* En consensum seculi in

Pseudhemenia; Quæ caussa fuerit, idem docet, subjiciens: *Caussam erroris dedit, quod LXX. editio Græca vetus, quam illi secuti sunt, post Philonem, legeret: οἱ Ἄγγελοι τῶ Θεῶ, & Latina Italica, vel S. S. Ambros. August. Procopio testibus, Angeli Dei, pro eo, quod postea lectum invenitur: οἱ υἱοὶ τῶ Θεῶ, & Latine, filii Dei.* Sicut igitur in hoc loco errarunt, ex ignorantia linguæ originalis, pariter in aliis quoque locis in unum vel alterum errorem conspirare potuerunt. Num. XXXIII. 1. memorantur *mansiones filiorum Israel*; unde Origenes hom. 27. in Num. colligere vult: *animas post resurrectionem non statim elevandas ad Dei visionem, sed per multas illuminationum ascensiones gradatim ad Dei contuitum deducendas*, referente eodem Senens. annot. 128. Psalmo. I. 5. dicitur, Impii non resurgent in judicio: Quæ verba sic exponit Origenes, homines non in iisdem numero corporibus resuscitabuntur. annot. 148. Psalm. 141. 8. verba: *educ de custodia animam meam*, idem Adamantius exponit de corpore, velut animæ carcere. annot. 210. Eccles. I. 9. ex verbis: *Quod est, quod factum est? id ipsum quod futurum est?* idem vult elicere, alium ante hunc mundum fuisse, & post hunc futurum esse. annot. 223. Matth. XXVII. 33. calvariæ locum Origenes in Matth. 35. tr. exponit de cranio Adæ: verba subjungit Senensis annot. 122. lib. 6. Et addit: *Amplectuntur hanc narrationem plerique veterum, ceu rem verissimam; inter alios potissimum Athanasius in libro de passione Domini, Cyprianus in sermone de resurrectione, Ambrosius &c. Theophylactus, Euthymius &c. Hieronymus* autem *ejusmodi traditionem, ut fabulosam, explodit.* Hæc ille. Gal. II. 10. refert Paulus, quod in faciem Petro restiterit: quod factum simulatorium fuisse exponit Origenes in commentariis epistolæ ad Galatas: eumque sequuntur, Sixto Senensi annot. 274. lib. VI. annotante, Theodorus Heracleæ Episcopus, Eusebius Emisenus, Didymus Alexandrinus, Apollinarius Laodicenus, Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius: Contra stat Augustinus in tribus epistolis ad Hieronymum ea de re scriptis. Ex hisce exemplis puto satis clarum esse, quod Patrum etiam consentientium auctoritas in explicandis scripturis non semper tuta sit, cum & in erroneam expositionem possint conspi-

conspirare. Cui otium est, plura colligat ex lectione Patrum hujus seculi; novi, plurimas incommodas sese oblaturas expositiones, ut dono hermeneutico rarius instructos fuisse ultro fatearis. Ipsis certe Pontificiis commentatoribus religioni non est à Patrum expositionibus recedere, imo aperte easdem damnare. Evolvantur commentarii, & res patebit.

§. 7. *Dogmatici* nævi & errores ad IV. generalia capita revocari possunt. I. *De principio fidei.* Nam diffiteri non possumus, quod Patres Zizania traditionum incertarum, imo adulterinarum, scriptis suis admiscuerint. Affingebant ipsi, vel affingi saltem patiebantur, Apostolis libros & epistolas, & scripta alia, quæ ipsos tamen auctores non recognoscebant: Interdum usurpabant libros, quos prudentiores posteri orthodoxi rejecerunt; Non raro vivis narrationibus sibi imponi patiebantur: Tradit Clemens Alex. dixisse Paulum, *libros quoque Græcos sumite & agnoscite Sibyllam, quomodo unum Deum significet, & ea, quæ sunt futura, & Hystaspem sumite, & legite, & invenietis Dei filium multo clarius & apertius esse scriptum, & quemadmodum adversus Christum multi reges instruent aciem, qui eum habent odio, & eos, qui nomen ejus gestant, & ejus fideles, & ejus tolerantiam, & adventum.* Sic ille lib. VI. strom. f. m. 636. Præmiserat etiam de Petro Apostolo sermones varios; inter alios etiam hunc: *Hunc Deum colite non ut Græci, utpote quod eundem, quem nos, colunt Deum, qui sunt viri probi apud Græcos, sed non perfecta & absoluta cognitione, ut qui à filio datam non didicerint traditionem.* Scilicet Petrus dixerit, *Græcos eundem, quem nos, coluisse Deum*, cum nesciverint Deum Patrem, & Spiritum Sanctificantem, & Jesum Christum sanguine suo mundantem: ut verum Deum describit Petrus in genuina epistola priore c. I. 2. Unde turpiter sibi contradicit personatus Petrus, cum in verbis immediate sequentibus invehitur in Græcos, quod pro Deo vero coluerint creaturas Dei; an enim creaturas Dei pro Deo ipso agnoscens, agnoscit verum Deum? Absurda absurdis cumulat, cum de Græcorum philosophia ita philosophatur, ut dicat, Græcis philosophiam suam fuisse, quod nobis est scriptura sacra: *Idem Deus utcunque suppeditavit utrunque testamentum, qui etiam Græcis dedit Græcam philosophiam*

& *Pseudodidascaliæ.*

(I.) de principio fidei.

per quam omnipotens à Græcis gloria afficitur: Et paulo post: *Quemadmodum Judæos Deus salvos esse voluit, dans eis prophetas, ita etiam Græcorum spectatissimos propriæ suæ linguæ Prophetas excitatos, prout poterant capere Dei beneficentiam, à vulgo secrevit.* Quis credat, Petrum tribuere philosophiæ vim salvandi, qui eam gloriam voluit esse unius & solius verbi Prophetici. 1. Petr. I. 10. seqq. 2. Pet. I. 19. seqq: Evangelium aliquod secundum Ægyptios circumferebatur, quod Clemens idem citavit, adductis inde verbis, ut vocant, formalibus. Strom. lib. III. f. m. 452. allegat verba Salvatoris ad Salomen: *Veni ad dissolvendum opera fœminæ: Fœminæ quidem cupiditatis; opera autem generationem & interitum.* Pastorem, sive Hermam, librum fictitium & erroneum in peculiari pretio idem habuit; Nam frequenter allegavit; qui tamen variis erroribus scatebat, fatente ipso Bell. d. script. Eccles. tit. Pastor. §. 44. p. 34. Transeo lubens alia.

(2.) In Theologia

§. 8. (2.) De *Theologia.* De hac superius aliquot incongruas Patrum phraseologias, ut mitissime vocavimus, rectius errores, annotavimus. Occurrunt autem præter eas dicta quædam, quæ ipsis Pontificiis commodum admittere sensum non videntur. Tertullianus *capite XII. adv. Prax. manifeste demonstrat, Filium, sive Sermonem, & Spiritum secundam & tertiam Trinitatis personam, non ex æterno subsistentes cum Patre fuisse*: verba sunt Dionys. Petav. tom. 2. Theol. dogm. lib. 1. §. 3. cap. V. Non melioris commatis sunt, quæ Origenes in Joh. IV. 24. commentatur, judice Sixto Senensi lib. VI. Bibl. annot. 188. *Origenes*, ait, *tomo in Johannem 13. super hac particula* (Spiritus est Deus) *digrediens, tradit, Patrem tanto superiorem esse Filio, ac Spiritu Sancto, quanto Filius & Spiritus Sanctus omnibus creaturis superiores sunt.* Ab Origene forsan seductus Lucianus Antiochenus Presbyter negavit Filium esse æqualis, vel ejusdẽm essentiæ, cujus pater: ut *à tribus Episcopis longo tempore manserit excommunicatus*: scribente Alexandro Alexand. Episc. ad Alexandrum Constantinopolitanum apud Theod. lib. I. hist. c. 4. vide Petav. l. 1. tom. 2. c. 4. §. 13. De Paracleto Montanistico Tertulliani res notior est, quam ut doceri debeat: Loca plurima congessit Pamelius in paradoxis Tert. §. 26. Nec satis purus est Cyprianus in epistola ad Pompejum,

Spiritum

Spiritum S. faciens minorem Christo. In explicandis *attributis* divinis aliquot errores deprehenderunt ipsi Pontificii. Duas esse Dei potentias Origenes statuit, notante Methodio, & referente Petavio §. 12. Nam *eam sententiam Catholicæ fidei regula usurpari non finit.* "*Nihil enim Pater sine Filio, ac nisi per Filium efficit:* ait Jesuita. Alius est error, *tantum posse Deum, quantum ei ad operandum materia ministrarit*, quod Origenes statuit, & ex epistola paschali prima Theophili Alexandrini colligit Petav. t. 1. opp. Theol. lib. 5. c. 5. §. 5. *Inter Origenis errata commemorari & istud solet: Deum Patrem per naturam invisibilem, etiam à Filio non videri. Quod ex libro* περ. ἀρχ. *primo refert Hieronymus in epistola* 59. *ad Avitum &c.* juxta Petav. lib. VII. c. 6. §. 5. ubi Ruffini adulterinam distinctionem notat, & refutat. Inter opera divina est *creatio*, qua producti sunt etiam *Angeli*. Cæterum inter Patres fuerunt, qui dicerent, Angelos ante mundum conditum extitisse, quæ sententia fuit Origenis comment. in Gen. I. Substantia esse corporeos, Tertullianus, Clemens Alex. Origenes, Methodius statuerunt. vide Petav. de Angel. l. 2. c. 2. Hominum tutelæ esse destinatos tum demum, cum multiplicarentur, Lactant. l. 2. Instit. c. 15. sentit. Idem post plures alios somniavit, bonos Angelos hominibus custodiendis impositos, libidine exarsisse in pulchriores hominum filias, ex iisdemq; gigantes genuisse. l. c. Mereri sibi Angelos majores beatitudinis gradus Origenis error est, castigatus à Maximo apud Petav. l. 2. de Ang. c. 5. §. 1. Ejusdem est, Angelos suo periculo resistere dæmonibus, hom. 35. in Luc. Petavio refellente, l. 2. c. 6. §. 14. & §. 15. Plures esse *mundos* idem Origenes errorem erravit, arguente Hieronymo ad Avitum. Hominis animam à Deo esse creatam negavit Arnob. l. 2. adv. gent. Castigatus à Petav. t. 1. opp. Theol. l. 8. c. 5. §. 4. Eandem ante corpus extitisse censuit Origenes: ut & sidera animata lib. I. περ. ἀρχ. c. 7. *Fatali necessitate* omnia gubernari quorundam opinio fuit. Sic enim Origenes tom. 3. in Gen. l. 14. disserit: Hoc quoque errore multi eorum, qui fideles habentur, distracti dubitant: *An in necessitatis angustias contractæ sint res humanæ, nec aliter fieri possint,* ἢ ὡς ἀστέρες κτ̄ τοὺς διαφόρους σχηματισμοὺς ἐπιτελοῦσιν, *ac stellarum diversa*

diversa positio & figuræ perficiant, quibus arbitrii libertatem, laudem, & vituperium, probas & improbas actiones funditus tollant, necesse est. Sic ille. Cultum divinum sideribus tribuebant. Nam *Clemens Alexandrinus in sexto Stromateon plane hoc diserteq; confirmat, gentilibus datum à Deo esse solem, lunam, ac stellas ad religionem atq; cultum, ut ne penitus ἄθεοι forent.* verba sunt Petav. lib. 2. de Angel. c. 7. §. 5. quibus subjungit verba Clementis ipsius, id probantia, & concludit suis: *Hanc quorundam ante se opinionem fuisse testatur Origenes Tomo secundo in Johannem: & videlicet Clementem intelligit præceptorem suum, cui & suffragari videtur.* Hæc ille. Quis igitur miretur eundem Origenem etiam cultus Sanctorum semina sparsisse? de quibus disserit noster Chemnit. t. 3. conc. Trid. p. m. 322.

(3.) In Christologia

§. 9. (3.) De *Christologia* etiam pauca quædam superioribus addamus. Impingebant veteres in ipsius (1.) *personam*, ejusdemque naturas, cum divinam tum humanam; Istam, quia Filium etiam secundum divinam suam naturam faciebant minorem Patre. Origenes verbum substantiale ait à Deo esse creatum ab initio mundi, & participatione quadam, non vere, ut Pater est, esse Deum: quod ex scriptis ipsius demonstrat Petav. t. 2. opp. Theol. c. 5. §. 4. seqq: Et ex veteribus, quibus Arii pater appellabatur, probat & illustrat. Nec Dionysius Alex. omnino extra culpam est; *Non omnia illius hominis admiramur, nonnulla vero prorsus etiam rejicimus. Propemodum enim istius, quæ nunc divulgatur, impietatis Anomœorum, quantum scimus, prima ille humano generi semina præbuit; Caussam vero hujus rei non puto improbitatem animi fuisse, sed quod Sabellio vehementius obluctari cuperet:* verba sunt Basilii epist. 41. allegata à Petav. §. 9. Ex præmissis sequitur, quod æternum extitisse filium negarint. De Tertulliano non dubitat Petavius c. 5. §. 3. scribens: *Hæc fuit Tertulliani de Filio Dei, verboq; sententia, tunc ipsum à Patre genitum, ac Filium esse factum, quando res omnes creatas è nihilo fabricare coactus est, ad idq; sermone est usus.* Si igitur creatus est Dei Filius, Patri non erit coæternus. Idem Petavius cap. V. §. 4. invehitur in Tertullianum his verbis: *Filium multo inferiorem Patre constituit, etiam ante incarnationem, quasi portio tantum sit, non plenitudo ipsa substantiæ.* &

§. 5.

§. 5. *Quod vero ad æternitatem attinet verbi, palam est ex iis locis, quos supra descripsimus, Tertullianum minime illam agnovisse, ac frustra niti Pamelium, ut errori manifesto colorem obducat, quasi perinde fuisse tempus dixerit, cum non esset filius.* & §. 16. *Lactantius à Tertulliani opinione non discrepat, ac de Filio Dei prorsus indignè absurdeq́; statuit.* Allegat deinde ipsius verba, quibus probet assertionem §. 5. dixerat de Novatiano, quod de Filio Dei *absurdè pleraq; tradiderit*: quod ipsum testimoniis subjunctis probat. Quod ad *humanam* spectat naturam, eam quidem directè non negarunt, indirectè tamen ipsi derogarunt, qui affectiones & necessitates humanas ab ipsa removerunt. vide Scultet. Medul. p. m. 120. D. Dannh. Christeid. p. 337. ubi Clementem Alex. propterea notat. Sed & illud erroneum est, quod Tertullianus statuit, *visum Christum* (in V. T.) *in carne vera & solida, etsi non nata*: quod ideo statuit, ut adversus Marcionem veritatem carnis Christi obtineret. vide Pamel. parad. Tert. §. 19. Nec hoc verum est, quod Christus eo fine incarnatus fuerit, ut ostenderet hominibus, sufficientes esse ipsorum vires legi implendæ. Scultet. Medul. p. 120. Impingebant etiam (2.) *in officia*: Et quidem in *propheticum*: Nam Clemens Alex. Origenes &c. statuerunt descendisse Christum ad inferos, & Patribus Evangelium prædicasse: vide Clem. Alex. lib. VI. strom. Orig. l. 2. contr. Cels. In *Sacerdotale*; sensit enim Origenes, Christum esse etiam pro dæmonibus passum; arguente Hieronymo in epist. ad Avit. vide Sixt. Senens. Bib. p. 464. an. 17. p. 625. Redemisse ipsum Ethnicos damnatos ex inferno, ubi jam degebant, Clementis opinio est. lib. V. & VI. strom. *In regium*: Opinabantur enim facta resurrectione mortuorum Christum per mille annos inter suos felicissime regnaturum esse. Ingenue Salmeron Jesuita proleg. in epp. Pauli l. 1. part. 3. disp. 6. fatetur: *Papiæ sententiam de resurrectione post mille annos Nepos, Cantor, & Lactantius sunt secuti.* Sixtus Senens. lib. VI. Bibl. annot. 347. Hieronymum adducit, qui Victorino Pitabionensi eundem errorem hinc inde tribuit; & insuper *in præfatione libri in Isaiam decimi octavi, & libro in Jeremiam quarto, refert, Irenæum Lugdunensem Episcopum, Tertullianum, Lactantium, Apollinarum, Severum Sulpitium, magnamq; Catholicorum multitudinem*

titudinem fuisse in opinione Victorini, in qua etiam comperio fuisse Iustinum Philosophum & Martyrem. &c. Aliter in idem officium Origenes impingit, cum negat, dæmonas Christo esse subjectos: lib. VIII. adv. Cels. p. 388.

(3.) In Anthropologiæ Statu I. Institutionis

§. 10 (4.) De ἀνθρωπολογία, & quidem de statu (1.) *Institutionis* male Origenes sensit, animas ante mundum ab æterno esse conditas, eo quod ab æterno ipsarum refugium fuerit Deus, ut videtur loqui David Psal. 89. v. 2. propterea castigatur error, tacito auctoris nomine, ab Hieron. in expl. Psal. hujus. Nec hoc bene sensit, animas felicitatem suam pertæsas ex voluptate in corpora delapsas esse, notante Pererio Jesuita in Joh. I. disp. 23. n. 82. vel certè peccati commissi caussa ad corpora, velut ad carceres, esse damnatas; quam sententiam in Origene à Methodio esse damnatam refert Sixt. Senens. lib. V. Bibl. annot. 185. & 236. Lactantius hominem ex rebus inter sese pugnantibus factum esse censuit; Sic enim lib. 2. c. 12. scripsit: *Ex rebus diversis ac repugnantibus homo factus est, sicut ipse mundus ex luce, ac tenebris, ex vita & morte: quæ duo inter se pugnare in homine præcepit, ut, si anima superaverit, quæ ex Deo oritur, sit immortalis, & in perpetua luce versetur; Si autem corpus vicerit animam, ditioniq; subjecerit, sit in tenebris sempiternis in morte.* Habes seminarium purorum, quæ vocarunt deinde, naturalium. Hominem esse creatum ad imaginem eam, quam Christus homo factus repræsentavit, Tertulliani mala fuit opinio lib. de resur. carn.

2. destitutionis

(2.) *Destitutionis.* Male veteres existimarunt, Dæmones libidine erga hominum filias accensos Gen. VI. 2. tum demum cecidisse; Et animas ex voluptate à cœlis in terras esse detrusas. Periculosè & illud sensit Lactantius, Deum ideo permittere mala grassari, ut virtuti ratio sua constet, improbante ipso Scultet. Medul. p. 346.

(3.) *Restitutionis* de Conversione & justificatione hominis

(3.) *Restitutionis*: Veteres nonnulli gratiæ divinæ derogarunt, opera nimium extollentes: Clemens enim Alexandrinus eo progressus est, ut diceret, *philosophia Græcos perse justificabat*: lib. 1. strom. Origenes in Rom. IX. celebre dictum; non est volentis, neque currentis, ita commentatur, *qui vult & qui currit, hoc videntur esse, quod ille, qui plantat.* Cooperantur igitur Deo convertenti. Tertullianus lib. 2. contr. Marc. *Eadem*,

dem, ait, *libertas & potestas, quæ fuit in Adam, etiam nunc efficit victorem de diabolo.* Et in fin. apolog. *Quis non Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat?* Cyprianus suffragatur, docens in arbitrio nostro situm esse credere vel non credere. lib. 3. ad. Quirin. c. 52. Quantum idem eleemosynis tribuat, nempe expiationem delictorum post conversionem commissorum, videre est in libello de eleemosyna: quasi vero non perinde hæc expiet peccata sanguis Christi, sicut ista. *Sacramentis* quoque errores inferebant. Cypriani sententia, & ante ipsum Agrippini, Cypr. ep. 71. & Tertulliani, *baptismus* ab Hæreticis administratus non erat sive ratus, sive rectus; unde emergebat controversia alia: εἰ δέοι τοὺς ἐξ ὁιασοῦν αἱρέσεως ἐπιστρέφοντας διὰ λουτροῦ καθαίρειν: *utrum oporteret eos, qui à quocunq; hæresis genere reversi essent, baptismo purificare* i. e. de novo baptizare? Euseb. VII. hist. c. 2. Affirmabant Agrippinus & Cyprianus *contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem ac instituta majorum*: judice Vincentio Lirinensi: Nam in maximis etiam Episcoporum conciliis sanxerunt: ὥστε τοὺς προσιόντας ἀπὸ αἱρέσεως προκατηχηθέντας, εἶτα ἀπολούεσθαι καὶ ἀποκαθαίρεσθαι τὸν τῆς παλαιᾶς καὶ ἀκαθάρτου ζύμης ῥύπον, *uti, qui ab hæresis impietate recedunt, debeant primum in fide institui, deinde veteris & impuri fermenti eluvie ac sordibus ablui, purgariq;*. Euseb. c. 4. & Tert. c. 14. de bapt. *Hæretici*, ait, *nullum habent consortium nostræ disciplinæ, quos extraneos utiq; testatur ipsa ademptio communicationis.* Eodem tendere videtur Clemens Alex. lib. 1. strom. f. m. 317. in illa verba: *trajicies aquam alienam*: commentatur: *baptisma hæreticum, non convenientem & germanam aquam reputans.* In nervum erupit controversia sub Cypriano Afrorum, & Firmiliano Cappadocum Episcopis. Quæsitus enim Cyprianus à quodam Magno: utrum ratus esset Novatianorum baptismus? negavit ille; ep. 76. Idem à Numidis Episcopis pridem quæsitum fuerat, cum Cyprianus, & alii Episcopi itidem negativam tuerentur, eamque ad Januarium & socios Episcopos perscriberent: ep. 70. Ad Quintum quoque Mauritanum. ep. 71. ut adeo non unius solum & alterius, sed plurium Episcoporum iste error fuerit. Synodi enim fuerunt, & illæ quidem

de Sacramentis nempe Baptismo.

copiosæ, quibus ista sententia probabatur. Semel ex Episcopis LXXI. constabat, Cypr. ep. 73. Iterum ex pluribus alia, nempe LXXXVII collecta, præsente semper Cypriano. Firmilianus eadem de caussa intererat Iconiensi synodo frequentissimæ, quæ & ipsa Afrorum sententiam amplectebatur, teste Dionysio Alexandrino apud Euseb. hist. lib. VII. c. 6. Imo *hujus seculi & Ecclesiæ Ornamentum* Dionysius modo laudatus istis subscripsit, quod ex aliquot ejus epistolis patet: Qui tamen in alterum deinde extremum declinavit, negans, etiam Pepuzianos, Spiritus S. abnegatores, esse rebaptizandos. vide Basil. in epist. Canon. ad Amphiloch. c. 1. In quo ipso errorem etiam Stephanus Pontifex commisit contradicens Cypriano, quod à nulla hæresi venientes sint rebaptizandi. vide supra art. II. sect. 2. §. 10. Hactenus de *ministro* baptismi. *Objectum* baptismi solos adultos constituit Tert. de bapt. c. 18. & conjugatos l. c. Sequitur de *Cæremoniis*. Invectæ erant variæ unctiones. s. Chrismata, exorcismi, lac, & mel, &c. de quibus & similibus placet judicium Chemnitii part. 2. Exam. p. m. 59. *Apud vetustissimos & puriores scriptores legimus, quod ritus illi aliquid significarint, & monuerint de doctrina sacramentorum in verbo Dei comprehensa. Montanistæ vero primum cœperunt illis tribuere spiritualem efficaciam & operationem, sicut videre licet apud Tertullianum & Cyprianum. Et licet illæ opiniones in vera Ecclesia tunc reprobarentur, seminaria tamen hæserunt etiam in posterorum disputationibus:* seqq: Quos igitur ritus supra Ecclesiæ tribuimus, de significatione pia acceptos volumus; hic loci autem eosdem improbamus, si veniunt sub opinione cultus, meriti, efficaciæ, & necessitatis. *Cyprianus Johannis baptismo tantum exterius lavacrum tribuit*: eodem Chemnitio teste. p. 62. Imo si rem recte velimus expendere, etiam in Christi baptismo aquam sine efficacia fuisse & Tertullianus, & Cyprianus contendunt; audiamus iterum Chemnitium pag. 105. scribentem: *Quædam sententiæ de unctione Chrismatis ex schola Montanici Paracleti prodierunt. Ex professo enim Montanicum est, quod Tertullianus de baptismo inquit, eos, qui baptizantur in aquis, non consequi Spiritum Sanctum, sed in aqua mundatos sub Angelis tantum præparari Spiritui Sancto, qui demum, postquam egressi sunt de lavacro, per benedictam unctionem & impositionem manus advocetur, & invi-*

invitetur. Hanc sententiam Hieronymus multis verbis ex scriptura refutat in dialogo adversus Luciferianos. Scriptura enim manifestè affirmat, Spiritum Sanctum effundi, & quidem opulente effundi, per lavacrum regenerationis, & renovationis Tit. III. Renascimur enim ex aqua & Spiritu. Joh. III. Christus lavacro aquæ in verbo sanctificat, & mundat Ecclesiam Eph. V. Ex Tertulliano vero Magistro suo Cyprianus hausit, quod lib. II. ep. 1. ita discerpsit sententiam Christi Joh. III. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, quod baptismo tantum aquam tribuit, Spiritum Sanctum vero tribuit unctioni & impositioni manuum, & addit, non posse esse Filios Dei, si non utroq; Sacramento nascantur, lavacro scilicet aquæ in verbo, & unctione Chrismatis. seqq: Hæc ille. Et merito. Notum enim est, quod Cyprianus Tertullianum maximi fecerit, adeo, ut *Magistrum* κατ᾽ ἐξοχὴν appellarit; Quæ admiratio fecit, ut Cyprianus etiam errores Tertulliani Sympatriotæ suos fecerit, ut erat error de rebaptizandis hæreticis, deque ceremoniis variis in utroque Sacramento adhiberi solitis. *Circumcisionis* Sacramentum datum esse Judæis in V. T. in signum, non in *salutis prærogativam* Tertulliano visum est c. 2. adv. Jud.

& Eucharistia

§. 11. In *Eucharistiæ* Sacramento merito notatur *aquæ* usus, quem nimium urget idem Cyprianus in schola Montani sanctula versatus. Etsi enim è latere Christi aqua & sanguis fluxerint; quod Cyprianus urget, neque tamen inde licet inferre, ergo necessarium est in Eucharistia aquam miscere vino; Quid enim? Si ista aqua baptismum significasset? Meliora Cyprianum docere potuisset controversia cum Aquariis agitata; Quod enim institutionis verba urget ipse pro vino contra aquam, eodem ipse adversus sese uti debuisset argumento, qui aquam vino admiscendam operosius contendebat. Alter error est de communione infantum. Eam enim Eucharistiæ necessitatem asserebat, ut etiam infantibus præbendam esse censeret, sermone de lapsis.

in moribus

§. 12. In operibus quoque impingebant adversus tabulam decalogi priorem & posteriorem. Priorem, dum semina invocationis Sanctorum hinc inde cœperunt spargi: *Origenis tempore primum disputari cœpta est opinio illa, ut non absurda, nec inconveniens: Animas beatas, ut quæ membra adhuc sint unius corporis nobiscum, & charitatem non abjecerint, in altera etiam vita solicitas esse de salute*

lute nostra, atq; pro nobis fratribus suis orare apud Deum. verba sunt Chemn. part. 3. exam. p. m. 322. Ex hoc fonte manarunt deinde preces ad defunctos: In precibus nos vult credere Lactantius, quod à Deo tentemur, an simus digni? l. VI. c. 13. *Omnino sibi non licere jurare, cum Christianus* esset, Basilides martyr ajebat apud Euseb. lib. VI. hist. c. 4. Jejunia superstitiosius urgebat Tertullianus in libro de Psychicis: Idem militiam repudiabat, quem secutus est Cyprianus l. 2. ep. 2. Et Lactantius lib. 6. c. 20. Tertullianus idem fugam in persecutione illicitam esse putabat. Nuptias secundas damnavit idem pluribus in locis. vide Pamel. parad. Tert. §. 25. & Petav. de hierarch. l. 3. c. 3. §. 2. Sicut & Clemens Alex. lib. III quippe cui fornicatio sunt; contra virginitatem nimium commendabant: *De conjugio & sexu muliebri Tertullianus valde contumeliosè scripsit: Et inde Cyprianus (Magistrum enim suum vocabat Tertullianum) hausit non tam contemptum, quam odium adversus sexum muliebrem: Atq; ea occasione cum Montani Paracletus sub hypocrisi perfectioris sanctitatis conjugium non parum deformasset, & tamen prohibitionem conjugii in universum non posset obtinere, cœpit Origenes disputare de necessitate cœlibatus in ordine sacerdotali, quem alii quidam secuti sunt: Et Manichæi sub specie sanctitatis & puritatis, electis suis, tanquam perfectioribus, conjugium prohibuerunt; Atq; ita sensim iterum revocari cœpit lex de cœlibatu sacerdotum.* Chemnit. l. c. p. 94. Plurimum quoque momenti conferebant continuæ persecutiones; præstabat enim in cœlibatu, quam matrimonio, vivere. Mœchis esse pœnitentiam denegandam Tertullianus censuit. Fæminam menstruis laborantem sacris interdixit Dionysius Alex. in epistola Canonica, notatus propterea à Baron. an. 266. §. 11. *Simulationes & mendacia aliquando Christianis esse proficua: posseq; prudentem ac Sapientem virum officioso mendacio non secus, quam medicamine, cum necesse fuerit, uti,* Sentit Origenes Comm. ad Gen. XXVII. 29. arguente Sixto Senensi lib. V. Bibl. annot. 107.

* Glorific. §. 13. IV. *Glorificationis:* Regnum gratiæ claudit mors. Animas dormire post mortem, nec statim admitti ad visionem Dei beatificam, sententia erat Tertulliani, notante loca Pamelio in parad. Tertul. §. 9. Lactantii, lib. VII. c. 21. Origenis, hom.

hom. 7. in Lev. notante Sixto Senens. lib. VI. Bibl. an. 345. Impiorum animas post mortem in dæmonas verti somnium fuit Tertulliani, vide Pamel. paradox. Tertul. §. 11. Arnobius prorsus in nihilū easdem redigit. lib. 2. adv. gent. Origenes somniavit animas corporibus solutas volutari circa monumenta, vel ædes spectris infestas. lib. VII. contr. Cels. p. 334. Morituris sui memoriam commendavit Cyprianus; Animam suis bonis operibus mereri, ut sit Spiritus æternus, Lactantio videbatur lib. IV. c. 25. Gentiles, qui juxta rectam rationem vixerunt à Christo prædicante ex inferis esse redemptos Clemens Alex. lib. V. & VI. strom. docuit. Post Clementem Alex. lib. VI. strom. f. 652. Origenes statuit homines propter merita operum prævisa saluti destinatos esse. vide Petav. tom. I. opp. Theol. lib. 9. c. 3. §. 6. adeoque Pelagio prælusit, judice Sixto Senens. lib. VI. Bibl. an. 230. 251. Confer. Vos. hist. Pelag. lib. VI. c. 4. Gradus gloriæ negavit Origenes, vapulans à Petav. t. 1. opp. Theol. c. X. §. 2. Resurrectiones duas Lactantius statuit. lib. VI. c. 14. seqq. Heliam quoque ante diem extremum promisit venturum. Secutus Tertul. c. 50. de anim. Ejusdem corporis resurrectionem negavit Origenes vid. Hieron. in epist. ad Pammach. Julius Africanus contendit, Judæos in V. T. ipsam non credidisse. Euseb. lib. 1. hist. c. 7. Purgatorii scintillas apud nonnullos deprehendas: *Observet Lector, cum Clemens libro sexto ex apocryphis locum pœnitentiæ in alteram etiam vitam transponere tentasset, & disputandi gratia dubitative dixisset, forsan cessabunt supplicia post hanc vitam: Successor ipsius Origenes mox inde dogmata & articulos fidei fecit, & perizomata in scriptura quæsivit. Adeo periculosum est, sine verbo Dei, ex privatis cogitationibus aliquid in Ecclesia vel dubitando spargere. Ita cum Lactantius de purgatoriis Virgili versibus VI. Æneid. dixisset: Hæc propemodum vera sunt, posteri mox addiderunt: Hæc prorsus vera sunt. Atq; hoc est Origenicum purgatorium, ex Platonicis principiis, de exurendis maculis peccati, & ex Apocryphis fabulis, quæ in Clemente titulum traditionum habent, citra & contra scripturam conflatum*: Ita Chemnit. part. III. exam. p. 151. Confer Sixt. Senens. lib. V. annot. 170. Damnatos post expiata in inferno peccata sua liberandos, & salvandos esse, quod Clemens Alex. lib. VI. strom. & Origenes

 senserunt.

senserunt, ex eadem pharetra petitum est. vide Sixt. l. c. §. 131. Cessabit igitur & infernus. l. c. Damnatis ea propter Apostolos Evangelium prædicasse censuit Clem. Alex. lib. VI. strom. f. 637.

§. 14. Hactenus Patrum hujus Seculi præcipuorum nævos aliquot, & errores annotavimus, ut constaret, Ecclesiam non ab omni errore fuisse immunem. Quæ enim notavimus sunt plerique ipsorummet pontificiorum confessione errores, & quidem nonnulli satis crassi, impingentes in ipsum fidei fundamentum, vel articulos fundamentales; nec unius solum sunt, sed plurium; nec ignobiliorum, sed præcipuorum ex Patribus, quorum alias dicta adversarii solent in acie adversus nos collocare. Tertullianum novi, & Origenem à Pontificiis inter hæreticos referri; novi tamen etiam hoc, quod inter Patres Ecclesiæ locum ipsis commodent, si pro Pontificiis pronunciant, quo fine quædam ipsorum dicta etiam h. l. proferre voluimus. Aut igitur isti errores Patrum & scriptorum sunt & fuerunt ipsius Ecclesiæ, aut non; Si istud; desinant Pontificii Ecclesiam dicere immunem ab omni errore, etiam in rebus fidei; Sin hoc, illi ipsi desinant errores Patrum, quos cum Pontificiis communes habent, Ecclesiæ toti, patribus coævæ, imputare; Sin privatæ fuerint Patrum opiniones, injuria fit nostræ Ecclesiæ, si dicitur à Catholica illa primæva defecisse propterea, quod istas Patrum privatas sententias repudiarit.

Scandala 2. in Cultu

§. 15. II. Scandala *cultus*. Ut in *ordinatione* ministerii Ecclesiastici. Refert enim Gregorius Nyssenus in vita Thaumaturgi, quod absens, & nolens, ab Amasenorum Episcopo Phædimo ordinatus fuerit quorundam infidelium convertendorũ gratia Episcopus. vide Baron. an. 233. §. 13. seqq: Occurrunt quoque vitia ex parte ordinandorum. Nam idem Nyssenus refert de quodam carbonario Alexandro, ut sese carbonariæ manciparit, & abdiderit, ne in publico compareret, ut alicui insigni officio admoveretur; id quod à malo Spiritu ipsi suggestum, animadvertente ipso Thaumaturgo: *Pietatis inimico dæmoni prorsus id studio erat, ut vas electionis ignoratione contectum, otiosum & in-*

& inutile esset, neu prodiret in medium vir, qui ipsius principatum eversurus esset. *Baptismum* solebant differre in pascha & Pentecosten; Imo & infantum baptismum in adultiorem ætatem. vide Tertullianum de baptismo c. 19. Et tum demum suscipere, cum vitæ periculum imminebat, ut Novatus. vide Euseb. lib. VI. hist. c. 35. & notas Rhenani ad Tertull. de cor. mil. p. 408. Adjungebant varias cæremonias & ritus, humanitus inventos, & ab hæreticis quosdam acceptos, ut §. 10. observavimus. In *Eucharistia.* Solebant adjurare per S. Cœnam. vide Euseb. VI. 35. nonnulli etiam aqua uti pro vino. Rationem hanc dat Baron. an. 257. §. 11. ne ex odore vini proderentur ex Cypr. ep. 63. vide Tert. l. 2. ad uxor. c. 5. Cyprian. d. lapsis. Solebant sacros panes secum domum deportare, ut patet ex actis martyrum Nicomediensium. Cum enim persecutores scrutarentur supellectilia, invenerunt inter alia *fictile thuribulum, & lucernam, & ligneam arculam, in qua reposuerant sacram oblationem, cujus fiebant participes.* referente Baron. an. 293. §. 2. Idem patet ex Cypriano §. 21. de laps. Nam refert de quadam, quæ *in arca Domini Sanctum habuerit*; Huc referunt nonnulli, quod Tert. de coron. milit. c. 3. habet. *Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur.* Rhenanus annotavit: *propter crebram Sacramentorum tractationem solita fuit illis religio quædam etiam vulgare poculum reverenter tractandi.* Sed alii putant superstitionem solitam illud Tertulliani redolere. vide Ursin. analect. lib. 1. c. 22. Solebant infantibus vel per vim infundere vinum Eucharisticum, ut patet ex Cypriano de lapsis. §. 20. Refert enim de infante olim ab Ethnicis sacrificio polluto, postea nesciis parentibus Eucharistiæ accipiendæ adhibito, etsi invito genio. Nam vinum per vim infusum evomuit, quasi indignus, cui communicaretur. *Clavibus* etiam & *disciplinæ* Ecclesiasticæ vis illata est à Martyribus, vel confessoribus. Solebant à martyribus seu confessoribus emendicare libellos, seu literas intercessionales pro remissione disciplinæ, & receptione in sinum Ecclesiæ; Et confessores interdum dabant facilius, & promiscuè, ut exempla extant apud Cyprian. epp. 17. 22. Hoc verò cedebat in detrimentum disciplinæ Ecclesiasticæ, quare ejusmodi indulgentias

dulgentias indigne ferebant cordati Episcopi, qualis præcipuè erat Cyprianus, & propterea apud Ecclesias suas de illa intempestiva misericordia conquerebantur, imo Confessoribus quoque dicam scribebant, vide cumprimis epist. 23. Cypriani adversus Lucianum. *Pascha* non eodem tempore celebrabatur. Nam Asiani, qui scilicet in novem jurisdictiones, Romano proconsule (juxta sententiam Valesii in notis ad Euseb. V. c. 23.) erant divisi, die XIV. celebrabant cum Judæis. In *vitæ genere.* ut *Eremitæ* primum ex necessitate persecutionis in deserta fugerunt, postea elegerunt sponte agreste vitæ genus. vide Dn. D. Dannh. Christeid. p. 472. Erant quoque *Virgines* devotæ, quæ extra conjugium vivere elegerant, sed postea admissis flagitiis magnum Ecclesiis scandalum dederunt.

Scandala 3. in Moribus.

§. 16. III. *Scandala morum.* In hoc seculo, præsertim labente, lapsos fuisse etiam Christianorum mores & virtutes, præsertim in Clero, querela est Eusebii, præmissa persecutioni à Diocletiano sævissimè motæ. Locus est lib. VIII. hist. Eccles. c. 1. seqq: *Immissam*, ait, *persecutionem propter corruptos Christianorum mores, maximè vero Ecclesiasticorum, in quorum vultu simulationem, in corde dolum, verbis fallaciam cernere licuit: livore, superbia, inimicitiis inter se certantes, tyrannidem potius quam sacerdotium sapere videbantur; Christianæ pietatis omnino obliti, divina mysteria profanabant potius, quam celebrabant.* Confer quæ Cyprianus habet de lapsis. §. 4. Nam in eodem argumento prolixè versatur. Ut adeo certum sit, veram quoque Ecclesiam suis vitiis moralibus laborare, quorum gratia Deus varias interdum calamitates vel permittit, vel immittit, quæ sunt peccatorum pœnæ, vel certè castigationes paternæ; Minime autem argumenta sive falsæ Ecclesiæ, sive malæ caussæ, ut quidem Pontificii solent infelicitatem temporalem inter notas Ecclesiæ falsæ referre; Aut Anabaptistæ & Puritani sese ab orthodoxis separare, propter vitia morum occurrentia.

§. 17. I. Contra tabulam primam, ut est *idololatria*, si vera sunt, quæ Gregorius Nazianzenus, non satis alioquim refert, circumspectus in suis relationibus, quod quædam Christo devota virgo *Virginem Mariam rogarit, ut periclitanti* (à Cypriano pudicitiæ

citiæ insidiatore) *virgini opem ferret*, in orat. panegyrica Cypriani f. 123. opp. *Apostasia* grande scandalum est: *Solent isti miniones etiam de quibusdam personis, ab hæresi captis, ædificari in ruinam: Quare illa, vel ille fidelissimi, prudentissimi & usitatissimi? in Ecclesia in illam partem transierunt.* Tert. d.præscript. c. 3. Respondet idem: *Quis hoc dicens, non ipse sibi respondet, neq; prudentes, neq; fideles, neq; usitatos æstimandos, quos hæreses potuerunt demutare?* Exemplũ esto *Porphyrius. Nam iste Cæsareæ Palæstinæ à quibusdam Christianis repræhensus, cum prægravi, qua ardebat, iracundia illud ferre non posset, religionem Christianam deseruit, & præ odio illorum, qui ipsum eo arguerant, ad libros conscribendos, quibus maledice & contumeliose perstringeret, præceps fuit.* verba sunt Socratis lib. III. c. 19. hist. Nempe Apostata est ut plurimum persecutor sui ordinis,& nascitur ex impatientia, & superbia. Aliud exemplum est Tertulliani. Hieronymus enim in libr. de script. Eccles, scribit: *cum usq; ad mediam ætatem Presbyter Ecclesiæ permansisset, invidia postea & contumeliis Clericorum Romanæ Ecclesiæ, ad Montani dogma delapsus, in multis libris novæ prophetiæ meminit.* Male hæc habent Baronium an. 201. §. 7. quare refutat Hieronymum, ut solent papistæ, si patres ad palatum non scribunt. Allegat verba Tertulliani, in quibus ipse caussam apostasiæ videtur manifestasse c. 1. Prax. *Et nos quidem postea cognitio Paracleti atq; defensio disjunxit à Psychicis*; Hinc ille concludit: Ergo invidia & contumelia Romanorum non descivit. At opponit subordinata. Nam invidia & contumelia istorum potuit alienasse virum à Psychicis, speciosa autem Montani dogmata & hypocrisis, hujus ad castra eundem abstraxisse. Fuerit autem deceptus ab austeritate, & fictitiis visionibus Montanistarum, *quibus tantam præstabat fidem, ut cum alioqui eruditissimus esset, omnem illi posthaberet doctrinarum veritatem*, quod Baronius §. 13. caussatur, nihilominus habemus orthodoxi, quod Pontificiis inculcemus, à sana doctrina neque vitæ rigorem, neque visiones & miracula nos abstrahere debere. Item, quod Pontificii etiam *Hæresiarchas*, ut Tertullianum, (declarante Bell. lib. I. de Beat. Sanct. c. 5.) soleant pro se adversus nos in acie collocare. Certa sunt, quæ habet Cyprianus in libro de lapsis §. 5. *Non exspectaverunt saltem, ut interrogati*

negarent, ut thus accenderent apprehensi. Ante aciem multi victi, sine congressione prostrati, nec hoc sibi reliquerunt, ut sacrificare idolis viderentur inviti &c. Subjungit apostasiæ caussas §. 1. *decepit multos patrimonii sui cœcus amor, nec ad recedendum parati, aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ, velut compedes, ligaverunt: Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ, quibus & virtus retardata est, & fides pressa, & mens vincta, & anima præclusa, ut serpenti terram, secundum, Dei sententiam, devoranti, præda & cibus fierent, qui terrestribus cupiditatibus inhærerent.* Hæc Dionysius apud Euseb. VI. 34. de fœda multorum apostasia sub Deciana persecutione. Ne quidem Ecclesiæ Antistites erant immunes ab hoc vitio. Fortunatianus Episcopus idolis sacrificavit, Cypr. ep. 64. Dicebantur *extorres* à Cyprian. epist. 15. Et dividebantur isti apostatæ in *Sacrificatos*, quod idolis sacrificia obtulissent; In *thurificatos*, quod thura aris injecissent; Et in *libellaticos*, quod libellos data pecunia emissent, tanquam documenta, Christum sese abnegasse, etsi clam. Confer. Cypr. epist. 52. 68. Baron. an. 253. §. 18. seqq: Hotting. hist. Eccles. c. 3. p. 127. Quod notandum adversus subtiliores nostros Apostatas, qui apud Heterodoxos libellis pretio emptis sibi cavere solent, tanquam & ipsi peccata sua confessi, & S. Cœnæ participes essent facti, ut adeo extra vitæ periculum inter infestos adversarios versentur. Peiores his erant, qui imminente persecutione, ultro libellos ipsi proponebant, nominibus subscriptis Christum abnegantes. Sic enim Plinius lib. X. ep. 97. ad Trajanum scribit: *propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens, qui negarunt se esse Christianos, aut unquam fuisse, cum præsente me Deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum adferri, thure, & vino supplicarent, præterea maledicerent Christo*: Talis fuit Martialis Hispaniarum Episcopus, conquerente Cypriano epist. 68. ad Hispanos. Etiam quinque presbyteri, postea & ipsi persecutores, eodem referente ep. 40. Confer Surium t. 2. ad diem 30. Aprilis. *Origenes huc spectat.* Nam & ipse ex metu thurificavit, veritus (si Epiphanio fides habenda, nec interpolata narratio est, quod putat Baron. an. 253. §. 120.) ne Æthiopi stuprandus subjiceretur. Certum est, quod in multos sensim errores etiam blasphemos

phemos inciderit, eosque scandalosos, Ario ipsos mutuato, ut tandem non modo ab Heracla Episcopo Alex. insigni & συγχρόνῳ, sed etiam postmodum à Concilio VI. Const. fuerit condemnatus. Legatur epistola Constantinopolitanorum Patrum apud Baron. an. 538. §. 34. Eudæmon Episcopus Smirnensis sub Decio à verâ fide defecit, ut habent acta Pionii apud Metaphrasten die. 1. Febr. Sapricius Presbyter Antiochenus non modo Nicephoro fratri reconciliari noluit, sed & Deum abnegavit, jamjam feriendus gladio: vide Surium ad diem 9. Febr. Postquam vero defecissent apostatæ, honoribus apud hæreticos vel Ethnicos afficiebantur: *conlocant apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia non veritate possunt.* Tert. de præscr. c. 41. Hæc enim sunt illa bellaria, quibus apostatas inescare, & fovere solent, & novos allicere, eodem sale & farre emptos.

§. 18. Quidam tanquam apostatæ traducebantur, cum revera non essent. e. g. Ammonius ille celebris Alexandrinorum doctor. Porphyrius enim apostata & hunc in societatem abripere allaborabat, mentiens, & ipsum descivisse. Euseb. lib. VI. c. 13. Sed refellitur ab Hieronymo in cat. Illustr. tit. Ammonius. *Idololatriæ* suspicio nata est ex adoratione versus orientem solem, hoc seculo usitata: πρὸς τὴν ἑωθινὴν ἀνατολὴν αἱ εὐχαὶ *ad ortum matutinum concipiuntur preces* Clem. Alex. l. 7. strom. Sed improbat Leo Papa sermone de nativitat: *fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu, multum tabescimus & dolemus. Quia etsi quidam forte creatorem potius pulchri luminis, quam ipsum lumen, quod est creatura, venerantur, abstinendum tamen est ab ipsa hujus modi specie officii; quam cum in nostris invenit, qui Deorum cultum reliquit, nonne hanc secum partem opinionis vetustæ, tanquam probabilem, retentabit, quam Christianis & impiis viderit esse communem?* Observent hæc Antiquarii, quibus in nimio precio sunt antiqui ritus; Nam & antiquus interdum cacoethes potest esse; & Adiaphoristæ, qui religioni sibi non ducunt ritus periculosos & scandalosos usurpare. *Perjuria.* Adversarii Narcissi Hierosolymorum Episcopi, eo quod acrius in ipsorum vitia inveheretur, calumnias in ipsum confinxerunt, & juramentis falsis confirmarunt, Euseb. lib. VI. c. 8. Novatianus, Presbyter Romanus, jure-

jurando facto negavit sese Episcopatum velle, & tamen ambivit. c. 35. Juramentorum recusatio, ideo, quod omnino non liceat Christianis jurare. vide Chemnit. Harm. Evang. c. L I. f. 448. *Fuga intempestiva.* Cum Narcissus Episc. Hieros. calumniis propter officii administrationem acriorem premeretur, deserto eo in solitudinem abjit. Euseb. V. 8. Cum Novatus Presbyter videret periculum sibi imminere & suis, non adstitit ipsis, quod tamen monebant diaconi, sed nolle se amplius Ecclesiastico fungi officio perhibebat; c. 35. *Superbia* clericorum. Paulus Samosatenus splendide vivens caussam dedit, *fidem nostram φθονεῖσθαι καὶ μισεῖσθαι, odium & invidiam incurrere.* conquerentibus Patribus Antiochenis apud Euseb. lib. VII. 24. Confer Cypr. d. lapf. §. 4.

Scandala contra II. Tabulam.

§. 19. Hactenus scandala in tabulam decalogi priorem commissa; Sequuntur adversus posteriorem pugnantia, & ejus præceptum I. Hucspectant: *renunciatio Militiæ*; nisi aliæ circumstantiæ accesserint. Tharacus quondam miles, postea & Christianus, coram judice respondit: *propterea quod Christianus sum renunciavi militiæ*, ut habent acta Proconsularia apud Baron. an. 290. §. 4. Simile exemplum occurrit in actis Marcelli Tingitani, militis. Hic enim abdicata militia clamabat: Regi Christo æterno milito! Abjecit quoque vitem & arma, & addidit: *Ex hoc militare imperatoribus vestris desisto, & Deos vestros ligneos & lapideos adorare contemno, quæ sunt idola surda & muta. Si talis est conditio militantium, ut Diis & imperatoribus sacra facere compellantur; ecce projicio vitem & cingulum; renuncio signis, & militare recuso.* Hæc ille. Erat autem vitis insigne Centurionum, quod in manu gestabant, animadversuri in milites. vide Juvenal. Sat. 6. Plin. lib. XIV. c. 1. Tacit. annal. lib. I. Baron. an. 298. §. 2. seqq. Dixi notanter: *nisi aliæ circumstantiæ accesserint*, quæ sunt sacrificia idololatrica, apostasia, hypocrisis &c. Exceptis his & similibus peccatis, errat, qui putat neminem in militem Deo simul, & suo imperatori servire posse, quod videtur sensisse Marcellus: Nam (ut alia omittam) Cum rogaretur ab Aurelio Agricolao provinciæ præside: *an arma projecisset?* respondit: *projeci, Non enim oportet Christianum hominem molestiis secularibus mi-*

litare.

militare, qui Christo militat. Quibus verbis videbatur innuere ἀσύστατα esse, Deo esse dicatum, & militem esse. Baronius quidem §. 8. conatur excusare Marcellum, quasi *per seculares molestias intellexisset militiam istius temporis, quam nonnisi dispendio fidei Christianæ exercere possent, quod immolare diis gentiles cogerentur*: Sed verba centurionis hunc sensum non gignunt.

§. 20. *Præceptum. II.* Origenes adeo sese à cibo abstinuit, *ut jam in periculum deveniret stomachi sui non modo debilitandi, sed etiam penitus labefactandi.* referente Eusebio lib. VI. c. 3. ipsemet sese castravit, sive pharmaco sumpto, sive abscisis partibus genitalibus; Euseb. VI. 7. Qua occasione natæ sunt lites inter Demetrium Alexandrinum, & Orientales quosdam Episcopos, quod hi Origenem Presbyterum ordinassent. Baron. an. 230. §. 4. seqq: Cacoethes iste jam superiore seculo cœpit, ut patet ex Apologia Justini, referentis juvenem, ut veniam petit à præside, pro Chirurgo id facinus recusante, & continuatus est in sequens seculum, sicut Leontio Ariano exprobrat Athanasius. Epist. ad Solit. Non procul ab hoc facinore abest factum cujusdam virginis, quam propter elegantissimam formam deperibat Cyprianus adhuc Ethnicus. Refert enim Nazianzenus in panegyrica Cypriani oratione, quod virgo ista pudicitiæ servandæ caussa se ipsam *tabefecerit, quo subtractione materiæ, passionum flammas consumeret*: f. 123. opp. Sed & Martyres nonnulli *modum excedebant*, irritantes interdum Judices, vel carnifices, vel bestias, ut Andronicus ursum, referentibus martyribus in literis apud Baron. an. 290. §. 29. vel ultro sese offerentes, ut Origenes, quem difficulter mater, filio prudentior, domi detinuit. Euseb. l. VI. hist. c. 2. & Dionysius Alex. rogans amicos, ut caput sibi præscinderent, priusquam à persecutoribus abriperetur. c. 33. Apollonia ipsa in rogum insiliit. c. 34. Alii, quorum mentionem facit Euseb. VII. 11. *Schismata & contentiones*; Exprobrat hæc Christianis Celsus Epicuræus; *postquam latè sparsi sunt* (Christiani,) *iterum atque iterum cissos, singulis suas factiones sibi parantibus, &, ut in multitudine dissona, aliis alios redarguentibus: nec jam quicquam præter nomen eis commune superesse, si tamen vel hoc præ pudore commune relinquitur, reliqua vero*

aliorum alia instituta esse contendebat; referente Origene lib. III. contr. Cels. p. 118. Oriebantur istæ lites vel ex diversa doctrina, vel ex injuriis mutuis, vel ex æmulatione, e. g. inter Demetrium Episcopum Alex. & Origenem Presbyterum, & Scholæ doctorem. Conqueritur enim Origenes apud Euseb. lib. VI. hist. c. 18. quod ille suus *inimicus* adversus se *acerbissimè pugnarit*, puta *ignitis telis*, & *procellis*. Caussæ videntur variæ fuisse. Nam præter ordinationem à Palæstinis acceptam, & interpretationem scripturarum publicam c. 13. & castrationem, videtur & liber de principiis ab Origene scriptus erroribus suis caussam litis dedisse, Baronio an. 232. §. 3. seq. Adeo exarserat contentio, ut publicis scriptis literis se invicem lacerarent, & traducerent. vid Euseb. VI. 17. Meminit Hieronymus l. 2. contr. Ruff. *Origenem ab Demetrio Alex. Episc. fuisse excommunicatione damnatum, prolatamq; in eum sententiam à cæteris quoq; Ecclesiis ratam habitam*: Pergit: *Cujus rei gratia mox Origenes pro sui defensione literas ad universam Ecclesiam scripsit, amaritudine plenas. Cumq; illa epistola tota Demetrium Alexandriæ Urbis Pontificem laceret, & in totius orbis Episcopos & Clericos invehatur, & frustra ab Ecclesiis se excommunicatum esse dicat, nec velle in maledictis referre vicem.* &c. Consopita est aliquandiu controversia, Demetrio defuncto, & Heracla successore Origeni favente; Sed recruduit sub Dionysio Episcopo, viro Zeloso, ut Origenes literis scriptis purgare sese cogeretur. Baron. an. 248. §. 1. seqq: Celebre quoque est schisma inter Cyprianum & Felicissimum Presbyterum. Hic indigne tulit Cyprianum factum Episcopum, quare nullam non occasionem captabat ejus sugillandi. Accidit autem, ut confessores in carceribus detenti indulgentiores essent in venia lapsis danda, quod reprehendit in ipsis Cyprianus, difficilior in recipiendis lapsis. Hos igitur ad sese invitavit Felicissimus, cum ipsis in montem concessit, seorsim collecta Ecclesia. Cypr. epist. 40. Confer. ep. 38. 39. Atque hæc origo fuit, unde scaturivit Novatianismus, & Donatismus. Aucta sunt scandala per Privatum quendam. Hic enim junctis sibi aliquot aliis Episcopis lapsis Fortunatum quendam creavit Carthaginensem Episcopum adversus Cyprianum, in confutandis Novatia-

nis

nis tum occupatum, sicut ipse conqueritur in literis ad Cornelium scriptis ep. 55. Neque tamen optatum schismatici eventum sortiti sunt. Etsi enim Romam maturè legationem miserint, ut in communionem à Cornelio reciperentur, tamen frustra fuerunt. Scribit enim Cornelius ad Cyprianum, Felicissimum legationis caput, *vigore pleno, quo Episcopos agere oportet, pulsum de Ecclesia esse.* Etsi diffitendum non sit, quod Cornelius tandem patulas Schismaticis aures præbuerit, & cum Cypriano expostulare cœperit, qui tamen sibi non defuit, scripto ad Cornelium cordato responso. Alia deinde orta est lis inter Cyprianum & Florentium Pupianum, qui Cyprianum velut ad rationem sibi reddendam revocabat; Sed tulit responsium ironiis plenum à Cypriano redditum ep. 69. Subsecuta est controversia non levior, de Anabaptismo, inter Stephanum P. R. & Episcopos Orientales, & Africanos, de qua superius.

§. 21. Præceptum III. est de fugienda impudicitia. Pudicitiam violabant, qui *oscula* impudica figebant. Bald. præfat. Min. Fel. B. 4. b. *quid dicam*, ait, *Osculo quosdam impudice abusos esse, ut & fatetur & conqueritur Clemens Alexandrinus in Pædagog. Violata jura conjugii.* Refert Baron. an. 260. §. 7. (ponamus enim acta hæc, & sequentia esse genuina) de duabus virginibus Romanis Ruffina & Secunda, quod *desponsatæ viris Armenturio ac Verino Christianis, cum hi persecutionis metu recessissent à fide, eædem ambæ à sponsalibus quoq; pactis resilierant*; Hujus farinæ fuit quædam Basilla, si vera sunt, quæ in Martyr. die 20. Maj. referuntur, quod *illustrissimum suum sponsum dimiserit*, eo quod *Regem Regum haberet sponsum.* Quo etiam referri potest Cyrilla Decii filia. Jussa enim à Claudio nubere marito, respondit: *Ego jam nupsi viro, qui me meram docuit Sapientiam, nempe Domino Jesu Christo, cui semel tradita sum.* vide acta Laurentii. Quasi contraria essent, nubere Christo spiritualiter, & marito corporaliter. Nec procul abest, quod Theonilla respondet: *Vidua sum jam ab annis viginti tribus, & propter Deum meum sic permansi, jejuniis, vigiliis, & orationibus vacans propter Deum, quem cognovi, postquam immundiciis renunciavi.* vide acta Proconsularia apud Baron. an. 285. §. 12. Idem judicium

dicium meretur factum Suſannæ, Gabinii filiæ, ſi vera ſunt, quæ idem ex actis Martyrum refert. an. 294. §. 6. Cum enim Diocletiano patruo magno procurante Galerius Cæſar ipſius nuptias ambiret, repugnavit puella, dicens: *nihil antiquius ſibi fuiſſe, quam excultam caſtitate vitam Chriſto Domino conſecrare, licet ſciret, id ſibi corporis diſpendiore dimendum, atq; Martyrio comparandum.* Paulus Samoſatenus non modo connivebat ad ſcandala Sacerdotum & diaconorum cum fæminis commiſſa, ſed ipſe etiam familiarius converſatus in ſuſpicionem incurrit: referentibus Patribus Antiochenis apud Euſeb. VII. 24. Cyprianus de diſc. virg. §. 15. *multus eſt in exaggerandis* virginum devotarum, ſed impudicarum, ſcandalis. *Frequenter Eccleſia virgines ſuas plangit, ad infames earum ac deteſtabiles fabulas ingemiſcit.* Idem ep. 7. §. 4. conqueritur, *non deeſſe, qui Deo templa, & poſt confesſionem ſanctificata & illuſtrata prius membra, turpi & infami concubitu ſuo maculent, cubilia cum fæminis promiſcua jungentes, quando etſi ſtuprum conſcientiæ ipſorum deſit, hoc ipſum grande crimen eſt, quod illorum ſcandalo in aliorum ruinas exempla naſcantur.* Idem ep. 62. §. 1. invehitur in virgines devotas, quod *detectæ ſint poſtea in eodem lecto pariter manſiſſe cum maſculis.* §. 1.

§. 22. *Præceptum IV.* Tempore incurſionis Barbaricæ erant, qui turpe lucrum ſectarentur, de quibus conqueritur Gregorius Thaum, epiſt. canon. t. 1. Bibl. Patrum. *Præceptum V.* deteſtatur falſa teſtimonia, ſed talia fuiſſe adverſariorum Narciſſi §. 16. viſum eſt. *Maledicta.* Invehitur Dionyſius Epiſcopus Alex. in quendam alium Epiſcopum Germanum *κακῶς ἀγορεύειν αὐτὸν πειρώμενον, quod illius famam maledictis lædere tentarit.* Euſeb. lib. VII. c. 10. *Luxus.* Chriſtiani interdum adeo luxui ſtudebant, ut vel periculoſiſſimis temporibus ad profundam noctem crapularentur. Exemplum recitat, nec ſine indignatione, Dionyſius Alex. in literis ad Germanum perſcriptis, apud Euſeb. lib. VI. c. 33.

Accepta. §. 23. Hactenus de ſcandalis *datis.* Sequuntur *accepta*, quæ Gentiles, Judæi, & alii adverſarii ſibi ſumebant ipſi ex rebus per ſeſe bonis, vel certe indifferentibus. Nolebant Chriſtiani idola gentilium venerari, quare ab Ethnicis pro Atheis habe-

habebantur: accedebat abstinentia templorum, quæ Christiani tanquam busta despiciebant; aras quoque aversabantur, & sacrificia, & quidquid porro ad cultum Ethnicum spectabat, inde religionis publicæ hostes, adeoque legum patriarum violatores traducebantur. Crescebat odium apud Ethnicos, cum viderent Christianos in aliquem Crucifixũ credere; Calumniabantur etiam cruces eorundem, velut ab ipsis adoratas, ut & caput asini, imò pudenda quoque; Istam calumniam Judæis antehac factam, ad Christianos velut & ipsos Judæos, applicabant; Hanc mutuabantur ex ritu confitendi, qui flexis coram Confessario genibus fiebat, hoc ipsi accipiebant, quasi Confessor αἰδοῖα Confessarii adoraret. Sacra quoque Christianorum in calumniam convertebantur. Solebant Christiani ex metu persecutionis mane vel etiam noctu ad luminaria celebrare sua sacra, sacram coenam administrare, agapas habere, Psallere, mutuo sese ut fratres & sorores osculo excipere & dimittere; Hæ gentilibus videbantur Thyestææ cænæ, & impudica conventicula. Dicebant enim Christianos in suis illis antelucanis cœtibus infantem mactare, coquere, vesci, bene invicem potare & inebriari, inde extinctis luminaribus in mutuam venerem ruere, & nefanda perpetrare. Fratres enim cum sororibus, parentes cum liberis, alios cum aliis misceri. Multum fidei calumniæ impudentissimæ conciliabant Pseudo Christianorum nefaria sacra; Erant enim Gnostici & alii, qui ejusmodi vitiis sese polluerent, inde innocentibus Christianorum idem criminis imputabatur. Offendebant plura alia, quæ *secundæ* decalogi *tabulæ* repugnare videbantur. Vetuerat Magistratus Romanus novas religiones introduci, & secreta conventicula celebrari; Contra autem jusserat in antiqua & publicè recepta perseverare, conventus quoque publicos Ethnicorum rituum frequentare; neutrum faciebant Christiani, quare Gentilibus videbantur immorigeri, seditiosi, perduelles: imprimis autem Episcopi, & alii Ecclesiarum antistites, hi incentores populi audiebant pessimè, & primi propterea vel in exsilium expellebantur, vel suppliciis etiam exquisitissimis subjiciebantur. In militia locum eadem calumnia habebat. Adigebantur mili-

tes jurare ritu idololatrico, & facere, à quibus Chriſtiani abhorrebant, id cum facere detrectarent pro rebellibus habebantur & puniebantur. Incidebant interdum difficillima tempora, bellis, fame, peſte, terræmotibus, diluviis, ſterilitate, aliisque epidemicis malis infeſta, ut reſpublica immane damnum inde caperet; horum vero malorum culpa Chriſtianis ſacrorum contemptoribus & ſcelĕrum perpetratoribus adſcribebatur. Fratres ſe invicem & ſorores, & patres, & filios appellabant, tenerrimè etiam ex mandato Chriſti diligebant; Hoc Ethnicis erat mutua adulteria, inceſtus, pæderaſtias perpetrare. Summa hæc eſt præcipuorum momentorum, quorum gratia Chriſtiani apud Gentiles peſſimè audiebant, & traducebantur. Qui plura velit legat Apologias noſtrorum Chriſtianorum, imprimis dialogum Cæcilii Natalis Ethnici, cum Octavio Januario Chriſtiano, proponente Minucio Felice; & Franciſci Balduini eruditam præfationem dialogo iſti præmiſſam. Inſerviant hæc ſcandala nobis quoque hodie, qui perinde, ut noſtri Majores ab Ethnicis, traducimur ab adverſariis noſtris, velut à Majorum ſacris receſſerimus, Magiſtratibus nos ſummis ſubduxerimus, bella & tumultus in Imperio Romano civerimus, licentiam carni dederimus, & quæ alia crimina vel ſunt adhuc, vel certè olim fuerunt nobis imputata. Deus, qui innocentiam noſtrorum Majorum in lucem protraxit & aſſeruit, noſtram quoque vel jam protraxit, vel porro protrahet, ut calumnia cum ſuo auctore Diabolo confundatur, & conculcetur.

Perſecutiones

§. 24. Principia habes, unde natæ ſunt *perſecutiones*: Nam propter data ſcandala cum doctrinæ, tum cultus, & morum, Deus ſuos Chriſtianos pœnas dare voluit; Hoſtes vero acceptis ſcandalis incendebantur odio adverſus eosdem tanto, ut innocentes diriſſimè perſequerentur. Pertinent etiam perſecutiones & calamitates ſuo quodam modo ad ſcandala; Nam multi hominum propterea à Chriſtianiſmo, veluti Deo & hominibus inviſo, deterrebantur: Quare & de his, etſi pauca, faciemus verba.

§. 25.

§. 25. *Nomina.* *Tempestas inimica* dicitur à Cypr. ep. 7. §. 1. *Pressuræ turbida vastitas.* ep. 8. §. 1. *pluviæ, tenebræ, procellæ.* §. 6. *prælium.* ep. 9. §. 1. *Congressus gloriosi*: ep. XVI. 1. Persecutionum 1. nomina.

§. 26. *Caussæ.* Deus equidem neque vult, neque probat odium & furorem hostium adversus Ecclesiam. Habet tamen suas sanctissimas caussas, quare permittat istam aliquandiu vexari; de quibus bene Cypr. de laps. §. 4. scribit: *Dominus probari familiam suam voluit; & quia traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem, & pene dixerim dormientem, censura cœlestis erexit; cumq; nos peccatis nostris amplius pati meremur, Clementissimus Dominus sic cuncta moderatus est, ut hoc omne, quod gestum est, exploratio potius, quam persecutio videretur.* Adde seqq. Confer ep. 8. §. 1. seqq: Principalis est *diabolus.* Sic enim Martyres Numidæ in actis à Baronio an. 262. §. 36. recognitis scribunt: *Avidis faucibus ad tentandam fidem justorum rabies diaboli infestantis inhiabat.* §. 41. Carnifices dicuntur *diaboli Sacerdotes*; Confer epistolas Celerini ad Lucianum, & hujus ad istum apud Cyprian. 11. 21. 22. Scribunt, cum diabolo sibi certamen esse. Minus principales ab Origene fere in compendio recitantur lib. 1. contr. Cels. p. 6. *in Christianorum*, ait, *dogmata Senatus Romanus, Imperatores, exercitus, populi, ipsæ fidelium necessitudines conspirant. Fuit* 1. *Magistratus politicus*, ut *Severus* Imperator. Euseb. lib. VI. c. 1. *Alexander* quidem Mammæus videtur nullas movisse persecutiones, utpote quem Lampridius scribit Christianos permisisse, imo Herodianus l. 6. refert, imperium sine sanguine duxisse; nihilominus ipse Lampridius fatetur, *Severum appellatum fuisse à militibus propter austeritatem, & animadversionibus asperum in quibusdam fuisse.* Quod confirmant Martyrologia; Nam de diversis referunt sub Alexandro Martyriis coronatis. *Gallus & Volusianus*, etsi sub initium imperii mitiores fuerint, tamen postea crudeles esse coacti sunt, ut suis Ethnicis placerent; *Valerianus* autem excellit, Ægyptio quodam Mago impellente. Publicum ille *edictum* proposuit, memorante Pontio in vita Cypriani: *Proconsul dixit: Jussum est, ut (Christiani) nulla conciliabula faciant, neq; cœmeteria ingrediantur, quod si facere comprehensus fuerit, capite plectatur.* Idem refert Dionysius apud Euseb. l. 7. c. 9. 10. 2. Caussæ.

Claudius Gallieni successor restauravit in Christianos persecutionem, vide acta Laurentii. *Aurelianus*.vide August. l. 18. C. D. c.32. Leo. serm.2.de Pentecost. Eminebat tamen Severiana, Maximina, & Deciana, Valeriana, & Diocletiana persecutio; Sic enim Sulpit. Sever. lib. 2. hist. *Sexta deinde, Severo imperante, Christianorum vexatio fuit. Quo tempore Leonidas, Origenis Pater, sacrum in martyrio sanguinem fudit. interjectis deinde annis 8. & 30. pax Christianis fuit: nisi quod medio tempore Maximinus nonnullarum Ecclesiarum Clericos vexavit. Mox Decio imperante jam tum septima persecutione sævitum est in Christianos. Inde Valerianus octavus sanctorum hostis fuit. post eum interjectis annis fere quinquaginta, Diocletiano & Maximiano imperantibus, acerbissima persecutio exorta, quæ per X. continuos annos populum Dei depopulata est.* Hæc ille. *Proconsules*, ut Saturninus Carthaginensis, qui damnavit ad gladium confessores Carthaginenses, ut docet ex actis Baron. an. 202. §. 2. seqq: Saturnini successor *Scapula*, an.203. §. 5. ad quem extat apologeticum Tertulliani. Item Præses Legionis, & Præses Mauritaniæ c. 4. ad Scap. Certe Proconsulum hoc erat præprimis officium, cultui Deorum prospicere, uti habet Ulpianus l. 2. de officio procons. vide Baron. an. 225. §. 3. Romæ erant præfecti urbis an. 260. §. 8. Proconsules habebant *Statores*, seu stationarios *officiorum*, quorum meminit Ulp. l. 4. §. 1. ff. de offic. Proc. item Pontius in vita Cyprian. Baron. an. 261. §. 26. Etiam *Frumentarios*, qui diligenter omnia explorabant. Item *Beneficiatos*, quorum mentio fit in actis Fructuosi Episcopi Tarraconensis apud Baron. an. 262. §. 60. Sur. t. 1. die 21. Januarii. *Cornicularios*, qui præfecti erant damnatorum sententiis exequendis. Baron. an. 290. §. 10. *Jurisconsulti.* Sic enim conqueritur Lact. lib. 5. instit. c. II. *Quin etiam sceleratissimi homicidæ contra pios impia jura condiderunt. Nam & constitutiones sacrilegæ, & disputationes jurisperitorum leguntur injustæ, Domitius de officio Proconsulis libro septimo rescripta Principum nefaria colligit, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui se cultores Dei confiterentur. Quid iis facias, qui jus vocant carnificinas veterum tyrannorum adversus innocentes rabide sævientium? Et cum sint injustitiæ crudelitatisque doctores, justos esse se tamen ac prudentes videri volunt, cœci ac hebetes, ac rerum & veritatis ignari.* Hæc & similia Lactantius. Nominetenus

tenus exprimens Domitium nempe Ulpianum, quem juris peritissimum sub Alexandro Mammæo post & ante alios multos laudat Lampridius. Martyrologia autem de eodem, tanquam insigni persecutore, conqueruntur, die 23. Aug. Baron. an. 226. §. 4. *Sacerdotes, vates*; ut conqueritur Dionysius apud Euseb. VI. 34. Et iterum in literis ad Hermammonem lib. VII. c. 9. *Judæi.* Nam Tertullianus in Scorpiaco Synagogas Judæorum vocat *fontes persecutionum nostrarum.*

§. 27. *Impulsivæ caussæ*, sive prætextus erant (1.) *Honor denegatus magistratui* publico, Tert. Apol. c. 35. *propterea*, scribit, *publici hostes Christiani, quia imperatoribus neq; vanos, neq; mentientes, neq; temerarios honores dicant!* quos mox recenset, & responso diluit. Patet idem ex tabella, quæ recitabatur, cum Martyrum Carthaginensium crimina prælegerentur: *Christianos se esse confitentes, & imperatori honorem & dignitatem dare recusantes, capite truncari præcipio.* apud Baron. an. 203. §. 4. Nimirum gentiles solebant magnificè excipere triumphantes imperatores, sacrificia exhibere, juramentis colere, &c. Id quia intermittebant Christiani, vapulabant à gentilibus. vide Baron. an. 200. §. 1. seqq: Notandum vero, nec dissimulandum est, quod nonnulli Montanistæ hypocritæ sua erronea austeritate exacerbarint gentiles immerito, ut Ecclesiam orthodoxam dirissimè persequerentur. an. 201. §. 17. (2.) *Suspicio* clandestinorum adulteriorum, incestuum, homicidiorum, epularum humanarum, magiæ, veneficiorum, & librorum vetitorum. In compendio recitat Cæcilius apud Minuc. Fel.. p. 8. &c. Suppositis hisce sceleribus, at minime de orthodoxo cœtu probatis, jure quasi & ex lege Severi agebatur adversus Christianos; vide Baron. an. 201. §. 37. & Orig. lib. VI. contra Cels. p. m. 294. qui scribit, quod per hasce calumnias Christiani adeo abominabiles sint facti, ut ne colloquio quidem ipsos dignarentur. *Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii, & pabulo inde, & post convivium incesto, quod eversores luminum canes, lenones scilicet, tenebrarum & libidinum impiarum inverecundia procurent.* Tert. c. 7. Confer. c. 40. Apol. Hoc fine Jurisconsulti sub Alexandro Mammæo, cumprimis Domitius Ulpianus, leges & responsa dederunt adversus Christia-

nos, quorum prætextu, jure videbatur agi in Christianos. Valerianus ad Nemesium Christianum: *Cognovi carmina tua, per quæ homicidium perpetrasti in Consulem Maximum, ut magicis artibus eum interficere & Christianos ritus adversus salutem nostram & remp. nitaris exercere.* Ex actis apud Baron. an. 259. §. 25. Torquatus eadem ad Tiburtium: *Ipse cum sociis suis, cum quibus artes magicas exercet, diu noctuq; incantationibus occupatur.* Sed respondit Tiburtius: *Falsus testis non erit impunitus.* vide acta Sebastiani. Confirmare voluit calumniam Fabianus; cum Tiburtius super prunis illæsus iret, dixit enim: *Quis ignorat artem magicam vos docuisse Christum vestrum?* Sed & his reclamavit Tiburtius. Sic cum Maximianus Susannæ virgini vim inferre pararet, & lumine divinitus coruscante arceretur, *totum magiæ tribuebat.* an. 295. §. 6. (3.) *Mala publica.* e. g. bella, lues, fames, imbres, pluviæ; vide Tert. Apol. c. 40. Cypr. contr. Demetr. §. 1. 2. Arnob. lib. 1. Terræmotus, regnante Maximino. Ii enim, *qui erant impii extra fidem, caussam terræmotus dicebant Christianos*: refert Orig. tr. 28. in Joh. Et Firmilianus Cappadociæ Episcopus ep. 75. Cypr. Paulo post alius sæviit anno 243. cujus iterum caussa Christianis, vel certè benignitati Cæsarum ergo hos maleficos, imputabatur, conquerente Origene lib. 3. contra Cels. *Isti sunt sacrilegi, isti sunt Sacrilegi, qui evertunt urbem!* Ita clamatum, cum Hippolytus & Adria Martyres ad tribunal raperentur. Baron. an. 259. §. 18. Cum Valeriano Stephanus urbis Episcopus esset exhibitus, quæsivit: *Tu es, qui remp. conaris evertere, & suasionibus tuis populum à Deorum cultu recedere suades?* an. 260. §. 4. Falso hæc. Nam Stephanus mox regessit: *Ego quidem remp. non everto, sed populum moneo atq; hortor, ut relictis dæmoniis, quæ in idolis coli solent, Deum verum agnoscant &, quem misit, Jesum Christum.* Cum pestis per decennium grassaretur Porphyrius culpam tribuit Christianis; Sic enim ille: *Nunc mirantur per tot jam annos civitatem morbo correptam teneri, cum neq; Æsculapii, neq; aliorum Deorum sit amplius ad eam accessus. Ex quo enim Jesu coli cœptus est, nullus sane mortalium publicam Deorum utilitatem persensit.* Hæc apostata. Quem merito castigat Theodoretus l. 12. de ver. Evang. Cum Symphorianus nollet Berecynthiam adorare, *publicæ seditionis prætextu comprehendebatur,*

ut

ut habent acta apud Sur. 22. Aug. f. 4. In compendio exhibet ἐγκλήματα Tertullianus: *Christianum hominem omnium scelerum reum Gentiles, Deorum, imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum existimabant, publicum etiam hostem omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi causam.* Apol.

§. 28. Neque tamen omnino defendi potest intempestivus quorundam Christianorum Zelus, quod, docente Nysseno in vita Gregorii Thaumaturgi, aggressi fuerint idola, fana, templa gentilium, & confregerint, destruxerint, & demoliti fuerint. Certè Decianam persecutionem concitavit, in qua multi egregii viri sublati sunt. Baron. an. 253. §. 7. Rectius Origenes lib. VIII. contra Cels. p. m. 420. 421. *Quatenus salva pietate licet, non ita insanimus, ut in nos irritemus reges, aut potestates publicas, qui nos ducant ad tormenta, supplicia, & mortem, legimus enim in nostris literis Rom.* XIII. 1. 2. &c. Confer comment. in. l. c. Nec parum olei in ignem infudit Montani (repetamus enim) cœcus impetus in Martyria irruentis, pro quo acrius pugnat Tertullianus in Scorpiaco adversus Gnosticos. Quare nec decet sese ipsum offerre, aut fuga sibi non consulere. vide Clem. Alex. l. 4. strom. Scult. med. p. III. (4.) *Inutilitas publica*, tanquam Christiani nihil inferrent in ærarium. ℞. Tert. Apol. c. 42. *Quomodo infructuosi videamur negociis vestris, cum quibus, & de quibus vivimus, non scio.*

§. 29. *Signa antegressa.* Aliquot recenset Tertullian. c. 3. ad Scap. ut sunt: ignes aeri, seu cometæ, tonitrua, Eclipses inusitatæ. Ita antequam persecutio sub Valeriano invalesceret, lues immanis grassabatur, cujus meminit Cyprianus, vel quisquis auctor est, in libello de laude Martyrii: *Quanta Martyrii habenda sit dignitas, ad cujus gloriam nos cogere etiam lues cœpit.* vide Baron. an. 255. §. 48. Decennium autem duravit, & cum persecutione incrementa cœpit, quasi ulta sanguinem innocenter effusum. *Præmissæ præparationes.* Excelluit Cyprianus: *Quis Martyres tantos exhortatione divini sermonis erigeret? Quis deniq; tot Confessores frontium notatarum secunda inscriptione signatos, & ad exemplum Martyrii superstites reservatos, incentivo tuba cœlestis animaret? Bene tunc & verè spiritualiter contigit, quod vir tam necessarius,*

Signa.

Præparationes

cessarius, tam multis & tam bonis rebus à Martyrii consummatione dilatus est. Scribit Pontius Diaconus in vita Cypriani. Innuit incomparabilis Herois scripta pro Martyrio fortiter subeundo; ad confessores Mosen, Maximum & alios, ad Fortunatum, ad Tiburitanos, &c. Greg. Naz. in orat. Paneg. Idem observavit commodum ex Cypriano profectum. Similiter fecit Cornelius papa Romanus, scripta ad Lupicinum Viennensem epistola, quæ f. 1. Bibl. Patr. *Exhortetur charitas vestra omnes credentes in Christum, ne timeant eos, qui occidunt corpus, sed potius eum, qui habet corpus & animam perdendi potestatem.* Theotecnus Cæsareensis Episcopus, ubi audivit Marinum quendam Centurionem in confessione versari, secum duxit in Ecclesiam, & proposito hinc libro, illinc gladio, alterutrum apprehendere jussit; cum igitur Confessor gladium eligeret, subjecit Episcopus: *Tene, & adhæresce Deo; Sic enim ab eo roboratus, quod in optatis est, pro certo assequere. Abi in pace.* Euseb. VIII. 13. Solebant & usum Sacramentorum, promissis concionibus, addere; Sic enim Stephanus Episcopus R. cum suo Clero prius concionabatur ad præsentes, deinde baptismo abluebat competitores, Ablutis S. cœnam ministrabat; vide acta apud Baron. an 259. §. 21. seqq:

Instrumenta.

§. 30. *Instrumenta.* Quædam complexus est Tertul. c. 4. ad Scap. *Timebit*, inquiens, *forsitan caro gladium gravem, & crucem excelsam, & rabiem bestiarum, & summam ignium poenam, & omne Carnificis ingenium in tormentis*: & Gregorius Nyssenus in vita Thaumaturgi. Nam hæc habet de persecutione Deciana: *Erant non solum minæ verborum terribiles, sed cum iis varius apparatus suppliciorum nullum non afferebat stuporem; & antequam veniretur ad periculum, metum incutiebant hominibus enses, & ignis, & bestiæ, & fossæ, & instrumenta ad torquendum membra accommodata, & ferreæ in igne Cathedræ, & ligna erecta, in quibus eorum extensa, qui persistebant, corpora, porrectis horrendis lancinabantur ungulis, & alia innumerabilia ad multiplices corporum cruciatus inventa ab eis excogitabantur* &c. Et Tiburtius ad Fabianum: *applica equuleos, suspende Christianos, damna, percute, incende, universa deniq; supplicia adhibe*: ex actis Sebastiani. Dionysius in literis apud Euseb. VI. 34. fessus recen-

recensere omnes pœnas, conjungit famem, sitim, frigus, morbos, latrones, bestias, quibus Christiani in desertis perempti sunt. Confer lib. VIII. Euseb. c. 8. Baronium in Martyrologio. Hotting. p. 324. c. 3. hist. *fustes.* Nam Andeolus subdiaconus in Gallia sub Severo fustibus cæsus periit. Baron. an. 205. §. 27. præacuti. Euseb. VI. 34. *gladius*, quo percussus est Leonides pater Origenis Euseb. lib. VI. c. 1. hist. Marcellus diaconus, & Eusebius Presbyter. Baron. an. 259. §. 16. Erant autem & *lignei gladii* ad augendos dolores, quali percussus est Andeolus: Baron. an. 205. §. 27. *fræna* ori injecta, ut Timotheo. vid Mart. Rom. die. 3. Maij. vincti relinquebantur in montibus, fame extinguendi. Patet exemplo Sabinæ apud Metaphrasten die. 1. Febr. in actis Pionii. Arundines. Euseb. VI. 34. flagra. VI. 34. secures. l. c. novaculæ l. c. Et quis omnem enumeraverit diaboli Homicidæ & Ministrorum apparatum? Confer §. sequentem.

§. 31. *Modus.* Erant 1. *calumniæ*, in quibus erat mœchiæ & secretarum libidinum crimen; quæ scelera quidem à Gnosticis, non autem ab orthodoxis, perpetrabantur, etsi pœna & hi implicarentur, violatæ quasi legis à Severo adversus mœchos adulteros, & similes, latæ, de qua habet Dio in Severo. *Pessimi & impii,* impiissimi, iniquissimi Christiani vocantur in actis Proconsularibus Baron. an. 290. §. 2. *Impia professio* Christianismi vocatur. *Stultitia*; *vanitas*, *Fex mala.* 2. *Extenuatio*, tanquam essent Christiani homines reip. inutiles; *Sed alio quoq; injuriarum titulo postulamur, & infructuosi in negociis dicimur*, conquerente Tert. Apol. c. 42. vespertilionibus, formicis, ranis, vermibus eos comparat Celsus Epicureus apud Orig. l. IV. contra Cels. 175. 3. *Prohibitio coemeteriorum.* i. e. locorum sacrorum, ubi convenire solebant ad sacra. Sic enim Æmilianus prohibuit Dionysio Euseb. VII. 10. contra Galienus permisit. c. 12. Abolitio librorum, in quam invehitur Arnob. lib. III. p. 104. 4. *Privatio honorum, & ablatio bonorum.* Sic enim Severus imperator ad quendam Philippum Ægypti Præfectum, sed Christianum factum, scribit: *jubemus, ut aut insistendo prioribus* (Ethnicismis) *in honore permaneas, aut, si Deorum cultum repudiaveris, cesses etiam ge-* Modus.

rere Magistratum, quin etiam facultatum subeas ablationem. Baron. an. 204. §. 3. Hoc fine & bona Origenis in fiscum imperatoris relata sunt; Euseb. VI. c. 3. Paulo post impetus factus est in totas domos, quæ direptæ sunt. c. 34. Valeriano furente deferentibus Christianos promissa sunt bona delatorum. *Lata fuerat lex, ut, quicunque proderet Christianum occultum, omnes facultates ejus acciperet, & honorem militiæ obtineret.* Sic acta Stephani apud Baron. an. 253. §. 21. Atque huc spectat (5.) quod commercia civilia Christianis fuerint vetita: *Nec illis emendi quicquam, aut vendendi copia, nec ipsam haurire aquam, dabatur licentia, antequam thurificarent detestandis idolis*; Canit Beda in actis Justini Martyris tom. 3. Confer quæ scribit Arethas Episcopus Cæsareensis apud Lipoman. tom. 3. (6.) *picturæ.* Nam Tert. Apol. c. 16. refert: *Mercenarius noxius picturam proposuit, cum ejusmodi inscriptione: Deus Christianorum gestans, & togatus. Risimus & nomen & formam.* Origo calumniæ ex Judæis est, quibus id amentiæ objiciebatur primum ab Apione, diluente Josepho; Ex Apione mutuati sunt alii, imprimis Tacitus; Quia igitur Christiani ex Judæis videbantur oriundi, idem calumniæ & ignominiæ ipsis sed immerito impingebatur, tanquam aureum asini caput colerent pro Deo. vide Baron. an. 201. §. 21. seqq: (7.) *Actiones forenses*: Citabantur ad tribunalia, comparentes quærebantur, an essent Christiani? affirmantes detrudebantur in carceres, perseverantes in confessione, damnabantur à judice, sententia vel dictabatur, vel scripta recitabatur. vide Gretser. lib. 1. de cruce. c. 13. Ex tabella autem recitabatur, vel præconis voce proclamabatur, & hoc facto ducebantur, & supplicio afficiebantur, vide acta Martyrum Carthaginensium apud Baron. an. 202. §. 2. seqq: Acta Pionii, eodem ex Metaphraste repetente an. 254. §. 4. seqq: Acta Hippolyti & Stephani an. 259. Acta Cypriani apud Pamelium; Nicephori apud Surium die 9. Febr. Acta Proconsularia apud Baron. an. 285. §. 9. ubi Baronius illustrat processum. Acta alia an. 290. Notandum autem, quod nec ipsi se, nec alios prodere voluerint Christiani. Jussus enim Cyprianus prodere Presbyteros suos, respondit: *Legibus vestris bene ac utiliter censuistis, delatores non esse; Itaque detegi ac deferri à me non possunt*: Et

porro:

porro: *Cum disciplina prohibeat, ne quis se ultro offerat, & tuæ quoq; censuræ id displiceat, nec offerre se ipsi possunt.* verba & sententiam hanc allegat & probat August. contr. Gaud. l.1 c. 31. de quibus in compendio Arnobius lib. 1. p. m. 14. (8.) *violentæ pœnæ*, ut erant *ignis*; Nam quia Christianos habebant pro magis, debitam magorum poenam, vivicomburium, ipsis irrogabant. Solebant autem stipiti dimidii assis alligare, & circũ ponere sarmenta & incendere; unde dicebantur Christiani *Sarmentitii & Semaxii*. vide Baron. an. 201. §. 32. Affigebantur crucibus, & subjecto igne comburebantur, ut Pionius, Metrodorus. an. 254. §. 20. Conjiciebantur in fornaces calcarias, ut Africani nonnulli Martyres, dicti propterea *massa candida*. vide Baron. an. 261. §. 48. Explicat phrasin Augustinus Serm. 112. de div. *Massa dicta est de numeri multitudine, candida de caussæ fulgore.* *Decollatio*, ut Martyrum Carthaginensium, quorum acta ex codice vetusto sese recensuisse scribit Baron. an. 203. §. 1. seqq: *Bestiæ*: Nam Scapula Carthaginis Proconsul ad bestias damnavit quendam Adrumeticum Mavilum, exprobrante Tert. c. 3. ad Scap. *dissectio mammarum*, quod contigit cum Helconide Corinthia; vide Martyrol. Rom. 28. Maj. Cum Agatha, Baron. an. 254. § 28. *deprædatio bonorum.* Sic enim habet edictum adversus Cyprianum: *Si quis tenet, vel possidet de bonis Cæcilii Cypriani Episcopi Christianorum*; scil. ea tradat fisco. verba recitat Cyprianus ep. 69. *Lapidatio*, ut Maximi Ephesii, notante in actis Surio t. 2. die 3. Aprilis. Baron. an. 254. §. 24. 25. supplicio Ephesiis in hostes Deorum solenni: quod statuerunt etiam in Timotheum Episcopum. *Fustigatio.* e. g. Paulinæ, sub Valeriano, adeo violenta, ut inter fustigandũ exspiraret. vide acta apud Baron. an. 259. §. 16. *Relegatio ad metalla*, ut relegati sunt Episcopi, Presbyteri ad fideles, alii Africani. vide Cypr. ep. 80. *Torturæ* appensis ad pedes ponderibus, & manibus sursum coactis, ut in Mariano, vide acta Numidarum apud Baron. an. 262. §. 42. *Sagittatio*: Nam Claudio sæviente 262. Christiani à *militibus sagittantibus* interfecti sunt, referente ex actis Baron. an. 270. §. 3. *Foveis inclusi*, ut Vestales meretrices, sic Daria & Chrysanthus, sub Numeriano. Baron. an. 284. §. 6. *Plumbatis cædebantur* super cervices. Baron.

an. 290. §. 5. *Coactio.* Infundebant Confessoribus vinum idololatricum, & carnes de ara mittebant in ora ipsorum. an. 290. §. 25. pedibus ut & digitis infigebant obeliscos candentes. 290. §. 22. 26. manus perforabant clavis ignitis. an. 290. §. 65. *oculos pungebant acubus.* Baron. an. 290. §. 25. Ex papyro manipulos faciebant, & ventri imponebant. §. 26. Dentes etiam molares ferro excutiebant. §. 27. *Mancipatus & servilia opera.* an. 298. §. 10. pice suffundebant. Euseb. VI. 4. Raptabant. Euseb. VI. 34. Maxillæ verberatæ. Euseb. VI. 34. Fractio membrorum. l. c. Fames. vide Cypr. ep. 22.

Objectum in genere: §. 32. *Objecta.* Revera Deus petebatur: unde Tert. c. 3. ad Scap. dicit persecutores θεομαχεῖν *contrà Deum pugnare*: Deus enim in suis membris impugnabatur. Homines dicebantur *Biothanati* in actis Procons. apud Bar. an. 138. §. 5. & 290. §. 11. *Sarmentitii* & *Semaxii* apud Tert. c. 49. Apol. *Milites* apud Cypr. ep. 16. §. 1. Erant multi, & ferè infiniti. Sic enim scribit Euseb. lib. VI. hist. c. 1. de Alexandrinis cumprimis & Ægyptiis Martyribus. In compendio plerique referuntur apud Dionysium in literis ad Domitium & Didymum, referentem, *viros & mulieres, juvenes & senes, puellas & vetulas, milites & privatos, cujusq; generis, cujusq; ætatis extitisse, quorum alii flagris cæsi, alii ignis incendio cremati, alii ferro percussi, parta victoria coronas Martyrii adepti sunt.* Euseb. VII. 10. Confer Baron. an. 254. §. 29. Erant animosi in suppliciis subeundis; imo & expetendis. Nam Euseb. lib. VI. c. 2. scribit de Origene adhuc puero, quod toto impetu ruerit in Martyrium, adeo, ut mater cogeretur ipsum serio dehortari, & cum non cessaret, vestimenta domi abdere, ne in publicum pedem efferret. Mater igitur, prudentior filio fuit & sapientior. Nec n. decet ultro se morti offerre. Scribebant literas ad martyres adhuc captivos, & ad constantiam hortabantur; quales Origenes ad suum parentem in carcere detentum perscripsit; referente Eusebio lib. VI. hist. c. 2. *Mortui* quoque. Nam Tert. Apol. c. 37. refert: *Ipsis Bachanalium furiis nec mortuis parcunt Christianis, quin illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis, jam alios, jam nec totos avellant, dissecent, distrahant.* Idem memorat c. 3. ad Scap. nempe, quod gentiles acclamarint: *Areæ sepulturarum non sint*; Erant tamen etiam

etiam heterodoxi *inter putatitios* Martyres; qualis videtur fuisse ille miles, qui coronam gestare nolebat, & ultro Christianum sese esse profitebatur, multum laudatus à Tertulliano Montanista, pungente orthodoxos, qui militi isti refragabantur. de coron. mil. c. 1. vide Baron. an. 201. §. 2. seqq: Probe igitur distinguendi sunt *orthodoxi ab heterodoxis*, e.g. Marcionitis, Praxeanis, Montanistis, quorum illi cupidissimi quidem erant Martyriorum, sed ex malo principio, nempe, quod à malo principio dicerent carnem esse profectam; Hi vero, quod censerent, necessarium esse martyrio defungi. vide acta Pionii apud Metaphrasten die 1. Febr. Baron. an. 254. §. 19. Observandum igitur est, quod Pacianus Symporiano respondit, jactanti Martyrium sui Novatiani: *Etiamsi passus est aliquid Novatianus, non tamen etiam occisus; etiamsi occisus, non tamen coronatus. Quid ni? extra Ecclesiæ pacem, extra concordiam, extra eam matrem, cujus portio debet esse, qui Martyr est.* Baron. an 261. §. 50. 51. Et quod Cyprianus ep. 56. habet, *pereundi caussa sit propter Christum perire.* Idem de unit. Eccles. §. 12. *Tales*, (Schismatici & hæretici) *etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis & gravis culpa discordiæ, nec passione purgatur. Esse Martyr non potest, qui in Ecclesia non est*: Probat ex 1. Cor. XIII. 2. Pergit: *Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel objecti bestiis, animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.* Huc referendi sunt & illi confessores, qui superbia efferebantur propter degustatum Martyrium. Conqueritur idem ep. 8. §. 1. quod quosdam *extollat insolenter confessionis suæ tumida & inverecunda jactatio.* Specimen præbuit Lucianus, qui promiscue indulgentias dedit peccatoribus; unde Cypr. ep. 23. bene scripsit: *quod non martyres Evangelium faciant, sed per Evangelium martyres fiant. Distinguendum* quoque inter martyres & confessores. Sic enim Cajus Papa: *Dominus noster Jesus Christus, præscius fragilitatis humanæ, duas credentium in se gradus constituit, confessionis scilicet & Martyrii, ut qui martyrii pondus se non ferre posse viderentur, Confessionis gratiam teneant, & concedentes laudem bellaturis Christi militibus, & pro ejus nomine pugnaturis, illorum solicite curam gerant.* vide acta Sebastiani: Item inter

martyres univoce & analogicè tales: Hi erant, qui fratri inservientes in mortis periculum incurrebant, ut Presbyteri, Diaconi, & alii fideles Alexandrini, inservientes peste laborantibus, ipsi deinde peste exstincti, vide Euf. lib. VII. c. 16. 17. Distinguendum quoque inter certos & dubios seu falsos: *Septem dormientes* hoc seculo narrantur in spelunca sese abdidisse & obdormivisse; an. 252. Sed Baronius ipse non audet historiam istam veram & certam asserere in Martyrol. *Ursula* Britannica cum XIooo virginum in hanc quoque ætatem conijcitur à nonnullis; contra alii referunt ad annum 442. ut Petrus Mersæus Cratepolius; alii ad 452. ut Claudius de Rota; alii ad 450. ut Petrus Equilinus, alii ad 453. ut Carolus Sigonius, alii ad 466. ut Demsterus; vide Usser. in antiqq: Brittan. p. 617. seqq: Et nostram diatriben de Antiqq. Eccles. Argent. art. II. sub fin.

In specie:

§. 33. *In specie.* I. *Politici* ut Philippus quidam præfectus provinciæ Augustalis Ægypti à Severo, immissis sicariis, cædi jussus est. Baron. an. 204. §. 5. Calocerus, atque Parthenius, quorum iste fuit præpositus cubiculi uxoris Decii, hic alterius muneris primicerius; Secundianus Valeriani Præfecti assessor an. 253. §. 29. referuntur in persecutione Deciana Martyrio coronati. Marinus Centurio, Euseb. VII. 13. Astyrius vir Senatorius. l. c. *Milites* 64. prætoriani jussu Claudii decollati sunt; vide acta Laurentii sub finem. Imprimis illustre exemplum præbent Milites Thebææ legionis. Cum enim Maximianus ipsos juberet idolis sacrificare, renuerunt; igitur jussit decimari, & decimum quemque interfici; perseverantes reliquos iterum decimavit; reliquis tandem immisit universum exercitum, ut protereret, quod & factum, vide Martyrol. Rom. die 22. Septemb. Literas Eucherii Lugdunensis ad Sylvium; Baron. an. 297. §. 11. seqq: Carmen Venantii Fortunati Elegiacum: Helinandum apud Surium tom. 5. die 20. Octobris. Ubi de pluribus in eadem expeditione trucidatis refertur. Confer Sur. t. 3. 4. non: Maj. & ante hos Euseb. Chron. an. 297. Rationem subnectit Baronius §. 27. ideo primum in milites esse sævitum, ut his sublatis, impune in promiscuam multitudinem grassarentur. Computum

putum refert Baronius an. 298. §. 17. eorum, qui thermis absolutis cæsi sunt militum, nempe 1203.

§. 34. *Ecclesiastici.* Ii præsertim, qui eminebant, & Christianos reliquos corroborabant. vide Baron. an. 262. §. 32. Exemplo sit Origenes, quem dirissime persequebantur, ideo, quod multi ipsius opera converterentur: referente Euseb. lib. VI. c. 3. Ita Maximinus τοὺς τῶν ἐκκλησιῶν ἄρχοντας μόνους *solos Ecclesiarum antistites, tanquam auctores doctrinæ Evangelicæ, neci jussit dari.* c. 21. vel, ut Zonaras exprimit: τοὺς τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτας ἀναιρεῖσθαι κεκέλευκεν, ὡς διδασκάλους τοῦ χριστοῦ χριστὸν μυστηρίου, καὶ κήρυκας. Imitatus *Decium*, qui præcipue odio prosequebatur Cyprianum, quod ille celebrior & præstantior erat, referente Gregorio Naz. orat. panegyr. in Cypr. f. 124. opp. ut *Episcopi.* in quibus erat *Zoticus* Episcopus Otrenus, sub Severo passus, memoria ejus celebratur die 21. Julii. vide Martyr. Baron. d. d. & ann. 205. §. 27. *Irenæus* acerrimis tormentis excruciatus & interfectus. §. 28. *Zephyrinus* quidam Episcopus Romanus in Ecclesiasticis Romanæ Ecclesiæ tabulis etiam martyrium subiisse dicitur, sed ipse Baronius an. 221. §. 1. & 2. id referens, non habet, quod solidè asserat, alias satis confidens in asserenda Pontificum suorum gloria, si vel levissimam habeat conjecturam. Pontianus sub Alexandro Mammæo deportatus in exsilium, & fustibus cæsus. vide Martyr. die 19. Novembr. *Cornelius* R. Episcopus sub Gallo & Volusiano coronatus est anno 255. vide Baron. annales. *Lucius* successor relegatus est, mox revocatus, gratulante Cypriano, ep. 58. sequenti anno martyrium subiit, nempe 257. §. 6. *Sixtus.* an. 261. §. 1. seqq: vide Cypr. ep. 82. Prud. hym. 2. Theogenes, Baron. an. 262. §. 33. Huc quoque referri possunt *Doctores Ecclesiæ*, ut erat Origenes, qui quidem ipsam martyrii coronam non accepit, confessor tamen fuit insignis, si lapsum excipias. vide Baron. an. 253. §. 120.

§. 35. *Alii.* Ut fæminæ, etiam *parturientes*, vel *lactantes*: Exemplum recitat August. de temp. barb. c. 5. *Felicitas parturiebat*, *Perpetua lactabat*, cum captivæ essent, bestiis obijciendæ Baron. an. 205. §. 24. *Totæ civitates*, ut Lugdunensis, Severo imperante, Baron. an. 205. §. 28.

§. 36.

Effectus. §. 36. *Effectus.* Erant *apostasiæ*, divitum cumprimis, ut factum Decio furente, quod conqueritur Dionysius apud Euseb. VI. 34. In his celebris est quidam Serapion, ut ex ejusdem ad Fabium literis patet. c. 36. vel certè nutabant, ut Stephanus Episcopus Laodicenus, referente Euseb. VII. 26. Per accidens erat incrementum Christianorum. Tert. Apol. c. ult. scribit: *Nec cuicquam tamen profecit exquisitior quoq; crudelitas vestra* (gentiles) *illecebra est magis sectæ, plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen est sanguis Christianorum.* Idem scribit c. ult. ad Scap.

Consequentia. §. 37. Consequentia erant I. *Sepulturæ*, quas studiosè curabant superstites Christiani. Episcopos Presbyteri sui curabant, ut Irenæum Zacharias, apud Baron. 205. §. 28. Fæminæ corpora abluebant, & aromatibus condiebant, si vera sunt, quæ ex Actis refert Baronius: Præses ad Tharacum confessorem illusoriè dixit: *Putas, quia mulierculæ aliquæ corpus tuum habent aromatibus vel unguentis condire:* Quibus subijcit Baron. an. 290. §. 21. *Hæc plane Præses, quod optimè sciret, Christianorum consuetudinem in sepeliendis Sanctorum Martyrum reliquiis, quas solerent, ut testatur Tert. Apol. c. 42. & alii, magna impensa pretiosis unguentis pollinctorum arte studiosè condire ac venerari.* Confer §. 23. & an. 295. §. 8. Fr. Balduini præfationem Minucio Felici præmissam B. 3. Certum est, quod de Astirio refert Eusebius, quod Martyrum cadavera sustulerit, splendidis & pretiosis vestibus obtexerit, atque humeris imposita ipse deportaverit, & sumptuosis linteis involuta sepulchro intulerit. lib. VII. hist. c. 14. Quod eo credibilius est, quia soliti fuerint Christiani peste vel extinctorum *corpora manibus erectis supinisq; excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadavera, decenter ornare, illis adhærescere, amice complecti, lavare accurate, & linteo funebri involvere.* c. 17. Accedebant & Scholares cum cantu, ut in vita Cypriani refert Pontianus. Baron. 261. §. 6. Interdum vero ea erat invidia & furor persecutorum, ut nihil reliquiarum ad sepulturam superesset. vide Baron. an. 290. §. 27. *Locus*, ubi efferebantur, erant cryptæ & cæmeteria. Celebre est apud Anastasium Calixti pontificis coemeterium, utpote in quo aliquot Romanorum Episcoporum repositi dicuntur, Antherus, Pontianus,

Fabianus,

Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus. II. Dionysius, Eutychianus, Cajus. vide Baron. an. 226. §. 7. seqq: Laudantur & cœmeteria Zephyrini, Prætextati, Priscillæ, Urbani, & Marcellini: Basilica Felicis, & Cypriani & Eusebii. vide Vict. Utic. lib. 1. de persec. vand. Baron. an. 278. §. 3. Fides sit penes auctores. *Tabulæ* addebantur plumbeæ & lapideæ, ut inventæ sunt in sepulchris Marii, Marthæ, Hadriani, Flaviæ Domitillæ, restituente Augustino Cardinali, apud Baron. an. 270. §. 9.

§. 38. II. *Memoriæ.* Constituti erant publico nomine *Notarii* celeritate scribendi valentes, qui Acta *proconsularia* cumprimis intra velum gesta exciperent, quæ à Christianis vel pecunia data solebant redimi, ut cum reliquis reponerentur in Ecclesiasticis Archivis. vid. Baron. an. 238. §. 2. Henric. Vales. in not. Euseb. fol. 315. Habebant tamen & Christiani de suis, qui extra velum in publico gesta exciperent, & notarent. Sic excepta ad alias Ecclesias mittebantur, sicut Clerus Romanus de Fabiano suo retulit ad Ecclesias alias. Dicuntur Romani Pontifices regiones urbis inter Notarios ita distribuisse, ut vel à Presbyteris, vel Diaconis, vel Subdiaconis ordine gesta Martyrum consignarentur. Etiam si autem bona tum fide excepta essent, attamen successu temporis vel amissa fuerunt, vel corrupta, & interpolata, ut hodie lubrica sit ipsorum fides, fatente ipso, & conquerente, Baronio: vide an. 203. §. 3. 205. §. 28. 253. §. 3. 229. §. 7. 237. §. 11. 13. 249. §. 9. 253. §. 29. 260. §. 35. 261. §. 8. 262. §. 57. 270. §. 8. 284. §. 6. Martyrol. c. 2. & 3. Melch. Can. lib. XI. Loc. p. 331. Quod eo fine monuimus, ne quis censeret, omnia ista esse certa, quæ paulo ante ex Actis Baronianis retulimus. Sunt enim quædam, quæ cultui reliquiarum viam sternere videntur, adeoque cautè accipienda. Id non negaverim, memorias Martyrum & natales fuisse celebratos vel quotannis; vel in celebratione cœnæ, ut fructum isti constantiæ referrent, & vivi ad similia pietatis exercitia animarentur. Memoriæ.

§. 39. *Pœnæ divinæ.* Infligebantur ab ipso Deo pœnæ persecutoribus. In compendio recitantur à. Tertul. c. 3. Scap. Refert enim, quod alii messe sua fuerint mulctati; alii lumina Pœnæ divinæ.

Ttttt ami-

amiserint, alii vermibus fuerint corrosi, & peste exstincti. Imprimis eminet Plautianus sub Severo potens Christianorum hostis, sed miserè interfectus. vide Baron. an. 206. §. 1. seqq: Neque singuli tantum, sed plures simul. Defuncto Severo, (qui vivus adhuc pœnas persecutionis dederat Oros. lib. VII. hist. c. 7.) Caracallæ successoris jussu plurimi præstantissimi viri & alii Romæ sunt interfecti, quod ex divina ultione accidisse censet Baron. an. 214. §. 3. Alexandrini Christianos dirissimè persecuti erant; Deus igitur immisit Antoninum Caracallam; qui omnes fere cives trucidaret, vide Spartianum & Dionem in Caracalla; Et Herodianum lib. IV. Decius ægre fecit Christianis, sed dedit pœnam, dum neque diu regnavit, neque feliciter obijt; Nam occiso per seditionem filio fugiens ipse cum equo in profunda palude absorptus est. Merito igitur in ipsum invectus est Constantinus in oratione ad sanctos. Adhæc ingruebat pestis, & per decennium dirissimè grassabatur, Deo injurias suis illatas ulciscente; ne quid dicam de barbarorum invasionibus, Imperatorum Macrini, Maximini, Decii, Galli, Volusiani, Valeriani, Claudii, Aureliani infelicissimis fatis, vide Pontium in vita Cyprian. Dionysium Alex. apud Euseb. l. 7. c. 9. Constantinum M. Orat. de Sanct. c. 24. Euseb. vita Const. l. 4. c. 11. Trebell. Poll. in Gallieno. Oros. l. 7. c. 22. August. ep. 80. Gregorium Nyssenum in vita Thaumaturgi. Æmilianus præfectus Augustalis & persecutor, tandem in carcere strangulatus est. Baron. an. 260. §. 31. Contra *præmia* clementiores acceperunt divinitus: Tert. c. 4. Scap. refert, quod cujusdam mitioris judicis Notarius, *cum à dæmone præcipitaretur*, *liberatus sit*; *& quorundam propinquus & puerulus*, &c.

Remedia. §. 40. Remedia (1.) Contra *falsa dogmata.* Erant concilia: Cum enim Dionysius Alexandrinus suspectus esset Tritheismi, Dionysius Romanus concilium convocavit Romæ, & ventilata controversia ad Alexandrinum literas dedit, petiitque, ut sententiam suam declararet. Rescripsit Alexandrinus, & ostendit, se aliud nihil voluisse, nisi distinctionem inter patrem & Filium asserere; vide Athanas. in libel. de senten-

tia

tia Dionysii; & in commentario, quem de synodis scripsit. Erant *legationes* & *Epistolæ*. Cum enim Dionysius Alexandrin. comperisset nonnullos Episcopos sententiam Sabellii fovere, legatos misit, & epistolam, in qua errores ipsorum confutabat, memorante eodem Athanasio in libello de sententia Dionysii. Erant *Apologiæ*. Interdum enim fiebat, ut quis falsæ doctrinæ insimularetur, quam tamen non fovebat, ut Dionysius; Igitur opus erat sese purgare, quod idem fecit: *Non enim rixandi animo, sed sui purgandi apologiam scripsit. Certe qui suam innocentiam purgat, quid aliud facit, quam quod crimen diluit, & Arianos Sycophantas ostendit?* verba sunt l. c. Athanasii. Erant *reprehensiones* & *protestationes*, quales fecit Tertullianus adversus invalescentes superstitiones, utplurimum ex κακοζηλίᾳ natas: *Quoniam unum aliquod attigimus vacuæ observationis, non pigebat cætera quoq; denotare, quibus merito vanitas exprobranda est; Siquidem sine ullius aut Dominici, aut Apostolici, præcepti auctoritate fiunt. Hujusmodi enim non religioni, sed superstitioni deputantur, affectata, & coacta, & curiosi potius, quam rationalis officii, certè vel eo cœrcenda, quod gentilibus adæquent.* c. 12. de orat. Cyprianus epist. 63. gravissime invehitur in aquarios, qui vino aquam in Eucharistia substituebant. Atque hæc remedia exercebantur ab Episcopis promiscue. Cum Marcianus Arelatensis in Novatianismum esset lapsus, Cyprianus epistola 67. ad Stephanum Romanum scripta §. 1. scribit: Nostrum est &c. & §. 13. sub finem. &c.

§. 41. II. Contra *falsum cultum*. An consultum sit idola violenter tractare, conviciis incessere? &c. Negat Orig. lib. VIII. Cels. p. m. 402. & 404. Congruentius remedium sunt reprehensiones. Cum Paulus Samosatenus Antiochenorum Episcopus varia in publico cultu immutaret, notatus est à Patribus Antiocheni concilii, & cum insuper hæreticæ doctrinæ addictus esset, ipsum ex Ecclesia ejecerunt. Euseb. lib. VII. hist. c. 24.

§. 42. III. Contra *mores malos*. Alia erant *Extraordinaria*, cum Deus immediatè homines puniret, tradendo ipsos Satanæ. Exemplum narrat Tertul. c. 26. de spectac. *Exemplum accidit, Domino teste, ejus mulieris, quæ theatrum adiit, & inde cum*

dæmonio rediit, Itaq; in exorcismo, cum oneraretur, immundus Spiritus, quod ausus esset fidelem aggredi; Constanter, & justissimè quidem, inquit, ipse in meo eam inveni. Constat & alii linteum in somnis ostensum, ejus diei nocte, quâ tragœdum audierat, cum exprobratione nominato tragœdo, nec ultra quintum diem mulierem eam in seculo fuisse. Aliud exemplum horrendum recitat Euseb. lib. VI. 8. de adversariis aliquot Narcissi Episcopi Hieros. Nam propter perjuria præsentissimo exitio, hic incendio, iste tabe, ille cœcitate puniti sunt. Aliud Cyprian. recitat de lapsis. §. 19. Loquitur autem de pœna lapsorum divinitus ipsis inflicta: *Unus ex his, qui sponte capitolium negaturus ascendit, postquam Christum negavit, obmutuit.* Non paucis interjectis addit: *Alia in balneis constituta, illic ab immundo spiritu immunda correpta cecidit, laniavit dentibus linguam, qua fuerat vel pasta impie, vel locuta.* Adde, quæ §. 21. habentur. Sed hæc extraordinaria sunt, & Dei immediatè opera; Hominibus perinde non licet vi agere adversus delinquentes, nisi fuerint Magistratus politici. Bene Cyprianus epist. 62. §. 3. *Tunc quidem* (in V. Test.) *gladio* (immorigeri) *occidebantur, quando adhuc* &c. Alia erant Ordinaria, ut *disciplina Ecclesiastica*; De cujus ritibus prolixe egimus supra p. 527. 839. *Fuga.* Cum Narcissus calumniis propter officium acrius administratum gravaretur, abdicato officio in eremum aliquandiu concessit. Euseb. VI. 8. *Scripta Elenchtica.* Cum Pontifex R. cristas altius extolleret, recipiendo lapsos & excommunicatos, Cyprianus invectivam scripsit, & pro juribus Episcopalibus masculè pugnavit. Idem fecit Firmilianus Cappadociæ Episcopus, ep. 73.

§. 43. IV. Contra persecutiones. (1.) *Fuga.* Origenes lapidibus à gentilibus appetitus, aufugit, narrante Euseb. VI. c. 3. *Non est enim abjectioris animi pro tempore periculis non occurrere, non mortis metu, sed ut vita esset utilis degendo inter homines, & juvando alios, dum tempus opportunum veniat; quo mortem subiret hominibus utilem, qui humanam naturam sumpserat;* scribit lib. 1. contr. Celsum, defendens fugam pueruli Jesu in Ægyptum adornatam, p. 50. 51. Subjungit, quod Matth. X. 13. Christus jubeat discipulos fugere, simulque *ipsis se in exemplum dederit vitæ stabilis & constitutæ, qui præciperet, ne temerè, neq; intempestivè, atq; inconsulto in pericula irruerent.*

rent. Confirmat lib. VIII. p. m. 406. Cyprianus, imminente persecutione, fugit, qua de fuga consultus clerus Romanus, approbavit, ratione addita, quod esset *personæ insignis.* Cypr. ep. 3. Origenes sententiam suam de fuga capessenda in Joh. sic expressit: *Hæc & his similia ab eo scripta fuisse censeo, volente rem nos advertere, ne iracundius & inconsideratius insiliamus in certamen mortis, pro veritate testimonium præbituri. Etenim honestum est quidem, si inciderit certamen, pro confitendo Jesu confessionem non differre, neq; tardare mortem pro veritate oppetere; At non minus, quam hoc, molestum est, tali tantæq; tentationi occasionem non dare, sed omni modo vitare eam; non solum, quia tantæ rei exitus incertus sit nobis; verum etiam, ne nos occasio simus, ut magis peccatores, magisq; impii evadant illi, qui nondum sanguinem quidem nostrum effudisse rei facti sunt; Si, quæ in nobis sunt facientes, declinaverimus eos, qui insidias nobis ad mortem usq; moliuntur; Sed puniendi alioquin majori graviorìq; pœna nostri caussa, si nostri amantes, rebus illorum posthabitis, exposuerimus nos interficiendos, nulla nos necessitate urgente. Nam si etiam, qui alicui occasio peccati factus fuerit, is pœnas dabit, ad ea, quæ sui caussa peccaverit quis; quomodo non etiam pœnas daturus est, qui, cum declinandi facultatem habebit, ne proditor ille Christiani sit nominis, & insidiator cultus divini, erga Jesum, non declinaverit, imo potius concitaverit?* Hæc Origenes. Annotavit autem ad Joh. XI. 54. *Jesu non propalam ambulabat inter Judæos, sed abiit illinc in regionem deserto vicinam &c.* Hinc ille, & merito quidem, conclusit, admoneri nos ad fugam in periculis personalibus capessendam, adductis aliquot præterea rationibus satis ponderosis. In eandem sententiam scripsit etiam Dionysius Episc. Alexandrinus Euseb. lib. VI. c. 33. & ante ipsum Clem. Alex. l. IV. strom. ad Matth. X. 23. ubi Christus jubet fugam capessere, si persecuti nos fuerint hostes; cui mandato obsecutus Clemens, ipse fugerat, & loco citato instituit veluti apologiam. Idem remedium arripuit Gregorius Thaumaturgus. *Cum enim imbecillitatem naturæ vidisset vir magnus, utpote quod multi non possent pro pietate usq; ad mortem decertare, consuluit Ecclesiæ, ut parumper cederet terribili irruptioni; dicens, esse melius fugiendo suas conservare animas, quam, si starent in acie certaminum, esse ordinum fidei desertores. Et ut maximè esset persuasum hominibus, nullum animæ afferre peri-*

 culum.

culum, si fuga fidem servarent, suo exemplo eis consuluit, ut secederent; ipse ante alios cedens vehementi periculo. verba sunt Gregorii Nysseni in vita Thaumaturgi. Hinc nati sunt primi *Eremitæ.* e.g. Paulus, de quo fatetur Baronius an. 255. §. CXI. quod persecutionis *bene usus occasione, quam primum timore correptus, petierit solitudinem*; vide Hospin. de Monach. p. 18. Idem fecit Thaumaturgus. Nam & ipse *furorem declinans gentilium debacchantium, recessit in solitudinem*: fatente eodem §. 129. Ad quos aliquo modo referri possunt *Septem dormientes*; Nam & hi (ut dicunt) fugerunt in deserta, & in deserto manserunt. vide Baron. an. 254. §. 24. & Martyr. Sub Valeriano *multi Christianorum declinantes ipsorum* (persecutorum) *sævitiam, occultabantur*: ut ex actis refert Baron. an. 259. §. 21. Confer verba Caij papæ supra descripta. Et fugam nonnullorum Confessorum; Ipsius Caij in vita apud Anast. *Montanistæ* equidem improbabant fugam, ut discimus ex Tert. de cor. milit. c. 1. non *dubitante, quosdam scripturas emigrare, sarcinas expedire, fuga accingi de civitate in civitatem: Nullam enim aliam Evangelii memoriam curare. Novi & pastores eorum in pace leones, in prælio cervos.* Hæc ille sarcasticè satis in Psychicos, i. e. orthodoxos. Etiam Marcionitæ fugam detestabantur, & hanc ideo, quod censerent, corpus à malo Deo esse creatum, adeoque in odium principii mali periculis exponendum & perdendum. Quorum insanam impietatem notat Clem. Alex. l. 4. strom. *Dicimus autem nos quoq;, eos, qui de industria mortem quærunt (sunt enim quidam non nostri, sed nominis tantum participes, qui quidem seipsos magno studio contendunt tradere, propter odium in creatorem miseri mortem cupientes) eos, inquam, dicimus, seipsos prodere absq; ullo martyrio & testificatione, etsi publicè puniantur*: Negat igitur Clemens, istos esse veri nominis Martyres, ratione mox addita: *Fidelis enim testimonii non servant characterem, qui eum, qui verè Deus est, non cognovere; vanæ enim morti seipsos tradunt; Sicut se temerè in ignem injiciunt Indorum Gymnosophistæ.* Castigat & Basilidis somnium Pythagoræum, statuentis, animam ex alio corpore in nos delatum luere pœnas peccatorum olim admissorum. vid. Scultet. Med. p. 111. Montanistarum alia erat ratio dissuadendi fugam, nempe absoluta Dei voluntas. Sic enim Tertullianus in libro, quem

de

de fuga, vel potius contra fugam ex professo scripserat, c. 5. *Si Deus voluerit, ipse me proteget:* Et allegato vanæ fugæ exemplo, infert: *Quid aliud voluit Dominus nobis demonstrare hoc documento, quam fugiendum non esse; quia nihil fuga prosit, si Deus nolit.* In altero extremo peccabant Gnostici, & Valentiniani, magna hoc tempore pars Christiani nominis. Nam hi negabant prorsus subeundum esse pro veritate Martyrium: ratione addita: quod Christus morte sua nos liberaverit à morte; Si igitur esset, qui rogaretur, an Christianus esset? negandum esse, etiamsi quis fuerit, ne confessione sua mortem sibi conciliaret. His contradicentes Tertullianus & alii in alterum extremum declinarunt. Baron. an. 205. §. 19. (2.) *Redemptio, data pecunia.* Pungit orthodoxos Tertullianus, quod data persecutoribus pecunia pacem sibi & securitatem emerint. de fug. c. 12. & 13. Unde apparet id usu receptum fuisse. Defendit autem orthodoxos quidam Petrus Alex. Episc. can. 12. his verbis: *His enim, qui pecuniam dederunt, ut ab omni improbitatis molestia omni ex parte remoti essent, crimen intendi non potest. Ratione addita: Damnum enim & jacturam pecuniarum sustinuerunt, ne ipsi animæ detrimento afficerentur, vel ipsam etiam perderent, quod alii propter turpe lucrum non fecerunt.* Subjungit deinde dicta Matth. XVI. 26. VI. 24. *Fortitudo* & *patientia, ad quam* hortatur Clem. Alex. l. 4. strom. vide Scultet. in med. c. 4. p. m. 110. Confer exemplum Jasonis, Pauli, & Silæ, qui dederunt persecutoribus ἱκανὸν, & dimissi sunt. Act. XVII. 9. apud Petrum. l. c. (3.) *Scripta.* Cum sæviret persecutio sub Maximino, Origenes librũ scripsit de martyrio, dedicatum Ambrosio & Protocteto Episcopis & confessoribus. Eus. l. 6. hist. c. 21. Alios in Deciana. c. 32. cum immineret alia, in qua ipse vitam amisit. Cyprianus scripsit de Martyrio ad Mosen, Maximum, & alios confessores, laudans, quod ipsi subirent. Erasmus equidem abjudicat Cypriano scriptum, caussatus diversitatem Styli, sed meminisse debuisset, quod Aug. l. 4. de doctr. Christ. c. 12. & 21. in Cypriano observavit, nempe diversitatem styli. Certum est, quod ad Tibaritanos scripserit, cohortaturus ipsos ad martyria fortiter subeunda. ep. 66. Idem ad Fortunatum quendam exhortationem dedit Martyrii. Hæc tamen potius martyria præce-

præcedebant; Concomitabantur & sequebantur alia. Cyprianus idem ad Cornelium scripsit epistolam efficacissimam, cum Cornelius jam Centumcellas esset relegatus, Gallo & Volusiano persecutionem auspicantibus; est ep. 57. Idem consolatus est Confessores ad metalla damnatos. ep. 80. seqq. carceribus mancipatos. ep. 81. Idem ad Successum scripsit & collegas de persecutione Valeriana, *ut ubiq; hortatu eorum fraternitas possit corroborari & ad agonem spiritalem præparari.* ep. 82. (4.) *Apologiæ.* Tertullianus egregium Apologeticum pro Christianis scripsit, in quo præcipue & illam calumniam diluit c. 39. quod Christiani essent caussa publicorum malorum. Origenes calumniis Celsi opposuit octo libros. Cum Demetrianus Proconsul Africæ Christianis culpam publicorum malorum imputaret, insurrexit Cyprianus, & Zelo plane divino calumniam Ethnici castigavit in libro contra Demetrianum. Cum sub Diocletiano Christiani variorum scelerum & malorum caussæ coarguerentur, stylum pro ipsis strinxit Arnobius, & caussas reddidit mox ab initio. (5.) *Visitationes, beneficia &c. fratrum.* Referunt confessores Africani, quod in carcerem conjectos *visitatio fratrum refrigeraverit omnemq; noctis laborem diei solatium lætitiaq; abstulerit,* apud Sur. t. 1. die 24. Febr. Baron. an. 262. §. Addit §. II. quod *laborantibus fame & siti Herennianus Diaconus, & Januarius Catechumenus alimentum indeficiens ministraverint.* §. 63. refert de Fructuoso Episcopo Tarraconensi, quod ducto ad mortem fratres *condimentum* i. e. *poculum* aromatibus *permixtum* porrexerint. Ante hos egregia fuit Origenis laus. Præsto enim fuit captivis, & damnatis, & ad necem abductis, consolando, defendendo, osculando, referente Euseb. lib. VI. c. 3. Qualequid etiam de Basilide laudatur, comite martyris Potaminææ: c. 4. Usus autem est eodem beneficio ab aliis, qui in carcere ipsum frequentabant, & sigillum Domini ipsi impertiebantur. l. c. Idem de militibus nonnullis, qui nutantem nutu, gestibus confirmarunt. c. 34. Imprimis autem hoc erat Presbyterorum & diaconorum officium, ut male audierit Novatianus, quod tempore persecutionis suo huic officio ex metu defuerit, exprobrante Cornelio Episcopo in literis ad Fabium Antiochenum apud Euseb. VI. 35.

Optimè

Optimè contra quidam Eusebius, quem dominus *non modo ad ministeria confessorum, qui carceribus tenebantur, summo studio & omni animi contentione implenda, sed etiam ad lintea, quibus corpora beatorum Martyrum jam vita defunctorum involverentur, neglecto vitæ periculo, conficienda præpararit.* lib. VII. 10. (6.) *Rescripta Imperatorum*, Gallienus Imperator, natura alioquin sævissimus, postquam vidit, patrem Valerianum à Persis captum, miserrimè tractatum, & rebelliones hinc inde excitatas, remisit de sævitia in Christianos, & *edictis vulgatis* pacem dedit. Euseb. l. 7. c. 12. verbotenus recitat edictum ad Episcopos cum præfatione salutis satis honorificè directum, & deinde in archivis repositum. Confer. Tertul. ad Scap. c. 3. & 4. (7.) *Assistentia divina* in mediis tribulationibus. Origenes lib. 1. contr. Cels. præclare scribit: *In Christianorum dogmata Senatu Romano, Imperatoribus, exercitibus, populis, ipsis fidelium necessitudinibus conspirantibus, oppressa fuissent utiq; à tot inimicis infestata undiq;, nisi divina virtute sustentata è tot pressuris emergerent, totumq; mundum in se coortum vincerent.* Et lib. V. p. m. 267. caussam moventem clarius explicat: *protegente eos manu Dei, cujus voluntas erat, ut verbum suum, ex imo Judææ terræ angulo profectum disseminaretur per universum genus hominum.* Cum Præses Andronico martyri comminaretur: *non me vinces, aut contemnes tribunal meum*, Martyr respondit: *Non vos vincimus; sed est, qui nos confortat, Dominus noster Jesus Christus; Nam ex parte sentis & recognoscis, quoniam non timemus te, neq; tormenta tua.* Ex actis proconsularibus refert Baron. an. 290. §. 16. cum immitterentur bestiæ Martyribus, ursi, leænæ, abstinuerint ipsæ ab istis discerpendis. §. 29. Huc referri potest, quod Basilides, satelles persecutorum, subito correptus Potamiœnam virginem adversus vim propudiosam defenderit; referente Euseb. lib. VI. c. 4. Ex professo hoc egit Tertullianus ad Scapulam c. 3. pluribus exemplis cum publicis tum privatis in medium adductis.

Articuli VI.

De

Hæresibus

Argumentum.

Hæresis & Hæreticorum nomina & descriptiones: Existentia: Cognitio: Caussæ: Species variæ, enumerantur eminentiores, Symmachiani, Berylliani, Arabiani, Helcesaitæ, Novatiani, Sabelliani, Samosateniani, Angelici, Manichæi, Nepotiani, Hieracitæ. quarum explicantur nomina, auctores, errores, mores, assecla, adversarii, fata, cognata, Remedia.

§. 1.

Hæresis (1.) Nomen & Descriptiones Hæreticorum.

HÆresis unde dicatur explicuit Tert. de præsc. c. 5. nempe ab eligendo. Verba Patris sunt hæc: *Hæresis dicta Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis sive ad instituendas, sive ad suscipiendas eas utitur.* Paronymum est *hæreticus*, Clemens Alex. appellat ἀιρέσεων κλιστὰς *conditores hæresium* lib. III. strom. f. 392. Tertullianus autem c. 4. de præscr. *falsos* dicit *prædicatores, adulteros Evangelizatores, Antichristos, Christi rebelles.* Adulteros nempe ab *adulterio hæretico*: ut c. 43. loqui amat. Cyprianus Magistrum secutus vocavit *Antichristos*; Alibi *perfidos, injustos, paleas, pestes & lues fidei, serpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices, venena lethalia linguis pestiferis evomentes, quorum sermo, ut cancer, serpit, quorum tactus pectoribus & cordibus singulorum mortale virus infundit.* §. 9. de unit. Lucio Episcopo in Synodo Carthaginensi sunt *Hæretici blasphemi, iniqui, verbis variis decerpentes sancta & adorabilia scripturarum verba*; Vincentius alius Episcopus *Hæreticos scire* voluit *pejores quam Ethnicos esse.* Dionysius Alex. Paulum Samosatenum serpentem censuit, *& adulterinam depravatamq;* ejusdem *doctrinam* esse Antiocheni statuerunt. Euseb. VIII. c. 24. Quæ & similes descriptiones notandæ sunt adversus Syncretistas,

tistas, qui mitius de hæreticis sentiunt & loquuntur; imò etiam adversus hæreticos ipsos, vel certe seductos ab ipsis; ut agnoscant sese esse, quod sunt, nec sibi ipsi placeant: *Diabolus rapit de ipsa Ecclesia homines, & dum sibi appropinquasse jam lumini atq; evasisse seculi noctem videntur, aliis nescientibus tenebras rursus infundit, & cum Evangelio Christi, & cum observatione ejus, & lege non stantes, Christianos se vocent, & ambulantes in tenebris habere se lumen existiment, blandiente adversario atq; fallente, qui, secundum Apostoli vocem, transfigurat se in Angelum lucis, & Ministros subornat suos, velut ministros justitiæ, afferentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu fidei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia metiuntur, veritatem subtilitate frustrentur.* Hactenus Cyprianus §. 2. de unit. Eccles. vivis coloribus describens genium Hæreticorum. Nolebant quidem illi esse, quos Cyprianus dicebat, ipse tamen nihilominus per bonam consequentiam tales appellabat.

§. 2. Extitisse hoc quoque seculo hæreses extra controversiam est: *Erant nimirum etiam tunc nonnulli, qui piam & sinceram religionis doctrinam adulterarent, ac per probabiles argumentationes sæpenumero etiam doctis & prudentibus veritatem facerent ambiguam*: juxta Nyssenum in vita Thaumaturgi. Nec hoc mirandum, si cogitamus prædictiones Christi. Unde Tert. de præsc. c. 1. *non oportere nos mirari*, ait, *super hæreses istas, sive quia sunt; Futuræ enim prænunciabantur; sive quia fidem quorundam subvertunt; Ad hoc enim sunt, ut fides, habendo tentationem, habeat etiam probationem.* Notandum hoc adversus calumnias adversariorum. Si quos vident è numero Orthodoxorum in sequiora dogmata labi, continuo criminantur veram Ecclesiam: quam tamen Deus sic permittit probari. (2.) Existentia

§. 3. Operæ pretium est hæreses nosse, ut coram aliis de ipsis, & adversus ipsas, verba queamus facere; indecorum enim saltem est, si Doctor Ecclesiæ adversariorum sententias ignoret. Eapropter Origenes Ophitarum preces, arcana mysteria, deliria in lucem protraxit, & in gratiam Celsi recensuit, ut Epicuræus sciret, non nescium esse Origenem sui hostis, vide lib. VI. adv. Cels. p. 206. & Confer lib. III. p. 119. Eo etiam (3.) Notitia.

prodest, ut, si adversus Hæreticos disputandum, ex propriis ipsorum hypothesibus eos convincere possimus: *Hoc in loco licebit mihi argumenta etiam ex aliorum Hæreticorum parte conquirere. Firmum est genus probationis, quod etiam ab adversario sumitur, ut veritas etiam ab ipsis inimicis veritatis probetur.* Novat. de Trinit. c. 18. Imo adeo sunt interdum absurda Hæreticorum dogmata, ut recitasse sit refutasse. vide Tert. c. 1. adv. Valentinianos. Cognoscendi autem sunt ex scriptis suis, vel colloquiis. Id docet nos Dionysius Alex. in literis ad Philemonem Presbyterum Romanum; *Equidem*, scribens, *tametsi Hæreticorum libros & traditiones perlegebam, & meum ipsius animum ad tempus scelestissimis eorum opinionibus quodammodo inquinare videbar; hoc tamen ab illis capiebam commodi,* τὸ ἐξελέγχειν αὐτοὺς παρ᾽ ἐμαυτῷ, καὶ πολὺ πλέον βδελύττεσθαι, *ut non modo eos interiore animi cognitione contemplarer ac refellerem, sed multo vehementius in posterum detestarer.* Addit deinde, ut per somnium monitus fuerit hæreticorum libros legere, secus ac frater suaserat; addita ratione: *Nam satis habes virium & firmitatis ad quæque tum convincenda, tum exploranda.* Utrumque igitur faciendum est, nempe, mens prius orthodoxa doctrina probè munienda est, deinde applicanda etiam hæreticorum libris evolvendis, ut redargui possint.

(4.) Caussæ. §. 4. *Caussæ.* Principalis erat *diabolus*, ut qui Manetem impulerat in hæresin Euseb. VII. 25. Dionysius Romanus, postquam errorem Marcionis notasset, addit: *Ea diabolica institutio est, non autem verorum Christi discipulorum, & acquiescentium Salvatoris præceptis.* Allegante Athan. decr. Nicæn. f. 152. opp. Cyprianus de unit. Euseb. §. 2. *Diabolus*, scribit, *hæreses invenit & schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem. Quos detinere non potest in viæ veteris cæcitate, circumscribit, & decipit novi itineris errore.* vide Epiph. f. 300. *Minus principalis* sunt homines, ab unitate recedentes, & semetipsi vocantes, & intrudentes. Cypr. d. unit. §. 9. ex professo de his, quem vide. *Impatientes.* Cypr. de bon. pat. §. 11. *Impatientia etiam & in Ecclesia hæreticos facit, & ad Judæorum similitudinem contra Christi pacem, & Charitatem rebelles, ad hostilia & furiosa odia compellit.* Invidia & Zelus: *Hinc ad hæreses & schismata prosilitur, dum obtrectatur sacerdotibus, dum*

Episcopis

Episcopis invidetur, dum quis aut queritur, non se potius ordinatum; aut dedignatur, alterum ferre præpositum. Cypr. d. Zel. & liv. §. 5. Superbi; cujus exemplum præbet Paulus Samosatenus, de quo infra. *Permittente* tamen *Deo.* Sic enim Cypr. d. unit. §. 9. *Hinc hæreses & factæ sunt frequenter, & fiunt, dum perversa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem. Fieri vero hæc Dominus permittit, & patitur, manente propriæ libertatis arbitrio. Non vero cooperante: Hæresis à Deo non est*, confitetur Sedatus in concilio Carthag. *Media seducendi* erant cantiones, ut erant Nepotis. vide Baron. an. 264. §. 71. Licentia scelerum, ut apud Paulum Samosatenum. Euseb. lib. VII. c. 24. *Materialis* ex qua, sunt errores Philosophorum. Tert. de præsc. c. 7. *ipsæ hæreses à Philosophia subornantur.* In specie deinde enumerat, unde hæreses suos errores mutuatæ fuerint. Subjungit Aristotelem, *qui illis dialecticam instituit, artificem struendi & destruendi versipellem*, & descriptionem Philosophiæ, quam vocat *sapientiam humanam, affectatricem, & interpolatricem veritatis, in suas hæreses multipartitam, varietate sectarum invicem repugnantium.* c. 7. Alii sunt seducentes, *schismatum duces, & dissensionis auctores, in cæca & obstinata dementia permanentes*; Alii sunt seducti; & simpliciter errantes, *vel simplicitate capti, vel errore inducti, vel aliqua fallentis astutiæ calliditate decepti*, unde & diversimodè tractandi sunt ex mente Cypriani. d. unit. §. 21. *Hæreses de quorundam infirmitatibus habent, quod valent, nihil valentes, si in bene valentem fidem incurrant.* Tert. d. præscr. c. 2. *Formalis*: Est error in doctrina, *Hæreseis non tam novitas, quam veritas revincit. Quodcunque adversus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo.* ait Tert. c. 1. de vel. virg. Novitas tamen non omnino excluditur: *In tantum enim hæresis deputabitur, quod postea inducitur, in quantum veritas habebitur, quod retro & à primordio traditum est.* l. 1. contra Marc. c. 1. & vitium in cultu. *Unde extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unusquisque de suo arbitrio adversus Apostolos aut protulit, aut recepit?* Tert. de præscript. c. 37. Cæcilius à Bilta in concilio Carthaginensi ita (in thesi recte) loquitur: *Apud hæreticos spes nulla est, & fides falsa, ubi omnia per mendacium aguntur, ubi exorcizat dæmoniacus, Sacramentum interrogat, cujus os & verba cancer emittunt; fidem dat infidelis, veniam delictorum tribuit sceleratus, &*

in nomine Christi tingit Antichristus. seqq: Hæretici quidem interdum verbis idem dicunt, quod orthodoxi, revera tamen diversum sentiunt: *Manifeste scimus, hæreticos* (baptizantes in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti) *non habere nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum*: ait Munnulus Episcop⁹ in eodem Concilio. (dare tamen possunt) Secundinus alius Episcopus eodem digitum intendit, cum *Christianos* esse negare videtur. *Et studium seducendi.* Tert de præscript. *Hoc sit negocium illis, non Ethnicos convertendi, sed nostros evertendi. Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem sperentur. Finalis* est interitus hominis. Tert. d. præscript. c. 2. comparat hæreses febri, *ad languorem* & interitum fidei productas. *hæreses mortem æternam, & majoris ignis ardorem inferenteis esse*, ait idem, *Quisquis* enim *ab Ecclesia segregatus* (ut hæretici) *adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. Nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* judicium est Cypr. unit: Eccles. §. 5. Et Cæcilius à Bilta sano tamen sensu capias, *Apud hæreticos spes nulla est, & fides falsa.* Per *accidens* est exploratio bonorum Christianorum. Tert. d. præsc. c. 1. ait, hæreses ad hoc esse, *ut fides, habendo tentationem, habeat etiam probationem. Fieri hæc Dominus permittit & patitur, manente propriæ libertatis arbitrio; ut dum corda & mentes nostras veritatis discrimen examinat, probatorum fides integra manifesta luce clarescat.* Cyrian. d. unit. §. 9.

(5.) Species Hæreticorũ. §. 5. *Species* variæ sunt: *Mentior, si non etiam à regulis suis variant* (hæretici) *inter se, dum unus quisq; proinde suo arbitrio modulatur, quæ accepit: Deniq; penitus inspectæ hæreses omnes in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur.*

Symmachiani. §. 6. *Symmachiani*, sic dicti à quodam Symmacho Marcionis discipulo. Carnem hominis *non à Deo factam esse asserebant, sed à diabolo arbitrabantur. Hinc etiam ultro quidam de eis sibi mortem conferre non dubitarint; sed nec judicium sperabant, vitiis secularibus, & carnalibus concupiscentiis prædicantes serviendum*; secuti Patricianos. Philast. hæres. c. 63. 64.

Berylliani. §. 7. *Berylliani.* Beryllus Bostræ in Africa Episcopus peregrinam Ecclesiæ doctrinam invehere volebat, τοῦ σωτῆρος καὶ Κυ-

ρίου

ριον ἡμῶν λέγειν τολμῶν μὴ προϋφεστάναι κατ' ἰδίαν οὐσίας περιγραφὴν πρὸ τῆς εἰς ἀνθρώπους ἐπιδημίαν, μὴ δὲ μὴν θεότητα ἰδίαν ἔχειν, *servatorem & Dominum nostrum Jesum Christum propria substantiæ circumscriptione non ante fuisse, quam in humanam carnem immigraret; neq; propriam habuisse ex se divinitatem, sed solam patris in eo extitisse:* ἀλλ' ἐμπολιτευομένην αὐτῷ μόνην τὴν πατρικήν: Euseb. lib. VI. c. 26. (33.) *Adversarios* habuit præter alios etiam Origenem, cum quo disputando congressus, & victus, resipuit. *Arabiani.* Sic dicuntur à *loco*, Arabia, ubi versabantur: Error erat: τὴν ἀνθρωπείαν ψυχὴν τέως μὲν, κατὰ τὸν ἐνεστῶτα καιρὸν ἅμα τῇ τελευτῇ συναποθνήσκειν τοῖς σώμασι καὶ συνδιαφθείρεσθαι; αὖθις δέ ποτε κατὰ τὸν τῆς ἀναστάσεως καιρὸν σὺν αὐτοῖς ἀναβιώσεσθαι: *hominum animas una cum corporibus uno eodemq; temporis articulo morte occumbere, & penibus extingui: at demum tempore resurrectionis universæ carnis cum eisdem vitam denuo recuperaturos.* Euseb. VI. 30. (37.) *Adversarios* habuerunt Episcopos, sed & Origenem, à quo disputando victi ad veram fidem redierunt. Arabiani.

§. 8. *Helcesaitæ.* Supererant hi ex superioribus annis, & novo nomine *Sampsæi* dicebantur, ab interpolatore credo, qui sese hæreticorum sententiam defensurum jactabat. vid. Philast. hæres. 82. Aug. hæres. 38. Errores (1.) de *principio fidei & ejus scriptoribus.* Sic enim Origenes refert, citante Euseb. lib. VI. hist. c. 31. ἀθετεῖ τινα ἀπὸ πάσης γραφῆς κέχρηται ῥητοῖς πάλιν, ἀπὸ πάσης παλαιᾶς τε καὶ εὐαγγελικῆς, τὸν Ἀπόστολον τέλεον ἀθετεῖ, φησὶ δὲ, ὅτι τὸ ἀρνήσασθαι ἀδιάφορόν ἐστι. i. e. *nonnulla universæ scripturæ antiquat testimonia; aliis rursum cum ex toto vetere Testamento, tum ex Evangelio depromptis, utitur; Paulum autem Apostolum omnino reijcit; Fidem item negare indifferens quiddam esse asserit.* Hæc illi. Sicut igitur verum principium reijciebant, vel corrumpebant, ita falsum substituebant, *librum circumferunt,* ὃν λέγουσιν ἐξ οὐρανοῦ πεπτωκέναι, *quem dicunt ex cœlo lapsum esse, &, qui illum audiverit, ejusq; doctrinæ crediderit, peccatorum remissionem consecuturum; eamq; diversam esse remissionem ab illa, quâ Christus Jesus remisit peccata.* Confer Epiph. hæres. 53. Hinc patent errores (2.) de *medio salutis,* remissione peccatorum, quam orthodoxi credebant fieri non nisi in nomine Jesu; hæretici vero per suum librum οὐρανοπετῆ. Igitur & ipsum Christi sal- Helcesaitæ.

tem

tem *officium mediatorium* violabant; sed & officium hominis. Tenetur hic etiam in summo periculo tamen fidei edere confessionem; Quid autem Helcesaitæ? *Fidem negare indifferens est.* Quæ ratio? addit Eusebius ex mente ipsorum: *Qui enim interiore cogitatione rectè de fide sentit, tametsi ore, cum necessitas illum eo detruserit, fidem perneget, eum tamen animo firmè illi adhæsurum.* Præclara scilicet doctrina pro nostris mundanis hominibus. Hac enim comite per omnes mundi plagas, quæcunque etiam fuerit religio, tales penetrare possunt. *Christum nomine confitebantur, creaturam ipsum putantes, & semper apparentem. Et primum quidem formatum esse ipsum in corpus Adam, & rursus induere, quando vult. vocari autem ipsum Christum, & esse Spiritum Sanctum sororem ipsius fœmineo habitu præditam, & unamquemq; ipsorum: Christum & Spiritum Sanctum habere altitudinem sex milliariorum, & latitudinem viginti quatuor.* Epiph. hæres. 53. Monstrosa deliria! In *cultu* Judaizabant partim, partim Ethnicissabant. *Addicti sunt Judæis in omnibus*, idem dicit, & aliquot exempla recenset, ut quod ab animatis abstineant, baptismis studeant. Adorabant duas fœminas veluti Deas: *quarum & pedum pulverem colligebant, medelæ videlicet gratia, & salivam sputorum similiter in præservativis ac amuletis utentes. Moribus* erant sanctuli; Nam nudi pedibus incedebant, ut ex Philastrio prodit Baron. annal. 249. §. 8. Et pro se invicem moriebantur. Epiph. l. c. *Locus* erat Moabitis, ubi degebant. Subjungit hæresin in Arabia ortam *Valesiorum*, à Valesio Arabe, quæ & Eunuchorum dicta est, eo quod omnes sese castrarent. vide August. hæres. c. 37.

Novatiani, quorum explicantur

§. 9. *Novatiani.* Exorta ad hæresis post mortem Fabiani Episcopi Romani, & in nervum erupit sub Cornelio Fabiani successore. Circumfertur quidem Fabiani epistola quædam, in qua sub hujus Episcopatu Novatus & Novatiani hæretici prodiisse dicuntur; Sed insigni ἀνιςορησία, ut ipse notavit Baronius an. 238. §. 9. seqq: Qui refert ad annum Christi 254. quo Deciana persecutio adhuc sæviebat. Ut autem distinctè progrediamur, notanda sunt 1. *Nomina.* Dicti sunt *Novatiani*; unde? à Novato, an Novatiano? Discrepant auctores; aliis ab isto, aliis ab hoc deducentibus; aliis, qui inter sese duos confundunt,

1. Nomina

dunt, ab utroque. Nostra sententia dicuntur à Novato, Carthaginensi pridem Presbytero, deinde Episcopo, utpote schismatis auctore, & Novatiani seductore; Rectius diceres Novatiana nos, si à Novatiano nomen derivandũ, ut ab Antonino Antoninianos, observante Scaligero not. ad Euseb. Chron. f. 216. Augustino subscribo, qui hæres. 38. ita habet: *Novatum sectantes Hæreticum, unde etiam Novatiani appellantur.* Cyprianus in epistola ad Jubajanum appellat *Novatianenses*, à loco & gente potius, an à Novatiano? prius placet Scaligero. Dicebantur & *Cathari* apud Euseb. lib. VI. hist. c. 35. Epiph. hæres. 59. Theod. lib. III. hæret. fab. c. 5. August. c. 38. de hæres. Sic *seipsos isto nomine, quasi propter munditiem, superbissimè atq; odiosissimè nominabant*: August. l. c. Recentiores, Græcismi minus periti, fecerunt inde Gazaros, & Catheræos, Germani Käßer: Forsan hinc etiam Patharini, vel Patrini dicebantur in concilio Lateranensi, notante Danæo ad August. hæres. 38. *Montenses* à monte, quem occupaverant segreges Felicissimi: (2.) *Caussa* impulsiva fuit æmulatio & superbia Clericorum. Cum enim Cyprianus ad Episcopatum Carthaginensem promoveretur, indignè id tulit Felicissimus quidam Presbyter, & propterea à Cypriani se communione separavit, monte occupato; cui sese Novatus deinde conjunxit adversus eundem Cyprianum, invidia simul & mala commissorum scelerum conscientia, juxta Cypr. ep. 49. stimulatus. Romæ idem fecit Novatianus. Cum enim vidisset Cornelium in Episcopatu sibi esse prælatum, à Novato sese seduci passus est, & Episcopum adversus Cornelium creari. *Prætextus* autem longè aliuserat, nempe, ut rem altius repetamus, iste: Sæviente persecutione multi ex Christianis apostatæ sunt facti, ex metu suppliciorum: Resipiscentes autem in sinum Ecclesiæ recipi petebant, Martyribus etiam, & confessoribus ipsos recipientibus, vel certè literis intercessionalibus faventibus; Novatus igitur & Novatianus, cum viderent à Cornelio Romanorum Episcopo eosdem recipi, & absolvi, improbabant istam facilitatem, eo quod Ministerium verbi tantum potestatis non haberet, ut à peccatis absolvere possit lapsum; Ansam hoc modo dari apostasiis, & aliis sceleribus per-

2. Caussa.

petrandis. Zelus igitur adverſus peccata prætextus erat moti certaminis, etſi ſuperbia & invidia potius, in potiſſimis ſaltem 3. Auctores. cauſsis, numeranda fuiſſent. III. *Auctores* hæreſis ex dictis emergunt, Novatus & Novatianus. Confunduntur equidem nomina à quibusdam, Græcis præſertim, & interpretibus, ſed male; Nam diſtinctisſimi fuerunt, id quod docent Euſebius in Chronico: *Novatus Presbyter Cypriani Romam veniens Novatianum & cæteros confeſſores ſibi ſociat, eo quod Cornelius pœnitentes Apoſtatas recepiſſet*: Et Hieronymus in Catal. Illuſt. c. 80. *Novatianus, Romanæ urbis Presbyter, adverſus Cornelium cathedram ſacerdotalem conatus invadere, Novatianorum, quod Græcè dicitur* καθαρόν, *dogma conſtituit, nolens Apoſtatas recipere pœnitentes; Hujus auctor Novatus Cypriani Presbyter fuit.* Hæc illi. Unde apparet, alium fuiſſe Novatum, alium Novatianum, iſtum Magiſtrum, hunc diſcipulum; Iſtum ſeductorem, hunc ſeductum: Neſcio igitur, quid in mentem venerit Scaligero alias perſpicacisſimo, quando in animad. Euſeb. f. m. 216. reprehendit Euſebium & Antiquos alios Novatum nominantes: *Non enim*, inquit, *Novatus, ſed Novatianus dicebatur. Vide Epiſtolam Cypriani* 48. *&* 49. *ſecundum ſeriem editionis Pamelianæ.* vidi epiſtolas, ſed in utraque *Novatum* deprehendi, eumque à Novatiano clarè diſtinctum. Novatus quidem non erat Novatianus, & vice verſa; Erat tamen & quidam Novatus in certamine iſto celebris. Poſtquam enim in Africa adverſus Cyprianum turbarum multum dediſſet in controverſia de recipiendis lapſis, Romam quoque cum complicibus navigavit, ut vacante ibi ſede Epiſcopali, aliquem ſuæ factionis intruderet; Cœterum opinione citius Cornelius Fabiano ſubſtituebatur, ut turbonis conſilia incaſſum eſſent. Ne tamen nihil turbarum daret, concitavit Novatianum Eccleſiæ Romanæ Presbyterum Cornelio infeſtum, arrepta occaſione ex receptione lapſorum, à Cornelio indulgentius, ut ſibi videbatur, facta. Attrahebat ad ſeſe aliquot ſimpliciores Epiſcopos, & ſub alio prætextu eo perduxit, ut Novatianum crearent Anti-Papam, quo facto non ſolum novitius Epiſcopus literas Catholicas hinc inde mittebat, etſi inæquali ſorte exceptas; Sed ipſe quoque Novatus in Africam ſuam renavigavit, ut turbas inibi

inibi restauraret. Romæ interea plurimi, etiam Episcopi, Martyres, Confessores Novatianis sese partibus addicebant. (IV.) *Fontes* erroris erant stoicismus & Montanismus. Iste; Nam Novatianus isti Pseudo-Philosophiæ erat addictior: Alludit Cyprianus his verbis ad Novatianum scriptis: *Alia est philosophorum & stoicorum ratio, frater Charissime, qui dicunt, omnia peccata paria esse, & virum gravem non facile flecti oportere.* Perinde enim & Novatiani paritatem peccatorum introducebant, & lapsis veniam esse dandam ideo negabant, quod Deus esset immutabilis, & Ecclesia constans in suo rigore. De Montanistis vero notum est vel ex solo Tertulliano, dicente, *levioribus* solum *delictis veniam ab Episcopo consequi nos, majoribus & irremissibilibus à solo Deo*; contra exagitante Orthodoxorum doctrinam: *Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* c. 1. de pudic. Unde non immerito ad Novatianos Pacianus dixit: *Tertullianus vester est: Nam multa inde sumpsistis.* vide M. Ant. de Dom. lib. V. hier. Eccles. c. 7. 1. 51. Ex vetustioribus Hieron. l. 2. advers. Jovin. (4.) **Fontes**

§. 10. V. *Errores* satis crassi fuerunt: Dicebantur *γνώμη μισάδελφος καὶ ἀπανθρωποτάτη, sententia, quæ fratres odio habet, & inhumana est.* apud Euseb. lib. VI. hist. c. 35. *διδασκαλία ἀνοσιωτάτη, doctrina valde impia* à Dionysio Alexandrino apud eundem lib. VII. c. 5. *ὠμότης crudelitas* à Theodor. lib. III. fab. hæret. c. 5. *veritatis corruptio* à Cypr. ep. 1. lib. 1. An vero hæresis fuerit? Affirmant veteres. Cyprianus ab Antoniano Numidarum Episcopo interrogatus, an hæreticus esset Novatianus? & quam hæresin introduxisset? affirmavit non solum, sed etiam nequidem inter Christianos haberi eundem voluit: *Quod vero ad Novatiani personam attinet,* (ita scribit) *frater charissime, de quo desiderasti tibi scribi, quam hæresin introduxisset, scias, nos primo in loco nec curiosos esse debere, quid ille doceat, cum foris doceat, Quisquis ille est, & qualiscunque est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est.* Eusebius expresse notat *Novati hæresin.* lib. VII. c. 4. ex mente Dionysii Alexandrini: Simili elogio reprehenditur ab Epiph. hæres. 59. August hæres. 38. Theodor. III. de fab. Hæret. c. 5. 5. *Errores* in genere

& in *Specie* 1. de remiſſione peccatorũ.

§. 11. Ut appareat, juſtum fuiſſe hoc judicium, in *ſpecie* enumerabimus errores Novatianorum, quos in compendio ad Dionyſium Romanum perſcripſit Alexandrinus adverſus Novatum, *qui Eccleſiam tam miserè diſcidit: qui fratres quosdam ad impietatem & blaſphemiam attraxit: qui ſceleſtisſimam de Deo Patre doctrinam invexit, qui benignisſimum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, tanquam inclementem & crudelem, falſo calumniatus fuit; qui præter hæc omnia ſanctum baptiſmatis lavacrum abrogavit: qui fidem ac confesſionem, quæ baptiſmum præcedunt, condemnavit, qui deniq; ab illis, qui aliquo vitiorum genere ſe infecerant, Spiritum Sanctum, quamvis ſpes eſſet reliqua illius, aut in eorum mentibus, permanendi, aut ad eos denuo redeundi, omnino depulit* Euſeb. VII. 7. Præcipuus erat de remiſſione peccatorum, an per Eccleſiæ Miniſtrum lapſis pœnitentibus obtingat? Negabant Novatiani, Catholici affirmabant. Diſtinguendum autem (1.) inter Novati *ſententiam priorem & poſteriorem.* Cum adhuc in Africa verſaretur, & Feliciſſimo Presbytero adhæreret, in exceſſu peccabat, docens, ſine prævia diſciplina Eccleſiaſtica veniam eſſe lapſis impertiendam; Poſtquam autem Novatiano ſeſe conjunxiſſet, verſo ſtylo contendebat, confeſſarium non poſſe indulgentiam, peccative remiſſionem impertiri, idque in odium Cornelii. (2.) Inter *delicta graviora & leviora*; hæc poſſe remitti ab Eccleſiæ miniſtro, iſta Deo eſſe committenda. (3.) Inter *ſpem* & *certitudinem* remiſſionis divinæ; Bene quidem ſperare poſſe peccatorem de remiſſione apud Deum futura, non autem certum eſſe: *Novatiani converſis poſt lapſum non ſimpliciter negabant remisſionem peccatorum, ſed jubebant illos bene quidem ſperare; non tamen certò ſtatuere, vel poſſe, vel debere, peccata ſibi remitti:* ait Chemnit. Exam. Conc. Trid. de juſtif. p. m. 308. (4.) Inter *pœnitentiam internam & externam.* Nam, ut putat M. Ant. de Dom. l. V. c. 7. n. 51. *pœnitentiam internam peccatori non auferebant, & negocium cum Deo, à quo poſtulare deberet remisſionem, relinquebant; ſed externam pœnitentiam poſſe utiliter,* ſcil. dictitari & obſervari. Ut adeo ſtatus controverſiæ huc redierit: An lapſo pœnitenti graviora quoque ſua peccata per Miniſtrum Eccleſiæ ita poſſint remitti, ut certus ſit pœnitens de peccatis eorumque pœnis, etiam apud Deum, remiſſis?

Hoc

Hoc negabant Novatiani; ſtatuentes: *μετὰ τὸ λουτρὸν δύνασθαι ἐλεεῖσθαι πεπτωκότα*: *lapſum poſt baptiſmum non poſſe amplius miſericordiam conſequi*, uti loquitur Epiphanius hæreſ. 59. *Argumenta* petebant (1.) *Ex SS. literis*. nempe Actor. VIII. ℣ 22. ubi Petrus dicit: *pœnitentiam age, ſi* FORTE *tibi remittatur iniquitas peccati tui*; Hebr. VI. 6. ubi Apoſtolus dicit: *Fieri non poteſt, ut, qui ſemel fuerint illuminati, guſtaverintq; bonum Dei verbum, virtutesq; futuri ſæculi, ſi lapſi fuerint, denuo renoventur, rurſus crucifigentes Filium Dei* &c. Accedebant ex (2.) *ratione*, quod conceſſa peccatorum remisſione ſecuritas inter homines foveatur: vide Epiph. hæreſ. 59. Hoc primarium erat controverſiæ caput; ſed, ut amat fieri, aliquot alii quoque errores erant involuti, ut. 2. *de miſericordia Dei*, quæſito, an tanta eſſet erga peccatores, ut commiſſa graviora delicta ipſis velit remittere? Negabat Novatianus, unde *miſericordiæ hoſtis* à Cypriano nuncupatur. (3.) *de poteſtate miniſterii Eccleſiaſtici*, an tanta eſſet, ut ex auctoritate divina quæcunque peccata poſſet remittere? adeoq; operæ precium eſſet, exhortationes fieri, ad agendam pœnitentiam? (4.) de *baptiſmo*, an ſit adminiſtrandus pœnitentibus? Et hoc negaſſe Novatianos, Dionyſius Alex. auctor eſt apud Euſeb. VII. 7. Et tamen, quæ erat hominum vertigo, iterandum eſſe loco pœnitentiæ ſtatuebant, quod refert Epiph. l. c. (5.) De *juſtificatione*, an homo poſſit eſſe certus de remiſſione peccatorum ſuorum? quod ipſum inficias ibant. De meritis operum ex Iſidoro refert Lamb. Danæ. ad Aug. c. 38. de hæreſ. 6. De *renovatione*, an perfecta ſit in homine adhuc militantis Eccleſiæ membro? ajebant ipſi; Et propterea *καθαροὺς* ſeſe appellabant, *quaſi propter munditiem. Superbisſimo atq; odioſisſimo titulo*: Auguſt. c. 38. de hæreſ. Epiph. 59. hæreſ. 7. De *Eccleſia*, quaſi apud ſeſe ſolos vera eſſet Chriſti Eccleſia, quandoquidem apud alios tolerentur etiam polluti & peccatores: vide Forbeſ. inſtruct. lib. XIV. c. 5. §. 3. & 4. Accedebat 8. de *ſecundis nuptiis* error; Nam improbabant, *ſecundas nuptias non admittunt*, ait Auguſtinus l. c. in Montani ſcilicet ſchola edocti. Rationem allegabant ex 1. Tim. III. 2. ubi Apoſtolus vult Epiſcopum eſſe unius uxoris virum. Denique 9. *Cæremonias* piè receptas ſine neceſſitate repudiabant, ut oleum

2. de miſericordia Dei.

3. de poteſtate clavium

4. de baptiſmo

5. de juſtificatione

6. de renovatione;

7. de Eccleſia

8. de nuptiis ſecundis:

9. de cæremoniis.

in baptismo adhiberi solitum, notante Theodoreto de fab. Hæret. lib. III. c. 5. Nolumus addere, quod de *Arianismo* subjungit Epiphanius, quasi cum hæreticis istis conspirarint; Neque enim alii scriptores ejus erroris meminerunt, sed potius, quod cum orthodoxis in hoc tertio consenserint, & propterea etiam eadem ab Arianis incommoda & persecutiones fuerint passi. Nisi velimus dicere, intelligi *Meletianos Arianorum* tandem socios. Aug. hær. 48.

An & Ariani?

6. Asseclæ.

§. 12. VI. *Asseclas* sibi paraverunt & multos, & insignes, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Martyres, Confessores, totas Ecclesias. Speciosa erat doctrina, & Zeli, & pietatis opinione insignis, quare multorum animos in sese convertebat, eo præsertim tempore, ubi gloriosi erant Martyres, & constantia in confessione requirebatur. Novatianus à Novato & adhærentibus aliquot Episcopis creatus erat Romanorum Episcopus; inde Catholicas ad alios scribebat & mittebat Epistolas per suos Presbyteros & Diaconos; In his erat & Maximus Presbyter ad Cyprianum ablegatus, quem Novatiani in Africa mox eligebant Episcopum suæ factionis. Cypr. ep. 55. Adjungebant suas quoque literas Confessores & Martyres Romani in carceribus adhuc detenti, id quod Novatiano plurimum auctoritatis conciliabat. Permittebantur ipsis Ecclesiæ, successu temporis, etiam Constantinopoli, Ephesi, Cyzici. vide Socr. lib. V. c. 10. Artes, quibus sibi asseclas conciliabant, præter hypocrisin, erant obtestationes; Refert enim Corneli⁹ in epistola ad Fabium Antiochenum, quod Novatianus accipientes S. Cœnam non dimiserit prius, quam promisissent, sese Episcopatum suum ipsius probaturos, secumque consensuros esse: *Cum oblationes & singulis partem sacramenti distribuisset* (Novatianus) *porrexissetq;, miseros homines & infelices pro benedictione & gratiarum actione jusjurandum dare coegit. Atq; suis utrisq; manibus manus accipientis prehendens, non prius dimisit, quam hoc jurejurando eum obstrinxisset: Jura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te nunquam nec me deserturum, nec ad Cornelium reversurum.* Quos præsentes compellare non poterat, eosdem per literas alloquebatur, adeo ut Antonianum Episcopum Numidarum dubium saltem in ortho-

thodo-

thodoxia redderet: aut emittebat suos Apostolos, ut Novatum cum sociis, qui in Africa contagiosam doctrinam aut disseminarent, aut confirmarent. Confer epistolam Dionysii Alex. ad Stephanum Episcopum apud Euseb. VII. hist. c. 4. (5.)

§. 13. VII. *Adversarii.* Non deerant sibi Orthodoxi, sed strenue Turbonibus hisce & Erronibus sese opponebant, cum voce, tum scriptis. Inter hos eminebant Cyprianus, Dionysius Alexandrinus, & Cornelius Romanus Episcopi. Postquam enim Cyprianus audivisset, Novatianos Cornelio litem intendisse, misit eo Presbyteros, qui caussam cognoscerent; Atque ubi deprehendisset, Cornelii legitimam esse electionem, ipsius sese partibus addixit; & licet Novatianus honorificam legationem ad ipsum Cyprianum mitteret, hic tamen missos recipere noluit: Cyprian. ep. 41. Cornelius quoque non modo hinc inde mittebat literas, quod & Cyprianus faciebat, imprimis illustrem illam ad Fabium Antiochenum; sed etiam collecta Romæ synodo Novatianum cum suis excommunicavit, Euseb. lib. VI. c. 35. (42.) secutus exemplum Cypriani, qui pridem etiam Felicissimum schismaticum anathematis fulmine percusserat. Dionysius quoque Alex. lepide hypocrisin Novatiani castigavit. Cum enim hic literis ad istum scriptis perhiberet, invitum sese Episcopatum suscepisse, respondit Alexandrinus, tum demum id se crediturum, si sponte sua Episcopatum iterum deposuerit. Non est autem silentio prætereundum, quod tam Cyprianus, quam Cornelius literis scriptis pessimos mores, & nefanda scelera utriusque & Novati & Novatiani manifestaverint, ut à quovis velut arbores ex fructibus internoscerentur: lege epistolam Cypriani 49. lib. 2. ep. 8. ad Cornelium, in qua *Novatus ostenditur, rerum novarum semper cupidus, avaritiæ inexplebili rapacitate furibundus, arrogantia & stupore superbus, tumore inflatus, semper isthic Episcopis male cognitus, quasi hæreticus semper & perfidus omnium sacerdotum voce damnatus* &c. Novatiani elogia legas in literis ad Fabium à Cornelio perscriptis, deprehendes similes habuisse labra lactucas. Subsecutis temporibus Novatianos refutarunt Ambrosius libro de pœnitentia priore, & Chrysostomus in libro, qui inscribitur de reparatione lapsi.

7. Adversarii

Extat

Extat & Nicæni concilii canon VIII. de recipiendis Novatianis in sinum Ecclesiæ, si errores revocaverint.

8 Cognata. §. 14. VIII. *Cognatæ* hæreses fuerunt *Montanistarum*, de qua §. 9. prædictum est: *Manichæorum*, de quibus paulo post: *Donatistarum*; Nam & horum arrogans erat professio *perfectæ justitiæ, cum superbo aliorum fastidio*: Et hi *injustorum consortio pollui credebant justos*; *ita ut nullam ibi esse Ecclesiam crederent*, *ubi tolerantur iniqui*; Et horum error fuit, *apud sese solos esse Christi Ecclesiam*: Confer Forbes. Instruct. Historico-Theol. lib. XIV. c. 5. Nec eximendi sunt *Meletiani*, utpote *nolentes orare cum conversis. i. e. eis, qui in persecutione ceciderunt, vel schisma fecerunt*: Sicut ipsos describit August. hæres. 48. Eodem spectant *Anabaptistæ* vetustiores, ut Cyprianus cum suis Africanis; Nam & ipsi baptizatos ab hæreticis denuo baptizabant, vide Baron. an. 258. §. 12. *Pelagianos* quoque in istum censum refero. Nam & hi merita operum, fictitiæ puritatis prolem, sibi pollicebantur. Hodie sunt *Pontificii*, qui & ipsis meritis operum aliquid tribuunt, idque ideo, quia statuunt, peccatum ex homine per baptismum, & quotidianum pietatis exercitium, ita eradicari, ut non supersit amplius in homine regenito: Neque tamen gratiam Dei certo sibi audent polliceri, aut remissionem peccatorum quorum vis, solam bonam spem tentatis conscientiis, i. e. baculum arundineum, relinquentes: vide Examen Chemnitii §. 11. citatum. De secundis nuptiis quid illi ipsi statuant in vulgus notum est. *Puritani* hodierni, qui neque cæremonias, neque errantes, neque malos, etsi pœnitentes, inter sese ferre possunt. An & Waldenses Catharis accensendi? *Posterior quidem ætas ad prægravandam bonam Sacrosancti Evangelii causam homines verè Evangelicos infami Catharorum nomine calumniata est, quos eosdem etiam Waldenses, Pauperes ab Lugduno, Arnaldistas, Tossepinos vocavit*: verba sunt Lamberti Danæi in not. ad August. c. 38. de hæres. Nec potest probari, Waldenses, etsi Ecclesiam ex sanctis constare invisibilem statuerint, propterea Catharis Novatianis accensendos esse: Sicut nec A. C. Socii eo referri possunt. Recipimus nos verè pœnitentes, quidquid etiam peccaverint, &, si vera fuerint

fide

fide præditi, pro genuinis Ecclesiæ membris agnoscimus. vide Aug. Conf. art. XII.

§. 15. *Sabelliani:* Circa eadem fere tempora nati sunt hæretici. (1.) *Nomen* acceperunt à Sabellio Afro: Oriundo Ptolemaide, quæ civitas erat Pentapolis, seu Cyrenaicæ, regionis Libyæ. Theodor. lib. II. fab. hærer. c. 9. Dicti alias *Noëtiani*, à Noeto, Sabellii præceptore. August. de hæres. c. 41. Etiam *Patripassiani*, l. c. & tr. 36. in Joh. Athanas. de Synod. Fulg. contr. serm. Fastid. Socrat. lib. 2. c. 15. hist. Ratio nominis derivata erat ex doctrina. Docebant enim, Patrem & Filium & Sp. S. esse unam eandemque personam, passo igitur Filio necesse erat & Patrem esse passum. Dicti & *Praxeani à Praxea*, *& Hermogeniani ab Hermogene*, juxta August. l. c. Ratio erat, quod Praxeas in eodem quondam errore fuerit versatus, nempe unam esse Deitatis personam; non plures. De Hermogene dubitat Danæus, an inter asseclas, vel majores Sabellianorum referri commode possit? quippe qui & ætate major, & doctrina diversus fuerit. Cæterum sic potuerunt dici ab alio aliquo. Hermogenes in errore simili potuit fuisse, etsi à quovis auctore non fuerit annotatus. *Monarchicis* quoque nomen erat, eo quod unam solum personam esse Dominum universorum docerent. Sed & *Secundi Judæi.* & *Domini occisores* appellabantur ab Epiph. in Ancorato. f. m. 591. Negabant enim *esse Filium & Spiritum Sanctum, dicentes, quod Filius ipse est Pater, & Pater ipse est Filius, & Spiritus Sanctus ipse est Pater, ut non sit Filius & Spiritus Sanctus:* Quæ ipsa fuit infidelium Judæorum hæresis. vide Basil. epist. 64. (2.) *Origo* alia est remotior, alia proximior. Ista est satis antiqua: utpote ad Ebionem natales referens. Ebion statuit, verbum, quod in carnem delapsum est, fuisse merum sonitum; perinde Sabellius verbum in Christo putavit extitisse verbum modo προφορικὸν, seu prolatitium; quare utrumque Hæreticum merito conjungit Hilar. lib. II. Et videtur de Ebionæis scribere Ignatius ad Philippenses, & Trallianos, dum meminit hæresis, quæ unam solum Deitatis personam statuerit. *Valentinus* certè, annosus hæreticus, totam Trinitatem esse passam docuit, juxta Athanas. *Praxea* jam meminimus, ut Patrem crucifixerit.

Sabelliana: (1.) Nomina

(2.) Origo.

l. c. perſonas Deitatis confuderit. *Montanum* quoque, inter majores Sabellianos referunt, qui tamen Trinitatis dogma foviſſe traditur: Cæterum inter Montaniſtas fuit ſecta Cata-Æſchinem dicta, quæ errores fovit Sabellio ſimiles, atque hoc reſpectu Montaniſtas Sabellianorum majores dixeris: vide Baron. an. 173. §.24. & an. 201. §.11. Petav. tom. II. Theol. dog. lib. 1. c. VI. §. 5. An & *Novatiani* inter aſſeclas & majores? Nihil dicunt Hæreſiologi, unico Epiphanio excepto, de quo §.11. Confer. §. 16.

(3.) *Errores.* §. 15. (3.) *Errores.* Scribit Dionyſius Alex. ad Sixtum Epiſcopum Romanum, quod de ſententia Hæreticorum utriusque partis literæ ſe certiorem fecerint. Euſeb. lib. VII. c. 5. refert, quod ſententia Sabellii *deteſtabilem de Deo omnipotente Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti blaſphemiam contineat, quod multum falſæ doctrinæ de unigentto Filio ejus, primogenito omnis creaturæ, verbo incarnato, complectatur: quod cœcam de Spiritu S. ignorationem comprehendat.* l. c. Redigamus errores in certas claſſes. 1. *de principio fidei,* quod falſum genuino addebant, nempe Evangelium ſecundum Ægyptios, in quo Filius revelaverit diſcipulis, *eundem eſſe Patrem, eundem eſſe Filium, eundem eſſe Spiritum Sanctum*: apud Epiph. hæreſ. 62. 2. *De Deo,* quem, ut unum Eſſentia, ſic & perſona dicebant. Sabellius enim dicebat τὸν αὐτὸν εἶναι πατέρα, τὸν αὐτὸν υἱὸν, τὸν αὐτὸν εἶναι ἅγιον πνεῦμα ὡς εἶναι ἐν μιᾷ ὑποστάσει τρεῖς ὀνομασίας, ἢ ὡς ἐν ἀνθρώπῳ σῶμα, καὶ ψυχὴ, καὶ πνεῦμα, καὶ εἶναι μὲν τὸ σῶμα, ὡς εἰπεῖν, τὸν πατέρα, ψυχὴν δὲ, ὡς εἰπεῖν, τὸν υἱὸν, τὸ πνεῦμα δὲ ὡς ἀνθρώπου οὕτω καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐν θεότητι h. e. *eundem eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ut ad eandem hypoſtaſin tres appellationes conveniant, aut perinde atque in uno homine corpus, & anima, & Spiritus ineſt; Ita ut corporis inſtar ſit pater, animæ Filius, Spiritus denique in ipſa divinitate humani Spiritus inſtar habeatur*: referente Epiph. hæreſ. 62. Habes ſententiam Hæretici, & ejusdem declarationem: Habet & ſolis ſimile, quo iſtam ipſam declarare voluit; in quo præter corpus ſolare rotundum eſt etiam vis illuminandi, & calefaciendi, huic reſpondere Spiritum Sanctum, iſti Filium, illi Patrem: Bene igitur Gregorius Naz. notat Σαβελλίου συναίρεσιν, ut alii Ἀρείου διαίρεσιν notarunt; Orat. XIV. Alibi caſtigat ejusdem Sabellii θεότητος διαστολὴν

de principio fidei:

de Deo:

contra-

contractionem Deitatis, & si rectius velimus loqui, ἀθεΐαν: Quantum enim in sese erat, verum Deum omnino sustulit hæresis ista. *Argumentis* tamen niti videbatur, quæ desumpsit ex dictis, in quibus *unus* esse Deus dicitur, notante Epiphanio. *Dicas.* Si Sabellius unam tantum personam Deitatis statuit, quî igitur Arius dixerit, ipsum μονάδα divisisse? R. In tantum divisisse dicit, in quantum hypostasis eadem, juxta Sabellium, diversas qualitates & functiones, modo Patris, modo Filii, obierit, quod Ario erat ἀκριβῆ μονάδα dividere. vide Petav. t. 2. op. Theol. lib. VIII. c. 8. §. 7. (3.) De *Christo* capitalis erat error. Negabat enim Sabellius distinctam esse à Patre & Spiritu Sancto personam; contra affirmabat, fuisse verbum Dei προφορικὸν, & virtutem divinitus emissam: *Missum esse Filium aliquando in tempore velut radium, & operatum esse omnia in mundo, quæ ad dispensationem Evangelicam, & hominum salutem pertinent. Assumptum vero rursus in cœlum, velut radium à sole emissum, & rursus ad solem reversum:* referente Epiphanio hæres. 62. Non melior erat de Spiritu Sancto sententia, mitti ipsum ut *vim calefactivam in mundum, & consequenter, & singulatim in unumquemq; qui dignus sit: Revificare vero hunc, & excitare, fovereq; ac calfacere, ut ita dicam, per vim Spiritus & per concordiam.* l. c. Sic igitur meræ erunt operationes Dei Filius & Spiritus Sanctus, non distinctæ personæ. (4.) De *materia*, quod ingenita esset, errore ex Hermogene mutuo accepto: ut videre est ex testimonio Dionysii apud Euseb. lib. VII. de præp. Evang. c. 8. Si consequentias nectere velimus ex præmissis erroribus plures alii derivari possent: sed hoc relinquimus diligentiæ & occasioni Lectoris.

de Filio Dei:

& Spiritu Sancto.

& materia

§. 16. (4.) *Asseclas* plures nactus est Hæreticus: Errores enim serpebant primum in Africa, ejusdemque Pentapoli, quæ Hæresiarchæ patria erat; inde progressi sunt in Mesopotamiam, & Asiam; pedem retulerunt in Macedoniam, in ipsam etiam Romam ingressi sunt: Scribit Dionysius Alex. quod *error Ptolemaide Pentapolis ortus sit*, unde & ex fratribus certior sit factus. Euseb. lib. VII. c. 5. *Multi in Mesopotamia & in Romæ partibus ejusdem dogmatis sunt, dementia quadam inducti*: referente Epiph. hæres. 62. Nec diffiteri potuit Baron. an. 260. §. 67. (4.) *Asseclæ*

Yyyyy 2 quod

quod *longius in Macedoniam quoq; se diffuderit, imo & in urbem se quoq; furtim immiserit*: Asiæ meminit Socrates lib. 1. c. 24. In specie quæritur: An Gregorius Thaumaturgus errori huic sese dederit? Excidisse quædam Thaumaturgo huic diffiteri non possumus. Ediderat de Expositione fidei libellum adversus Ælianum, qui Christianos πολυθεότητος insimularat; ut igitur calumniam dilueret in alterum extremum declinavit, vel certè declinasse visus est: *Quod Gregorius in expositione fidei dixerit, Patrem & Filium juxta mentis quidem considerationem duos esse, hypostasi vero unum, hoc non dogmaticè, sed contentiose in disputatione adversus Ælianum dictum esse intelligere nequiverunt, qui propter intelligendi subtilitatem beatos sese judicant*: verba sunt Basilii ep. 64. Qui in sequentibus negare non potest, *lapsus*, & *voces, quæ hæreticis plurimum addebant roboris*: Communis erat Arianorum calumnia, quod Orthodoxi ὁμοούσιον defendentes Sabellianismo faverent, sicut exemplum recitat Socrat: lib. I. hist. c. 3. de Ario, qui Alexandrum suum adversarium Sabellianismi postulavit: Placuit igitur orthodoxis per terminos congruos innocentiam suam vindicare; distinguebant enim inter οὐσίαν & ὑπόστασιν, unam dicentes esse in Deitate οὐσίαν, sed tres personas: præclara sunt concilii Constantinopolitani verba in literis Synodicis, quibus probant Patres *se credere in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, æqualem dignitatem, & coæternum regnum in tribus perfectis* ὑποστάσεσιν i. e. *in tribus personis, adeo ut neq; quicquam loci detur pestiferæ* SABELII *hæresi, qua confunduntur personæ, h. e. proprietates earum tolluntur; neq; blasphemia Eunomianorum, Arianorum, aut eorum, qui Spiritum Sanctum oppugnant, quicquam habeat ponderis* apud Theodor. lib. V. hist. Eccles. c. 9. Samosateniani contra affinitatem cum Sabellianis plurimam habuerunt, statuentes, *Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum unum* (persona) *Deum esse. In Deo autem semper esse ipsius verbum. Non esse autem Filium Dei in substantia, sed in ipso Deo: Quemadmodum etiam* SABELLIUS, & *Navatus, & Noëtus, & alii*: verba sunt Epiph. hæres. 65.

(5.) *Adversarios.* §. 17. (5.) *Adversarios* tamen etiam suos habuerunt, in quibus eminebant duo Dionysii, Romanus, & præcipuè Alexandrinus, quippe cui vicinior erat locus, ubi malum erat exortum,

tum,

tum, Pentapolis Libycæ. Iste editis commentariis hæresin profligavit. Hic, ubi primum hæresis ex suis emersit latibulis, eam Sixto quoque Romanorum Episcopo intimavit per literas, quarum fragmentum exhibet Euseb. lib. VII. c. 5. eoque ardoris in disputando provectus est, ut nonnihil in Arianorum partes inclinare videretur, qua de re supra art. 1. §. 24. disputavimus.

§. 18. *Manichæi.* Exorti sunt sub Claudio, juxta alios sub Aureliano imp. *Manichæus ergo*, ita Leo. I. Serm. 72. Pent. *magister falsitatis diabolicæ, & conditor superstitionis obscœnæ, eo tempore damnandus innotuit, quo post resurrectionem Domini 260. annus impletus est; Probo Imp. Paulinoq; Coss.* (1.) *Nomen* accepere à Manete, qui & Manichæus dictus est. Sic enim ipse sese vocat in literis suis, quarum hæc erat inscriptio: Μανιχαῖος Ἀπόστολος Ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ οἱ σύν ἐμοὶ πάντες ἅγιοι: *Manichæus Apostolus Jesu Christi, & omnes, qui mecum sunt, Sancti*. Vapulat igitur Josephus Scaliger in notis ad Chronicon Euseb. fol. m. 221. Cum putat Manetem dici ipsum Patriarcham hæresis; Manichæum autem, *qui ejus sectæ est*, ut cum Manichæus Manes dicitur, perinde sit, ac si *Marcionista pro Marcione diceretur, Valentianus pro Valentino, Photinianus pro Photino.* Nemo melius Manetem seipso novit, quo nomine vocaretur: Atqui ipse Manes Manichæum se appellavit, ut ex literis ipsius ostendimus. vide Nicol. Fuller. lib. 2. miscel. c. 18. מאנא Chaldaice est *vas*, & Manichæus est *vas vivum*, quo nomine impostor dici voluit, quasi esset organum Dei, & vasculum, in quo Spirituales thesauri essent repositi. Allusio potius est, quam vera derivatio, quorundam, etiam veterum, qui nomen à Græco μαίνεσθαι derivant, ut Manes sit furiosus; Et Mannichæum vocant à fundendo manna; vix enim est probabile, Persam, ut erat Manes, à Græcis nomen esse mutuatum: probabilius igitur à Persica lingua derivant. Est tamen, unde excusare, vel etiam defendere possimus Patres, qui Mannichæum à Manna, & χέω, fundo, dictum censuerunt. Nempe aliter Persas, aliter Græcos Manetem vocasse: illi מאנא חיא vas vivum; hi vero Μάννα-χαῖον, Manna fundentem, arguta allusione. Innuere id videtur Augustinus hæres. 46. Cum inquit: *In Græcia disci-*

Manichæi.

(1.) Nomina.

discipuli ejus vitantes nomen insaniæ, quasi doctiores, & eo ipso mendaciores, geminata, n, litera, Mannichæum, quasi Manna fundentem, pro Manichæo, i. e. insano appellaverunt. Habes, ecce, qui ipsum Mannichæum dixerint, nempe *Græci*; & qua de causa. Nempe retorsionis gratia. Orthodoxi dicebant, non esse dicendum Manetem, vel Manichæum, idiomate Chaldaico; honorificentius enim esse hoc nomen; sed Manem, vel Manichæum à μαίνεσθαι, furendo; quod esset furiosus: Regerebant igitur argutuli Manichæi, scilicet derivationes fingere, nos ipsum vocabimus, Mannam, & Mannichæum, qui manna fundat. Dictus est & *Cubricus*, (non Urbicus, ut voluit August. hæres. 46. Cyrillus Catech. VI.) cum adhuc esset servus. Ut enim historiam altius repetamus: Erat Scythianus quidam Saracenus Philosophus Pythagoræus & magus, (sunt qui & mercatorem faciunt) cui erat discipulus Terebinthus dictus, alii servum Philosophi dicunt, alias & Budda dictus: Mulier autem ex scorto uxor: Terebinthus iste defuncti Magistri libros & errores hæreditate accepit, duxitque in Perside uxorem pridem viduam, quæ defuncti hæres fuit, & Cubricum emit servum, cui post suam mortem amplam hæreditatem, erroris quoque & venenatorum librorum, reliquit. His Manes acceptis cœpit errorem latius disseminare, & fidem sibi & nomen quocunque modo conciliare. Delegit discipulos viginti duos, alii duodecim contenti sunt, in quibus præstantiores erant Thomas, Hermen & Adda, alii Buddam vocant, alii Addan, quos in Judæam misit, libros ut emerent sacros. Interea ipse Regis Persici filium curando interimit, in carcerem compingitur, unde tamen data pecunia evasit, scilicet ut majora damna daret. In Mesopotamiam delatus est, cum quodam Tyrbone suo discipulo, & innotuit cuidam Marcello, ad quem literas dedit, & per hunc Archelao Cascharorum Episcopo, cum quo & disputando congressus, sed victus est. Deprehensus tandem à Persis, excoriatus arundine, corpus autem bestiis devorandum est objectum. vide Histor. Oriental. Hotting. p. 110. seqq: (II.) *Auctores* quos ne-

(2.) Auctores fanda hæresis habuit, ex parte indicavimus. Remotior fuit Scythianus natione Saracenus, sed Græcorum literatura mediocri-

diocriter eruditus, secta Pythagoræus Philosophus, opibus dives, mente erroneus. Cum enim videret sua quæque contraria habere, duo eorundem contraria somniavit principia; hancq; blasphemiam quatuor libris conscriptam reliquit discipulo Terebintho, à quo derivata est infelix hæreditas in Manetem, qui & ipse cum colloquiis, tum scriptis eandē dissеminare allaboravit. Epiphanius meminit libri de fide Alphabeti, mysteriis, Thesauro magno & parvo: deque Astrologia, forsan magia, cui erat addictus. Accedebat blandiloquentia, & Sanctitas externa, & Charismatum opinio; Nam visiones jactabant: vide Baron. an. 277. §. 37. & an. 443. §. 5. an. 1016. §. 6. 1017. §. 1. Miraculis quoque clari volebant esse Scythianus, Terebinthus, Manes, sed aut magica erant, aut illusiones meræ. vide Epiph. l. c. Majores erant Valentinus, Marcion, Cerdon, Tatianus, quorum scrinia compilarant hæretici, vid Alph. à Castro. t. 2. hæres. f. 605. 626. 627. 706. (III.) *Asseclæ* variis appellabantur nominibus. Acuanitas Epiphanius appellavit, à quodam Manetis discipulo Acovana: Dicebantur & Agonistæ, quod præ sese ferrent agonem contra principem tenebrarum: Catharistæ quod semine humano in Eucharistia pasti sese mundos existimabant & puritanos: Macarii quoque à sortis felicitate: Etiam Mattarii, à Mattis, quibus incubabant, in memoriam arundinis, qua Manes erat excoriatus; Latissimè sese diffudit venenum per Arabiam, ubi natum, Mesopotamiam, Persidem, Syriam, Asiam, Ægyptum, Africam, Hispaniam, Galliam, Italiam, ipsam quoque Romam; Et diutissimè superfuit, imo hodie adhuc vivit in Muhammedismo, qui Manichæismi infelix tradux est. (3.) Asseclæ

§. 19. IV. *Errores* varii, obscuri, monstrosi, deliri fuerunt, ut vix hæresis nomine digni sint: paganismo, & meris phreneticorum somniis viciniores. Cyrillus Hierosl. Catech. VI. describit Hæresiarcham & hæresin: *Illum oderis, ut malitiæ fabricatorem, & totius fœditatis receptaculum, & omnes hæreseos sordes recipientem. Ambiens enim malis excellere, omnia congerens pessima, unam hæresin blasphemiis, & sceleribus refertam conflavit.* In eandem sententiam descriptam hæresin legas apud Euseb. lib. VII. hist. (4.) *Errores.*

hist. c. 25. Leonem I. serm. V. Allaborabimus autem, ut, quoad fieri possit, distinctè saltem præcipua momenta enumeremus. Impingebant I. in *principium fidei.* Nam genuinum corrumpebant, adulterinum autem substituebant. Genuinum; Nam V. T. legem nempe & prophetas repudiabant, velut à malo Deo profecta; vide Epiph. hæres. 66. August. l. XV. cont. Faust. Manich. c. 7. Argumenta hæretici erant, quod (1.) Deus iste in lege peccata præcepisset, *jussit enim & vestes rapere Ægyptiorum, sacrificia autem sibi ipsi offerri, & alia omnia, quæ lex tradit. Occidit & homicidam, ut non contentus sit prima cæde, sed etiam alteram efficit, nimirum dum primam cædem ulciscitur, immittitq; concupiscentias in mentes hominum, mulierum & aliarum rerum.* Epiph. l. c. qui blasphemiam mox confutat. Confer August. l. XXII. cont. Faust. Manich. c. 5. 30. 31. 49. 50. (2.) Testamentum vetus sit mortis, novum vero vitæ, istud igitur esse à principio malo, & repudiandum; hoc vero à bono, & retinendum: istam enim legem justo non esse positam; sed injustis, adulteris &c. Istam legem inveterascere, & indies aboleri; hanc vero crescere & renovari indies. (3.) Lex & Prophetæ duraverint tantum usque ad Johannem, quos propterea exsiccatis arboribus comparabat. Hæc & similia argumenta legas apud eundem Epiphaniam relata, & refutata. ut propterea vel à Muhammedanis vapulent, notante Cl. Hotting. cap. III. hist. Eccles. p. 152. Quos autem libros retinebant, eos corrumpebant. hæres. 66. Substituebant *Actus Apostolorum*, quos ipsi confinxerant: Aug. de fid. adv. Man. c. 38. nempe Andreæ, Johannis, Petri, Pauli, explicante Philastrio. Item *passiones Apostolorum*, & *de nativitate Mariæ libellum*, Leucio quodam, vel Seleuco auctore; Præterea aliquod Thomæ Evangelium. vid. Baron. an. 730. 11. Imprimis autem Manetis epistolam, quam fundamenti vocabant, adversus quam extat disputatio Augustini tom. VI. p. 141. opp. Sed & Philosophia Pythagoræa in precio erat, ex Scythiano, qui sectæ deditus fuerat. Immiscebant etiam *Somnia & revelationes*: notante Augustino lib. XV. cont. Faust. c. 5. & 6. Addi possent ipsi *dæmones*; Nam Magiæ dediti erant & Scythianus, & Manes. vid. Epiph. hæres. 66. II. *In Theologiam.* violabant enim essentiæ

(Margin: De principio fidei: — De Deo:)

divinæ

divinæ *veritatem*, statuentes, eundem à Christianis,& Judæis Deum coli, notante Epiphanio f. m. 313. *Unitatem*; docebant enim duo esse rerum omnium principia; Sic enim ipse hæresiarcha ad Marcellum quendam perscripsit: *Simpliciorum duces docent, bonum & malum ab eodem ferri; & unum principium introducentes, non discernentes, neq; dirimentes à luce tenebras, & bonum à malo ac pravo, & externum hominem ab interno; sed alterum cum altero confundere, & per miscere non cessant.* Sensus verborum est, errare eos, qui ab eodem Deo omnia esse doceant; cum duo potius principia sint statuenda, sicut duæ sint classes rerum, bonarum & malarum, vel, ut Augustinus hæres. 46. loquitur: *Duo principia interse diversa, eademq; æterna & coæterna, h. e. semper fuisse, composuit: duasq; naturas, atq; substantias, boni scilicet & mali, sequens alios antiquos hæreticos, opinatus est.* Hæc ille. Bonum principium dixere Deum, & Lucem; Malum vero Diabolũ, tenebras, & malitiã: Et ne temerè sic asseruisse Hæreticus videretur, producebat *argumenta* quædam, quibus assertioni fidem faceret: Adducebat dicta scripturæ Matth. VII. 18. non potest arbor bona malos fructus ferre, neque arbor mala bonos fructus facere. 2. Cor. III. 6. Gal. III. 10. seqq. IV. 21. seqq. ubi de duobus testamentis veteri & novo inter sese, ut ipse putabat, contrariis, mentio habetur: Joh. VIII. 44. ubi diabolus appellatur Pater Judæorum. 2. Cor. IV. 4. ubi Deus mundi citatur. Matth. XIII. 25. ubi hostis Zizania disseminat. Joh. XVI. 11. ubi princeps mundi memoratur. c. l. 5. ubi lux in tenebris lucere dicitur. Ex his & similibus locis, ut est apud Epiphanium, inferebat, quandoquidem Deus bonus malorum auctor esse non possit, opus esse aliquo malo Deo, diabolo, qui malorum author sit; eumque esse Principem mundi, Deum tenebrarum, hostem Dei, &c. Trinitati derogabat delirus error de matre vitæ in Deitate, deque Paracleto, quem se impudens nebulo dicebat. Euseb. lib. VII. c. 25. Cyrill. Catech. VI. Augusт. hæres. 46. cujus hæc verba sunt: *Promissionem Domini nostri Jesu Christi de Paracleto Spiritu Sancto in suo Hæresiarcha Manichæo dicunt esse completam. Unde se in suis literis Jesu Christi Apostolum dicit, eo quod Jesus Christus se missurum esse promiserit, atq; in illo miserit Spiritum Sanctum.* Quæ verba hoc innuere viden-

tur, quod Manes non semetipsum Paracletum dixerit, sed Paracleti receptaculum, & organum, quo Spiritus ille à Christo missus erga homines consolandos uteretur. Fuerit igitur ipse Peracletus, sicut columba Spiritus Sanctus, synecdochicè. *Affectiones* quoque violabat, ut potentiam; dicebant enim assèclæ Deum superari à potentioribus principatibus: Sanctitatem; Spiritui enim Sancto tribuebant impuros amores; Et duobus principiis pugnas: Bonitatem; Statuentes aliquem Deum malum; Justitiam, quam bono Deo denegabant: Scientiam, quam elevabant. *Opera* Dei misere discerpebant, ut *creationem* mundi, quem necessario creatum censebant, eumq; ex materia Deo coæterna, non tamē ex eodem principio. Bonum enim Deum creasse animam omnium hominum, bestiarum, plantarum communem, ut specie non differant animæ invicem, sed numero; Malum autem Deum creasse corpora, materiam, tenebras, mala, corruptionem. Augustinus ait: *Quinq; elementa, quæ genuerunt principes proprios, genti tribuunt tenebrarum, eaq; elementa his nominibus nuncupant, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum: In fumo nata animalia bipedia, unde hominem ducere originem censent; In tenebris serpentia: In igne quadrupedia: in aquis natatilia: in vento volatilia. His quinq; elementis malis debellandis alia quinq; elementa de regno & substantia Dei missa esse, & in illa pugna fuisse permixta fumo aera, tenebris lucem; igni malo ignem bonum, aquæ malæ aquam bonam; vento malo ventum bonum.* Per eosdem Luna est facta ex bona aqua, sicut Sol ex bono igne. De gubernatione mundi quod attinet, sensit hæresis, ex defluxu principum esse pluviam; Et terræmotus ex levatione humerorum. III. In *Christologiam.* Nam detrahebant humanæ naturæ, statuentes, serpentem fuisse, & negantes ex substantia Mariæ esse natum, aut, ut ipse loquitur in literis ad Marcellum: *Christum Mariæ mulieris cujusdam filium dici, & ex sanguine, & carne, & reliqua fœminarum graveolentia natum esse.* Ratio, quæ suberat, erat, falsa hypothesis, quod statuerit, carnem esse à Deo malo: Negabant eundem, postquam natus est, esse passum; fuisse igitur merum phantasma, & sub specie solum hominis apparuisse; Salvare quidem homines, sed per nescio quos cados. IV. In *Anthropologiam*: ejusdemque *statum* (1.) *institutionis.* Creatum

De Christo

De homine.

tum enim hominem non à Deo bono, ſed malo; nec, quod externum attinet, ſine peccato, ſed peccaminoſum, ut merum fuerit peccatum. Unde liberum homini arbitrium in bonis nullum concedebant. faciebant autem duos hominum ordines, alterum terreſtrium, alterum Electorum, quorum animas ex Deo decerptas ſomniabant: reliquas in corpora, velut in carceres eſſe detruſas: principatibus eam Deo ſubducentibus, (2.) *Deſtitutionis* auctorem primarium extitiſſe Deum, & fœminam aliquam comptulam: pœnam eſſe μετεμψύχωσιν, ut quamcunque in rem quis peccaverit, in eam anima defuncti tranſeat. (3.) *Reſtitutionis*. Objectum latius extendebant, dicentes, *ipſam boni à malo purgationem ac liberationem non ſolum per totum mundum, & de omnibus ejus elementis virtutem Dei facere.* Aug. hæreſ. XLVI. Media rejiciebant, ut baptiſmum, quia enim aquam à malo Deo profectam putabant, ideoq; *baptiſmũ in aqua nihil cuiquam ſalutis adferre cenſebant,* referente Aug. hæreſ. Et Euchariſtiam; Nam à vino abſtinebant, quod cenſebant eſſe fel Draconis. Falſa autem ſubſtituebant: nempe quinque elementa, ut ſunt aër, lux, ignis bonus, ventus bonus, aqua bona: Item Solem & Lunam, ex elementis iſtis bonis facta, à quibus veluti navibus regno Deo reddatur lux tenebris mixta: Item virtutes maſculas, quæ per concupiſcentiam deceptis hominibus; Item lumen; *Electos enim ſuos per alimenta, quæ ſumunt,* (ſcil. purgari putant) *Et eis quippe elementis; ſicuti univerſo mundo, Dei ſubſtantiam perhibent eſſe commixtam, quam purgari putant in Electis ſuis, eo vitæ genere, quo vivunt Electi Manichæorum, velut ſanctius & excellentius auditoribus ſuis.* Auguſt. l. c. Quodnam autem ſit purgandi medium explicat, nempe panis, quem ipſi Euchariſticum vocant, factus ex ſemine humano, quod nefando modo excipiunt farina ſcortis ſuis ſubſtrata, & per modum panis piſta, & in Euchariſtia diſtributa. Addit quidem Auguſtinus, hæreticos hoc ſuum flagitium negare, ſed deprehenſos eſſe, qui confiterentur. Et in *actionibus* valde errabant, cenſentes, virtutes eſſe, quæ vitia erant, & vice verſa. Prohibebant eſum carnis, & plantarum, & panis, cædem beſtiarum, nuptias, plantationes, paupertatem, ſtatum civilem. Contra virginitatem mirifice commendabant.

Ecclesiam ex electis suis constare jactabant. De hisce suis electis multa gloriabantur, veluti nimirum ab omni tenebrarum & peccatorum fece essent purgati: *Carnalem concupiscentiam, qua caro concupiscit adversus Spiritum, non ex vitiata in primo homine natura nobis inesse infirmitatem, sed substantiam volunt esse contrariam, sic nobis adhærentem, ut, quando liberamur, atq; purgamur, separetur à nobis*; Et paulo ante: *Boni à malo purgationem ac liberationem non solum per totum mundum, & de omnibus ejus elementis virtutem Dei facere dicunt; verum etiam electos suos per alimenta, quæ sumunt, & eis quippe alimentis, sicuti universo mundo, Dei substantiam perhibent esse commixtam, quam purgari putant in electis suis eo genere vitæ, quo vivunt Electi Manichæorum, velut sanctius & excellentius auditoribus suis.* Resurrectionem in μετεμψύχωσιν transformabant: consummationem Seculi negabant aliam esse, quam restitutionem singulorum in integrum: Judicium quoque extremum tollebant: Salutem ante Tiberii annum XV. nemini obtigisse contendebant: Si qui autem postea salvati sunt, id factum esse per elevationem in naves, nempe orbem lunæ, & ab hoc in solem: neque tamen hoc beneficio frui corpora, sed solas animas: & eas Electorum; Nam malorum animas in nihilum redigi, multo magis corpora. *Argumenta* petebant ex 1. Cor. V. 5. ubi Apostolus incestuosum excommunicet, ut spiritus salvetur in die Domini Jesu, caro autem intereat. Et 1. Cor. XV. 50. ubi caro & sanguis regnum Dei non possidere dicuntur: refert Epiph. hæres. 66.

(5.) *Forma externa.*

§. 20. V. *Forma externa:* Et quidem quod attinet *ministerium*, aliquam præ sese ferebant speciem antiquæ institutionis, ut est diabolus simia Dei. *Manichæus enim duodecim discipulos habuit, ad instar Apostolici numeri, quem numerum Manichæi hodie custodiunt. Nam ex electis suis habent duodecim, quos appellant Magistros, & tertium decimum principem ipsorum: Episcopos autem septuaginta duos, qui ordinantur à Magistris; & Presbyteros, qui ordinantur ab Episcopis; Habent autem Episcopi Diaconos.* Hæc Augustin. hæres. 46. cum quibus conferri possunt, quæ habet Euseb. lib. VII. hist. c. 25. Dicit enim, quod ipsius Christi *formam & personam inducere* conatus sit Hæreticus; Nam *ad exemplum Christi duodecim discipulos, consortes suæ novæ & inauditæ pravitatis, delegit.* Reliquus ordo est auditorum.

Nam his duabus professionibus Electorum & Auditorum Ecclesiam suam constare voluerunt. Aug. l. c. Sacramenta quomodo tractaverint §. præced. vidimus, nempe Baptismum aquæ spernebant, & Eucharistiam semine humano commaculabant. *Strata sua* ex arundinibus faciebant, ut in memoriam sibi sanctè revocarent arundinem illam, qua suus Apostolus Manes à Persis propter interemptum Regis filium, fuerat excoriatus. *Dextras* sibi invicem porrigebant, religioso scilicet ritu, cujus rationem exponit Epiphanius, pugnasse nimirum, juxta deliria Manichæorum, primum hominem cum tenebris, sed infeliciter; à tenebris enim fuisse comprehensum; Patrem autem ipsius misertum Misisse vivum quendam Spiritum, qui descenderet, & periclitantem eriperet, *nisi hic descendisset, & dedisset homini dextram, & ex tenebris eduxisset, jam dudum primus homo detentus periculum incurrisset. Ex eo igitur tempore infernè reliquit animam. Et propterea Manichæi, ubi obviam alter alteri factus fuerit, dextras dant sibi ipsis, signi caussa, velut à tenebris servati. In tenebris enim omnes hæreses esse dicit.* Hæc Epiphanius hæres. *66.* A vino quoque abstinebant, quod fel Draconis dicebant: quæ & caussa erat, quare in S. Cœna à vino abstinerent, solo pane contenti: eoque indicio detegerentur, Leone papa, & Gelasio sedentibus.

§. 21. VI. *Mores*: Alii enim veri, alii fictitii. *veri* erant, qui ex doctrina, tanquam fructus, enascebantur. Quia enim docebant, carnem esse malam ex malo Deo factam, ideoque sceleribus sese dabant pudendissimis, existimantes, hac demum ratione carnem ignomina affici & mortificari, atque hoc magis, quo majorem ex voluptatibus delectationem sentirent. Rescriptum Diocletiani & Maximiani Cæsarum queritur, *Manichæos multa facinora committere, populos quietos perturbare, nec non civitatibus maxima detrimenta inferre.* Confer Baron. an. 277. §. 19. *Fictitiis* interea explendescebant. Studebant enim castitati, virginitatem extollentes, item paupertati, spretis divitiis; sed en hypocrisin! Auditores interea ipsorum cogebantur suas erogare ipsis divitias, & cibos, ex agris, quos colebant: *Unde fiebat, ut, cum Manichæi paupertatem voluntariam affectarent, in auditoribus suis essent ditissimi; & qui ab aliis abstinentes videri volebant, essent voluptatibus* (6.) *Mores*:

 maximè

maximè dediti. Introduxit insuper superstitiosum ciborum delectum, nempe abstinentiam à carnibus, vino, ovis, caseis; quod diceret, non inesse illis divinam substantiam, sed à mali principio generata. verba sunt Baron. an. 277. §. 38.

(7.) *Adversarii.* §. 22. VII. *Adversarii.* Multi & præstantissimi in Ecclesia viri adversus hanc hæresin calamum strinxere, cum in hoc, tum in sequente seculo; Primo omnium Hierosolymitano Presbyterio negocium facessebat Scythianus Manetis avus, dum de gemino principio cum ipsis disputare cœpit, sed male acceptus est ab orthodoxis viris, siquidem disputando victus & confusus terga dedit: referente Epiph. hæres. 66. Imo vel Ethnici Mithræ sacerdotes in Perside doctrinam Agyrtæ repudiabant, eodem memorante. Archelaus quoq; Cascharorum in Mesopotamia Episcopus, Titus Bostrenus, Diodorus Cilicus, Serapion Thmueos, Athanasius Alexandriæ, Georgius Laodiceæ, Eusebius Cæsareæ, Eusebius Emesæ, Apollinarius Laodiceæ; Sic enim Epiph. hæres. 66. f. m. 509. recenset: *à magnis viris admirabiles contradictiones ad ipsum confutandum factæ sunt: ab Archelao quidem Episcopo, ab Origene, ab Eusebio Cæsareæ, & Eusebio Emeses, Serapione Thmuis, Athanasio Alexandriæ, Georgio Laodiceæ, Apollinario Laodiceæ Episcopo, Titoq; & multis, qui contra ipsum dixerant.* Theodor. lib. 1. fab. hæret. c. ult. addit *Diodorum* Cilicum Episcopum. Inprimis Augustinus Hipponensis Episcopus. vide Baron. an. 277. §. 46. Ante hos Eutychianus Episcopus R. videtur Manetem notasse, facto decreto, ut *fruges, fabæ, uvæ super altaribus benedicerentur.* §. 15. an. 283. Refert Hottingerus, sese inter Arabes reperisse librum cujusdam Muhammedis Ben Isaac de secta Manichæorum. c. 3. hist. Eccles. p. 152. Ex eodem refert, quod Manichæis Ægyptum inundantibus orthodoxi *ipsis quoq; festis Dominicis carnem ederint,* ut sese à Manichæis separarent. Inter adversarios erant etiam Diocletianus & Maximianus Augusti in rescripto ad Proconsulem Africæ, ubi longè lateque sese diffuderat contagiosa secta. Enumeratis igitur ipsius sceleribus Cæsares flammis, gladio, confiscationi addicunt sectarios. Edictum habet ex Pithœo Baron. an. 287. §. 2. seqq. Sequutis temporibus imperatores quoque Christiani edictis gravis-

graviſſimè propoſitis nefandam ſectam reprimere conati ſunt, Valentinianus an. 372. Gratianus. 377. 378. 382. Theodoſius. 398; Honorius. an. 399. 405. 407. 408. 428. Theodoſius alter. an. 423. Valentinianus junior 425. 445. Symmachus. 503. Juſtinus. 523. Juſtinianus, & alii. Remedia hi adhibuerunt externa; Sed ſtatus Eccleſiaſticus interna, nempe verbum Dei, ejusdemque applicationem per diſputationes. Presbyteri Hieroſolymitani cum Scythiano congreſſi, victoriam ex *lege Moſis & Prophetarum doctrina* reportarunt, memorante Epiphanio: Imprimis illuſtris eſt diſputatio, inter Manetem & Archelaum Caſcharorum Epiſcopum habita. Judices erant conſtituti à parte utraque alieni; utpote Ethnici, Marſippus externæ doctrinæ Philoſophus, Claudius Medicus & Sophiſta, Ægialeus Grammaticus, & Cleobulus Sophiſta: *Tandem victus eſt Manes, & judicum judicio veritas bravium tulit. Hic itaq; Manes aufugit, populo volente ipſum lapidibus obruere, &, niſi Marcellus interveniſſet, & reverenda perſona ſua populum placaſſet, jamdudum miſer ille mortuus eſſet:* iterum Epiphanii verba ſunt. Cumque impudens nebulo Manes adverſus quendam Tryphonem Presbyterum paulo poſt impetum repeteret, neque Presbyter ſatis reſiſtere poſſet argutiis hæretici, in tempore adfuit Archelaus, & *confutato ipſius ſermone* hypocritam *compeſcuit.* Meminit ibidem Epiphanius duorum librorum, quos Archelaus idem hæretico oppoſuerat, ut adeo & voce, & ſcriptis hæretico reſtiterint: Id quod etiam ſequentibus in ſeculis factum, ut ſuo loco, volente Deo, monebimus.

§. 23. VIII. *Cognati.* Chriſtiani equidem orthodoxi Manichæiſmi inſimulabantur, ſed falſo: Perinde ut Evangelicos hodie Manetis Paracleto afflatos calumniantur Baronius an. 277. §. 30. & Alphonſ. à Caſtr. tom. 1. hæreſ. fol. 609. Baronii verba ſunt: *In odium carnis exſecrari eos,* (Manichæos) *ait Sanctus Auguſtinus, Sanctorum reliquias, maximeq; invehi in Chriſtianos, qui martyres colunt, eorumq; celebrant feſtos dies, perinde ac ſi ipſi colerent, ut Deum homines. Sed refellit eam ſæpe calumniam Auguſtinus, demonſtrans, nos non colere ut Deum homines, ſed venerari ut Dei amicos, diſputatq; de his pluribus agens contra Fauſtum. Probe vides lector, quem habeant Patriarcham, qui Sanctorum cultum venerationemq; Sacrarum reliqui-* (8.) *Cognati.*

liquiarum detestantur; tali ipsi sane, tantoq; glorientur auctore, & Ecclesiæ columen Augustinum, Sanctorum, cultum probantem ac defendentem (ut ut libet) condemnent: atq; sic Manetis Paracleto se glorientur afflatos. Hæc ille satis virulenter. Alphonsus à Castro agens de libero hominis arbitrio, & recensens errorem Manichæorum, docentium: *peccata, quæ in homine fiunt, à mala anima procedere, & ea non posse per liberum arbitrium impediri*, subjungit de Luthero: *Hanc hæresin jam diu sepultam, multi ex recentibus hæreticis tutantur, quorum dux & princeps existit Martinus Lutherus, dicens, hominis arbitrium non esse liberum, neq; habere ullam activitatem in suis operationibus: quoniam non eum agere, sed potius pati contendit.* Sic Alphonsus. uterque falso, & adversus semetipsum. *Falso*; Neque enim nos *exsecramur*, ut Manichæi, *Sanctorum reliquias*, & *Martyras*; Sed Papistarum idololatriam, quam cum reliquiis & Martyribus committunt, opinantes, quod reliquiæ sint organa gratiæ divinæ, & miraculorum perpetrandorum: Sancti autem & Martyres sint nostri apud Deum mediatores non solum per intercessionem, sed etiam meritorum erogationem. Multo minus autem exsecramur reliquias & Martyres *in odium carnis*, quam nos bonam & sanctam ab optimo Deo creatam credimus. Si autem nos Manichæi Spiritu afflati sumus, quia reliquias non veneramur, neque Sanctos defunctos, etiam Pontificii eodem inflati erunt, quod à carnibus abstinent, à vino in S. Cœna, & matrimonio suos electos, Ecclesiæ Ministros, & Monachos, & Moniales interdicunt: *Porro enim Manichæi, ne id prætermittamus, eadem quoq; ratione, quod carnem, tanquam ex malo principio deductam exsecrarentur, matrimonium etiam damnabant.* agnoscis, Baroni, tuamet verba. Dicant Papistæ: se neque carnes neque vinum damnare, neque matrimonium, ex eo principio, quo Manichæos, quasi res essent per se malæ, & à Deo malo creatæ; sed hoc ipsum & nos, majorique, quam isti, jure dicimus, nos reliquiis, & defunctis honorem divinum denegare, non propter carnem, seu corpoream molem à malo aliquo Deo creatam, sed propter detestationem idololatriæ. Dixi majori jure. Pontificii enim non possunt sese ab omni contagio Manichæo liberare, dum statuunt, carnem excitare libidines, & matrimonium repugnare castitati & per-

& perfectioni, quod ipsum subtiliores Manichæi pro ratione allegabant. Alterum ἔγκλημα de libero hominis arbitrio quod attinet, eodem illud vitio, quo prius, laborat. Neque enim nos, quod Manichæi, dicimus *quinq; esse elementa gentis tenebrarum*, & ex *fumo nata animalia bipedia, unde homines originem ducant*, ut Augustini utamur verbis: Qui hoc dicunt, illi malitiam de Essentia esse hominis statuunt, ita ut homo mera sit malitia; At Lutherus hoc non dixit, etsi dixerit, substantiam hominis esse corruptam malitia adjacente: quo de alibi in controversia Flaciana disputatur. Franciscus Fevardentius Parisiensis Minorita in append. ad Alph. de Castr. lib. 1. f. m. 1049. Melanchthonem, & alios nostrum, Manichæismi accusat, dum polygamiam Abrahami, & Jacobi Patriarcharum improbant: Eo quod Manichæi eandem improbaverint, & propterea ipsum vetus instrumentum rejecerint. At Manichæi polygamiam repudiarunt, quia & matrimonium ipsum improbarunt: Nostri vero matrimonium à Deo unius maris & fœminæ institutum asseruerunt, & propterea polygamiam veterum improbarunt.

§. 24. Cum igitur Evangelici de Manichæorum flagitiosa doctrina nihil participent: videndum, quibus tandem justè hæresis ista vel ex toto, vel ex parte imputari possit. *Hieracitæ* huc spectant, de quibus postea: Item *Severiani*, cujus quidem hæresis tempora exactè se scire negat Epiphanius, refert tamen doctrinam cum Manichaica in re ipsa satis conspirantem: Sic enim inquit hæres. 45. *vult ipse principatibus ac potestatibus creationem nostram annectere, esseq; in innominato quodam supremo cœlo & Seculo bonum quendam Deum, Diabolum vero filium esse dicit magni principis ordinis potestatum. Hunc genitum ex ipso esse serpentem, à superna vero virtute dejectum esse in terram: Et cum descendisset in serpentis specie, in oestrum concitatum esse, & terræ commixtum, veluti mulieri, & ab ipsius semine, ubi genituram effudisset, vitam germinasse, unde penitus à vino tales abstinent. Dicunt & mulieres esse opus Satanæ. Quare etiam matrimonium contrahentes, Satanæ opus explere dicunt. Sed & hominis dimidiam partem esse Dei, dimidiam Diaboli.* Hæc satis indicant, quod Severiani symbolica cum Manichæis dogmata, vel potius blasphemias, fuerint amplexi; *Priscillianistas* in eundem censum refert Augustinus

hæres. 70. *Priscillianistæ*, *ajens*, *quos in Hispania Priscillianus instituit, maximè Gnosticorum, & Manichæorum dogmata permixta sectantur*: quæ deinde in specie enumerat. Sunt, qui & *Eutychianos* annumerant Manichæis, forsan ideo, quod humanam Christi naturam tollant, more Manichæorum ejus nativitatem negantium. *Pelagianos* quoque in societatem Manichæorum & Priscillianistarum adsciscit Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem: *Pudeat eos*, inquiens, *principum & sociorum, qui ajunt, posse hominem sine peccato esse, si velit, quod Græci dicunt, ἀναμάρτητον*: Ostenditque, parem ipsos errare errorem cum Manichæis, Priscillianistis, & Ioviniano, dicente: *qui plena fide in baptismo renati sunt, à diabolo non posse subverti*; quales erant Manichæorum electi, ab omni scilicet tenebrarum fæce purgati. vide Baron. an. 411. §. 44. *Syncretistæ* etiam habent, quorsum spectent. Fuit enim Manes insignis Syncretista. Ex gentilibus ipse oriundus Christianismum ex principiis nonnullis Ethnicis impugnavit, ut Gentiles sibi conciliaret; in gratiam tamen & Christianorum Christiana quædam dogmata amplecti visus est, etiam hæretica, ut omnibus placeret: *Ex omnibus prope sectis aliquid deflorans, omnia etiam hæreticorum studia sibi conciliare conatus est*: bene judicat Baron. an. 277. §. 40. De *Pontificiis* jam dictum est. An *Matthias Flacius Illyricus* Manichæismi sit accusandus? Non omninò liberare ipsum ab hoc crimine volumus, si verba ipsius, unde judicare solemus, intuemur: Formula Christianæ concordiæ art. I. §. IX. Neg. in epitome sententiam Illyrici proposuit, & damnavit his verbis: *Rejicimus etiam atq; damnamus, ut Manichæum errorem, quando docetur, originale peccatum propriè, & quidem nullo posito discrimine, esse ipsam hominis corrupti substantiam, naturam, & essentiam, ita, ut inter naturam corruptam post lapsum, per seipsam consideratam, & inter peccatum originis, nulla prorsus sit differentia, neq; ulla distinctio cogitari, aut saltem peccatum illud à natura cogitatione discerni possit.* Conferatur Schlusselb. Catal. Hæret. Tit. Manichæi; & commentatores ad articulum. I. Form. Concordiæ.

Samosateniani (1.) Nomen

§. 25. *Samosateniani*. (1) *Nomen* acceperunt à Paulo, patria Samosateno, sic dicto à Samosatis, urbe in confiniis Mesopotamiæ & Euphratis sita, & Metropoli Comagenes, sed dignitate Episcopo Antio-

tio-

tiocheno. Fuit hic *αἱρέσεως ἀρχηγὸς*, *dux hæresis*, uti vocatur ab Euſ. VII. 23. Rectius, quam adulatores ipſum nuncupabant, dicentes ἄγγελον τὸ διδάσκαλον αὐτῶν ἐξ οὐρανοῦ καταληλυθέναι, *ſuũ præceptorem tanquam Angelum è cœlo deſcendiſſe.* Fuit *peſtis* & *pernicies gregis Chriſti*; *Deo adverſus: contumax.* l. c. Moribus verſutus, quod patet ex ſimulatione veritatis erga Patres Antiochenos. Baron. an. 266. §. 9. λυμεὼν *peſtis* Euſeb. VII. 22. avarus & ſacrilegus c. 24. ſuperbus & glorioſus. l. c. quæ & hæreſis cauſſa fuit. Anteceſſores ſpernebat præ ſeſe: Pſalmos in honorem Chriſti factos abolevit, ſubſtitutis, qui ipſius honores reſonarent; libidinis ſuſpectus: Tyrannidis inſimulatus, ſicut laudes canuntur apud Euſeb. l. c. Floruit ſub Aureliano Imperatore. (2.) *Errores.* Erant conformes Artemoniticis, cenſentibus Patribus Antiochenis in literis ſynodicis, Euſ. VII. 24. (1.) de *Deo*, unam tantũ docebant eſſe perſonam, non plures. unde reverſi ad Eccleſiam rebaptizabantur. vid. Auguſt. hæreſ. 44. (2.) de *Chriſto*, hunc merum hominem, non Deum exſtitiſſe; ſic enim Euſeb. lib. VII. c. 22. *Paulus iſte abjectam & humilem nimis de Chriſto contra doctrinam Eccleſiæ habebat opinionem, nempe, quod ſolum communi natura erat cum homine præditus:* ταπεινὰ καὶ χαμαιπετῆ περὶ τοῦ χριστοῦ παρὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν διδασκαλίαν, (uti Græca verba habent) ὡς κοινοῦ τὴν φύσιν ἀνθρώπου γενομένου; Et Patres Antiocheni ex propriis hæretici commentariis ſententiam extraxerunt: Ὅπου λέγει Ἰησοῦν χριστὸν κάτωθεν &c. *ubi dicit Chriſtum terrenum eſſe, & humi natum.* c. 24. adeoque *nullo modo confiteri voluit, Chriſtum de cœlo deſcendiſſe.* Athanaſius in lib. de Syn. Arimin. & Seleuc. in hæc verba loquitur: *Samoſatenſis ſentiebat, Filium ante Mariam non fuiſſe, ſed ab ea initium ſuæ eſſentiæ accepiſſe. Ideo Epiſcopi, tum congregati, hominem hæreſeως condemnatum abdicarunt: & de Filii divinitate ſimplicius ſcribentes, non exquiſitam diligentiam in tractatu hujus vocis, conſubſtantialis, adhibuerunt, ſed ut acceperant de conſubſtantiali, ita locuti ſunt. In eo enim omnem curam habebant, ut, quod Samoſatenſis excogitarat, tollerent, & docerent, ante omnia Filium fuiſſe, eumq́; non ex homine Deum eſſe factum, ſed, cum Deus eſſet, induiſſe ſervi ſpeciem, & cum verbum eſſet, carnem eſſe factum, quemadmodum locutus eſt Johannes.* Philaſtr. hæreſ. 65. refert: *Hic verbum Dei i. e Chriſtum Jeſum Deum Dei Filium ſubſtantivum,*

(2.) Errores

ac personalem, & sempiternum esse cum Patre denegabat: prolativum autem i.e. quasi aërem quendam dicebat, non tamen personam vivam Filii sempiternam, cum sempiterno patre credendam esse docebat. Hic Christum hominem justum, non Deum verum, prædicabat. Subscribit Epiph. hæres. 65. *Asserit Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum unum Deum esse: in Deo autem semper esse ipsius verbum, & Spiritum ipsius, Quemadmodum in hominis corde est proprium verbum; non autem esse Filium Dei in substantia, sed in ipso Deo, quemadmodum etiam Sabellius.* Paulus igitur Samosatenus distinxit, inter verbum Dei, & inter Christũ, istud asserens venisse in hunc, & rediisse ad Deum. Duas igitur personas statuit, ut habet in literis Dionysius Alex. unde & Nestorius postea Samosatenianismi accusatus est, eo quod & ipse statuerit duas personas. Deducebat hinc Paulus *Sanguinem* Christi in Eucharistia esse corruptibilem, eo quod effunderetur; Fuerit igitur & Spiritus Sanctus corruptibilis, utpote & ipse effusus in die Pentecostes; quæ instantia fuit Dionysii Alexandrini in literis adversus hæreticum scriptis de incorruptibili sanguine Christi, citantibus Turriano lib. de Sacr. Euchar. c. 10. & 11. Et Baronio annal. 265. §. 5. seqq: (3.) *Sacramenta* igitur corrumpebat. In specie *baptismum:* Nec enim in nomine Christi baptizabat. Et *Eucharistiam*, cum sanguinem Christi, utpote meri hominis, abesse statuerit. *Circumcisionem* docuisse insimulatur à Philastrio. Summa hæc est *peregrinæ istius, & alienæ ab Ecclesia doctrinæ; adulterinæ depravatæq; doctrinæ, lethalis ac perniciosæ doctrinæ:* Sicut apud Euseb. lib. VIII. hist. c. 22. appellatur.

(3.) Asseclæ

(3.) *Asseclæ:* dicebantur *Secundo-Judæi* ab Epiphanio, item θεοκτόνοι, κυριοκτόνοι, ἀπαρνησίθεοι, i.e. *occisores Dei, Dominicidæ, Abnegatores Dei*; quia divinam in Christo naturam tollebant: Ab auctore dicebantur Παυλιανίσαντες can. XIX. Nicæn. Pauliani, Paulistæ, Paulianistæ; Samosaitæ. In his erat etiam Zenobia Palmyrenorum regina, & Odenati uxor. Hæc enim Christianismi cupida incidit in Paulum Samosatenum hæresiarcham. *Hic Christum hominem justum, non Deum verum, prædicabat, Judaizans potius, qui & circumcisionem docebat; unde & Zenobiam quandam reginam in oriente tunc temporis ipse docuit Judaizare.* Philastr. c. 65. de hæres.

(4.) Adversarii

(4.) *Adversarii.* Insignis erat Dionysius Alexandrinus Episco-

Epiſcopus; ut conqueritur ipſe Samoſatenus in prooemio decem quæſtionum ad Alexandrinum miſſarum: Etſi laudet virum egregiè. Sed & Dionyſius Romanus; Sic enim Athanaſius: *Duo Dionyſii diu ante eos ſeptuaginta fuerunt, qui Samoſatenſem ſuſtulere, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ Præſul erat.* lib. de Synodis. Et quidem quod Alexandrinum attinet, literas adverſus hæreticum ſcripſit ad Concilium Antiochenum; Quid vero Romanus egerit], ignoratur; niſi quod Baron. an. 265. §. 12. contendat & Romanum literas ſcripſiſſe, utpote qui primum etiam in Sabellium invectus ſit; Quæ tamen conſequentia non adeo valida, à diſparatis ſumpta. *Eutychianus* P. R. & ipſe ſeſe Samoſateno oppoſuiſe putatur in prima epiſtola. Euſebius quoque, Phoenix dictus, referente Niceph. lib. VI. 32.

§. 26. *Angelici.* Hæreticorum (1.) *ætas.* Sunt, qui ad ſuperius ſeculum referunt; ſunt, qui ad hoc; Baronius anno. 260. §. 69. ipſorum meminit. Forſan ſuperiori ſeculo jam fuit; Fuere enim hæretici, qui Angelos colebant, & hoc ſeculo iterum emerſerunt. (2.) *nomen* ab Angelis, vel Angelina loco. Sic enim Epiph. hæreſ. 60. ſcribit: *Quam ob cauſam id hæreſis nomen accepit, neſcimus, ſive ex eo, quod aliqui mundum ab Angelis factum eſſe dicunt, & ipſa hoc aſſerens hoc nomine appellata eſt, non poſſum dicere; ſive quod ſeipſos in ordine Angelorum eſſe jactant, & vitam eminentisſimam degunt, neq; hoc affirmo; ſive etiam à loco nomen acceperunt; Nam locus quidam eſt, Angelina, ultra Meſopotamiam regionem ſitus.* Auguſtinus c. 39. de hæreſ. *Angelici*, ait, *in Angelorum cultu inclinati, quos Epiphanius jam omnino defeciſſe teſtatur.* Unde ſimul patet (3.) *error*, nempe cultus Angelorum, forſan bonorum. Et facile cogitari poteſt, qui hodie ad ipſos ſpectent, nempe Pontificii Ἀγγελολάτραι.

Angelici. (1.) Ætas. (2.) Nomen. (3.) Error.

§. 27. *Nepotiani.* Schiſmatici potius, quam Hæretici. hi (1.) *nomen* acceperunt à *Nepote* quodam Epiſcopo Ægyptio, quem Dionyſius Alex. Epiſcopus *amplectebatur, & diligebat, ut pro fide, pro ſtudio in doctrina poſito, pro aſſidua in ſcripturis exercitatione, pro nonnullis quoq; ac variis pſalmis, hymnisq; ab eo compoſitis, quibus huc usq; nonnulli fratres libenter utuntur*, quæ ipſius Dionyſii verba ſunt. ſtatuit ille, τινὰ χιλιάδα ἐτῶν τρυφῆς σωματικῆς ἐπὶ τῆς ξηρᾶς ταύτης ἔσεσθαι *millenarium quendam annorum fore ſuper terra in luxu corporali*

Nepotiani. (1.) Nomen.

transigendum. Sumpsit *occasionem* ex Apocalypsi; ubi de millenario mentio habetur.c.XX.60. Et quia adversarii istum locũ allegoricè interpretabantur, ipse contra librũ composuit, quem vocavit ἔλεγχον ἀλληγοριςῶν *refutationem Allegoricorum*; Huic libro Dionysius Alex.. alios opposuit libros duos περὶ ἐπαγγελιῶν *de promissis,*
(2.) Errores. in quibus notat Nepotianorum 2. *Errores*, & hos quoad *principium fidei.* Nam *Doctores ejus secta legem & Prophetas pro nihilo putant, Evangelia sequi negligunt, Apostolorum epistolas depravant*; nempe ideo, ut sui Nepotis librum de regno Christi canonizarent; Quoad articulũ de Christo, officium ipsius regium violabat Nepos, asserens ei regnum ex corporalibus deliciis futurum; Quem errorem ex Cerintho videtur habuisse. Nam ille primus inter Christianos tale quid somniavit, notante Dionysio lib.1.de prom.
(3.) Asseclæ 3. *Asseclas* habuit insignes & plures; Nam & Presbyteros præstantissimos, ipso Dionysio laudante, in suas partes pertraxit, & *integras Ecclesias* corrupit; fatente Dionysio in libro 1. de promissis apud Euseb. lib. VII. hist.c.19. Eminebat inter ipsos quidam Coracion, & ipse disputatione cum Dionysio publice, etsi ita congressus, ut vinceretur, & ad orthodoxos rediret.

Hieracitæ. (1.) Auctor. §. 28. *Hieracitæ*: Horum notandus (1.) *Auctor*, quem Epiphanius hæres. 67. ita describit: *Surrexit quidam Hierax nomine, à quo appellati sunt Hieracitæ. Hic in Leonto Ægypti vixit non exiguæ eruditionis, & Græciæ totius studiis exercitatus, & in medicina, Sophistica, aliisq; omnium Ægyptiorum & Græcorum disciplinis exactè versatus, deniq; & Astronomiam & Magiam attigerat. Expertissimus enim fuit multarum doctrinarum in exponendo & narrando, velut indicant ipsius orationes; egregiè vero novit Ægyptiam linguam; Erat enim vir Ægyptius; & in Græca non modicè clarus erat, omnibusq; modis acutus. Et fuit sane Christianus. Verum non permansit in politia Christi; Impegit enim, & lapsus excidit. Nam, ut clare dicam, à veteri ac novo testamento discedens, & in ipso expositiones faciens, docuit à seipso à propria vanitate, quod ipsi visum est, & quod ipsi in mentem venit.* In quibus verbis Epiphanius exponit præter auctorem, quem Hieracem, Hilarius Hieracam vocat, etiam occasionem erroris, nempe neglectum scripturæ. Præmiserat autem etiam de fonte, nempe Manichæis. (2.)

Errores

Errores & quidem (1.) de fidei principio, ſcriptura, quam ſuis traditionibus vel hermeneuticis, vel dogmaticis corrumpebat. *Nunc ſpecie atq; prætextu cognitionis alienarum opinionum aſſeclæ in Sanctam Chriſti Eccleſiam inſurgunt, & multorum librorum compoſitiones evulgant,* ἐπαγγελλομένας διήγησιν τῶν εὐαγγελικῶν καὶ ἀποστολικῶν διατάξεων, *quibus Evangelicarum & Apoſtolicarum conſtitutionum expoſitionem pollicentur:* conquerente Origene c. 5. Philocal. (2.) de *Deo.* (2.) Errores.

Errores expoſuit Hilarius lib. VI. de Trinit. ita loquutus: *Sed ſicut Hieracas, lucernam nec de lucerna, vel lampadem in duas partes, qui nec fuit ante, poſtmodum natum, vel ſuper creatum in Filio. Hieracas neſciens unigeniti nativitatem, nec Evangelicorum ſacramentorum virtutem adeptus, unius lucernæ duo lumina prædicavit; ut lychnorum bipertita diviſio ſubſtantiam Patris & Filii æmularetur, quæ ex unius vaſculi unguine accenderetur in lumen, tanquam eſſet ſubſtantia exterior, ut oleum in lucerna continens luminis utriusq; naturam; vel certè, ut lampas papyro eidem intexta, utroq; capite luceret, eſſetq; media materies, lumen ex ſe utrumq; protendens.* (3.) De Monachis (4.) De infantibus. vid August. hæreſ. 47.

§. 29. *Remedia* adverſus hæc mala erant adhibenda & adhibebantur. Sicut enim, cum uxor amico commiſſa eſt, ut cuſtodiat, ipſam ille diligenter cuſtodit: *Ita Chriſtus Dominus & Deus noſter, ad Patrem proficiſcens Sponſam ſuam nobis commendavit, utrumne eam incorruptam & inviolatam cuſtodiemus; an integritatem ejus & caſtitatem Mœchis & corruptoribus applicemus?* verba ſunt Venantii confeſſoris à Thuniſa & Epiſcopi in concilio Carthaginenſi, optimè dicta, etſi in mala cauſſa applicata. Mœchi ſunt & adulteri hæretici, quare oportet Eccleſiam adverſus vim ipſorum aſſerere. Quæ vero iſta remedia fuerint, ordine videndum eſt. *Remedia.*

§. 30. Erat *elenchus,* quem vel ſcriptis, vel viva voce exercebant Orthodoxi Zelotæ: De iſtis dictum eſt ſupra art. I. §. 45. ſynoptice, in præcedentibus vero §. §. explicatius, ut non opus ſit repetere. De hac proſtant *diſputationes* cum adverſariis habitæ. *Contra adverſarium, qui coram adeſt, & verbis ſolum ac ſermone opinionem ſuam tueri laborat, colloquium absq; ſcripto, quod partim interrogando, partim reſpondendo, iis, qui nobiſcum ex adverſo pugnant, perſuadere, eosq; in noſtram ſententiam pertrahere ſolet, ſatis pro-* *Elenchus.*

fecto,

fecto MOMENTI *habebit & ponderis*: judice Dionyſio Alex. lib. 1. de promiſ. ubi de diſputatione inter ſe & Nepotem habita agit. Quarum notanda ſunt (1.) *Exiſtentia.* Extitiſſe hoc in Eccleſia ſaluberrimum remedium, palam eſt ex re ipſa, quæ in controverſiam trahi nequit. Cum Montaniſtæ Romæ graſſarentur, Zephyrino Pontifice, inſtitutum eſt colloquium inter Gajum & Proclum, iſtum Catholicum, hunc Montaniſtam. Euſeb. lib. VI. c. 14. Octavius Chriſtianus *Cæcilium ſuperſtitioſis vanitatibus etiam nunc inhærentem* DISPUTATIONE *graviſſima ad veram religionem reformavit*, ut eſt apud Minucium in dialogo. Origenes in hoc palæſtra ſæpe deſudavit. Congreſſus enim eſt diſputando cum Ambroſio Valentiniano, referente Euſeb. lib. VI. hiſt. c. 15. cum Beryllo Arabum Epiſcopo. c. 26. cum hæreticis Arabianis aliis, c. 30. Dionyſius Epiſcopus Alex. in arena eadem cum Nepote Chiliaſta depugnavit, lib. 1. de promiſ. Malchion cum Paulo Samoſateno in Synodo Antiochena manus conſeruit differendo: apud Euſeb. lib. VII. 23. Archelaus Caſcharorum Epiſcopus Manetem hæreſiarcham iisdem armis aliquoties impugnavit, narrante Cyrillo Catech. VI. (2.) *Methodus*, In diſputando ſtatus controverſiæ accuratè obſervandus eſt, omiſſis parergis, & conviciis: *Hoc enim non eſt diſputatoris, ſed plebejum & indignum Philoſopho vitium, & furoris indicium* δέον ἐκλιθέμενον τὸ πρᾶγμα εὐγνωμόνως αὐτὸ, ἐξετάζειν, καὶ κατὰ τὸ δυνατὸν λέγειν πρὸς αὐτὸ τὰ ὑποπίπτοντα, *cum deberet rem propoſitam examinare candidè, & quantum fieri poteſt, nihil alienum ab ea dicere*: judice Origene in diſputatione adverſus Celſi Epicuræi iiniquam diſputandi methodum lib. 1. ſub. fin. Præclara propterea laus erat Chriſtianorum eo tempore, quam adverſus Epicuræi calumnias vindicat Origenes idem in eodem ſcripto, inquiens; *Conviiiantibus bene precamur, perſecutores toleramus, obtrectatores noſtros admonemus,* καὶ οὐκ ἂν ῥητὰ καὶ ἄῤῥητα λέγοιμεν τοὺς ἄλλα δοξάζοντας *non fanda infandaque jacimus in diſſidentes à noſtris opinionibus, ſed, ſi quidem poſſumus, nihil non tentamus, quo illis correctis perſuadeamus, ut ſoli attendant creatori omnium, omniaque tanquam rationem ſummo judici reddituri faciant; quod ſi nihil proficimus, ſervamus illud præceptum* Tit. III. 10. & ſeqq. Sic ille lib. III. Hæc vero non eo fine dicimus, quaſi

juſto

Marginal notes: (1.) Exiſtentia — (2.) Methodus.

justo fervere Zelo non deceat, & hæreticos contumaces & pellaces coarguere; Dionysius Alex. Episcopus *anguem* appellabat Paulum Samosatenum hæresiarcham, etsi hic *contumeliam* istam censuram appellaret in exordio decem quæstionum ad Alexandrinum perscriptarum. Idem Dionysius in literis ad Sixtum Episcopum Romanum dogma Sabellii vocavit ἀσεβὲς καὶ βλασφημίαν πολλὴν ἔχον *impium & valde blasphemum.* apud Euseb. lib. VII. hist. c. 5. In epistola ad Dionysium Romanum, dicam scripsit Novatiano διακόψαντι τὴν ἐκκλησίαν, καὶ τινας τῶν ἀδελφῶν εἰς ἀσεβείας καὶ βλασφημίας ἑλκύσαντι, καὶ περὶ Θεοῦ διδασκαλίαν ἀνοσιωτάτην ἐπεισκυκλήσαντι, *tanquam Ecclesiam misere discindenti, fratres quosdam ad impietatem & blasphemiam attrahenti, scelestissimam de Deo Patre doctrinam invehenti.* Hæc convitia non sunt, sed nomina rebus suis congruè imposita: decet enim scapham appellare scapham. Processum ipsum ex habita inter Dionysium & Nepotem disputatione discimus: *Interrogando & respondendo* invicem congrediebantur, antiquo more: concedendo, vel, negando, quæ videbantur: *Ibi certè fratrum constantium studium veritatis, facile obsequium, & prudentiam ideo supra modum admirabar,* καὶ τὸ εὐπαρακολούθητον καὶ συνετὸν, ὡς ἐν τάξει, καὶ μεθ' ἐπιεικείας τὰς ἐρωτήσεις, καὶ τὰς ἐπαπορήσεις, καὶ τὰς συγκαταθέσεις ἐποιούμεθα, *quod tam præclaro ordine, & tanta cum modestia rogabant, disceptabant, nobisque assentiebantur; Atque etiam tam diligenter præcavebant, ne illis, quæ fuerant ante decreta, si quicquam in eis veritati repugnare videretur, mordicus abhæreret: quin etiam contrarias rationes minimè omittebant nobis opponere, sed quoad eorum fieri poterat, ea, quæ erant ab ipsis proposita, munire & defendere tentabant, & contra, uti poscebat ratio; sententiam mutare, & nostro assentiri judicio eos neutiquam omnino pudebat.* Habes methodum disputandi Nepotianos inter & Dionysium. Solebant etiam adhibere operam ἐπισημειουμένων ταχυγράφων *scribarum celeri calamo dicta accipientium,* ut factum est in disputatione Malchionis Presbyteri cum Paulo Samosateno, memorante Eusebio lib. VII. hist. c. 23. Interdum Judices constituebantur etiam ex Ethnicis, utpote extra partes positi, quale quid factum est in disputatione inter Archelaum & Manetem: Constituti enim sunt judices Marsippus Philosophus Ethnicus, Claudius Medicus

atque Sophista, Ægialeus Grammaticus, & Cleobulus Sophista. Et hi ideo, ut processum disputandi, & methodum argumentandi judicarent: Alias enim regula est verbum Dei, ut apparuit in disputatione cum Manete, & Origenes urget tom. I.
(3) Fructus. opp. fol. 497. in disputatione cum Marcionitis instituta. (3.) *Fructus* erat varius, vel enim hæretici in apricum pertrahebantur, convertebantur, v l victi pudefiebant, & abigebantur. Gajus adversus Proclum disputans laudatur προπέτειάν τε καὶ τόλμαν ἐπιστομίζων, *procaciam & audaciam hæretici ad silentium adegisse*, & compescuisse. Euseb. lib. VI. hist. c. 14. (21.) Octavius Christianus Ethnicum collocutorem *ad veram religionem disputando reformavit*: Ambrosius Valentinianus pridem πρὸς τῆς ὑπὸ ὠριγένους πρεσβευομένης ἀληθείας ἐλεγχθεὶς, καὶ ὡς ἂν ὑπὸ φωτὸς καταυγασθεὶς τὴν διάνοιαν, τῷ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ὀρθοδοξίας προστίθεται *à veritate, cujus partes Origenes disputando in sese defendendas susceperat, redargutus, & veluti fulgore mentem illustratus, orthodoxæ Ecclesiæ doctrinæ animum applicuit*: referente Euseb. lib. VI. hist. c. 13. Idem cum Beryllo congressus λογισμῷ τε πείσας καὶ ἀποδείξει ἀναλαβὼν αὐτὸν, τῇ περὶ τοῦ δόγματος ἐφίστησιν ἀληθείᾳ, ἐπί τε τὴν προτέραν ὑγιῆ δόξαν ἀποκαθίστησι, *ratione & demonstratione ita persuasit & convicit, ut veræ sententiæ ipsum, & pristinæ sanæ doctrinæ restitueret*: eodem docente c. 26. Idem paulo post adversus Arabas animæ immortalitatem negantes παρακληθεὶς καὶ ἐνταῦθα, κινήσας τε λόγους ἐπὶ τοῦ κοινοῦ περὶ τοῦ ζητουμένου, οὕτως ἠνέχθη, ὡς μεταθεῖναι τὰς τῶν πρότερον ἐσφαλμένων διανοίας, *rogatus, ut disputandi partes in sese susciperet, sic orationis vi & impetu ferebatur, ut eorum mentes, qui se ante erroribus implicuissent, ad rectam fidem & sanam doctrinam traduceret*. c. 30. Dionysius Alex. cum Nepotianis congressus est adeo feliciter, ut doctrinæ dux & princeps Coracion, omnibus fratribus, qui aderant, audientibus, palam confessus sit, & attestatus, μηκέτι τούτῳ προσέξειν, μήτε διαλέξεσθαι περὶ τούτου, μὴ δὲ μεμνῆσθαι, μὴ δὲ διδάξειν, ὡς ἱκανῶς ὑπὸ τῶν ἀντιλεχθέντων ᾑρημένος *nolle se amplius dogmati isti animum adhibere, neq; de ipso amplius differere, neq; meminisse, neq; docere, eo quod à contradicentibus satis abunde convictus esset*. Euseb. lib. VII. c. 29. Malchionis disputatione Paulus Samosatenus φωραθεὶς, καὶ πρὸς ἁπάντων ἤδη σαφῶς καταγνωσθεὶς *perspicue convi-*

ctus &

ctus & coram omnibus condemnatus est. c. 23. Ab Archelao, disputante ex SS. literis cum Manete, hæreticus ut draco prostratus est, & superatus, referente Cyrillo Catech. VI. Ex quibus exemplis apparet satis, disputationes esse præsens remedium adversus hæreses, ut vel ex latibulis extrahantur vulpeculæ, vel convertantur, vel confusi abigantur ab ovili Christi: Ergo vapulent osores disputationum & contemptores, hodie præsertim, ubi intempestivæ & noxiæ pacis studium nauseam seculo conciliavit disputationum.

§. 31. Elencho accedebant *Concilia:* utpote *per quæ altiora quæq; in commune tractabantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione tractabatur*: ut Tertulliani ex lib. de jejun. utar verbis. Ut autem distinctè proponamus, notemus (1.) *Nomina.* Eusebius lib. VII. hist. c. 24. vocat ἐκκλησιαστικὰς συνόδους, *Ecclesiasticos conventus*: cum memorat in caussa Pauli Samosateni Episcopos hinc inde coivisse. (2.) *Divisio*: Erant alia conciliorum majora, alia minora, ut in caussa Novatiana memorat Eusebius fuisse habitum Concilium Romæ *maximum*, innuens, minora fuisse alia, quæ à pastoribus per singulas provincias habita essent. Dividi possunt etiam ratione locorum. Habita fuerunt alia in *Africa*, Cypriani ætate; Nam in suis epistolis hinc inde aliquot Synodorum Africanarum & Carthaginensium meminit, Epp. 51. 52. 55. 93. Euseb. lib. VI. hist. c. 35. In *Europa*, ut Romæ à Cornelio maximum, *& separatim per singulas cujusq; regionis provincias*; Euseb. l. c. Ibidem Dionysius Episcopus coëgit Synodum, ut disceptaret causam Dionysii Alexandrini. Per *Asiam* quoque non defuerunt Synodi. In Arabia aliquot habitæ sunt, Philadelphiæ, & alibi in caussa Berylli, & Arabianorum; vid. Euseb. lib. VI. 26. 30. Socrat. hist. Eccles. tripart. lib. VI. c. 20. Antiochiæ aliquot concilia coiverunt in gratiam hæresis Samosatenianæ, & Novatianæ, ut colligitur ex Euseb. lib. VII. hist. c. 30. Niceph. lib. VI. hist. c. 27. Iconiensis Lycaoniæ, & Synadensis Phrygiæ conciliorũ mentionem facit Cyprianus epist. 75. (3.) *Caussæ*, & quidem *efficientes* erant Episcopi, qui convocabant reliquos. Nullam hic deprehendimus prærogativam unius præ altero. Deprehendimus enim

Concilia quorum explicantur

(1.) Nomina

(2.) Divisiones

(3.) Caussæ vel Efficientes

enim à diversis diversa fuisse convocata concilia, sine dependentia à Pontifice Romano. Patet ex literis Dionysii ad Cornelium; quippe quod in ipsis *aperte ostendit, se ab Heleno Ciliciæ Tarsensis Episcopo advocatum, tum à reliquis, qui cum eo erant, nempe Firmiliano Cappadociæ Episcopo, & Theoctisto Episcopo Cæsareæ Palæstinæ, ut ad concilium Antiochiæ coactum adventaret*: verba sunt Euseb. lib. VI. hist. c. ult. Confirmatur ex epistola Synodica concilii Antiocheni adversus Paulum Samosatenum habiti: Sic enim Patres ad Pontificem Romanum, & Alexandrinum, aliosq; Episcopos perscripserunt: *Scripsimus epistolas ad Episcopos, qui longiore locorum intervallo à nobis distabant, eosq; obsecravimus, ut ad hanc lethalem & perniciosam doctrinam curandam accederent* &c. lib. VII. c. 24. In hisce duobus testimoniis dicuntur alii, quam Romanus, Episcopi reliquos ad concilium evocasse; nec additur auctoritate Romani ad ipsum eos fecisse. Evocabantur autem & intererant conciliis non Episcopi solum, sed etiam Presbyteri atque Diaconi, & ita quidem, ut suffragia quoque ferrent, & vota decisiva. Eusebius enim concilio Romano adversus Novatianos collecto interfuisse ait ἑξήκοντα μὲν τὸν ἀριθμὸν ἐπισκόπων: πλειόνων δὲ μᾶλλον πρεσβυτέρων καὶ διακόνων *sexaginta numero Episcopos, plures autem Presbyteros & Diaconos*; Additque à Pastoribus quoque separatim per singulas cujusque regionis Ecclesias conventus esse celebratos. lib. VI. hist. c. 35. Et ne excipias interfuisse quidem, sed non tulisse votum decisivum, ideo addit: δόγμα παρίσταται τοῖς πᾶσι. *ab omnibus tandem decernitur* (vertente Christophorsono) *Novatum ejusq; Fautores tanta superbia inflatos* &c. *excludendos* esse. competit igitur etiam Presbyteris & Diaconis in conciliis sancire δόγματα, excludere heterodoxos ab Ecclesia. In concilio Antiocheno idem deprehendimus. Legimus enim literarum Synodicarum hanc inscriptionem: *Helenus & Hymenæus &c. Malchion, & Lucius, & reliqui omnes Episcopi & Presbyteri & Diaconi* &c. Et in ipsis literis subjungitur sub finem: *Istum tam Deo adversarium, tamq; contumacem, eramus coacti Ecclesia, & congregatione fidelium interdicere excludereq;, & alium Episcopum, qui huic Ecclesiæ Catholicæ præesset, in ejus locum substituere.* Igitur & Presbyteri & Diaconi interdixerunt & excluserunt Samosatenum à communione Ecclesiæ, & a-

materiales ut personæ

& alium Episcopum ipsi substituerunt. Cyprianus ad Quirinum scribens confirmat id ipsum. *Quid nuper*, ait, *in concilio plurimi Coëpiscopi, cum Presbyteris, qui aderant, censuerimus, ut scires, ejusdem epistolæ exemplum tibi misi.* Presbyteros ait concilio interfuisse, & *censuisse* de re proposita. varia autem in conciliis talibus agebantur, quædam concernebant doctrinam, quædam cultum externum & ritus, quædam mores. Doctrinam, cum unus, vel plures heterodoxiæ essent suspecti, vel insimulati. Cum Beryllus diceretur negare Deitatem filii Dei, indictum est concilium, cui interfuit Origenes, & ventilata est controversia, donec Beryllus meliora doceretur. Cumque novus in Arabia error exsurgeret, Sadducæismus nempe; Negabant enim nonnulli animæ immortalitatem, iterum conventus est institutus. Novatianis grassantibus, Synodi congregatæ sunt diversis in locis, in Africa, Romæ, Antiochiæ; in quibus de erroribus Novatorum disceptabatur. In conciliis Antiochenis aliquot actum est de hæresi Samosateniana. Cum Dionysius Alexandrinus Tritheismi esset suspectus, Romanus Episcopus collecta Romæ Synodo, rem in disceptationem adduxit, literasque ad Alexandrinum dedit, quibus de rumore ipsum monebat, qui & respondit, suamque sententiam declaravit. De *ritibus* etiam & cultu externo disceptabatur. e. g. de Sacramentis, & in specie de baptismo; Quærebatur, quo die infantes essent baptizandi? Respondit Synodus à Cypriano collecta: *infantes non per unum aut alterum diem baptismo fraudandos, sed statim baptisandos esse.* Iterum quærebatur: An baptizati ab hæreticis essent denuo baptizandi? collegit idem aliquot propterea Synodos in Africa, & affirmativam definivit. Alio tempore in Synodo actum est de Clericis poenitentibus, an essent ad stationem Ecclesiasticam admittendi? placuit Synodo negativa. Basilides & Martialis idololatria sese polluerant; cum Emeritana & Asturicana Ecclesiæ quærerent: an digni essent, quibus Episcopatus porro committeretur? Cyprianus, Episcopis aliquot in Synodum coactis, negavit. Confer art. II. §. 9. seqq: supr. Et res.

Formalis. §. 32. *Processus* observari solitus erat præter propter hic: Ante omnia operam dabant Synodici, ut quæstionibus variis propositis sententia suspecti, vel accusati, accuratè exploraretur, quo fine disputationes instituebantur, & declamationes, quibus simul de explorata sententia disserebatur, & disceptabatur, quo loco habenda esset, idque juxta normam scripturæ. *Scripturis ex utraq; parte prolatis, temperamentum salubri moderamine libravimus,* ait Cyprianus de Concilio Carthaginensi, suffragantibus reliquis Episcopis. ubi erronea erat, adductis in medium rationibus ostendebatur; Si errorem agnoscebat Heterodoxus, recipiebatur in sinum Ecclesiæ, salvo tamen ordine; sin persisteret, collectis suffragiis condemnabatur, & excommunicabatur, decreto facto; quod ipsum literis inclusum Synodicis mittebatur quaquaversum ad Orthodoxos Episcopos & Ecclesiæ ministros, expresso damnati nomine, ut ab ipsius communione abstinerent, nullas vel ab ipso recipientes literas Catholicas, vel ad eundem scribentes. Istum fuisse morem agendi vel ex uno concilio Antiocheno videre est apud Euseb. lib. VII. hist. c. 22. 23. 24. *In uno quoq; congressu orationes habitæ sunt, & quæstiones positæ, cum à Paulo Samosateno, qui peregrinam suam, & alienam ab Ecclesia doctrinam adhuc occultare & obtegere moliebatur: tum ab illis, qui ejus errorem, & in Christum blasphemiam patefacere, & in apertum proferre omni studio elaborabant:* Ita Euseb. l. c. cap. 22. In priore concilio *cum Paulus sententiam se mutaturum fuisset pollicitus, iste* (Dionysius) *fidem illi adhibens, & spem animo concipiens causam controversiamq; sine ulla verborum contumelia commode fore compositam, eam ad tempus distulit;* Cum vero non desisteret à prava opinione, nova Synodus congregata est, in qua ipse *sui erroris vel peregrinæ opinionis perspicuè convictus est* à Malchione Presbytero (qui disputando cum ipso congressus fuerat) Et ab omnib⁹ condemnatus; qui & mox literas adornarunt ad omnes ubique Episcopos, ne cum ipso communicarent, sed successore Domno: *Paulus ad Artemonem literas scribat, & siqui Artemonis partibus faveant, cum eo deinceps communicent.* Sic Antiocheni sub finem literarum. Tandem & ex ædibus extrusus est Episcopalibus, ipsius jussu imperatoris.

§. 33.

§. 33. *Finis* erat orthodoxiæ assertio, heterodoxiæ confutatio, cultus & bonorum morum restitutio, pax adeo, & salus Ecclesiæ. Finis hic in plerisque Synodis obtentus est: Sed in quibusdam minime. Fuerunt enim, & illustria quidem, concilia, quæ enormiter errarent. *Revera enim in maximis Episcoporum Synodis decretum est, sicut audio, eos, qui ab hæresi aliqua veniunt, denuo instituendos esse, deinde abluendos, & à veteris impuriq; fermenti sordibus repurgandos*: scribit Dionysius Alex. ad Sixtum Romanum. Innuit errorem, de rebaptizandis hæreticis, vel inde venientibus, esse in aliquot, & *maximis* quidem, *conciliis*, approbatum & stabilitum. Putat forsan Africanas, sub Agrippino, & Cypriano habitas. Acta Carthaginensis extant sub finem operum Cypriani.

Finalis, & (4.) Eventus.

§. 34. Diximus de hæresibus. Observasti, lector, (1.) *Nomina* discretiva, quibus insignitæ sunt, desumpta ab auctoribus. Legisti Sampsæos, Valesios, Novatianenses, vel Novatianos, Praxeanos, Hermogenianos, Sabellianos, Hieracitas &c. Ut nefas non sit, cætum heterodoxum à suis auctoribus hominibus appellare. Vidisti quoque nomina & descriptiones per consequentias facta, ut Samosatenianorum, qui *Domini occisores, secundiq; Judæi* appellati sunt; Nonnulla quoque satis acriter dicta §. 11. 13. à qualibus titulis & descriptionibus hodiernum delicatum seculum abhorret. (2.) *Auctores & asseclas*, qui, & ubi fuerint. Erant nonnulli satis illustres. Tertullianum & Origenem, inter Hæreticos à Pontificiis relatos, quis nescit, qui quantique fuerint viri? Elogia art. I. satis id docent. Novatus quoque, & Novatianus non infimi subsellii erant: Secus eo favore non fuissent à plurimis, & præstantibus, viris excepti, §. 12. saltem Romæ non, ubi tamen multos nacti sunt asseclas; ut adeo illa quoque Ecclesia corrumpi possit. (3.) *Media* seducendi aliis alia erant deteriora; Novatianorum hypocriticus Zelus dubio procul multis imposuit. Samosatenus concessa licentia multos quoque ad sese traxit. Cæteris persuasit ratio, quæ mysteria sublimiora ridet. (4.) *Errores* in compendio & junctim exhibiti, feriebant vel *principium fidei*, quod aut reijciebant omnino, ut Manichæi vetus Testamentum: & ex novo accipiebant, quid-

Synopsis hæresium (1.) Nomen.

(2.) Auctores.

(3.) Media.

(4.) Errores de principio fidei.

quidquid placuerat; sicut & Elcesaitæ quædam ex V. T. quædam ex Novo, prout visum fuerat: Nepotiani, legem & prophetas pro nihilo putabant, Evangelia sequi negligebant; Vel corrumpebant, ut hi ipsi Nepotiani, Apostolorum epistolas depravantes; vel adulterinum, ut Actus Apostolorum & Mariæ substituebant, nec non librum è cœlo lapsum, fundamentalem Manetis epistolam, Miracula, visiones, Somnia Manichæi. Sabelliani Evangelium secundum Ægyptios: vel *articulos*, & inter hos vel *Theologiam*, & in hac laudebant vel *essentiæ* divinæ veritatem, quam negabant Manichæi, negantes verum extitisse Deum, qui legem dedit, vel *unitatem*, ut illi ipsi duo statuentes principia. vel *personarum* Trinitatem, ut Sabelliani, qui ex tribus personis unam faciebant; Elcesaitæ, qui duas mulieres Dei loco habebant; & Spiritum Sanctum cum Christo confundebant; Manichæi, qui duo statuebant principia, sive Deos, bonum & malum; alium V. T. alium Novi. Paracletus erat Manes; Hieracitæ, quibus Melchisedechus erat Dei filius. vel *attributa*, ut impatibilitatem Sabelliani, Patrem esse passum concedentes; beatitudinem, ut Manichæi, & potentiam, & sanctitatem, & bonitatem, & scientiam iidem; vel misericordiam, ut Novatiani: Manichæi: consequenter alia, dum aquas, sidera &c. adorabant. Vel *opera* ut est creatio, de qua monstrosè sentiebant, ut & de gubernatione Dei: vide §. 20. Vel *cultum*, quem Elcesaitæ duabus mulieribus; Manichæi creaturis deferebant, saltem symbolicè: *Christologiam* quoque impetebant: Nam alii lædebant personæ unitatem, geminum statuentes Christum, ut Elcesaitæ, & Manichæi: & veritatem, statuentes in V. T. fuisse serpentem, qui Protoplastos decepit: vel *naturarum dualitatem*, alii *divinam*, ut Berylliani, & Samosateniani; & Manichæi; alii *humanam*, ut Manichæi, negantes esse ex substantia virginis natum; & affirmantes, serpentem extitisse: vel *unionem earundem* & *communionem*, ut Paulus Samosatenus, qui habitasse solum Deum in homine Christo dixit, non autem hominem esse factum: unde & *communicationem idiomatum* negavit, negans incorruptibilitatem sanguinis Christi: vel *officia*, Nam derogabant sacerdotali Manichæi, statuentes, animas ipsum solas non

de Deo

de Christo:

corpora

corpora redemisse; Et regio, Chiliasmum statuendo, ut Nepotiani; Et prophetico; ut Manichæi, negantes Deum, qui V.T. revelavit, fuisse eum, qui N.T. è sinu patris protulit: *Statibus*, & quidem *exinanitionis*, negantes Christum esse passum, ut Manichæi: vel *intermedio*, negantes eundem resurrexisse; Et *Exaltationis*, dicentes non sedere ad Dei dextram; Nam ascensio ipsis est ligatio in stellis; Vel, *Anthropologiam*, & in hac statum *institutionis*; Voluntatem malam à Deo esse congenitam homini, Manichæorum furor erat; *destitutionis*, esse peccatum de hominis substantia, eorundem delirium erat; *Restitutionis*; baptismum Manichæi negabant, Samosateniani corrumpebant, Novatiani iterabant: Eucharistiam Manichæi mutilabant: Merita operum extollebant Novatiani, vel certe puritatem; pœnitentiæ vim denegabant; Elcesaitæ Magiæ studebant, quod & Manichæi faciebant; apostasias esse licitas persecutionis necessitate isti docebant; Nuptias damnabant in suis electis saltem Manichæi, Secundas præsertim Novatiani; Valesii sese castrabant, ut virginitatem scilicet servare possent, Eleemosynas vetabant Manichæi: *Glorificationis*; Nam Hieracitæ vitam æternam tribuebant meritis; resurrectionem carnis negabant Manichæi, ut & judicium extremum; de homine

§. 35. Præcipuos hæreticorum errores distinctè in compendio exhibuimus, quibus ex præcedentibus, & aliunde, alii facile possunt addi. Evangelici ab adversariis eorundem rei nonnunquam arguimur esse; sed per injuriam. Singula ex suis caussis judicanda sunt; sæpe duo idem statuunt verbis, quod in re ipsa longè diversum est. Tetigimus in enarratione hæresium quasdam accusationes, quædam addendæ supersunt. Bellarminus lib. IV. de Eccles. c. 9. Origeni hæretico accenset, qui dicunt, *perdidisse Adamum imaginem Dei, ad quam creatus fuerat*: Novatianis, qui docebant, *non esse in Ecclesia potestatem reconciliandi homines Deo, nisi per baptismum; nec debere baptizatos inungi Chrismate ab Episcopo*: nec esse membra Ecclesiæ, nisi fideles & sanctos. lib. III. de Eccles. c. 2. Sander. Mon. f. 263. quo in errore fuerit Lutherus, & confessio Augustana. Adderet quis ex Synodo Septima Iconolatrica de imaginibus, quarum cultum qui detrectant observare, Manichæis annumerantur. Sabellianismum nobis impingit admonitio Neostadiensis. c. 11. pag. 495. ajens:

Vindiciæ pro Orthodoxis contra calumnias Papistarum, *Accusatio* 1. 2. 3. & Calvinistarum.

4 ajens: *Si personalis unio consistit in reali communione proprietatum divinarum, caro erit unita tribus personis Deitatis, quarum una & communis essentia sunt illæ proprietates, hoc est, tres personæ erunt incarnatæ; & si tres incarnatæ, etiam tres erunt passæ, & jam non erunt tres, sed una persona, quia Christus una persona est, secundum hæresin Sabellii, & Pa-*
5 *tripassianorum*: Et Samosatenianismum, verbis mox sequentibus: *Si communio idiomatum est realis in duabus naturis, nequaquam realiter naturæ differunt; quia realis communio tollit realem differentiam proprietatum & naturarum. Si homo Christus non alia ratione est Deus, & ab aliis Sanctis differt, nisi quia realiter ipsius humanitati omnipotentia divina communicata est, & Deus per illam omnia operatur, non est essentialis, atq; æternus, sed factitius, & creatus Deus, secundum Arii & Samosateni blasphemias.* & cap. 8. p. 330. *Nobis audent* (Lutherani) *Nestorium & Samosatenum impingere, in quorum luto ipsi hærent ad ambas usq; aures. Fatentur ipsi, vocem communicationis, vel communionis, aliquando pro unione sumi. Hoc autem sensu hic Theodorus expresse declarat, se hoc vocabulo uti. Realem enim communicationem divinorum donorum Samosatenus & Nestorius non negabant in homine Christo, & tamen unionem realem & personalem duarum naturarum inficiabantur; Cum autem Theologi contendant, nullum relinqui discrimen inter Christum & Sanctos, si realis humanæ naturæ omnipotentia, & immensitas tollatur, ipsi viderint, quomodo ex Samosateni, & Nestorii nassa se expediant.* Confer Grundfest/ N. n. n. 4.

§. 36. Accusationes audivimus, superest, ut calumnias
℞. ad 1. diluamus. Ad (1.) ℞. Origenis sententia nostræ collata prorsus diversa est. Adamum perdidisse Dei imaginem dicit, sed tum, cum tunicas pelliceas i. e. corpus indueretur. En verba ipsius, ut leguntur apud Epiphanium f. m. 252. *At vero, quod secundum imaginem est Adam perdidisse ait: Et hinc, inquit, scripturam etiam pelliceas tunicas indicasse, quia fecit ipsis, inquit, tunicas pelliceas, & induit ipsos, hoc corpus est, ait.* Hæc ille. Ut autem recte intelligamus Origenis sententiam, repetendum est ex Epiphanio, quid de creatione statuerit iste. Statuit, animas pridem in cœlo existentes in Deum peccasse, & pœnæ loco in corpora, velut in carceres, esse detrusas, & aliam, quam prius, nempe corporis imaginem, induisse, amissa Dei imagine. At quis unquam fando audivit, Evangelicos

gelicos de creatione, & imagine Dei, ejusdemque amiſſione, ita Philoſophari? Noſtra ſententia Deus ex amore & gratia corpori ex luto formato inſpiravit animam, ante non exiſtentem, ſed tum demum Spiritu Dei creatam; ſic factus eſt homo, & indutus Dei imaginem, quæ erant qualitates animæ & corporis, Poſtquam autem peccaſſet, amiſit iſta animi corporiſque inſigniora dona: An hoc eſt Ὠριγενίζειν? Abſit! Ad (2.) ℞. Eandem diſſonantiam inter Novatianos & Orthodoxos deprehendi. Novatiani negabant poteſtatem clavium, docentes, admiſſo gravi ſcelere, ut eſt apoſtaſia, non poſſe lapſum à miniſtro Eccleſiæ à peccatis abſolvi, & in ſinum Eccleſiæ recipi, ſed Deo committendum eſſe, aut denuo baptizandum: Nos vero dicimus, docemus, & credimus, quod poteſtas miniſterii Eccleſiaſtici interna ſit efficax in remittendis hominum pœnitentium quibusvis peccatis, & ipſis in ſinum Eccleſiæ recipiendis; Nec unquam propterea eſſe reiterandum baptiſmum, quippe quod æternum fœdus eſt. Annon hoc eſt Novatianis in faciem contradicere? Ex eodem principio judicandum eſt de Chriſmate. Baptiſmo in quibusdam Eccleſiis Chriſma adjungebatur, libera cæremonia; Novatianus igitur, negans lapſos eſſe in ſinum Eccleſiæ recipiendos, ſimul negabat eſſe baptiſandos, ſi hactenus Catechumeni fuiſſent, conſequenter, negabat etiam inungendos: Poteſt & alia ratio Chriſmatis omiſſi in baptiſmo fuiſſe, nempe ſeparatio: Novatiani erant Puritani, & ab Eccleſiæ communione ſeſe ſeparaverant, quare & ritus Eccleſiæ uſitatos exterminabant, ut erat Chriſma. Evangelici autem neutro reſpectu chriſma improbant, ſed quia Pontificii ſpiritualem quandam vim, & gratiam oleo iſti adſcribunt, quæ in ſcripturis non habent fundamentum. Sed nec convenimus in materia Eccleſiæ. Novatiani lapſos, & impios excludebant à communione Eccleſiæ veræ, viſibilis, externa, etiam tum, cum pœnitentiam egiſſent, & recepti eſſent, negantes, eam eſſe veram Eccleſiam viſibilem, in qua apoſtatæ degerent. Noſtra vero ſententia impii etiam pertinent ad communionem Eccleſiæ veræ viſibilis externam; internam quoque, ſi reſipuerint, ut A. C. articulo VII. & VIII. clarè docet, damnatis Novatianis & Donatiſtis ſecus docentibus. Ad (3.) ℞. Damnare imagines ideo, quod hominis corpus ſit à Deo malo creatum, id vero impium eſt, &, ſi mo-

℞. ad. 2.

℞. ad. 3.

ſi modo Manichæi ita ſtatuerint, quod incertum eſt, Manichæum eſt. Sed earundem cultum divinum, ſive univocum, ſive Symbolicum, damnare, quod Evangelici facimus, id vero rectum eſt; Nam non colitur Deus niſi eo cultu, quem ipſe verbo ſuo definivit. Confer Chemnit. Exam. conc. Trid. part. IV. p. 60. & 68.

℞. ad. 4. §. 37. Ad (4.) ℞. Perſonalis unio non conſiſtit in reali communione proprietatum divinarum; hæc enim conſequens eſt unionis, ſaltem ordine naturæ, antecedentis: Nec propterea caro eſt perſonaliter unita tribus perſonis Deitatis, quarum una & communis eſſentia ſunt illæ proprietates: Niſi velimus dicere, carnem propterea aſſumptam eſſe in hypoſtaſin etiam Patris & Spiritus Sancti, quia eadem eſt Patris, & Spiritus Sancti, quæ eſt Filii, eſſentia; aut negare, unionem eſſe factam inter eſſentiam Filii, quæ ipſi cum Patre & Spiritu Sancto eadem eſt, & humanam naturam. Recepta eſt humana natura in communionem divinæ naturæ, ſed charactere hypoſtatico Filii affectæ, quo ſenſu Filius aſſumpſit humanam naturam; & vi unionis perſonalis communicavit humanæ naturæ divina axiomata, non Pater, neque Spiritus

℞. ad. 5. Sanctus. Ad (5.) Communio idiomatum eſt realis in duabus naturis, ſed inconfuſè, ut eſt realis inter animam & corpus; quæ tamen diſtincta ſunt & manent; quare & naturæ duæ in Chriſto realiter differunt; Nec enim realis communio tollit realem differentiam proprietatũ & naturarum; niſi velimus dicere, tolli differentiam inter animam & corpus, ſi hoc vivit, movetur, ſentit, vi communionis ab iſta factæ, aut inter ignem & aquam, ſi hæc calorem ex illo mutuatur. Chriſtus eſt Deus, quia ab æterno genitus eſt ex eſſentia Patris ſui, quo ſenſu nemo Sanctorum eſt Dei Filius; Eſt autem ſecundum humanam ſuam naturam Filius Dei naturalis, quia hæc natura eſt aſſumpta in ὑπόστασιν τοῦ λόγου, ut Mariæ Filius ſit Dei Filius, & vice verſa. Nec hoc ſenſu Sancti ſunt Filii Dei: Nam adoptivi hi ſunt, iſte naturalis; Samoſatenus geminam ex Chriſto faciebat perſonam, docens, in Chriſto homine, hypoſtaſin propriam habente, habitaſſe Jeſum, & ipſum diſtinctam perſonam, ut adeo duæ eſſent perſonæ: Evangelici vero negant humanam naturam propria hypoſtaſi ſubſtitiſſe; Dei enim hypoſtaſis ipſi fuit communicata, ut una eſſet perſona.

persona. Samosatenus communionem donorum divinorum derivabat ex unione parastatica, & mystica; Nostri vero ex personali, quæ, uti dictum, non est formaliter ipsa communio donorum, etsi hæc ex ista fluat. Quare ingens discrimen relinquitur inter Christum & Sanctos, si dicamus, istius humanam naturam infinita dona & divina accepisse ex unione personali cum divina natura; hos vero, utpote personaliter Deo non unitos, finitis, & κτ̅ μέτρον concessis donis esse contentos.

§. 38. Quia adversarii delectantur parallelismis, haud indigne ferent, si & nos quendam instituamus in gratiam (1.) *Pontificiorum*, ut discant suos antecessores. *Symmachiani* ipsi mortem sibi consciscebant; In papatu sunt, qui heautontimoriis suis ita corpus suum exagitant, ut cruces ferendo, vel sustinendo, vel alia violenter faciendo, etiam exspirent. *Arabiani* negabant animæ immortalitatem; fecit idem Johannes XXII. P. R. vid. Cham. t. 1. Panst. l. 3. c. 13. *Helcesaitis* licitum videbatur in periculo fidem suam dissimulare; quid hoc aliud est, quam quod hodie Pontificiorum Moralistæ concedunt, retentiones mentales esse licitas: Iisdem aliud quoque salutis remedium, quam Jesus, placebat, perinde Pontificiis non sufficit Jesus in suo merito, sed alia ipsi subjungunt, sua nimirum opera; & Pontificum suorum indulta: Judaizabant hæretici, sicut & Samosateniani; at Papatus hanc ipsam suam gloriam putat, quod multa ex Judaismo mutuatus sit, ut bona libri de apostasia Romanæ Ecclesiæ parte docet noster D. Nicolaus Hunnius. Fæminas adorabant isti; fæminam & Pontificii, Mariam, nec unam, sed plures Sanctas, adorant, cultu plusquam humano; Amuletis sese isti muniebant; idem faciunt Papistæ, spem ponentes in variis inscriptionibus, Characteribus, ἀμυντηρίοις, &c. divinitus haudquaquam ordinatis aut consecratis. Nudipedes incedebant isti; habent igitur Nudipedes Monachi majores, de quibus glorientur: Pro sese invicem moriebantur isti; Sed non soli; Nam & inter Pontificios eminentiores Sancti pro aliis jejunant, algent, flagellant sese, ad debililitatem usque corporis, & periculum vitæ, eo sanctiores, quo plus damni corporibus suis intulerint. Digna scilicet erroris mercede! Nolunt meritum Christi credentibus imputari ad justitiam, & ipsi in-

Parallelismus. (1.) Pontificiorũ cum Symmachianis, Arabianis, Helcesaitis.

Valesiis. ter sese istud gloriæ sibimet arrogant. *Valesii* sese castrabant, ut servarent castitatem illam coactitiam; An nulli inventi sunt, eo Zeli in castitate sua scil. servanda venisse, ut pharmacis saltem Novatianis. adhibitis libidinem extinguere allaboraverint? *Novatianorum* judicio quædam erant graviora delicta, quam ut à Ministro remitterentur; apud Pontificios quædam delicta non subjacent potestati vulgaris parochi, sed ad sedem Apostolicam remittuntur: vide concil. Trid. sess. IV. c. 7. Certitudinem isti peccatorum negabant, negant & Pontificii. Merita & perfectionem operum Manichæis. statuebant, statuunt & Pontificii; *Manichæis* non satisfaciebat scriptura; Nam addebant alia scripta à suo Patriarcha facta, somnia quoque, & revelationes immediatas, etiam diabolo revelante; similium non pudet Pontificios; Nam infallibilem in fidei articulis auctoritatem arrogant suo Pontifici, decretis, traditionibus, revelationibus immediatis, ne diabolicis quidem exceptis. vide Dn. D. Dannh. hodom. Pap. part. I. p. 59. seqq: Spiritus Sancti influentiam Manes sibi arrogabat; Quid aliud facit Papa, promittens sibi influxum, immediatum quoque, sanctissimi Spiritus, à quo in rebus fidei nunquam deseratur. Sanctimoniæ studere videbantur Manichæi, abstinentes à vino, caseo, ovis, nuptiis, divitiis, civili conservatione, mollioribus lectis; quibus & similibus operibus perfectionem sibi pollicebantur: An ovum ovo similius est, quam quod novi Encratitæ nostri faciunt, perfectionis & ipsi studio abstinentes à prædictis rebus? Ante Tiberium. i. e. Christum in carne revelatum & resuscitatum, non permittebant Manichæi aliquem esse salvatum; Idem dicunt Pontificii, cum limbum, nescio quem, Patrum V. T. confingunt. Abstinebant à vino Eucharistico etiam Manichæi, pariter & Pontifi- Samosatenianis cii. vid. Dn. D. Dannh. disp. II. Aristot. recid. p. 46. seqq: *Samosateniani* derogabant communioni naturarũ & idiomatum in Christo; Easdem tibias inflant Pontificii, eandem idiomatum commu- Angelicis, nicationem negantes; *Angelici* in Angelorum cultum inclinabant, eidem incumbunt Pontificii, qui preces fundunt ad Angelos, invocant, votis, festis, templis, aliis cultibus Deo debitis prose- Hieracitis quuntur. *Hieracitæ* hæretici *Monachos tantum & Monachas, & conjugia non habentes in communionem recipiunt, ad regnum cœlorum non pertinere*

tinere parvulos dicunt, quia non sunt illis ulla merita certaminis : Hæres. 47. Aug. idea hæc est Papistici Monachatus, cui ordines alii sordent; Et Papismi ipsius, qui per merita cœlorum limina adire præsumit. Hæc sufficiant indicasse, in polemicis nostrorum scriptis uberius declarata & firmata. vide Hunn. Apost. §. 685. 705. 794. 772. 732. 744. 748. 762. 775. &c.

§. 39. (II.) *Calvinianis.* Inter suos errores & hi habent, qui cum Hæreticorum heterodoxiis consentiunt. Auctorem esse Deum peccati saltem consequenter statuunt, quotquot principia suæ sectæ rectè intelligunt, quâ in re affines fiunt *Manichæorum*, quibus Deus auctor peccati credebatur. Negabant & hi Deum esse passum; Passum esse Deum & Calviniani negant, nisi per ἀλλαίωσιν, quæ tamen in reipsa idem negat. Electos suos labi non posse, & constituere Ecclesiam, Manichæorum errores erant: Sunt & Calvinianorum, qui perinde docent, etsi ex alio principio. *Samosatenianorum* sententia, nulla erat duarum in Christo naturarum unio, & communio, & idiomatum communicatio, unde & corruptibilem Christi sanguinem statuebant. Eodem à nostris rediguntur Calviniani communicationem idiomatum negantes. Neque *Chiliasmus* omnibus displicet, nempe Piscatori ad Apoc. XX. p. 1571. Alsted. in summ. cas. consci. c. 28. pag. 95. in diatrib. de mille annis Apocalypticis: Possemus in aliis quoque parallelismum ostendere, sed hæc sufficiant pro hac vice.

(II.) *Calvinianorũ* & Manichæorum

& Samosatenianorum.

& Nepotianorum

§. 40. (III.) *Socinianorum.* Ultro hi fatentur, se conspirare cum Beryllo, & Samosateno, in eo, quod Salvator noster merus homo exstiterit: Quodque una tantum sit in Deitate persona. Nec subterfugere possunt consortium Manichæorum, quod attinet resurrectionem impiorum, quam & Sociniani negant. Sicut & remissionem peccatorum graviorum, cum Novatianis facientes. IV. *Anabaptistis* favent Hieracitæ; qui infantibus salutem denegabant; V. *Suencofeldianis* præluserunt Manichæorum somnia: Et Novatianorum contemptus; Nam & hi, quibuscum *Weigeliani* faciunt, ministerii potestatem elevant, & irrident.

(III.) *Socinianorum*

(IV.) *Anabaptistarum*

(V.) *Suencfeldianorum*

§. 41. V. *Mores.* Versipellis quidem est dæmon, & non facile sese prodit; Sapienti tamen consilio Dei fit, ut ungues appareant, saltem in organis, quæ sunt hæretici. Duo autem eminent

V. *Mores.*

nent pia reliquis vitia, mendacium & cædes; Eſt enim Diabolus mendacii pater, & homicida ab initio. I. *Mendacia*, dum Hæretici Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt. Novatianus & Novatus rigoroſam præ ſeſe ferebant ſanctimoniam, ut ne quidem cum lapſis ex metu, & Eccleſia horum receptrice, communicare voluerint, interea erant ſuis ipſi maximis vitijs dediti, impietati, ſuperbiæ, contentionibus; Manichæi quoque exornabant ſeſe ſpecie caſtitatis, ſobrietatis, temperantiæ, aliarumque virtutum, intus tamen & in cute ſceleſti erant nebulones, execrandis vitiis dediti, ut vel publica auctoritate fuerint reprimendi. Hieracitæ non meliores dubio procul ferebant fructus, etſi hypocritæ caſtiſſimam vitam ſimularent. Helceſaitæ ut fidem in perſecutione abnegari poſſe docebant, ſic absque dubio occaſione jubente abnegabant. Minime igitur nobis imponat externa ſanctimoniæ ſpecies; Niſi ſincera fides & doctrina fuerit, etiam virtutes nullæ erunt ſinceræ, ſed mera hypocriſis. II. *Sævitia* & cædes in aliis deprehendebantur. Symmachiani ſemetipſi interficiebant; Valeſii ſeſe caſtrabant; Helceſaitæ Nudipedes incedebant, & pro ſeſe invicem moriebantur. Manichæus regis Perſarum filium interemit; Erantque hi doctrinæ fructus non mera hominum vitia. Vel enim mediis divinitus ordinatis temerè abſtinebant, vel ea docebant, quæ per admiſſa vitia in actum deducebantur. Matrimonium ſpernebant Manichæi, quare mirum non erat, in libidines ipſos deteſtandas incidiſſe; Symmachiani, ut & Manichæi, docebant, carnem à bono Deo factam non eſſe, quare vitiis, velut ignominia, afficiendam eſſe nequiſſime credebant, & perpetrabant.

VI. *Accidentia* vel quantitatis

§. 42. VI. *Accidentia.* Erant quantitas & qualitas. *Iſta*; Nam nonnullæ hæreſes ampliſſimè ſeſe diffuderunt, & ad hunc uſque diem perdurarunt. Arabianorum Sadducæiſmus, immortalitatem negans animarum, univerſum fere orbem hodie inundavit. Novatianiſmus & Africam & Europam, ſed & Aſiam implicuit. Sabellianiſmus & Samoſatenianiſmus fimbrias non modo ſuo tempore late explicuit, ſed etiam hodie adhuc explicat in Unitariis Hæreticis. Manichæiſmus, proh dalor! Muhammedaniſmum infelici partu excluſit, cujus hodie brachia univerſum fere orbem complectuntur: *Hæc* verò non minus ſpecioſa

vel qualitatis.

erat.

erat. Fuerunt enim Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Martyres, qui hæresibus vel ortum, vel progressum dederunt. Quæ eo fine dicuntur, ne veritatem Ecclesiæ ex copia hominum, vel externa specie æstimemus; æquè enim hæreticis isthæc, quam orthodoxis, competunt. Denuo observamus VI. adversarios hæreticorum alios potius, quam Romanos Episcopos, extitisse, id quod *ex adversariis*, supra hæresibus subjunctis, discas, (Nolumus enim eadem bis dicere.) Cum tamen satis vicinam habuerint pestem, nempe vel in ipsa Roma, vel circumjecta terra.

Articulus VII.

De

Elencho Adversariorum:

SECTIO I.

Complectens Objectiones Pontificiorum.

Argumentum.

Respondendi methodus brevior præmittitur. Præcognita quædam observanda. Subjunguntur ordine loca, quæ ab adversariis objici solent, vel possent, & examinantur. (1.) de principio fidei scriptura, qui libri sint canonici, qui apocryphi: de ejusdem imperfectione, obscuritate, ineptitudine judicii, jactura, versionibus, lectione, interpretatione. (2.) De cultu Angelorum, hominum, reliquiarum, imaginum. (3.) De Christi officiis, & statibus, descensu in limbum: Angelorum & sanctorum intercessionibus. (4.) De imagine DEI, concupiscentiæ fomite, liberi arbitrii viribus, Mariæ puritate. Ministerii Ecclesiastici Electione, potestate, infallibilitate, eminentia, ordinibus, cælibatu, de circumcisione, Baptismi ceremoniis, & efficacia, Missa, transsubstantiatione, adoratione panis Eucharistici, deportatione, asservatione, Communione sub una, mixtura aquæ, pœnitentiæ partibus, & variis actibus, fructu, & effectu, de ordinis, matrimonii, confirmationis, extremæ unctionis cæremoniis, & sacramentis. (5.) De fidei officio, fide implicita; meritis operum, & perfectione, statu monastico, benedi-

ctione ciborum, gestatione Evangelii in pectore, virginitate, nuptiis post adulterium, aliis operibus: Ecclesiæ forma, visibilitate, infallibilitate, auctoritate, Romanæ cumprimis, notis. Limbo Patrum, purgatorio, oblatione pro defunctis, expiatione, mortuorum apparitione, sepulchris. Hæreticis; Antichristo. Symbolo Apostolico.

§. 1.

Respondendi methodus

EMensi fere sumus iter nostrum, & portum respicit navicula, nisi quod Scylla & Charybdis superandæ adhuc supersint, dum versus Romam navem dirigimus. Restant enim adversariorum nostrorum objectiones, quæ arenarum instar, & scopulorum in mundi hujus inquieto salo ita prominent, ut multi circa ea naufragium faciant. Quare operæ precium censuimus, Cynosura verbi divini ducente, scopulos istos detegere, & nautis Christianis ab illorum insidiis cavere. Potuissemus equidem compendiis in respondendo uti, quali usus est Hieronymus, cum Origenis auctoritas objiceretur; rotunde enim dixit: *Ecclesiæ hominem non fuisse*: Nam vel Pontificiorum judicio plerique hujus seculi Patres aut Hæretici sunt, ut Tertullianus, & Origenes, aut Schismatici, ut Cyprianus cum suis Episcopis Africanis; aut suis sat crassis nævis affecti, ut reliqui, id quod præcedente articulo V. multis in medium adductis testimoniis & rationibus ostensum dedimus. Faceremus demum, quod ipsi faciunt adversarii, si quo Patris testimonio, Tertulliani, Origenis, Cypriani &c. premuntur; Nam adversus Patris auctoritatem excipiunt, caussantes ipsum errasse, divortium ab Ecclesiæ sententia fecisse, & quæ alia effugia sunt. Legantur ipsorum de Patribus judicia articulo I. superius allegata, & art V. §. 2. pag. 852. seqq. confirmata: apparebit verum esse, quod modo dixi: sed nolumus hac vice isto gladio nodos secare gordios, ne videamur nobis metuere ab antiquitate, ubi nulla urgemur necessitate.

Regulæ observandæ in dictis Patrum explicandis.

§. 2. Repetenda tamen subinde; & in memoriam revocanda sunt prophylactica quædam, quæ in judicio & examine Patristicorum dictorum observanda diximus articulo quinto, ubi nævos ipsorum consideravimus. Diximus errorum caussas apud Patres fuisse, aut defectum solidæ cognitionis, aut reliquias Ethnicæ philosophiæ, aut affectus vehementiores, aut nimiam credulita-

litatem traditionum: Et in ſcriptis vel hæreticorum corruptelas, vel etiam recentiorum interpolationes; quæ monita ſi obſerventur etiam in aliis Patrũ dictis adverſus nos allegari ſolitis, potiſſima ipſorũ pars adverſus nos nihil obtinebit. Sint enim ea nobis contraria, non tamen obtinebunt, quod adverſarii intendunt, ab Eccleſiæ Catholicæ ſenſu & fide nos receſſiſſe, dum ab iſtis patrum erroneis, incommodis, privatis dictis receſſimus. Porro obſervandæ ſunt quædam, ut ſic loquar, hermeneuticæ regulæ in explicandis patrum dictis. Nam (1.) *Scopus, & occaſio dictorum accuratè attendendus eſt*, id quod Athanaſius illuſtri nos docet exemplo. Ariani Patres Nicænos cum Antiochenis Pauli Samoſatenſis adverſariis committere allaborabant, eo quod iſti aliter uſi eſſent voce: Conſubſtantialis, quam hi; Athanaſius igitur, ut Patres invicem conciliaret, & auctoritatem concilii Antiocheni Nicænis & ſibi, non obſtare edoceret, reſpondit, reſpiciendum eſſe πρὸς τὴν ὑποκειμένην ὑπόθεσιν, *ad ſubjectam materiam*, de qua ſinguli diſputaſſent, ſicut & in epiſtolis Paulinis; ubi ſecum pugnare videntur, faciendum ſit; nec in cruda litera eſſe hærendum, ἀλλὰ τὴν διάνοιαν αὐτῶν ἐρευνᾶν, *ſed mentem ipſorum eſſe indagandam.* Negaverant Antiocheni adverſus Paulum Samoſatenum Filium eſſe Patri cœleſti conſubſtantialem; Nicæni autem adverſus Arianos affirmabant, ſed quo ſenſu? Explicat Athanaſius: *Qui Samoſatenſem ſuſtulerunt, hanc vocem conſubſtantiale* σωματικῶς ἐκλαμβάνοντες *corporaliter acceperunt, cum Paulus ſophiſticari vellet, & diceret: Si Chriſtus non ex homine Deus factus eſt, igitur conſubſtantialis eſt Patri, & neceſſario ſequitur, tres eſſe ſubſtantias, unam quidem quæ prior ſit, ut princeps; reliquas vero duas ex ea oriundas; Ideoq; merito vitantes illud ſophiſma Pauli, dixere, Chriſtum non eſſe conſubſtantialem: Non enim ita ſe habet Filius ad Patrem, ut ille cogitabat. Illi vero, qui Arianam hæreſin anathemate notarunt, cum Pauli calliditatem animadvertiſſent, neq; hoc modo in rebus incorporeis, præſertim in Deo, conſubſtantiale accipiendum eſſe conſideraſſent, cognoſcenteſq; non creaturam, ſed genitum quiddam ex ſubſtantia patris filium eſſe, & ſubſtantialem Patris originem, radicem, & fontem eſſe filii, & veram undecunq; eſſe ſimilitudinem geniti cum genitore, & nequaquam eum, uti nos, diverſæ naturæ eſſe, ac proinde ſeparari à Patre, ſed ipſius eum eſſe filium, nec ab eo dividi poſſe, ut nec ſplendor à luce &c. His de cauſis merito inducti ſunt, ut filium conſubſtantialem dicerent.* Hæc ille. Quibus mox ſub-

Regula. 1.

ſubjungit generale dictum: Neoterici priſcos homines nunquam culpaverint βλέποντες τὴν ἑρμηνείαν αὐτῶν, *videntes ipſorum interpretationem*, & occaſionem ſeu neceſſitatem, cuius gratia ita ſcripſerint; *Neque rurſus priſci neotericos reprehenderint, ſi conſpiciant, quo animo, & in quem uſum de Domino ſcripſerint*; Athanaſ. t. 1. opp. de ſynod. Seleuc. & Arimin. fol. 919. Dici vix poteſt, quantum hæc regula Athanaſii uſum habeat in dictis Patrum præcipuis explicandis. Adverſarii enim noſtri frequenter adverſus nos allegant Patrum verba, quæ ſibi favere, nobis vero derogare videntur; ſed ſi dictorum occaſionem, ſcopum, ſenſum ſcruteris, deprehendes interdum nobis potius, quam ipſis, favere, vel certe nobis non refragari. Id quod exemplis paulo poſt illuſtrabimus.

§. 3. II. *Patrum dicta cum aliis ipſorum clarioribus, vel pluribus ſunt conferenda, & examinanda ad fidei ipſorum Catholicæ principia.* Hanc regulam idem Athanaſius in epiſtola peculiari de ſententia Dionyſii contra Arianos ſcripta nobis ſuppeditat. tom. 1. opp. fol. m. 549. ſeqq. Citaverant Ariani pro ſeſe ſuffragium alicujus epiſtolæ à Dionyſio ſcriptæ, ſed reſpondit Athanaſius: *ſcripſiſſe Dionyſium iſtius generis epiſtolam, agnoſcimus; verum non hanc ſolum, ſed plurimas ab eo poſtmodum ſcriptas eſſe dicimus,* καὶ ἔδει καὶ ταύταις ἐντυχεῖν αὐτοὺς, ἵνα ἐκ πασῶν, καὶ μὴ μόνης ἐκ τῆς μιᾶς ἡ πίστις δειχθῇ τοῦ ἀνδρός, *quas ab iſtis quoque legi oportuit, ut ex omnibus ſimul, non ex una duntaxat, judicium de ejus fide conſtitui poſſet.* Rationes hujus ſui poſtulati mox ſubjungit. Nec enim, ait, omnia à quopiam ſcribi ὡς πίστιν ἐκτιθεμένῳ, *ut fidem exponat ſuam*; Neque paria eſſe tempora, aut occaſiones: *Quod ſi temporis & perſonæ ratio eum ad talia ſcribenda traxit, aliasque poſtmodum epiſtolas ſubdidit, quibus ſe de ſuſpicione purgat, non oportuit omiſſis cauſſis, cur ita ſcribendum fuerat, homini temere odium conciliare, ne alioqui videantur nihil niſi diſtinctiunculas aucupari, & veritatem & fidem rerum,* τὴν ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπιστολαῖς, *quæ ex aliis epiſtolis elucet, prætermittere.* Sæpe enim excidunt alicui quædam incommodius dicta, quæ deinde corrigit, extra æſtum diſputationis conſtitutus: ſæpe etiam κατ' ἄνθρωπον diſputamus: *Quapropter*, pergit Athanaſius, *ſi non obiter & perfunctoriè ejus viri ſcripta legerint,* εἰπάτωσαν καὶ τὴν ὑπόθεσιν τῆς ἐπιστολῆς: *indicent mihi, quale argumentum ſcopumque epiſtolæ ſecutus ſit*: Ipſe mox exponit, qua occaſione Dionyſius, & quo fine iſtam epiſtolam ſcripſerit, nempe:

nempe ad retundendam Sabellii hæresin, quæ Patrem cum Filio confundebat. Ut enim appareret, Filium esse personam à Patre distinctam, ostendit Dionysius, istum esse hominem factum, hunc minime; Hunc esse merum Deum, istum vero & hominem, *coactus ob Sabellii hæresin, quæ jam irrepserat, istiusmodi epistolam scribere, verbaq; illius, quæ humanitus, & humiliter de Servatore sonant, objicere, ut rebus humanitatis ejus intersepirentur, quo minus Filium Patrem esse dicerent, faciliorem illis viam ad credendam filii divinitatem strueret* ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπιστολαῖς *in aliis epistolis, ubi ex sacris scripturis verbum eum, sapientiam, virtutem, vaporem, splendoremq; Patris esse demonstrat.* Hæc ille. Legatur tota epistola à capite ad calcem; Est enim canonis nostri perspicuus commentarius: Et suppeditat alias quoque regulas, vel defendendi, vel excusandi, vel interpretandi Patres: Nempe, aliud esse, quod Patres ex professo disputant, aliud quod incidenter: aliud quod primario, aliud quod secundario disserant. Et similia.

§. 4, III. *Supposititia Patrum scripta à genuinis, & dubia à certis sunt distinguenda.* Allegantur sæpe Pontificum Romanorum epistolæ, ut Zephyrini, Calixti, Urbani, Pontiani, Anteri, Fabiani, Cornelii, Lucii, Stephani, Sixti II. Dionysii, Felicis I. Eutychiani, Cai, Marcellini, pro Monarchia Pontificum Romanorum, jejuniis, pluribus, quam duobus, sacramentis, apocryphis scripturæ libris, transsubstantiatione, traditionibus, invocatione sanctorum, translatione reliquiarum, exemptione Clericorum, & similibus Papistarum erroribus: sed adulterinos, vel certe misere depravatos, esse fœtus, è ratione temporis, styli, materiæ ipsius, aliisque argumentis probarunt dudum nostrates Centuriatores, Gerhardus in Confessione Catholica; Et ex Reformatis novissimè David Blondellus in Pseudo-Isidoro à pag. 234. usque ad 392. quibus cum prius transigant Pontificii, quam porro argumenta adferant ex ista pharetra: Nec indigne ferant, si in sequentibus indignas eas epistolas judicemus, ut testimonia inde promamus. Quæ porro supposititia, vel dubia scripta sint, ex articulo I. supra videre est. 3.

§. 5. His præmissis objectiones ipsas adversariorum examinemus, & quia plures sunt, ordine digestas. Sit igitur I. locus *De scriptura sacra*: Et hujus (1.) *libris Canonicis.* Libros Græce solum scriptos in V. T. Canonicis accensent Pontificii, nos apocry-

Objectiones: 1. Adversus *scripturam sacram* pro libris Apocryphis.

ut Appendice Esther. cryphis. Pro *partibus Esthera*, seu septem posterioribus capitulis Bellarminus lib. 1. de V. D. c. 7. & alii producunt suffragium Origenis, quod extet in ipsius epistola ad Iulium Africanum: In hac enim, quod Græca ista Estheris *apud septuaginta & Theodotionem sint asseri.* At frustra hæc adducunt; Nec enim quæstio est: *an apud septuaginta & Theodotionem sint*; sed an sint *canonica*? quod Origenes non dicit: *Origenes in epistola ad Iulium Africanum hæc eadem additamenta explodit*, ingenua est Sixti Senensis Prædicatoris Monachi confessio lib. 1. Bibl. p. 34. Dixerit autem Origenes Canonica hæc, vel divinitus inspirata capita, non tamen tenemur auctoritate ipsius stare; Nam & *Hermetis* librum dixit *divinitus inspiratum.* lib. X. in

Baruch. epist. ad Rom. quem tamen rejicit Bell. l. 1. V. D. c. 20. *Pro libro Baruch* adducit Bell. c. 8. testimonium Cypriani: *Cyprianus lib. 2. contra Iudæos c. 5. item apud Baruch*, inquit, *hic est Deus noster &c. & serm. de orat. Dominica citat epistolam Hieremiæ, quæ est ultimum caput Baruch: Per Hieremiam*, inquit, *Spiritus sanctus suggerit, & docet, dicens, in sensu autem tibi debet adorari Deus.* Resp. N. C: Cyprianus allegat testimonia ex libro Baruch, E. habet pro Canonico. Nam *in epistola ad Pompejum*, ipso Bellarmino citante lib. 1. V. D. c. 20. citat testimonium ex libro tertio Esdræ, neque tamen vel ipsi Pontificii hunc librum inter canonicos referunt. Idem respondemus ad testimonium Clementis Alexandrini, quod Bellarminus cap. 8. subjungit Cypriano: *Clemens Alexandrinus lib. 2. pædag. c. 3. pulchrè*, inquit, *dicit alicubi divina scriptura &c. citans c. 3. Baruch.* Nam idem Clemens, denuo fatente Bellarmino c. 20. inter libros divinitus inspiratos refert lib. VI. strom. librum Hermetis: ut & tertium librum Esdræ. *De quibus-*

Appendice Danielis. *dam capitibus* Danielis Bellarminus cap. 9. laudat denuo Cyprianum: *B. Cyprianus*, ajens, *in sermone de oratione Dominica producit hymnum trium puerorum, ac dicit scripturam esse divinam, in qua ille hymnus continetur. Idem in serm. de lapsis: Loquitur, inquit, scriptura divina &c. citat verba eorundem puerorum in igne. Lib. 1. ep. 8. adducit historiam Susannæ. Lib. IV. epist. 6. historiam draconis, & eandem lib. III. epist. 1. Lib. 1. epist. 4. Item sermone de oratione Dominica, & sermone de eleemosyna citat historiam prandii Habacuch allati ad Danielem.* Et Origenem: *Origenes studiosè defendit has partes Danielis, & præcipuè Susannæ historiam canonicam scripturam esse contendit, tum hom. 1. in Leviticum, tum in epistola ad Iulium Africanum.* ℞. ad

Ori-

origenis testimonium, quod non indubitatæ fidei sit. Nam homilias in Leviticum Rufinus latine vertit, vel potius pervertit, notante Erasmo in censuris ad libros Origenis. Idem dicendum est de epistola ad Africanum. Longe enim aliter ipsam retulit latinè Ruffinus, quam Græcè Eusebius lib. VI. vide Chamier. t. 1. Panstrat. lib. IV. c. 7. De Cypriano jam dedimus instantias. Quare pro *libro Tobiæ* idem à Bell. c. 11. frustra allegatur. Iudithæ testimonium divinum perhibere Africanus videtur Bellarmino c. 12. *Iulius Africanus lib.* 1. *de partibus divinæ legis*, *& Isidorus lib. VI. Etymologiarum c.* 1. *Ecclesiam Christi hunc librum inter divinos libros honorare*, *& prædicare testantur.* ℞. Iulii Africani testimonium tanti non facere possunt Pontificii, Idem enim *historiam Susannæ tanquam adulterinam & neotericam repudiavit*: fatente Bellarmino c. 9. qui igitur in uno fidem perdidit, qui invenerit in altero? *De libro Sapientiæ*, ajunt, Cyprianus in lib. de habitu virginum censet, quod sit *Scriptura divina*: idem serm. de mortalitate putat esse Salomonis auctoris, suffragatus magistro suo Tertulliano. allegante Bellarmino lib. 1.. V. D. c. 13. ℞. Tertullianus libro de Oratione testimonia profert ex libro etiam Hermetis, fatente Bellarmino. c. 20. neque tamen ideo canonicus est. De *Ecclesiastico*, idem c. 14. producit testes Clementem Alexandrinum lib. VII. strom. Et Cyprianum lib. III. epist. 9. citantes aliquot libri loca. ℞. Ex Euseb. lib. VI. hist. c. 11. Clemens Alexandrinus *in octavo* (Stromatum) *libris utitur testimoniis scripturarum*, *quibus à multis solet contradici*, *nimirum sapientiæ*, *quæ Salomonis dicitur*, *& Ecclesiastici*, *Iesu Sirach*; *& epistolæ ad Hebræos*, *& Barnabæ*, *& Clementis*, *& Iudæ*. Privatum igitur erat Clementis testimonium, non Catholicum. Confer Rainold. t. 1. de libb. Apocr. p. 219. lect. 26. Et quæ nos disputavimus art. V. §. 7. *Libri Maccabæorum*, laudante eodem Bellarmino c. 15. *honorificè producuntur à S. Cypriano in libro de exhort. Martyrii cap.* 11. ℞. N. C. producuntur *honorificè*. E. canonicè. Magni faciebant libros istos propter historiam contentam, quippe quâ Danielis vaticinia possunt explicari. Esto autem, Patres prædictos libros omnes in canonem retulisse, non tamen, quod Tridentini fecerunt, anathemate dissentientes percusserunt.

libro Tobiæ. historia Susannæ. Sapientia. Ecclesiastico. Maccabæis.

§. 6. (2.) *Affectionibus* scripturæ derogantes Pontificii 1. producunt pro *traditionibus* non scriptis varia testimonia. *traditionem de*

Pro traditionibus.

de ordine temporum, quibus Evangelia ſcripta erant , laudavit Clemens Alex. apud Euſeb. lib. VI. hiſt. c. 11. Idem Stephanus Epiſcopus Romanus *nihil novi, aut alieni à traditione ex Apoſtolorum temporibus derivata moliendum arbitrabatur*: lib. VII. c. 3. Baron. an. 258. §. 38. 52. Tertullianus in libello de corona militis *ex lege quoq; non ſcripta, ex traditionibus ſcilicet, & conſuetudine diutius ab Eccleſia obſervata licere ſumere argumentum affirmat* : verba ſunt Baronii an. 201. §. 18. qui factum Tertulliani laudat; etſi deinde idem tranſgreſſus fuerit traditiones in controverſia de re baptizandis iis, qui ab hæreticis eſſent baptizati. an. 217. §. 7. ut & Agrippinus, Cyprianus, & alii Africani. an. 258. §. 18. ſeqq. Bellarminus prolixus eſt in urgendo Tertulliano lib. IV. de V. D. c. 7. & Cypriano, ut obtineat traditiones non ſcriptas de cæremoniis baptiſmi, ſigno crucis, ſacrificio anniverſario pro defunctis; unctione, mixtura aquæ & vini in Euchariſtia &c. Origenes in cap. 6. ad Romanos, *Eccleſia*, inquit, *ab Apoſtolis traditionem accepit, etiam parvulis baptiſmum dare*. Et hom. 5. in librum Numerorum: *In Eccleſiaſticis obſervationibus*, inquit, *ſunt nonnulla, quæ cum omnibus facere neceſſe ſit, eorum tamen ratio non omnibus patet* : lauda-

Reſp. 1. tus à Bellarm. l. c. ℞. (1.) in genere: Status controverſiæ eſt non de quibus vis traditionibus, ſed ſolum de iis, quæ ſunt contra ſcripturam, vel certè præter ipſam, & tamen pari pietatis affectu, & cultus

2. neceſſitatiſque opinione obſervari jubentur. (2.) *In ſpecie* igitur quod attinet Clementis Alexandrini traditionem de tempore ſcriptorum Evangeliorum, quod à Presbyteris per traditionem ſeſe accepiſſe dixit, ad rem non pertinet, quia non diſceptamus de Chronologia librorum biblicorum, ſed de dogmatibus vel credendis, vel faciendis: vide Chemnit. part. I. Exam. p. m. 112. ſeqq. Porro, non dicit Euſebius, traditiones iſtas ſeſe accepiſſe *ſola voce*, ut ex Ruffino locum male allegat Bellarminus: ſic enim ſonant verba: ἃς ἔτυχε παρὰ τῶν ἀρχαίων πρεσβυτέρων ἀκηκοὼς παραδόσεις: *traditionibus quas à veteribus Presbyteris accepiſſet*. De traditionibus igitur, non de ſcriptis loquitur. Et N. C. traditiones. E. non ſcriptas. Taceo, quod de Paſchate, libera cæremonia, loquatur. vid. Cham. t. 1. l. 9. c. 20. §. 34. *Stephano* quoque ſermo eſt de traditione ad rem non pertinente. Sermo ipſi eſt de baptiſmo non iterando; quod dogma neque eſt præter, neque contra ſcripturam, ſed ipſi conſentaneum,

quia

quia unius tantum, non plurium ipse meminit baptismorum. Tertulliani traditiones ipsis derogant Pontificiis. Contendit ille de non gestanda corona; at gestant Pontificii: Ergo recedunt ab aliqua traditione. *Dicas:* Tertullianum loqui de corona idololatrica, quam gestare non liceat; Respondeo, igitur loquitur de re in S. literis vetita: Qui enim jussit fugere à cultu idolorum, jussit etiam fugere à coronis in gratiam idolorum gestari solitis; Est igitur ista traditio, de non gestandis coronis, in ipsis sacris literis fundata: de talibus autem traditionibus quæstio nobis non est. Exceptio. ℞.

Instes: Tertullianum loqui etiam de aliis, e. g. renunciatione, quæ fit diabolo, & pompæ, & Angelis ejus in baptismo, trina in aquam immersione, lactis & mellis fruitione, lavacri abstinentia, sumptione cœnæ è manu præsidentium, oblatione pro defunctis, & natalitiis: jejuniis die Dominico non instituendis: signaculo crucis: *Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* ℞. (1.) Enumerata ista traditionum capita concernunt liberas cæremonias, non necessarias: multo minus dogmata, de quibus tamen sermo nobis & lis est. Regerit Bellarminus: *Etsi non sit necessaria ad salutem observatio aliquorum ex his tribus* (ritibus,) *tamen necessarium est ad salutem credere, esse bene institutos, & eos non contemnere.* ℞. Perdiderint igitur Pontificii salutem suam, quippe qui aliquot istarum cæremoniarum Tertullianearũ abrogarunt, & spreverunt: Neq; enim lactis & mellis concordiam prægustant, aut à lavacro baptisatos abstinent, aut die dominico à jejuniis abhorrent, quæ tamen Tertullianus inter cæremonias computat. Instantia. Resp. 1.

(2.) Tertullianus patrocinatur in libro isto Montano. Id quod Baronius an. 201. §. 16. ingenuè confitetur: *Quod* enim, inquit de Tertulliano, *ab Ecclesia Catholica semel desciscens, in eandem immortale jurasset bellum, inde accidit, ut, quod Catholici improbarent, mordicus ipse defenderet: ut de milite illo accidisse vidimus, qui noluisset, ut alii quoq; milites Christiani faciebant, lauream, donativum accepturus, in capite gestare.* Testimonium igitur, nobis à Bellarmino objectum, est petitum ex libro Montanistico Tertulliani jam Montanistæ, & patrocinatur Montanistæ militi, qui renuebat, quod milites Catholici faciebant. Sicut in aliis quoq; rebus Tertullianus iste Apostata Ecclesiæ 2.

Catholicæ ſe opponebat, *improbans*, quæ ipſa probabat, & probans, quæ eadem improbabat. Regerit quidem Baronius §. 18. *Non deduxit* (Tertullianus Traditiones) *ex ſchola Montani (ut calumnioſe prætexunt Novatores) cujus vix tunc limen ingreſſus erat; ſed quod adverſus Catholicos ageret, ad eos convincendos non alias certè, quam ex Catholica Eccleſia petitas (ut argumentatio vires haberet) traditiones antiquas eum recenſuiſſe oportuit.* Hæc ille, ſed vanum effugium quærens. Fatetur, Tertullianum Montani limen jam tum, etſi vix, ingreſſum fuiſſe: Ergo fatetur, teſtimonium eſſe à Montaniſta petitum: Quod vero ait, Tertullianum à communi Catholicorum principio, traditionibus, argumentum petiiſſe, id vero probandum fuiſſet. Fieri enim poteſt, ut quis incertum per æquè incertum probet. Fuerint autem iſtæ Catholicæ Eccleſiæ traditiones; nihil tamen vel ſic adverſus nos obtinebit. Utebatur Eccleſia Catholica nonnullis traditionibus adiaphoris, & bono fine adhibitis, nolebat tamen eo ipſo patrocinari quibusvis ritibus, & traditionibus, etiã ſuperſtitioſis; perinde ut nos hodie traditiones non omnes à majoribus noſtris acceptas repudiamus; Servamus enim templa, celebramus feſta &c. Nolumus autem ſub hoc prætextu introduci quasvis alias, etiam ſuperſtitioſas, idololatricas, ſuperfluas, quod Pontificii faciunt. Quæ Gretſerus pro defenſione Bellarmini ſui hinc inde interloquitur, pleraque ſunt, ut mos Jeſuitæ eſt, ſcommata, convitia, verba: reliqua in dictis noſtris tacito nomine diſcuſſa ſunt.

Pro præſcriptione.

§. 7. Et quia in Tertullianum, & in materiam de traditionibus, incidimus, operæ precium erit illud potiſſimum & prolixius examinare, quod Bellarminus lib. IV. de V.D. c. 7. poſt, & ante plures alios ſuæ ſectæ homines, urget ex libro de præſcriptione, *ubi* (Tertullianus) *ex inſtituto doceat, hæreticos non ex ſcripturis, ſed ex traditione confutandos* eſſe. Hoc ut eo clarius & felicius præſtetur, obſervandus erit (1.) *Status controverſiæ* inter Tertullianum & adverſarios Valentinianos, Marcionitas &c. qui erat: An dicti hæretici admittendi eſſent ad ullam actionem, ſive litem, conteſtandam Catholicis de doctrina Apoſtolorum? Negabat Tertullianus, ex eo fundamento, quod dicti Hæretici ipſa negarent principia, vel certè corrumperent: contra quales homines diſputandum non eſſet. Hoc ut amplius intelligatur, notanda eſt (2.) *Sententia adver-*

ſario-

ſariorum. Negabant hi quasdam ſcripturas apud Catholicos pro canonicis receptas, & ſubſtituebant adulterinas ſuas ab his improbatas: *Iſta* enim, inquit Tertullianus, *hæreſis non recipit quasdam ſcripturas, &, ſi quas recipit, adjectionibus, & detractionibus, ad diſpoſitionem inſtituti ſui interpretatur: Et ſi aliquatenus integras præſtet, nihilominus diverſas expoſitiones commentata evertit.* c. 17. de Præſcr. Porro iidem Hæretici ipſam quoque Apoſtolorum infallibilitatem & fidem in dubium revocabant: *ſolebant* enim *dicere, Apoſtolos non omnia ſciſſe. Eadem agitati dementia, quâ rurſus convertunt, omnia quidem Apoſtolos ſciſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe.* Ex his emergit ſtatus controverſiæ, quem diximus: An tales hæretici ad interpretationem ſcriptorum & dogmatum divinorum eſſent admittendi, qui ipſum principium, ſcripturam ſacram, mutilarent, & in dubium revocarent? Exinde alia emergebat quæſtio: Ubi igitur genuina, & incorrupta fuerint Apoſtolorum ſcripta, & de his teſtimonia? Reſpondebat Tertullianus, penes Eccleſias Apoſtolicas, in quibus viva voce Apoſtoli prædicaſſent, & ſcripta ſua depoſuiſſent: *Quid Apoſtoli prædicaverint, præſcribam, non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando tam viva voce, quam per epiſtolas poſtea.* Quænam autem illæ? an ſola Romana? ut ab hac ſola traditiones petendæ fuerint? abſit. Nam plurium meminit Tertullianus: *Age* enim *jam*, ait, *qui velis curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ authenticæ eorum literæ recitantur, ſonantes vocem, & repræſentantes faciem unius cujusq;. Proximè eſt tibi Achaja, habes Corinthum, ſi non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adjaces, Romam, unde nobis quoq; auctoritas præſto eſt.* Plures igitur Romanâ erant Eccleſiæ Apoſtolicæ, in dubia iſta quæſtiones conſulendæ. Porro obſerua (3.) *Diſputandi methodum.* Tertulliano duplex erat diſputandi methodus, alia compendioſior, alia prolixior, iſta præſcriptionem urgebat, hæc argumenta ſive κατασκευαστικῶς, ſive ἀνασκευαστικῶς proponebat, & urgebat: Iſta præjudiciis quibuſdam adverſarios premebat; hæc vero argumentorum pondere: *Quomodo funditus evertetur Antichriſtus, niſi cæteris quoq; injectionibus ejus elidendis locus detur, relaxata præſcriptionum defenſione:* quærit Tertul. lib. I. adverſus

versus Marcion. c. 22. innuens geminam disputandi methodum. Quem in sensum idem loquitur etiam c. 45. de præscr. *sed nunc quidem*, ajens, *generaliter actum est à nobis adversus hæreses omnes, certis, & justis, & necessariis præscriptionibus repellendas à collatione scripturarum. De reliquo, si DEI gratia annuerit, etiam specialiter quibusdam respondebimus:* iterum distinguens inter compendiariam ex præscriptione, & specialiorem, ex singulorum examine, methodum disputandi. Hinc patet (4.) *Applicationem* ad hodiernas controversias non posse fieri. Neque enim inter nos & Pontificios quæstio est de genuinis Apostolorum scriptis, neque supersunt amplius Ecclesiæ Apostolicæ in eo vigore, quo olim erant, ut consuli possint: sed quæstio inter nos est, de scripturarum utrinque receptarum genuino sensu, deque veritate dogmatum controversorum, penes quam partem ea sit: si quæ autem controversia oriretur de codicibus Biblicis ipsis, corrupti, an incorrupti, genuini an adulterini essent? Et quidem cum adversariis, qui testimonium ipsorummet codicum hodiernorum non reciperent, tum demum frustra esset cum talibus ex hodiernis scripturis disputare, quippe quas ipsi pro principio non agnoscant; sed provocandum esset ad antiquissimos codices, & Ecclesias, apud quas ipsi depositi sunt, quod tota die in controversiis præsertim Pontificiis & Socinianis observamus. Confer Cham. t. I. Panstr. Cathol. lib. II. c. 8. & lib. VII. c. 11. D. Calixt. digref. de arte nova: D. Hülsemannus dis. de præscriptione: D. Dannhavver. Christeid. p. 969.

§. 8. Quod *Origenes* de baptismo parvulorum habet, nostræ non obest, sed prodest, sententiæ. Videmus enim exinde, traditiones dici, quæ in SS. literis fundamentum habent. Nam pædobaptismus dicitur traditio, quem tamen ex SS. literis deduci posse ne quidem omnes adversarii negare audent. In Ecclesiasticis multa esse facienda, quorum rationem reddere nequeas, nisi arbitrium Ecclesiæ, in confesso est. Sed quid inde? Ergone liceat dicere & facere quæ contra scripturam sunt, vel certe præter eam, sub opinione tamen cultus & meriti imperantur? largè nimis! Tertullianus, Agrippinus, Cyprianus, alii, errarunt, non quia traditiones repudiarunt, sed quia, quod in S. literis fundamentum non habebat, imo contrarium erat, statuerunt ipsi,

& aliis commendarunt, repudiatis traditionibus in scriptura fundatis.

§. 9. 2. *Claritati* scripturarum tenebras offundunt adversarii, & nominatim Bellarminus lib. III. V. D. c. I. ex Origene, ejusque lib. VII. advers. Cels. ubi dicit: *Alij quoq; cordati viri scrutando scripturam intellectum ejus invenire potuerunt, licet revera sit multis locis obscura, Item homil.* 5. *in Levit. similem sententiam habet, adducens similitudinem hostiarum, quarum pars comedebatur à sacerdotibus, & pars incendebatur DEO, Idem homil.* 12. *in Exod. diebus, ac noctibus obsecrandum est, vt veniat agnus de tribu Iuda, & ipse librum signatum dignetur aperire.* Conferri potest lib. I. advers. Cels. p. m. 11. III. 122. VI. 286. 287. Hom. XII. in Numeros. ℞. Subordinata sibi invicem opponuntur. Non enim sequitur, opus est ope divina & scrutinio, E. scriptura est obscura. Ut enim, quod in scriptura clarum est, videamus, opus est mediis, divinitus promissis, & ordinatis, ut sunt auxilium divinum, scrutinium, oratio: sicut opus est oculis, si vel clarissimum solem velim videre. Sunt qui scripturam non intelligunt, sed suo vitio: *Ego vereor, ne per nimiam negligentiam, & stoliditatem cordis, non solum velata sint nobis divina volumina, sed & signata*: ait Origenes idem homil. XII. in Num. (2.) Sine adversario pugnant Papistæ. Quis enim unquam negavit, esse quædam in SS. literis obscura quæ, dum hîc militamus, & prophetamus, intelligi nequeant? Quo ipso responsum est ad testimonium à Coccio lib. VI. Thes. t. I. art. 31. p. 761. productum è Clementis Alex. lib. 2. strom. verba sunt hæc: *Neq; Prophetia, neq; ipse Salvator adeo crasse & generaliter locutus est divina mysteria, ut ea facile capi possent à quibuslibet, sed disseruit in parabolis.* &c. *Cæterum recta sunt omnia, inquit scriptura, coram iis, qui intelligunt: h. e. iis, qui ab ipso declaratam scripturarum expositionem ex Ecclesiastica regula accipientes conservant. Regula autem Ecclesiastica est concentus & consensus legis & Prophetarum convenienter testamento, quod traditur per Domini adventum.* Disseruit Christus in parabolis, sed petentibus explicuit easdem: Intelligent igitur scripturam, qui scrutantur, conferunt obscuriora cum clarioribus, analogiam fidei. i. e. media hermeneutica adhibent, quæ & nos inclusa volumus.

Obj. contra Claritatem.

§. 10. Dum igitur claritatem scripturæ tribuimus, hoc ipso nec rejicimus *interpretationem* etiam Ecclesiæ. Unde frustra sunt Ponti-

Pro interpretatione.

Pontificii, cum adversus nos allegant interpretationes ab Ecclesia fieri solitas etiam in hoc seculo. Bellarm. lib. III. de V. D. c. 6. producit hæresin Novatianorum, sicut in concilio Romano explicata, declarata, & damnata, & asseclæ ejus deinceps semper inter hæreticos habiti fuerint. Addit Anabaptismum, de quo Cornelius, & Stephanus Episcopi Romani decreverint negativam, præcipientes, ne baptizati ab Hæreticis rebaptizarentur. Addit c. 8. suffragia Tertulliani, & Cypriani; istius è libro de præscriptione, *non debere cum hæreticis disputari ex scripturis; quia cum possessio, & intelligentia vera scripturarum sit Ecclesiæ Catholicæ, prius debet constare, quæ sit vera doctrina Ecclesiæ, & tunc ex illa intelligendæ sint scripturæ,* Hujus è lib. 1. epist. 3. *Nec enim*, scribentis, *aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod sacerdoti DEI non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus judex vice Christi cogitatur.* Hinc elicere vult Bellarminus, *ante definitionem Pontificum licere de dubiis rebus sine vitio hæresis utramvis partem tenere, at post definitionem, qui non obtemperant, fieri hæreticos.* Addi posset Clemens Alex. lib. VII. strom. qui invehitur in Novatores, veterum interpretum censores & adversarios: *Neq; enim eos, qui præcesserunt, superare poterant sapientia, ut aliquid adinvenirent, iis, quæ ab illis verè dicta sunt. Sed bene cum eis actum esset, si scire potuissent ea, quæ prius sunt tradita.* Ex his & similibus videtur interpretatio scripturarum pertinere ad Ecclesiam, ejusque, quod jactatur, caput Pontificem Romanum. Sed non obtinent hæc, quod volunt. Nam (1.) status controversiæ non est, an Ecclesiæ, præsertim repræsentativæ, & ministerio, competat officium interpretandi scripturas? id enim ambabus largimur manibus; sed, an absolute & infallibiliter competat? ita, ut ipsorum judicio standum sit, etsi contra scripturæ mentem aliquid statuant? Hujus affirmativa ex allegatis conciliis non evincitur. Episcopi Romani dederunt quidem suum judicium in controversia Novatiana, & Anabaptistica, neque tamen istud ipsorum judicium valuit, quia Episcopi Romani dederant, sed quia, quod iudicarunt, sacris literis quadantenus erat consentaneum. Nec Cyprianus, nec Tertullianus, nec alii plures propterea hæretici sunt habiti, quia isto Romani Episcopi judicio acquiescere noluerunt. Celebrarant & alii concilia, ut Patres Antiocheni advers. Paulum Samosatenũ, eumq; hæreticum declara-

runt.

runt, non consulto Episcopo Romano, cui suum quidem judicium, sed jam definitum, intimarunt. Cypriani dictum Pontificiis potius adversatur, eo quod pro Cypriano contra Episcopum Romanum ἀλλοτριοεπίσκοπον militet, de quo forsan postea pluribus. (2.) Standum esse interpretatione majorum, juxta *regulam Ecclesiasticam*, i. e. fidei analogiam in scripturis fundatam, ut ex Clemente §. 9. audivimus, in confesso est: sed ideo tantum standum esse, quia majores hoc vel illo modo explicuerunt, id Clemens non dicit: confer Cham. tom. I. Panstr. l. XVI. c. X. §. 10. seqq.

§. 11. Intelligendis sacris literis subserviunt *versiones*, quarum duæ celebriores extiterunt Græca, & Latina: Ista septuaginta interpretum, quam authenticam esse contendunt Pontificii ex commentariis etiam Origenis; Nullo enim alio textu usus est, quam LXX. virorum. Hæc vulgata, laudante Stapletono: *Latina*, inquit, *omnis Ecclesia, ab ipso Tertulliani tempore, qui vulgatam hanc nostram lectionem plurimis in locis retinet, hac versione usa est.* ℞. Origenem versione LXX. interpretum esse usum, extra dubitationis aleam positū est, saltem ea, quæ esse putatur; sed eam ipsos propterea pro authentica habuisse, illis persuaseris, qui in Origene protsus hospites sunt. Correxit Origenes versionem istam ad fontes Hebræos, ut in vulgus notum est, & fatetur Bellarminus lib. II. V. D. c. 2. 15. Ecclesia ejus temporis versionibus usa est variis etiam Latinis; sed hodierna vulgata, & eâ authentica esse usam illi credunt, qui oculis carent, & auribus, ut legere, vel audire non possint allegata apud Tertullianum, vel Cyprianum scripturæ dicta, & cum hodierna vulgata (quam Hieronymo communi consensu tribuunt Papistæ) Latina conferre: Confer quæ dicta sunt art. III. sect. 1. §. 41. p. 639. Contra editiones.

§. 12. Contra vulgatarum & vulgarium versionem & lectionem communem Bellarminus lib. II. de V. D. c. 15. quædam objicit: *In toto oriente*, ait, *tempore B. Hieronymi in publico usu erat tantum editio Græca LXX. interpretum per Origenem, Lucianum, aut Hesychium emendata &c. Et tamen lingua Græca non erat vulgaris à Constantinopoli usq; ad Antiochiam, & multo minus in Syria, & Ægypto.* Et paulo post: *In Africa certum est, quousq; ibi Christiani fuerunt, semper in usu publico scripturarum fuisse solam Latinam linguam: Nam nulla est mentio apud ullum auctorem ullius translationis Punicæ &c. At eo tempore non fuisse Latinam linguam*

Vulgares. Obj. 1.

2.

Rx. ad 1. *guam omnibus vulgarem in Africa, idem Augustinus testis est.* Rx. ad (1.) dist. inter linguam vulgarem & communem: posito, linguam Græcam à Constantinopoli usque ad Antiochiam non fuisse vulgarem, fuit tamen communis, ut saltem à pluribus & potioribus intelligeretur. Inter Constantinopolin & Syriam interjacent præter Cariam, Lyciam, Lydiam, Ciliciam, Rhodum, Cyprum, Lesbon, Cretam, aliasque insulas, Pontus, Bithynia, Galatia, Asia minor, Pamphilia, Cappadocia, Phrygia; in his autem regionibus communem fuisse linguam Græcam vel sola illa nomina propria urbium, fluminum, hominum, evincunt; imprimis autem celebratio sacrorum, quæ ab Antistitibus Ecclesiæ græco idiomate peragebatur: & scripta ab Episcopis eodem stylo edita: Ne quid dicam de epistolis Apostolicis. Hæc & similia adeo evidentia sint, ut coëgerint Richeomum lib. IV. de mis. advers. Ples. c. 32. Bulengerum lib. 2. c. 5. adversus eundem, Ledesmam, Pontificios Zelosos, communem Græcæ linguæ usum in partibus orientis confiteri. vide Cham. t. 1. Panstrat. lib. XI. c. 9. (2.) In Africa quoque linguæ Latinæ usum fuisse communem hoc quoq; seculo, id abunde satis testantur scripta Afrorum Patrum Tertulliani, Cypriani, Arnobii: Nec est, quod dicas, eruditis solum hos scripsisse, non vulgo; Nam Cypriani epistolæ annon ad Clerum, Martyras, plebes sunt exaratæ? Stylo igitur ab ipsis intelligibili.

Rx. 2.

II. *Theologiã* pro cultu

§. 13. II. *Theologiam* corrumpunt Pontificii, dum cultum divinum etiam meris creaturis exhibent. Hoc vero ut impunè faciant in subsidium vocant Patres hujus seculi, & quidem pro cultu (1.) *Angelorum* verba Origenis hom. 1. in Ezechielem: Sic autem ille: *Omnia Angelis plena sunt. Veni Angele, suscipe sermone conversum ab errore pristino, à doctrina dæmoniorum, ab iniquitate in altum loquente, & suscipiens eum quasi medicus bonus confove, atq; institue, parvulus est, hodie nascitur senex repuerascens &c.* allegante Jodoco Coccio art. IV. Thesaur. t. 1. lib. IV. (2.) *Hominum*, ut sunt Maria, Sancti, Martyres. *Mariam* Methodius Tyri Episcopus in oratione, habita in Hypapantem Domini, inter alia sic compellat: *Salve in æternum ineffabile gaudium. Ad te nam rursus recurrimus, tu festi vitatis nostræ principium, tu medium, tu finis, tu pretiosa cœlestis regni margarita, tu verè fons uberrimus totius sanctitatis, tu animarum altare, panis vitæ &c.* Gregorius Nazianzenus in Panegy-

1. Angelorum.

2. Sanctorum.

negyrico Cypriani f. m. 123. opp. de puella à Cypriano ad ſtuprum ſolicitata refert, quod *virginem Mariam rogaverit, ut periclitanti virgini opem ferret, jejuniiq́, & humicubationis pharmacum objecerit.* Mariæ jungunt alios *Sanctos, & Martyres.* Origenes hom. 3. in diverſos, horum, ait, *memoria, ſemper, ut dignum eſt, in Eccleſia celebratur.* Et in lament: *incipiam me genibus proſternere, & deprecari univerſos Sanctos, ut mihi, non audenti petere Deum propter nimietatem peccati, ſuccurrant. Sancti Dei! vos lacrymis & fletu pleno dolore deprecor, ut procidatis miſericordiis ejus pro me miſero* &c. Et lib. 2. in Job: *O beate Job, vivens in perpetuum apud Deum, & victor permanens in conſpectu regis Domini, ora pro nobis miſeris!* Cyprianus quoq; de ſtel. & mag. vult, ut Protomartyres &c. *Clementiam Dei pro noſtris exorent laboribus.* Allegante Coccio t. 1. opp. f. 486. 489. p. 531. Addit Euſebii Alex. orationem *pro ſanctis colendis,* Gregorius Nyſſenus in vita Thaumaturgi, allegante Baronio an. 254. §. 57. refert, quod Gregorius *apud omnes ubiq́ populos ſanxerit, ut nomine eorum, qui pro fide decertaſſent, dies feſti atq́ ſolennes conventus celebrarentur. Cumq́ alii in alium locum corpora Martyrum deduxiſſent, per anniverſarii circuli ambitum congregati lætabantur, in honorem Martyrum ferias agentes.* Idem Baronius anno 286. §. 13. ſeqq. ex actis Zoe refert, quod perſecutores *tollentes corpus ejus, grandi alligatum ſaxo in Tiberim demerſerint, dicentes, ne Chriſtiani corpus ejus tollant, & faciant eam ſibi Deam:* Quibus ipſe §. 14. ſubjungit: *Ex iis quidem apparet, non latuiſſe Ethnicos, ſolitos eſſe Chriſtianos religioſo cultu proſequi Sanctorum memorias.* Simul apparet *reliquiis* quoque honorem exhibuiſſe fideles. Exemplo rem confirmare vult Baronius an. 261. §. 34. ex actis Cypriani Martyris à Pontio Diacono deſcriptis. Cum enim capite jamjam truncandus eſſet, *fratres flentes linteamina & oraria ante eum ponebant, ne Sanctus cruor defluens abſorberetur à terra:* verba ſunt Actorum, quibus Baronius de ſuo addit: *Tanti enim faciebant fideles ſacras reliquias Martyrum, ut ſudoris, ſi poſſent, guttas haurirent, & ſtillas ſanguinis, etiam perſecutore vidente, & invidente, atq́ exſerto gladio minitante, qualibet arte ſuſciperent, atq́ reconderent.* Hæc ille. (3.) *Imaginum.* Quorſum referri poſſet imago Chriſti Salvatoris ab Hæmorrhouſa Cæſareæ erecta. Qua occaſione meminit etiam *Petri & Pauli, & Chriſti imaginum* aliarum: *quod majores* (3.) Imaginum.

nostri ad gentilis consuetudinis similitudinem quam proxime accedentes, eos, qui tanquam Servatores illis fuissent.i. e. qui illis aliquid salutis & subsidii attulissent, apud se honore ad hunc modum afficere consueverant: uti loquitur Eusebius lib. VII. hist. c. 15. Allegatur hoc testimonium à Coccio t. 1. Thes. f. 552. postquam aliud ex Methodio præmisisset, ex oratione. II. de res. *Protinus ergo, quæ sunt hic regum imagines, quamvis non ex pretiosa auri argentive materia consistant, ob omnibus tamen honorantur. &c. quas quidem ex auro imagines conflamus, Angelorum ipsius principatus, & potestates referentes, eas ad honorem & gloriam Dei conficimus.* Hactenus Papistarum argumenta.

§. 14. Ad singula ordine respondemus. Et quidem ad

R. ad. (1.) (1.) dist. inter Rhetoricam Angelorum προσφώνησιν, quales in homiliis frequentes sunt, & religiosam compellatorum invocationem: istud concedimus fecisse Origenem, hoc vero negamus. *Omnia enim vota, omnes interpellationes, deprecationes, & gratiarum actiones destinandæ sunt ad Deum rerum omnium Dominum, per majorem omnibus Angelis summum Pontificem, vivum verbum, & Deum:* ait genuinus *Origenes* allegatus supra art. III. Sect. 3. §. 46. p. 711. Confirmatur à Lactantio lib. IV. instit. c. 8. Et lib. II. c. 16. ubi inter alia sic loquitur: *Deus neq; (nomine) cum solus sit, eget; neq; Angeli, cum sint immortales, dici se Deos aut patiuntur, aut volunt, quorum unum solumq; officium est, servire nutibus Dei, nec omnino quicquam, nisi jussu ejus, facere. Sic enim mundum regi à Deo dicimus, ut à rectore provinciam; cujus apparitores nemo socios esse in regenda provincia dixerit, quamvis illorum ministerio res geratur. Et hi tamen possunt aliquid præter jussa rectoris, per ipsius ignorantiam, quæ est conditionis humanæ. Ille autem præses mundi, & rector universi, qui scit omnia, cujus divinis oculis nihil septum est, solus habet rerum omnium cum Filio suo potestatem: nec est in Angelis quicquam, nisi parendi necessitas. Itaq;* NULLUM SIBI HONOREM TRIBUI VOLUNT, *quorum* OMNIS *honor in Deo est.* Hæc ille. Ex quibus patet, quod Coccius frustra invocationem & cultum Angelorum ex Origene probare, &

Ad. 2. Seculo huic tribuere allaborarit. Ad (2.) R. *Methodii* testimonium esse suppotititium: Neque enim ipse Bellarminus de script. Eccles. §. 285. agnoscit pro genuinis Methodii scriptis, nisi librum de resurrectione adversus Origenem, & fragmenta apud

Photium,

Photium, quæ ſunt: Expoſitio quorundam dictorum Apoſtolicorum, de creaturis, de libero arbitrio, de caſtitate; Hæc genuina à Bellarmino cenſentur; ſed libellus revelationum ſuppoſititius ab eodem judicatur. Sed eſto genuinum: neque tamen probat cultum Mariæ religioſum. Nam auctor extollit ſolam Virginis hujus præſtantiam extrinſecam, quæ propriè erat Filii ipſius, cujus ipſa mater extiterat: Non autem invocat ipſam, niſi dicere velimus, Rhetoras, vel Oratores invocare eos omnes, quorum laudes variis floſculis exornant. *Gregorii Nazianzeni* teſtimonium majorem habet ſpeciem: diſertè enim dicit, virginem iſtam imploraſſe, & impetraſſe opem B. Virginis: Cæterum illuſtre hîc habemus exemplum, quibus mediis cultus ſanctorum fuerit ſenſim ſenſimq; introductus. Nazianzenus enim narrationem iſtam deſumpſit ex quodam ſuppoſititio libro, de pœnitentia Cypriani, quem putabat ab ipſo Cypriano eſſe conſcriptum; Gelaſius autem doctiſſimus Romanorum Epiſcopus in concilio Romano adulterinum iſtum fœtum proſcripſit. *diſt. XV. Sancta Romana.* vide Chemnit. part. III. Exam. C. T. pag. m. 331. *Origenis* teſtimonia quod concernit, & quidem primum, nobis non obeſt. Memoriam enim puerorum innocentum, de quibus ipſe loquitur, & nos celebramus, *ut dignum eſt,* quo modo ſi celebraverint Papiſtæ, nos non habebunt adverſarios; reliqua duo teſtimonia *è lamentis, & Jobo* petita, ſpurios habent natales; Neque enim iſti libri Origenem parentem agnoſcunt, judicibus Eraſmo, & Bellarmino de ſcript. §. 226. Chemnit. part. III. exam. p. 323. Ejusdem farinæ eſt teſtimonium ex *Euſebio Alexandrino* productum. Euſebius Cæſareenſis, & Nicephorus Chronologus texuere Catalogum Epiſcoporum Alexandrinorum, etiam Seculi III. ſed nullius meminere Euſebii: Sicut nec Petrus de Natalibus in ſucceſſionibus Epiſcoporum; ſed nec Baronius in annalibus; quare viderint Turrianus, &, ex hoc deceptus, Coccius, unde fidem concilient ſuo Euſebio. *Gregorio Nyſſeno* non refragamur in feſtis Martyrum; Nec enim negamus memoriam ipſorum, quoad dignum eſt, celebrandam eſſe: Negamus autem ideo eſſe celebranda feſta, ut religioſo ipſos cultu proſequamur, ipſorum interceſſiones apud Deum procuremus, & impetremus, & quicquam mereamur. Quo fine

à Pontificiis festa ista celebrantur. Diffiteri tamen nolumus, Gregorium etiam Nyssenum inter eos fuisse, qui panegyricis suis declamationibus invocationem & cultum Sanctorum in Ecclesiam hactenus puram invehere cœperunt, & propterea etiam veteribus quædam sibi congrua affinxerunt, ut Nazianzeni exemplo paulo ante ostendimus. *Acta Sebastiani* & sociorum, unde Baronius de Zoe allegavit, non examinabimus jam, genuina, an supposititia sint? quia testimonium inde productum nobis non officit. Etsi enim gentiles veriti fuerint, ne Christiani Zoen facerent Deam, non tamen id ipsum Christiani vel cogitarunt, vel tentarunt, sæpe quis alium ex suo ipsius genio æstimat, sed decipitur turpiter. Cum Polycarpus martyrio sublatus esset, verebantur Judæi, ne Deum ipsum Christiani facturi essent, & propterea Præsidem rogabant, *ne corpus ejus cuiquam daret, ne Christiani crucifixo illo derelicto hunc venerari inciperent*; Sed regesserunt Christiani, hoc vero metuendum non esse ab iis, qui unum solum Deum colerent. Verba ipsorum allegavimus supra Seculo II. art. III. §. 68. p. 292. *Reliquias* martyrum solicitè curaverint, & asservaverint hujus seculi fideles, ut ex *actis Cypriani* refert Baronius, quid inde? volumus & nos exuvias hominum pie defunctorum honorificè haberi; sed nullum ipsis supernaturalem vim tribuimus, aut cultum religiosum, quod nec fideles seculi tertii fecerunt.

Ad (3.) Ad (3.) R. Eusebium quidem referre de ista statua, sed dubitanter: εἰκόνα τοῦ Ἰησοῦ φέρειν ἔλεγον, *dixerunt imaginem ferre Jesu*; addit alia, quæ rem satis suspectam reddunt; sint autem omnia certa & vera, quæ scribit, nobis tamen non præjudicant. Nec enim dicit, statuam istam propterea ab ullo hominum fuisse cultam. vide Simonis Episcopii Respons. ad duas Wadingi Jesuitæ epistolas. p. 206. & 207. Dn. D. Dannh. Christeid. p. 801. *Methodii* testimonium ex lib. II. de resurrectione unde acceperit Coccius, dicere debuisset. Evolvi fragmenta apud Epiphanium hæres. 64. qui prolixè adducit, & Photium in Myriobiblo, qui & ipse ex libro de resurrectione quædam in compendio recitat, sed neque libri, vel orationis secundæ, neque hujus loci ulla vestigia deprehendere potui: Ad quos tamen duos, Epiphanium puto & Photium, Bellarminus de script. §. 285. remittit lectores, de resurre-

ctione

ctione adversus Origenem libri. Etiam Hieronymus in catalogo unius tantum operis de resurrectione mentionem facit. Neque erant res Christianorum eo tum loco, cum Methodius hæc scripsisse dicitur, ut ex auro & argento imagines conficerent. Vixit enim sub dirissimo tyranno Diocletiano. Sed nec sequitur; imagines in honorem Dei positæ erant, E. adorandæ. Etiam templa exstruimus in honorem Dei, neque tamen propterea eas ipsas structuras adoramus.

§. 15. III. In *Christologia* derogatur (1.) *Officio* Christi à Pontificiis. Est enim officii Christi mereri & intercedere pro hominibus, quod ipsum Pontificii analogia quadam attributionis, quam vocant, intrinsecæ, Angelis & Sanctis suis tribuunt. Ut autem speciem habeat factum, ex antiquitate folia conquirunt ficulnea. I. *Pro Angelorum* intercessione ex Origenis lib. VIII. adv. Cels. (Angeli,) *una nobiscum precantur, ut, quotquot eum colimus, audeamus dicere, hominibus bonæ voluntatis precantibus ultro sese adjungere innumera Sanctorum Angelorum millia, & intercedere pro mortali nostro genere, & (ut ita loquar) laborare nobiscum in hoc certamine &c.* Et in Lament: *Obsecrat te, Domine, omnis Angelorum chorus propter me, qui pristina consummavi, ut miserearis super ovem, quæ erravit.* Quem locum allegat Cocc. tom. I. Thes. lib. IV. art. IV. II. Pro *Sanctorum* suffragiis & intercessionibus lauant testimonia Origenis, qui homil. 26. in Num. scribat: *Quis dubitat, quod Sancti quiq; Patrum & orationibus nos juvent, &c.* Hom. XVI. in Jos. *Ego sic arbitror, quod omnes illi, qui dormierunt ante nos, Patres, pugnent nobiscum, & adjuvent nos orationibus suis &c.* Confer ejusdem Homil. 3. in Cant. In divers. Lib. VIII. contr. Cels. citante Coccio libr. V. art. 4. Addi potest, quod de Potaminæa Martyre refert Euseb. lib. VI. hist. Eccles. c. 4. Nam cuidam Basilidi dixisse narrat, *se, simul abiret, è vita, à Domino suo veniam & gratiam pro eo efflagitaturam, & non diu post ejus in se merita justa remuneratione compensaturam.* Id quod & factum. Sic enim porro narrat Eusebius, quod Basilides ad supplicium raptus, asseruerit; *Potaminæam, triduo post martyrium noctu ei adsistentem, coronam ipsius capiti imposuisse, dixisseq;, se pro eo gratiam à Domino postulasse, postulatam obtinuisse, & Dominum non longo tempore post eum ad suam gloriam recepturum.* Hæc

III. *Christol.* contra Christi (1.) officium.

1. pro Angelis.

2. Sanctis.

ille. Bellarminus lib. I. de Beat. Sanctor. c. 18. & Pamel in not. producunt Cyprianum lib. I. ep. I. ita scribentem: *Si quis hinc nostrum prior divinæ dignitatis celeritate præcesserit, perseveret apud Deum dilectio nostra pro fratribus, & pro sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio.* Pamelius not. ad Cypr. epist. 13. (lib. III. ep. 17.) ex verbis: *prærogativa eorum* (Martyrum) *apud Deum* (lapsi) *adjuvari possunt*: ita colligit: *quantum tribuat Cyprianus Martyrum libellis pro lapsis facile perspicit, qui legerit locum.* Sed verba ista Cypriano videntur fuisse assuta à Morelio, & Manutio; *Neq; enim in cæteris excusis, neq; in MS. exemplaribus reperire locum* se potuisse fatetur ipse Pameli⁹. Coccius jungit Eusebium Alexandrinū, qui in oratione de Sanctis colendis inter alia dixerit: *Ob hanc caussam præcepit nobis celebrare memorias Sanctorum, ut acceptis hymnis, & auditis laudibus, benignum Deum exorent, ut preces nostras caducas admittat.* Et quia à nobis objici solet defectus notitiæ rerum nostrarum, quo laborent Sancti, ideoque Coccius adducit loca, quibus confirmare vult: *Sanctos in cœlo triumphantes, & divini Spiritus lumine collustratos, nulla locorum intercapedine impediri, quo minus absentia cognoscant, & nostra vota percipiant:* Adducit autem art. 8. Clementis Alex. è lib. VI. strom. locum, quo dicit, *animas, quæ sunt liberæ à corporibus, purius perspicere &c. eo quod non amplius se iis opponat, & eos impediat caruncula.* Et Origenis lib. 2. de princ. c. 12. suffragium: *cum ad cœlestia loca pervenerint Sancti, tum jam rationem astrorum per singula pervidebunt; &, sive animantia sint, sive quidquid illud est, comprehendent. Sed & alias rationes operum Dei, quas eis ipse revelabit, intelligent.* Et lib. VIII. advers. Cels. *si* (Deus) *vult præter hunc placari etiam alios, cogitet, quod sicut moto corpore umbra quoq; ipsius movetur, ita cum aliquis Deum habet propitium, sequitur, ut amicos habeat omnes ejus Angelos, animas & Spiritus. Sentiunt enim, qui sunt digni favore cœlestis Numinis, quibus non solum ipsi bene volunt, verum etiam dant operam, ut Deum ei servire volentibus concilient, & una nobiscum precantur.* Hactenus illi.

§. 16. Præcipua hæc sunt argumenta, quæ ab adversariis hinc inde solent allegari, breviter discutienda. ℞. ad (1.) locus iste caussam Pontificiam non juvat, nec nostram destruit. Id quod altius repetendum. Celsus Origenis adversarius objecerat,

℞. ad. I.

rat, non displicere Deo, si præter ipsum etiam dæmones ipso inferiores colantur, ut caussam hominum agant apud Deum, veluti mediatores inter Deum & homines, & Dei amici, quale quid in humana quoque vita fieri soleat: His respondit Origenes, *Deo omnibus præsidenti per unigenitum ipsius Filium supplices vota offerimus, cui supplicamus, quandoquidem ipse nostrorum sit delictorum placatio, ut tanquam Pontifex nostras offerat Deo preces.* Hæc ille & plura alia in hanc sententiam, confer dicta superius art. III. Sect. 3. §. 46. Postquam autem isthæc dixisset Origenes, subdit, quod frustraneum sit intercessores sibi conciliare & placare, ut per hos ad Deum pateat aditus: Quisquis enim Deum habeat placatum per unicum Mediatorem Jesum Christum, ei hoc ipso conciliatos quoque esse Angelos, & Sanctos beatos, verba Patris sunt hæc: *Licet plena sit hæc vita exemplorum, quod primum potentiores placentur, & secundum hos reges, unus tamen nobis placandus est Deus, &, ut propitius sit, exoptandum, qui utiq; & pietate, & virtute placatur. Quod si quos alios velit præter Deum omnipotentem placatum iri, Celsus intelligat, sicut corpus hoc, cum movetur, & umbram habet se subsequentem; sic item, & qui summum Deum placarit, & illius amicos propitios ut habeat, sequitur, Angelos scilicet, animasq;, & Spiritus cæteros beatiores, quippe qui simul sentiant, quinam Dei sint benignitatem promeriti, Nec solum se hi erga digniores quosq; propitios reddunt, sed & Deo gratificari volentibus opitulantur, hisq; & placatiorem hunc faciunt, unaq; & supplicant, & precantur, ita ut affirmare id ausim, vel hominibus ultro, quæ potiora sunt, animo destinantibus, Deoq; supplicantibus, potestates illas innumeras, nec vocatas quidem, ultro Deum una comprecari, generiq; nostro adesse.* Hactenus Origenes. Integrum adscribere locum voluimus, ut appareret (1.) Origenem loqui *conditionatè*, & ad hominem: *Si quos alios velit*: &c. nempe Celsus, qui pro intermediis intercessoribus pugnabat: jam vero conditionalis nihil ponit in esse. (2.) dubitativè, si omnino absolutè locutum esse concedamus, & ex privata sua sententia, dicit enim: *affirmare id ausim*; quod nemo dixerit de sententia omnino certa, vel publica: Nemo dicit: affirmare ausim esse Deum, unum &c. hoc enim non *audemus*, sed *debemus*, idque palam dicere: (3.) adversus *Pontificios*. Posito enim Angelos pro nobis orare, non tamen vult ipsos invocari.

§. 17.

℞. ad 2. §. 17. Ad. 2. ℞. Videtur locus ab aliis, & forsan à Ruffino, celebri Origenis interpolatore, corruptus esse. Si enim conferimus homil. 3. in Jos. Origenis, deprehendimus, quomodo à defunctis & Sanctis nos juvari existimarit, nempe *sermonibus suæ lectionis*: de oratione pro nobis, vel intercessione ne γρῦ quidem habet, ubi tamen ex professo de cura mortuorum erga vivos disputat. Quare cum in Num. XXVI. legitur: *Quis dubitat, quod Sancti quiq; Patrum & orationibus nos juvent, & gestorum suorum confirment atq; hortentur exemplis*: haud obscure apparet, verba: *orationibus nos juvent*, esse infarcta à mangone aliquo: Qui enim genuinus Origenes tam turpiter sibi contradixerit, cum eadem homilia. 3. in Josuam, negat disertè, mortuos *in auxilium nostrum venire*? vide Joh. Dallæ. de suppos. Dionys. & Ignat. lib. II. c. 44. p. 498. seqq. Sit autem genuinus locus, nihilominus inde plus non conficitur, quam Sanctos *in genere* pro vivis orare, quod non omnes nostratium prorsus negant. Potaminææ historia, sive mavis fabula, ex illis est, quibus ipse Eusebius fidem non adeo certam deferre voluit, aut potuit; addit enim: ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὧδε ἐχέτω: *sed hæc quidem ita se habeant*: qua formula utuntur, cum fidem penes auctorem relinquunt. vide Chemnit. part. III. exam. p. m. 325. Ad locum objectum è Cypriano post Goulartium annot. ad Pamel. Cypr. ep. 57. respondit B. Dn. D. Dannh. Christeid. p. 1007. 1008. Eusebium Alexandrinum esse ὑποβολιμαῖον jam ostendimus. Clemens Alex. & Origenes purius animas cognoscere quidem dicunt, sed propterea res nostras sublunares, & quidem in *individuo*, nosse, id non dicunt. Ad locum ex Orig. l. 8. contr. Cels. jam responsum est.

(II.) *Status* 1. Exinanitionis: §. 18. (II.) *Statibus*, & quidem (1.) *Exinanitionis*: producit Coccius t. 1. Thes. art. 3. lib. 2. testimonium Clementis Alex. lib. 1. pæd. c. 6. quod sic sonat: *Sapientes ergo rogemus, Christus hodie regeneratus, jamne est perfectus, an, quod est absurdissimum, ei aliquid deest? Sed si ita est, ut aliquid disceret, opus fuit, sed eum, cum Deus esset, nihil didicisse fuit consentaneum. Neq; enim quis verbo major fuerit: sed neq; Magister ac Doctor est ejus, qui solus est Magister.* Hinc videtur sequi, quod Christus *omnia noverit, nec ulla ignorantia laboraverit*, ut habet inscriptio articuli. (2.) *Exaltationis*, ad quem re-

2. Exaltationis.

ferri

ferri poteſt *deſcenſus ad inferos.* Statuunt Pontificii, Chriſtum in limbum Patrum deſcendiſſe, eosdemque exinde revocaſſe: id Bellarminus lib. 4. de Chriſt. c. 14. probare voluit ex Origenis hom. XV. in Geneſ. Dicit enim ideo deſcendiſſe, *ut Protoplaſtum revocaret.* Item ex lib. 2. adverſ. Celſ. & lib. 5. in epiſt. ad Rom. ℞. ad (1.) loquuntur verba de Chriſto qua *Deo,* & *verbo,* quo reſpectu & nos negamus, Chriſtum quicquam ignoraſſe. ℞. ad (2.) Origenis ſententia Papiſtis adverſatur. Dicit enim iſte, quod *unigenitus filius pro ſalute mundi uſq; ad inferna deſcenderit, & inde protoplaſtum reuocaverit,* quod Papiſtæ negant. Nec enim per ipſos ex *inferno* datur redemptio; neque Patres V. Teſtamenti fuerunt in *inferno,* ſed in *limbo.* Origenis ſententia etiam dæmones ex inferno liberabuntur, ut & impii damnati, an Pontificiis conſentientibus? Vid. Cham. tom. II. lib. 5. c. 9. §. 13. & 14. Chemnit. part. 3. Exam. p. m. 151.

§. 19. IV. *Angelorum* certos ordines conſtituunt Pontificii, ſed curioſius, nullo ſcripturæ fundamento nixi. Jodocus Coccius t. t. 1. Theſ. lib. IV. art. 2. ſtatum controverſiæ ita format: *Cœleſtes Spiritus in certos ordines ſeu choros eſſe diſtinctos, ac alios aliis præeſſe & præferri*: ſubjungit: *Negant* Johannes Calvinus, Eraſmus Sarcerius, Magdeburgenſes, Hermannus Hamelmannus: utque affirmativam obtineat ipſe provocat ad auctoritatem Patrum, nominatim *Clementis Alexandrini* lib. 7. ſtrom. qui dicit, Angelos *eſſe per gentes diſtributos*: & cap. 3. 1. Pet. ubi numerat primum Angelorum, ſecundum & tertium ordinem: *Hippolyti,* qui de conſum. ſec. meminerit Angelorum, Thronorum, Poteſtatum, Principatuum, Dominationum, Cherubim, & Seraphim; *Origenis* ſententia, inter Angelos ſunt ordines, nempe Throni, Dominationes, Poteſtates, Principatus. Juxta *Methodium* Deus diſtribuit Angelos in Principatus, Thronos, Poteſtates, Cherubim, Angelos. Sed hæc omnia extra oleas vagantur; Quis enim noſtrum negat, dari Angelorum ordines? Nemo. Sed hoc negamus; Angelos in totidem Choros, quot Papiſtæ dicunt, & eo modo eſſe diſtinctos, quo ex Dionyſio ſuo Areopagita, & aliis, ipſi deducere allaborant. IV. Angelorum.

§. 20. V. *Anthropologiæ* copioſiſſima ſeges eſt objectionum Pontificiarum, ut facile confuſionem pareret, niſi iterum diſtinctè proponeremus. Diſtinguamus autem juxta ſtatus V. Anthropol. Status

(1.) Institutionis

(1.) *institutionis*: in hoc fuisse hominem imagine Dei præditum supernaturali, ostendere vult Coccius tom. II. Thes. lib. 1. art. 3. ex Origenis libro 2. in Job. ubi dicitur anima *ad imaginem Dei creata, & incorruptibili sapientia imbuta &c.* fuisse: Homilia 9. Lev. & tract. 24. in Matth. quibus in locis legitur homo creatus esse *ad vitam & gaudium*: ex Methodio serm. de resur. qui ait: *opus Dei homo. Quidquid vero ab immortalitate factum est, immortale est. Immortalis igitur est homo, &c.* Sed hæc eodem, quo priora, vitio laborant. Neque enim Lutherus, quem Coccius refutare voluit, negavit, hominem ad imaginem Dei, sapientia, immortalitate, gaudio &c. esse creatum; sed hoc negavit, justitiam illam *connaturalem* non fuisse, adversus scholasticos, qui supernaturale donum extitisse contendebant. Cedo autem ullum ex allegatis testimoniis, quod dicat, imaginem hominis fuisse supernaturalem?

(2.) *Destitutionis* de liberi arbitrii viribus.

§. 21. (2.) *Destitutionis*. Negant Pontificii 1. *liberum arbitrium* in rebus divinis esse amissum: Producunt Clementem Alex. lib. 1. strom. qui ait: *nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia justa sunt, si anima non habeat liberam potestatem, & appetendi & aggrediendi, sed sit vitium involuntarium &c.* lib. V. ubi dicit, quod *sapientia adhortetur nostrum liberum arbitrium.* lib. VII. quod sit homini *liberum eligendi principium*: Origenem, hom. XII. in Num. *erubescant, qui negant in homine esse liberum arbitrium. Quomodo posceret ab homine Deus, nisi haberet homo in sua potestate, quod poscenti Deo deberet offerre.* Hom. XX. *sui arbitrii est anima &c.* In Ezech. hom. 1. *Deus mortem non fecit, nec malitiam operatus est, liberum arbitrium, & homini, & Angelo ad universa permisit.* In proœm. lib. 1. περ. ἀρχ. *Est & illud definitum in Ecclesiastica prædicatione, omnem animam rationabilem esse liberi arbitrii & voluntatis &c.* lib. 2. advers. Cels. *Non dicimus præcognitorem adimere possibilitatem, ut vel fiat, vel non &c.* Hæc loca allegavit Coccius tom. 2. Thesaur. lib. 1. art. 5. Bellarminus lib. V. de libr. arbitr. c. 25. aliquot alia profert è Clementis lib. 1. Origenis comm. ad c. XIII. Matth. lib. III. de princ. c. 1. præfat. in epist. ad Rom. Hom. XII. in

℞. gen.

Num. ℞. (1.) in genere: Dist. inter liberum à coactione & à necessitate seu servitute: concedimus enim ipsimet liberum esse arbitrium à coactione; etsi non à necessitate seu servitute: deinde inter statum ante, & post lapsum: nec enim de isto est quæstio, sed de

hoc;

hoc; inter bona & mala; de istis quæstio est, non de his: inter statum lapsus, & restitutionis: denique inter ipsum arbitrium, & ejusdem vires; de his, non isto controvertitur. (2.) *In specie* ad 1. Spec. 1.
Clemens loquitur de libertate à coactione, quod Deus hominem non coegerit ad peccandum, aut adhuc cogat: *unde qui prohibuit* (libertatem, cogendo scil. hominem ad peccandum) *quidem caussa est; qui autem non prohibuit, animæ electionem justè judicat, ut vel maxime quidem Deus nobis non sit caussa vitii. Quoniam autem libera electio & appetitio peccata primum inchoat, falsa autem nonnunquam dominetur opinio, à qua cum sit ignorantia, & inscitia, recedere negligimus, jure infliguntur supplicia.* Sic idem verbis supra objectis immediate subjungit, unde apparet quod Clemens loquatur de ea libertate, quam homo habet in rebus malis, Deo ipsum non cogente, vel impellente ad peccandum; id quod & nos credimus, & docemus. Ad (2.) Sapientia quidem divina 2.
adhortatur liberum nostrum arbitrium, sed arbitrium tamen nostrum non illico vel potest, vel facit, quod illa hortatur; si autem illud vel potest, vel vult, & facit, jam regenitum est. Ad (3.) libe- 3.
rum arbitrium hominis itidem regeniti intelligitur, quia *effecit, ut ea ad virtutem opem ferrent,* quod fit in statu restitutionis, de quo quæstio nobis non est. Ad (4.) Eadem responsio quadrat. Loquitur 4.
enim Deus cum Israelitis in verbis, quæ explicat Origenes: *Et nunc Israel, quid Dominus Deus poscit abs te?* Iam vero Israelitæ aut regeniti jam erant, aut habebant media, nempe Verbum & Sacramenta, quibus poterant renasci, & habiles fieri observandis Dei mandatis.
Ad (5.) loquitur Origenes de hominibus media conversionis, & pœ- 5.
nitentiæ, & pietatis habentibus; imprimis Angelos à Deo homini deputatos; quod justum sit istorum judicium, si noluerint parere, præditi libertate arbitrii: *& ideo justum Dei judicium est, quia sponte sua sive bonis, sive malis monitoribus parent.* At hoc ipsum & nos dicimus, hominem, gratia Dei præventum, habere liberum arbitrium vel admittendi ulteriorem gratiam, vel respuendi: & si respuat, sponte, non coactum à Deo, respuere. Ad (6.) Sermo est Orige- 6.
ni de creatione, & statu integritatis, in quo utique homo, sicut & Angeli, libertate arbitrii fuerunt præditi: Deinde etiam de statu renovationis, in quo cum timore & tremore salutem suam operari potest. Ad (7.) animam rationalem esse libero arbitrio præditam, 7.

in civilibus puto, nemo negat: in spiritualibus quoque, sed regenita; de quo statu Origenes loquitur; in quo animæ *certamen est adversus diabolum & angelos ejus, contrariasq; virtutes, ex eo, quod illi peccatis eam onerare contendant: nos vero, si recte, consulteq; vivamus, nos ab ejusmodi exuere conemur.* Sic ille sese verbis statim adjunctis explicat.
8. Ad (8.) denuo elenchi ignorantiam committit adversarius. Nec enim nos dicimus, præscientiam DEI tollere arbitrii libertatem, quod ille dicebat, quo cum Origeni res erat: *Celsus putat, quod aliquis præscius prædixit, ideo fieri, quia prædictum est; nos vero hoc non concedentes dicimus non prædictorum caussam esse futuri, sed futurum illud, quod omnino venturum erat, etiam nemine prædicente, præcognitori caussam prædicenti præbuisse.* Illos igitur hæc objectio ferit, qui putant fato omnia & absoluta necessitate fieri, quia præscita divinitus, & prædicta sunt: à qua hæresi nos abhorremus. Quæ Bellarminus allegavit, ejusdem cum præcedentibus farinæ sunt, quare iisdem responsis possunt dilui.

De Mariæ ἀναμαρτησίᾳ.

§. 22. (2.) Mariam à peccato fuisse immunem probaturiunt Papistæ ex Origenis homil. 1. in diverf. *Mater ejus* (Christi) *mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta &c. quæ neq; persuasione serpentis decepta est, neq; ejus affatibus venenosis infecta*; ex homil. 8. in Luc. *Quid habebat mater Salvatoris humile, & abjectum, quæ Dei Filium gestabat in utero? &c.* Ex Gregorii Thaumat. homil. in annunc. B. Mariæ: *Maria sic gratia plena dicitur, quod in illa virgine totius gratiæ thesaurus reconderetur, quæ sola ex omnibus generationibus sancto corpore, & spiritu fuerit &c.* Ex Cypr. de nativ. Christi: *Spiritu sancto obumbrante incendium originale extinctum est, ideoq; innoxiam affligi non decuit, nec sustinebat justitia, ut illud vas electionis communibus lassaretur injuriis, quoniam plurimum differens, naturam communicabat non culpam &c.* Hactenus testimonia Patrum collecta à Jod. Cocc. t. 1.
℞. ad 1. thes. lib. III. art. 1. ℞. ad (1.) Origenes (posito, sed non concesso, homilias istas esse ipsius auctoris) loquitur de incorrupta Mariæ virginitate, & non de immunitate ab omni peccato. Sub peccatum enim concludit *omnes* homines, excepto Christo, adeoq; & Mariam
2. virginem, lib. V. in cap. 5. ad Rom. Ad (2.) Mariam virginem pluribus virtutibus fuisse præditam in confesso est; sed cum his sta-
3. re potest etiam lues originalis. Ad (3.) Gregorii homilia de annuncia-

nunciatione Mariæ à Bell. de script. Eccles. §. 233. in incerto relinquitur, Gregorii sit, necne. Sit vero certa & genuina homilia, non tamen ipsa Mariæ immunitatem tribuit ab omni peccato, etsi in peccatis Messiam concepisse neget. Fuit igitur intemerata secundum quid, non absolute. Ad (4.) ℞. Oratio de nativitate Christi extat inter sermones de operibus cardinalibus Christi, qui Bellarmino *non videntur esse Cypriani.* Sint autem Cypriani; vel alius alicujus gravis auctoris, Mariæ tamen non patrocinatur testimonium adductum, nisi in conceptione, & nativitate Christi, quod sine peccato contigerit, secus ac alii homines in peccatis concipiuntur, & nascuntur, & matres ipsorum peccatis sese polluunt. Lutherani canimus: **Sein Mutter ist die reine Magd / die ohn ein Mann gebohren hat:** neque tamen immaculatam Mariæ conceptionem credimus.

§. 23. (5.) Peccata quædam sua natura esse venialia probare allaborant ex Origene homil. XIV. in Levit. qui inter alia dicit: *Absolvitur peccatum per pœnam mortis, nec superest aliquid, quod pro hoc crimine judicij dies & pœna æterni ignis inveniat.* & homil. 35. in Luc. *unusquisq;*, ait, *pro qualitate, & quantitate peccati diversam mulctæ sententiam expendit.* Tertull. c. 2. de pudicit. suffragatur, scribens: *Causas pœnitentiæ delicta condicimus. Hæc dividimus in duos exitus. Alia erunt remissibilia, alia irremissibilia; secundum quod nemini dubium est, alia castigationem mereri, alia damnationem. Omne delictum aut venia expungit, aut pœna: venia, ex castigatione; pœna, ex damnatione.* Cyprianus de bon. pat. adulterium, ait, fraus, homicidium, mortale crimen est. & epist. 52. *Alia est Philosophorum & Stoicorum ratio, frater charissime, qui dicunt, omnia peccata paria esse, & virum gravem non facile flecti oportere. Inter Christianos autem & Philosophos plurimum distat.* Lactant. lib. 6. instit. c. 13. *Si mortalis conditio non patitur esse hominem ab omni macula purum, debent ergo largitione perpetua peccata carnis aboleri.* vide Coc. t. 2. Thes. lib. II. art. 3. ℞. *(1.) In genere:* Peccatum veniale est vel per se, vel ex accidenti, seu eventualiter tale: Quædam peccata remitti, extra dubium est: sed hoc fit non propter peccata in sese, sed propter meritum Christi fide apprehensum; in se omne peccatum meretur mortem. (2.) *In specie.* Ad 1. peccata peccatis esse graviora, extra controversiam est. Alia peccata morte solum tem-

De peccatis venialibus,

1. ℞, in genere.

in specie.

temporali affici, alia etiam æterna puniri, iterũ in confesso est. Hoc vero non ideo fit, ac si peccata, quorum gratia peccator mortẽ temporalem sustinet, non essent digna morte æterna; sed quia, qui sustinet, vera pœnitentiâ veniam peccati consequitur. Ad 2. Esse gradus & peccatorum, & pœnarum ultro largimur: Quasdam pœnas minuto, quasdam quadranti comparet, qui velit: dummodo maneat, manendum esse in inferno, donec vel novissimum quadrantem solveris, i. e. semper. Matth. v. 26. Ad 3. Tertullianus, cum librum de pudicitia scriberet, fermento Montanistico erat infectus: adeoq; mirum non est, quod mitius de peccatis judicarit. Neq; tamen nobis obstat. Nam *exitus* peccatorum, seu eventus, esse diversos, dum alia remittuntur, alia retinentur, ultro concedimus: *Merentur* (sano sensu) quædam peccata solam castigationem, nempe perpetrata ab hominibus vera adhuc fide præditis; quædam damnationem, ea scilicet, quæ fiunt ab irregenitis, & impœnitentibus. Ad 4. *Mortalia* esse ista peccata verum est; & meritoriè, & eventualiter; quia excutiunt spiritum sanctum; inde vero non sequitur, alia non esse mortalia. Peccata in Filium hominis, & in Spiritum sanctum commissa, gravissima sunt, potest tamen illud etiam remitti, & multis remittitur; qua ratione fit veniale per accidens. Ad 5. Peccata nos paria non facimus, quia alterum altero gravius esse docemus. Nec nefas est peccata secundum quid paria dicere, e. g. in eo tertio omnia peccata sunt paria, quod impingunt in legem Dei: neque propterea Stoicismi Spiritum sanctum, qui æquat ista, accusaveris. ℞. ad 6. Alia esse peccata infirmitatis, alia proæresis, nos una cum Lactantio profitemur: ista quoque remitti dicimus, quia persona peccans nihilominus manet in gratia Dei, peccata credenti remittentis.

Contra traducem.

§. 24. (4.) Traducem animæ oppugnant Papistæ ex Origene lib. 1. de princ. ubi scribit: *Hominis anima non cum corporibus facta, sed extrinsecus probatur inserta: quomodo alioqui Iohannes adhuc in ventre matris positus, repletus est Spiritu sancto.* Idem in epistola ad Titum (teste Eusebio in apologia pro Origene) scribit, *Ecclesiasticam regulam non tradere, quod anima ex semine traducis ducatur*: allegantur hæc testimonia à Sander. de visib. Monarch. lib. VII. f. m. 255. 257. sed imprudenter. Origenes enim, ad quem provocat,

vocat, hæreticus fuit, & reprehensus est ab Ecclesiæ præstantioribus doctoribus eam ipsam ob caussam, quod statuerit, animas extitisse antequam mundus crearetur, pænæque loco in corpora esse detrusas, velut in carceres. vide dicta sup. art. V. §. 10. sec. III. Etiamsi autem Ecclesiastica regula non tradat, animas ex traduce propagari, non tamen sequitur, ergo damnata est ea sententia ab Ecclesia. Conferat benevolus lector in ipso Coccio lib. II. art. 2. allegatum Origenis testimonium pro traduce animæ: *Quod si placet audire, quid etiam alii sancti de ista nativitate senserint, audi David dicentem: In iniquitatibus, inquit, conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea: ostendens, quod, quæcunq; anima in carne nascitur, iniquitatis & peccati sorde polluitur: & propterea dictum esse illud: quia nemo mundus à sorde, nec si unius diei sit vita ejus.* Hactenus Origenes hom. VIII. in Lev. Ecce dicit, *anima in carne nascitur*: quomodo *nascitur* sine traduce?

§. 25. (III.) *Restitutionis.* Utitur Deus (1.) *Ministerio*, cujus 1. *electio* & vocatio ordinariè fit ab Ecclesia tota. Peculiare aliquid habuisse Episcopatum Romanum Baronius an. 254. §. 44. asserit, *nimirum, quod divinum præcedere soleret judicium atq; suffragium, Deo, quem vellet eligi, signo aliquo admonente, Apostolico more.* In præcedentibus retulerat de electione Cornelii Episcopi Romani, *de Dei, & Christi ejus judicio*, scribente Cypriano ep. 52. R. (1.) esto, quod in electione Cornelii aliquid divinitus acciderit, id tamen non solius Ecclesiæ Romanæ privilegium fuit, sed & aliorum. Recordetur Baronius, quid an. 44. §. 75. ipse scripserit, de Timotheo, qui tamen Romanus Episcopus non fuerat, & quid subjunxerit: *Cujus quidem gratiæ nec Ecclesia postea expers fuit, quoties humana affectio cessavit, & gratia. Unde Johannes Chrysostomus*: Tunc quidem « nihil fiebat humanum: Sacerdotes enim ex prophetia veniebant, « & ita quidem, ut pridem fiebat, ita & nunc fiet etiam, quoties ab « humana passione alieni, hujusmodi electiones celebramus, cum « nihil omnino seculare, nihil temporale intuentes, neque ad gra- « tiam, neque ad odium facimus. Hactenus Chrysostomus à Baro- « nio laudatus. Patet hinc, non solis Episcopis Romanis, sed & aliis legitimè electis, Dei digitum favisse. (2.) Nondum videmus, quomodo signo aliquo admonente extraordinario, & Apostolico, Cornelius

(3.) *Restitutionis* 1. de *Ministerio* & ejus *electione.*

R. 1.

R. 2.

nelius electus sit Episcopus: *Factus est Episcopus de Dei & Christi ejus judicio; de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio*: Cypriano l. c. referente: quid hic factum, quod non in omnibus legitimis vocationibus & electionibus tum factum est? Dei & Christi judicio omnes illi fiunt Episcopi, quicunque legitimè eliguntur. Aut ostendat Baronius, Cornelium aliquo signo externo divinitus fuisse indigitatum.

2. Divisione. I. §. 26. 2. *Divisio*. Dividunt Pontificii Clerum suum I. *in septem ordines*. Et probaturiunt ex quadam Cornelii epistola ad Fabium Antiochenum; In hac enim meminit Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acoluthorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum: apud Euseb. lib. VI. hist. c. 35. Nec non ex epistolis Cypriani, in quibus mentionem faciat non modo Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, sed etiam Subdiaconorum, Lectorum, Acoluthorum, Exorcistarum &c. Confer dicta art. II. §. 12. p. 530. seqq. sup.
II. II. *Episcopos iterum in veros & titulares*. Pro his allegari posset exemplum Thaumaturgi, qui talis fuerit ordinatus, referente Gregorio Nysseno in orat.
III. de Gregor. Thaumat. apud Baron. an. 233. §. 13. Dicunt III. *Episcopatum & Presbyteratum esse distinctos duos ordines*, & probare volunt ex Clem. Alex. lib. VI. strom. qui laudat *progressiones Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum*. Hippolyt. in oratione de Antichristo: *Venite Pontifices, qui purè mihi sacrificium die nocteq; obtulistis, & preciosum corpus & sanguinem meum immolastis quotidie*. Ex Origene homil. 3. in Cantic. ubi Episcopi *trabibus* in æde sacra: Presbyteri autem *tignis* comparantur. Homil. VI. in Isai. extat: *qui vocatur ad Episcopatum, non ad principatum vocatur, sed ad ministerium Ecclesiæ totius*. Homil. VII. in Jer. *plus à me exigitur, quam à Diacono: plus à Diacono, quam à laico; qui vero totam Ecclesiæ arcem obtinet (Episcopus) pro omni Ecclesia reddet rationem*. Loca hæc citantur à Coccio tom. 1. Thes. lib. VII. art. 18. Adduntur pag. 916. alia testimonia, nempe præter Pontificum Romanorum, etiam Tertulliani, ex lib. de præscr. c. 2. ubi meminit distincte *Episcoporum, Diaconorum*, & aliorum: ut & c. 41. & imprimis c. 17. de baptism. verba allegavimus supra art. II. sec. III. §. 7. p. 524. Ex lib. adv. Psych. c. 3. ubi dicit, quod *Episcopi universæ*

versæ plebi jejunia mandare soleant. Sed & Cypriani ex epist. 27. ubi inter alia scribit, quod Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Ep. 54. ubi extollit *Episcopatus sui honorem grandem, & gloriam ejus.* De unit. Eccles. ubi invehitur in eos, *qui se Præpositos sine ulla ordinationis lege constituunt.* Hæc Coccius allegat, ut probet: *Episcopos singulos singulis provinciis præesse, à Presbyteris certis officiis, & dignitate differre, pluribus Episcopis unum præesse Archiepiscopum:* quæ articuli inscriptio est. IV. *Inter Episcopos esse summum aliquem, reliquorum, & totius Ecclesiæ caput, qui sit Pontifex Romanus,* plerique contendunt. Argumenta autem, quibus hoc probant, sunt multa & varia, quare prius ad præmissa respondebimus, quam hæc producamus. IV.

℞. ad (1.) Distincta fuisse quondam in Ecclesiis officia, dubium nullum est: necessitas enim & ordo crescentis indies, vel periclitantis, & laborantis Ecclesiæ varia servitia, & officia requirebat; Probandum igitur id fuisset, quod in quæstione est, nempe, an septenarius ordinum Pontificiorum, sicut hodie in Papatu in usu sunt, ab ipso Christo, vel ab Apostolis, sit institutus, & imperatus? Hoc vero nullo allegatorum testimonio probatur: Non Cornelii; nam nec septem ille facit ordines, sed octo; nec divinitus esse institutos, & distinctos ait: Nec Cypriani; qui in eandem sententiam de istis loquitur hincinde. vide quæ superius scripsimus art. II. §. 13. p. 531. seqq. Ad (2.) Baronium §. 14. ipsummet fateri, quod Phædimus *privato quodam Spiritus impulsu*, adeoque non ex sententia Ecclesiæ *Catholicæ, id fecerit*: imo, quod magis est, *non tantum nulla Ecclesiastica lege suffragante, sed & penitus refragante, nulloq; alio prævio majorum exemplo.* Fecerit vero ex more & jure Ecclesiæ Catholicæ, non tamen patrocinabitur hodiernis titularibus: Neque enim istæ post carrecta tutus latuit, sed Ecclesiam Cæsareensem sibi destinatam adiit, etsi crassa idololatria undique circumseptam & infestam, quod titulares hodierni è re sua minime putaverint. Ad (3.) ℞. Omnia ista testimonia laborant ignorantia Elenchi: Nec enim probant, Episcopatum & Presbyteratum esse duos de jure divino distinctos ordines: quod tamen in quæstione est; imò ne quidem id, quod Coccius in controversiæ statu posuit. *Clemens* dicit esse *progressiones* Episcoporum & Presbyterorum, sed quæ illæ, qua-

(Margin notes: ℞. ad 1. — ad 2. — ad 3.)

lis, quanta non dicit: *Hippolytus* (ponamus ipsum esse auctorem verborum) *Pontifices* dicit sacrificium & cœnam tractare; quid autem hoc ad distinctionem Episcoporum & Presbyterorum; Annon enim & Presbyteri idem faciebant? vide supra art. II. §. 15. *Origenes* trabibus comparat Episcopos, propter majora onera quæ sustinere coguntur præ tignis, i.e. Presbyteris. Bene idem dicit de Episcopatu, quod Principatus non sit: scribant verba Episcopi Pontificii in portis suarum aularum! Reddent rationem pro Ecclesia, cujus arcem obtinent. Tertullianum quoque frustra testem advocat: Dicit ille, quod nos non negamus, esse in Ecclesia Episcopos, Diaconos, Viduas, Virgines, Doctores, etiam Martyres. Sit *hodie Episcopus, cras alius, hodie Diaconus, qui erat Lector, hodie Presbyter, qui cras Laicus:* Quid, tum? igitur Episcopatus & Presbyteratus sunt duo jure divino distincti ordines? Bella profecto consequentia! Qualis & illa foret: Episcopi *jejunia mandant universæ plebi*, ergo jure divino distincti sunt à Presbyteris. Speciosius est, quod c. 17. de baptismo habet: Nam dicit distinctos esse ordines, etiam potestate. Sed nec hoc juvat Pontificios. Nec enim Tertullianus asserit, id discrimen esse ex jure divino. Etiam penes Euangelicos alicubi receptum est moribus, ut Superintendens baptizet, vel Pastor, non autem alius Presbyter, vel Diaconus, lege Ecclesiastica sic jubente. Quare nec Cypriani testimonium prodest, ex ep. 27. quo dicit, omnem actam Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernari: Non quod Presbyteri potestatem non habeant, sed quod more Ecclesiastico, exercitium primario sit penes Episcopum.

3. *Eminentia* potestatis. §. 27. Levia hæc sunt, si consideres ea, quæ pro eminentia unius super reliquos omnes Episcopi, nempe Romani, Pontificii moliuntur. Nos in compendium redigamus, quæ ipsi hinc inde frequentes, & sæpius scripta sunt. Redigi possunt ad duas classes, quarum prior continet dicta pro Pontificis auctoritate, posterior pro infallibilitate. I. *Auctoritatem* probaturiunt vel in genere, vel in specie; *In genere* ex dictis, quæ volunt, unum tantum Episcopum & Episcopatum, supremum scilicet esse debere: *Non ignoramus, unum DEUM esse, & unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum sanctum, unum* EPISCOPUM *in Ecclesia Catholica esse debere:* scribit Cornelius Episcop. Rom. ad Cyprianum

In genere.

epist.

epist. 46. & in libello de unit. Eccles. §. 4. docet idem : *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur.* Pleraque autem militant *in specie* pro primatu præsulis Romani, quem ex variis argumentis conficere allaborant (1.) *Ex origine primatus,* quam ad Christum & ejus vicarium Petrum referunt. Petrum ajunt à Christo Ecclesiæ fundamentum esse positum. Hunc enim *ædificandæ Ecclesiæ petram* Tertullianus lib d. præscr. c. 22. appellat. *Ecclesia super illum ædificata est* : idem perhibet d. monog. c.8. *Super te ædificabo Ecclesiam meam.* c.21. de pud. verba Christi ad Petrum applicat. Hippolytus in orat. de cons. mundi, eodem sensu vocat *Principem Petrum fidei petram, quem beatum judicavit Christus Deus noster, illum Doctorem Ecclesiæ, illum primum discipulorum, qui regni claves habuit &c.* Origenes hom. 3. in Exod. vocat *magnum Ecclesiæ fundamentum, & petram solidissimam, super quam Christus fundavit Ecclesiam* : & Psalm. 1. eum dicit, *super quem Christi Ecclesia, contra quam inferorum portæ non prævalebunt, ædificata est.* & in cap. VI. Rom. perhibet *super ipsum, velut super terram, fundatam esse Ecclesiam.* Eusebius quoque Alex. homil. de resur. *super tuam fidem* (ita Christum facit loquentem ad Petrum) *quæ sit petra, ædificabo Ecclesiam meam.* Græcè ita sonant : ἐπὶ τῇ πετρωμένῃ σου πίστει οἰκοδομήσω τὴν ἐκκλησίαν μου. Cypriani plurima loca hic militare videntur. Epist. 40. scribit : *Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata.* Epist. 55. idem scribit : *super Petrum ædificata à Domino fuerat Ecclesia.* Epist. 69. *loquitur Petrus, super quem ædificata fuerat Ecclesia.* Epist. 70. *una est Ecclesia à Christo Domino super Petrum origine unitatis & ratione fundata.* Eadem (ut compendium faciamus) legas epist. 71. 73. De unitate Eccles. Cathol. ubi omnium fusissimè Petri laudes canit Cyprianus. Item de exhort. ad Martyr. c.II. Zeno quoque Veronensis subscribit serm. de circumc. *Non sine ratione,* aiens, *Simoni, super quem ædificavit Ecclesiam Christus, Petrus nomen imposuit.* Et ne quis exciperet, privilegium hoc fuisse solius Petri, non autem Pontificum Romanorum, ideoque Pontificii conquirunt & ea testimonia, ubi hi istius successores dicuntur. Petrum Romæ fuisse, & docuisse, probare volunt è Clem. Alex. libris Hypotyposeων. dicit enim, *Petrum Romæ publicè verbum Dei prædicasse.* & ex Orig. lib. 3. in Gen. qui ibidem esse *crucifixum* scribit. Præsertim ex Cypriano,

& in specie (1.) ex origine.

Hhhhh 2 qui

qui de unit. Eccles. §. 4. *Cathedram Petri* Romæ collocat in successoribus Petri. Sufficiant hæc pro primo argumento.

§. 28. Antequam reliqua adjungamus, placet melioris ordinis gratia prius ab objecta respondere. Et quidem (1.) *in genere*: Cornelius vult in Ecclesia Romana unum debere esse Episcopum, non duos, idque scripsit adversus Novatianum Anti-Papam, quem factio sua Episcopum Romanum creaverat. Nec obstat vox: CATHOLICA: aliud enim est unum esse Ecclesiæ Catholicæ Episcopum; aliud est Catholicum, seu universalem esse Episcopum: Ecclesiæ Catholicæ Episcopi sunt omnes orthodoxi particularium Ecclesiarum Catholicarum Episcopi, qualis & Cornelius erat; sed nullus est Catholicus, i. e. Universalis, seu œcumenicus Episcopus: Particulares autem etiam Ecclesias dici *Catholicas* ostensum est supra art. III. sect. 5. §. 66. vide Goulart. not. ad l. c. Cypr. Salmas. de prim. Pap. p. 61. 85. Calixt. de comm. sub un. p. 229. D. Dannh. Christeid. p. 996. Idem urget Cyprianus per totam de unitate epistolam, ut August. contra Cresc. Gramm. l. 2. c. 33. appellat. Scripsit enim libellum istum adversus schisma Novatianum, quo unitas Ecclesiæ scissa erat. Cornelius tenebat jam Episcopatum Romanum, qui erat *pars* Episcopatus Ecclesiastici abstractivè considerati; Novatianus intrudebatur, & ipse Episcopus, sic, qui unus erat, geminus fiebat Episcopatus, i. e. unitas Ecclesiæ Romanæ dividebatur, quod Cypriano vehementer displicebat: cum singuli Ecclesiarum particularium Episcopi partem suam in SOLIDUM teneant, non divisam inter alios. Similis locus est epist. 69. ad Pupianum. Cum enim adversus Cyprianum Pseudoepiscopi nonnulli, Pupienus, & alii sese opponerent, indigne id ferebat Cyprianus, inter alia scribens: *Inde schismata & hæreses obortæ sunt, & oriuntur, dum Episcopus* (nempe ipse Cyprianus, cujus tum caussa agebatur) *qui unus est, & Ecclesiæ* (Carthaginensi puta, sicut Cornelius Romanæ) *præest, superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo* (se putat) *dignatione Dei honoratus indignus hominibus judicatur.* Urget Cyprianus unitatem Ecclesiæ, ut obtineat, unum debere esse Carthaginensium Episcopum, non plures: idem urgebat pro Cornelio Romanorum Episcopo, ut adeo æqualem sese ipsi hac in parte, non inferiorem fecerit: Si unus in Ecclesia supremus esse Episcopus,

℞. 1. in gen.

ſcopus, qui omnem Epiſcopatum in ſolidum poſſideret, ut Pontificii volunt, ſequeretur, non à *ſingulis* ejus aliquam tantum *partem*, eamque *in ſolidum* teneri. Ipſe ſeſe Cyprianus ita explicat, cum enim Stephanus Papa altius ſeſe extolleret ſupra reliquos Epiſcopos, Cyprianus collecto concilio, improbavit factum, *neq; enim*, dicens, *quisquam noſtrum*, (quare nec Stephanus) *Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit* : Intelligit, explicante Baronio an. 258. §. 42. *ſummam Pontificiam auctoritatem*, & improbat eum, qui talem & tantam ſibi vellet arrogare : *Quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis, & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium : tamq; judicari ab alio non poſſit, quam nec ipſe poteſt alterum judicare* : quæ verba idem Cyprianus in Concilio Carth. dixit. Eſto, quod ex Auguſtino excipit Baronius, dixiſſe hæc Cyprianum, cum nondum eliquatiſſima perſpectione diſcuſſæ eſſent quæſtiones, & intellexerit de poteſtate Pontificis, nihilominus hoc manet, tum temporis nondum *eliquatiſſima perſpectione* conſtitutum fuiſſe, quod Epiſcopo Romano competeret auctoritas in Eccleſia ſuprema.

§. 29. Sed de hoc (2.) *in ſpecie* dicendum erit in diſcuſſione argumentorum, quæ pro I. *primatu* adduximus ex Pontificiis Patrum calumniatoribus. Dixerit Tertullianus, *Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram eſſe* dictum à Chriſto : quid tum ? Primatus aliquis ſoli Petro competens ? Abſit! Tertulliano enim ſermo eſt adverſus Hæreticos, qui Apoſtolorum non *auctoritatem*, ſed *veritatem* in dubium revocabant. *Solebant enim iſti dicere non omnia Apoſtolos* SCISSE, *eadem agitati dementia, qua rurſus convertunt* : *Omnia quidem Apoſtolos ſciſſe; ſed non omnia omnibus* TRADIDISSE. Ecce hæretici Apoſtolorum SCIENTIAM & FIDEM in dubium revocabant, non auctoritatem : quare & Tertullianus regerit : LATUIT *aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram dictum? &c.* Confirmatur ex cap. 21. de pudic. ubi Eccleſia PER IPSUM, puta tanquam per organum, & non primatem, eſſe exſtructam ſcribit. Intelligatur vero per petram eminentia & poteſtas Petri, non tamen, vel ſic obtinent Papiſtæ, quod volunt : Nec enim ſequitur : Tertullianus putavit Petrum eſſe petram; ergo SOLUM : recte Tertullianus pugnat non pro *ſolo* Petro, ſed & pro *reliquis* Apoſtolis, quod nihil ipſos latuerit : Et Cyprianus (quem per petram intellexiſſe Petrum Pontifi-

2. in ſpecie De Primatu

cii dicunt,) asserit *cæteros Apostolos pari consortio honoris & potestatis cum Petro fuisse præditos*: nempe, sicut ipsorum nomine confessionem de Filio Dei deposuerat, ita ipsorum quoq; nomine & respectu dictus est petra, si modo is sensus esset dicti: & sicut reliqui Episcopi sunt Apostolorum successores, perinde ut Romanus, ita parem cum Romano ab antecessoribus suis potestatem acceperunt. *Omnes esse pastores*, idem Cyprianus contendit, *in Ecclesia præsidere, & Episcopatum unum atq; indivisum esse. Cujus à* SINGULIS IN SOLIDUM PARS *teneatur*. Idem Tertullianus explicationem suam reperit in libro de monogamia, quem Montanista scripsit, adversus Psychicos. Esto igitur per Petrum intellexerit *solam* Apostoli personam, ut obtineret suam hæreticam monogamiam, quid inde lucrum accesserit Pontificiis ab eo, qui quæcunque potuit obtorto quasi collo ad errorem suum stabiliendum abripuit? Hippolyti testimonium (si modo is auctor est, quod argumentis non contemnendis negat Rob. Cocus cens. Vet. p. m. 127.) *principem* Petrum, sed *fidei* petram dicit, non auctoritatis; primum illum fuisse, qui à Christo id nominis acceperit, sed an solum? absit. Omnes enim, quotquot istam *fidem* habent, petris, seu lapidibus in Christo fundatis accenseri possunt, & debent, ipso Petro asserente 1. ep. II. 5. Origenis testimonium dat quidem Petro, quod sit petra: sed & addit dictum Christi ad eundem: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* innuens, petram non esse omnino ἀσάλευτον, quod ipsum hom. XVII. in Lucam monet: *Scandalizati sunt universi, in tantum, ut Petrus quoq; Apostolorum Princeps tertio denegarit.* Væ Ecclesiæ, si exstructa ipsa est super fundamento adeo ruinoso! Nec soli Petro id nominis largitur: *Petra* enim *est, quisquis Christi discipulus est*: ait idem tract. 1. in Matth. c. XVI. *ex quo biberunt de Spirituali consequente petra. Et super talem petram constituitur omnis Ecclesiastica doctrina, & secundum hanc vitæ institutio. In unoquoq; enim perfecto habente congregationem eorum, qui complent beatitudinem verborum, factorum, & sensuum, est, quæ à Deo ædificatur, Ecclesia. Quod si super unum illum Petrum tantum existimas ædificari totam Ecclesiam, quid dicturus es de Iohanne filio tonitrui, & Apostolorum unoquoq;?* Ecce & reliquos Apostolos Petro jungit, & ita quidem, ut ipsi Petro Johannem præferre videatur. Atque hic locus eo diligentius notandus est, quod sit ipsa sedes, ubi ex pro-

professo dicendum erat de sensu dicti, secus ac alibi, ubi incidenter tantum ea de re dicit. Eusebii Alexandrini testimonium nobis potius favet. Dicit, Ecclesiam esse fundatam *super Petri fidem*: quam autem; credentem, an creditam? Creditam utique, quæ est Christus, unicum Ecclesiæ fundamentum, non credentem, quippe quæ in Petro ad tempus defecit, abnegato Christo. Cyprianum jam ante explicuimus. Intentio ipsius est, unitatem Ecclesiæ probare & stabilire: Hanc vero probare vult etiam ex dicto Christi, qui Petro uni, & soli tum dixerit: super te ædificabo Ecclesiam meam: quo autem fine id dixit; num, ut Petrus potior esset auctoritate reliquis Apostolis? Absit hoc: *Hoc* enim *erant utiq; & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus*, PARI *consortio præditi & honoris &* POTESTATIS: Nam Christus *Apostolis* OMNIBUS *post resurrectionem suam* PAREM POTESTATEM *tribuit*: eodem asserente: Quo igitur fine? ut UNITATEM *manifestaret. Vnam Cathedram constituit*, & *unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.* Instes: Atqui Cyprianus l. c. dicit: *Hic Petro primatus datur*! ℞. Hosius equidem glossema illud legit, sed cordatior Pamelius, & ipse Pontificius, destitutus auctoritate Codicum, credo, plurium, & probatorum, ista verba in sua editione non legit. Sit vero datus primatus, quid porro? an auctoritas? N. C. Nam & ordinis datur primatus: & temporis. Denuo instes: primatum potestatis Petro tribui à Cypr. ep. 71. §. 3. *Nam nec Petrus*, scribit, *quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret, se primatum tenere, & obtemperari à novellis & posteris sibi potius oportere*: In his verbis Petro apertè *primatus*, & quidem *auctoritatis*, videtur tribui: Nam *obtemperandi* necessitatem illi subordinat. ℞. Quem primatum intelligat, ante subinnuit, nempe temporis, quia *primum* Dominus elegerat. Intelligatur vero primatus jurisdictionis, neque tamen vel ita Pontificii habebunt, quod volunt. Neque enim Cyprianus Petro talem primatum tribuit, quia, Cypriano judice, *insolenter & arroganter assumpsisset* istum Petrus, si propterea sibi *obtemperari* voluisset. Non enim insolentia est, aut arrogantia, si quis legitima sua potestate utitur. vide Cham. Panstr. de P. R. lib. XXI. c. 22. §. 11. Ex dictis patet

patet responsio ad reliqua ex Cypriano objecta: *Cathedra una est super Petrum Domini voce fundata*; ep. 40. quare male sese Novatianus, alius Episcopus, intrudebat; sic enim duplex, non una, Romæ Cathedra Episcopalis fuisset. Hinc vero N. C. istam Petri Cathedram unicam, & supremam fuisse in universo orbe Christiano. Si Petrus *pro omnibus locutus est, & Ecclesiæ voce respondit*, ep. 55. seqnitur, ipsius confessionem omnium fuisse, nec ea in parte aliquam Petrum habuisse prærogativam. Similiter epist. 69. introducitur omnium nomine loqui: *Nos credimus & cognovimus &c.* Johan. VI. 69. Sit igitur *una Ecclesia à Christo Domino super Petrum origine unitatis, & ratione fundata*; epist. 70. non invidemus ipsi gloriam; dummodo maneat, originem ipsum *auctoritatis* non esse dictum: Dicas epist. 73. mentionem etiam fieri *potestatis*. ℞. Fit quidem, sed ejus, quæ, quod solvit in terris, id solutum habet in cœlis: Hæc vero omnium est communis potestas; ut paulo ante est ostensum. *Zenonis* sermones vehementer dubii sunt apud Bellarminum de scriptoribus Ecclesiasticis §. 26. Sint vero genuini; plus tamen non proficiet dictum, quam priora.

§. 30. Utut autem hæc omnia concesserimus, Petrum esse petram, super qua fundata est Ecclesia universalis; & petram significare auctoritatem, eminentiam, potestatem in reliquas Ecclesias; Quid inde pro Pontificibus Romanis? Pontificii quidem dicunt, derivatam esse istam potestatem in successores Petri, qui sint Pontifices Romani: Hoc vero ex allegatis dictis non evincitur. Petrus Romæ Euangelium publicè prædicaverit, ut Clemens Alex. dicit; Romæ etiam crucifixus fuerit: Origene perhibente: Prædicarunt multi Romæ Euangelium, & passi sunt, non tamen successores post sese pari auctoritate & potestate reliquerunt: nisi dicere velimus, & Paulum peculiarem reliquisse successorem; Nam & ipse Romæ prædicaverat: juxta Lactant. lib. IV. div. Instit. c. 21. Quod Origenes apud Eusebium dicit, plane ad rem non est: Sit enim *Ecclesia Romana antiquissima*: num propterea ejus Episcopus erit *successor Petri, eandem cum illo in omnibus ubiq; Ecclesiis ligandi & solvendi potestatem obtinens*? Quod Coccius art. 6. l. 7. inde vult extorquere. Habebit igitur, & multo magis, Hierosolymitana eandem, vel majorem, potestatem; Nam ipsa est Romanâ antiquior. Id majo-

majorem speciem habet, quod de *Cathedra* Petri objiciunt: Nam Cathedra etiam potestatem jurisdictionis includit: Cæterum si hoc valeret, successores habuisse tantam, quantam antecessores, externam potestatem, sequeretur, omnes Apostolorum successores fuisse oecumenicos Episcopos: Nam Christus singulis Apostolis suis potestatem fecit Ecclesias in universo orbe plantandi & docendi. Sic igitur Episcopi Corinthi, Philipporum, Ephesi &c. ubi *Cathedras Apostoli* erexerant (juxta Tert. d. præsc.) erunt oecumenici Monarchæ; quippe PARI potestate cum Apostolo Petro præditi.

§. 31. Præcipuum robur Pontificiorum argumentorum sustinuimus hactenus, & repulimus. Facilior jam erit victoria in reliquam aciem. Sumunt II. argumentum *ab auctoritate Episcopi Romani in reliquos.* Illustre testimonium videtur esse illud Tertulliani de præscr. quod Româ *præsto sit auctoritas*: Et Aureliani Imperatoris, licet Ethnici, qui in caussa Samosateni præcepit, *ut domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ, & urbis Romæ Episcopi per literas tribuendam præscriberent.* referente Euseb. lib. VII. hist. c. 24. & Cypriani ep. 67. ad Stephanum Papam Romanum perscripta sententia: *Dirigantur*, scribit, *in provinciam, & ad plebem Arelate consistentem à te literæ, quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur*: Pontifex igitur Romanus potuit deponere aliarum sedium Episcopos. vide Baron. an. 258. §. 10. ℞. ad 1. distingvendum est inter officium testificandi de genuinis Apostolorum scriptis, vel traditionibus; & auctoritatem imperandi, & juris dicundi. Tertullianus in controversia cum hæreticis remittit suos Afros Romam, utpote sibi viciniorem; sicut Græcos Corinthum, vel Philippos; Asiaticos Ephesum &c. ut inde testimonia peterent præscriptionis: minime autem, ut subjecti essent Episcopo Romano, quod nec recentiores Afri fecere. vid. supr. art. II. §. 23. Ad. 2. ℞. Si Episcopi Romani ideo sunt oecumenici judices, quia, Aureliano decernente, standum erat ipsorum judicio in domibus assignandis, etiam *reliqui fideles* Italiæ pari potestate erunt præditi; Nam idem ab Aureliano privilegium acceperant. Ad. 3. ℞. Stephanum à Cypriano monitum esse, ut Marcianum ex-

II. ab auctoritate in reliquos.

℞. 1.

2.

3.

communicaret, certum est; sed ideo id factum, quia Stephano præ reliquis Episcopis ea potestas soli, vel κατ' ἐξοχὴν, competeret, id vero probandum fuisset! *Nostrum est*, scribit ad eundem Cyprianus, *consulere & subvenire, frater charissime, qui divinam clementiam cogitantes, & gubernandæ Ecclesiæ libram tenentes, sic censuram vigoris peccatoribus exhiberemus, ut tamen lapsis erigendis, & curandis vulneratis, bonitatis & misericordiæ divinæ medicinam non denegemus*: Ecce Cyprianus in plurali loquitur, adeoque in consortium istius potestatis sese recipiebat: Baronius id omnino diffiteri non potuit, etsi eludere vim nostri argumenti, frustra tamen, conetur: *Hanc quidem*, ajens, *curam imminere omnibus sacerdotibus cum dicat Cyprianus, postea, quod proprium est Romani Episcopi, & non aliorum, ab eo implorat auxilium, & requirit officium*: Hæc ille. Sed (1.) *incongrue*: Quomodo enim Cyprianus mox intulisset: *Quapropter*? si prius officiũ commune est, posterius Pontificis proprium? Quare ita demum recte Cyprianus intulisset: Omnium Episcoporum cura est: hæreticos damnare E. etiam tua hæc esto. (2.) *perversè & falso.* Ratio enim, cur Cyprianus monuerit Stephanum, erat hujus negligentia, ne quid gravius dicamus: dudum debuisset ipse quoque, secutus exemplum Africanorum, hæreticum excommunicasse, cumque id omitteret facere, graviter à Cypriano monitus est, argumento sumpto non ab eminentia, sed illis scripturæ dictis, & rationibus, quæ socordiam Antistitum objurgant, & pœnas somnolentis comminantur. Et quis sibi persuaserit, Cyprianum id potestatis uni Pontifici Romano tribuisse, qui alibi tam indignè tulit, suos transmarinos fugere Romam, & caussas suas disceptare? vide quæ disputavimus supra art. II. §. 23.

III. à legibus, &c.

§. 32. III. *Ex legibus, dispensationibus, & censuris.* Cum Origenes heterodoxiæ esset insimulatus, Romam ipse profectus est ad Episcopum Fabianum, ut fidei suæ rationem redderet ipsi: urgente Baronio an. 248. §. 2. Cum hæresis Sabelliana in Africa pullularet, Dionysius Alex. Episcopus ea de re ad Sixtum Romanum literas dedit, ex quibus idem Baronius an. 260. §. 62. colligit, *antiquum in Ecclesia morem, cum nova aliqua hæresis emergeret, ab Episcopis ejus regionis, in qua quid hujusmodi accidisset*

esset, diligenter curari, ut cuncta quam primum significarentur Romano Pontifici, & quæ eo argumento scripta essent, ad eundem mitti solita examinari. Cyprianus *schismata*, scribit, *& hæreses ortæ sunt, & oriuntur, dum Episcopus* (Romanus, expositione Pontificiorum,) *qui unus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus judicatur.* Epist. 69. ad Pupi. §. 4. In concilio Sinuessano dixere Patres: *Nemo unquam judicavit Pontificem, nec præsul sacerdotem suum, quoniam prima sedes à nullo judicatur.* ℞. ad (1.) An, & quando Romam venerit Origenes? ipse Baronius l. c. pro certo affirmare non audet: *videtur* ait: venerit autem Romam, & quidem, Fabiano sedente; reddiderit etiam rationem fidei: non tamen, sine idoneis argumentis, *par est credere, eum à Fabiano in re tanta ad dicendum causam fuisse vocatum: vel, quod ille non recepisset, ab eo scriptam fidei confessionem, ipsum sponte Romam apud eum se purgaturum accessisse:* Cedo, Baroni, testimonium, vel unum, unde hoc probetur. Lego quidem, quod §. 1. allegasti: *Scribit* (Origenes) *præterea Fabiano Romano Episcopo, aliisq; permultis Ecclesiarum præsidibus, de sua recta, & orthodoxa fide, Christiana sententia.* Sed Romam ipsum citatum, & purgandi sui gratia venisse, nec vola, nec vestigium extat in antiquitate. ℞. ad 2. Dionysium Alex. Sixto per literas retulisse de exorta Sabellianorum hæresi, in confesso est; sed ad unum & solum Papam Romanum, tanquam ad supremum judicem, ea de re, & aliis relatum fuisse, quod inter nos quæritur, id vero exinde nulla verisimili specie colligitur: Nisi dicere velimus, omnes Episcopos, qui mutuas sibi literas scribebant, se invicem pro supremis judicibus agnovisse, quod ipsi Papistæ noluerint. ℞. ad. 3. Cyprianus sese putat, non Episcopum Romanum; de suo enim ipsius corio ludebant adversarii, Episcopatum ipsius vellicantes: argumentum igitur sumit, & quidem ab inutili, & damnoso, quod ex ejusmodi ambitionibus schismata & hæreses oriantur. Lege ipsam epistolam, & miraberis, Pontificios suo Papæ verba ista applicare; Sinuessano conciliabulo respondit B. Dn. D. Dannhavver. Christeid. p. 668. 669.

§. 33. Solent alias argumentum sumere etiam ex *vicariis* Papæ; sed non memini me ex hoc seculo legisse apud ipsos testimonium productum; certe Bellarminus lib. II. de P. R. c. 20. ultra quartum seculum non ascendit. Quare. IV. *ex appellationibus* argumenta desumpta referamus. Bellarminus c. 21. ex Cypriano aliquot loca producit: *Anno*, scribens, CCLII. *Pontifice Cornelio, Fortunatus & Felix in Africa à Cypriano depositi Romam navigaverunt, atq; ad Cornelium appellaverunt. Testis Cyprianus lib.* 1. *ep.* 3. *Non diu post, Stephano Pontifice, Basilides, in Hispania depositus, ad Stephanum appellavit. Cyprianus lib.* 1. *epist.* 4. Hæc ille. Confer. Baron. 258. §. 3. ℞. Appellatum fuisse à nonnullis maleferiatis hominibus, ipsos etiam Pontifices Romanos latius aliquanto fimbrias suas extendisse, recipiendo appellantes, certum est; sed quod fuerit judicium Cypriani, supra art. II. §. 23. & 24. ostensum est.

IV. ex appellationibus.

V. ex titulis.

§. 34. Superest argumentum V. *ex titulis* depromptum. Frequenter allegant illud Tertulliani de Papa Romano: *Audio etiam edictum propositum, & quidem peremptorium*: PONTIFEX sc. MAXIMUS. EPISCOPUS EPISCOPORUM &c. vide Baron. an. 216. §. 8. In ore quoque est illud Cypriani in Stephanum Episcopum Romanum dicterium: *Neq; enim*, dicentis, *quisquam nostrum* EPISCOPUM *se esse* EPISCOPORUM *constituit, aut tyrannico terrore ad observandi necessitatem collegas suos adigit.* verba allegat Baron. 258. §. 42. Subjungitque: *Hæc ipse, alludens nimirum, quod Stephanus decretum edidisset, cui more majorum (ut dictum est ex Tertulliano) præfigi soleret titulus ille*: Episcopus Episcoporum, *summa Pontificia auctoritate: & quod aliter sentientibus excommunicationis pœnam fuisset acriter comminatus.* Aliud testimonium idem producit an. 286. §. 7. ex actis Sebastiani & sociorum Martyrum: *Exclamavit* (ita habent acta) *Tiburtius, voce magna*, dicens: *obsecro te Pater, &* EPISCOPORUM EPISCOPE, *ne me patiare terga persequentibus dare.* Hæc ille ad Cajum Episcopum Romanum: addit Baronius: *In quibus plane consuetum agnoscis titulum urbis Papæ impertiri solitum, nempe ut diceretur Episcopus Episcoporum, quod & ex Tertulliano superius, atq; etiam ex Cypriano demonstratum est.* ℞. ad. 1. verba Ter-

Tertulliani Montanistæ sunt ironica, & sarcastica. q. d. nihil amplius superest, nisi ut Episcopus R. sese vocet Pontificem Maximum, more Romani Imperatoris, & Episcopum Episcoporum. vide Salmas. d. prim. Pap. p. 68. part. 2. Ad. 2. R. Si ex verbis Cypriani patet, quod Episcopus Romanus sese dixerit *Episcopum Episcoporum*, etiam patebit, ipsum *tyrannico terrore ad observandi necessitatem collegas suos adegisse*; Idem enim ibidẽ habetur; Si autem hoc ipsum non fecisse dixerimus, etiam alterũ exspirat, dixisse se ipsum Episcoporum Episcopum. Cyprianus, Magistrum suũ secutus, ab absurdis argumentatur: Absurdum est quenquã semet dicere Episcoporum Episcopum, aut tyrannidem exercere, quare nec Romanus Antistes id fecerit: *Habere, dicit, omnẽ Episcopum pro licentia libertatis suæ arbitrium proprium, talemq; judicari ab alio non posse, cum nec ipse possit alterum judicare* &c. *singulis pastoribus portionem gregis esse adscriptam, quam regat unusquisq;, & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus.* Habes hîc quo animo tulerit Cyprianus appellationem, & quibus fundamentis refutarit. vide Cham. de P.R. lib. X. c. 12. §. 1. seqq. Ad (3.) R. olet testistimonium fermentum Montanisticum. Tiburtius enim, qui dixit, renuit fugere in persecutione, qui erat Montani & sectariorum error. Quis autem credat, Cajum, si quidem is orthodoxus fuerit Episcopus, cum hæreticis versatum fuisse? Posset etiam de *actis* ipsis, genuina, an spuria, vel corrupta sint ista? disquiri; Baronius quidem genuina asserit, sed non probat.

§. 35. De potestate & eminentia dictum est. Sequitur *infallibilitas*, quam Cathedræ Petrinæ arrogant. Applicant Episcopo Romano dictum Christi: confirma fratres tuos: eo quod *præcipui ipsius muneris sit, quod Dominus Petro jusserat, & omnibus ejus successoribus, confirmare labantes fratres*, explicante Baronio an. 255. §. 34. & illustrante exemplo Cornelii, qui datis literis Fabium Antiochenum Novatianismo studentem in viam revocarit, ipse scilicet infallibilis. Referri huc posset, quod Episcopus Romanus in orthodoxa sententia perstiterit, cum Cyprianus, & tota Africa, ipsi resisterent. *Tam diro exagitata Ecclesia terræmotu, illa, quæ supra firmam petram à Christo fundata, de promissione ipsius solidam stabilemq; firmitate accepit, remansit penitus inconcussa.* 4. Infallibilitas.

cussa. verba sunt Baronii an.258.§.19. ℞. ad 1. Dionysius etiam Alexandrinus literas scripsit ad Fabium istum Antiochenum, & multos alios, citante Eusebio lib. VI. hist. Eccles. c.37.38. Ergone & ille propterea privilegium fratres infallibiliter confirmandi accepit? Scilicet Episcopis hoc in communi erat more positum, ut ad invicem literas etiam commonitorias & dehortatorias perscriberent; sine tamen peculiari in se invicem eminentia, vel infallibilitate. Ad. 2. ℞. Esto, Episcopum Romanum in controversia de rebaptizandis jam baptizatis orthodoxam per omnia sententiam asseruisse, non tamen id ideo factum est, quod sit, aut fuerit petra Ecclesiæ infallibilis; certè id nondum probavit Baronius; sed quia verbo divino nitebatur, quo in casu quilibet hominum infallibilis est, nempe per verbum infallibile; Ex rei autem veritate si velimus loqui, ne quidem Episcopus Romanus orthodoxam per omnia sententiam tenuit, quod superius ostensum est.

De vicariis Papæ. Obi.

§. 36. Eminentia & dignitas sedis Romanæ, defuncto papa, in clero Romano dicitur resedisse. Quo fine Baronius an.253.§.36. allegat Cypriani epist.15. dictum, in qua Clero Romano de secessu suo perscripsit, *penes quem ejus secessus fuerat ignaviæ ac socordiæ nomine redditus falsa relatione suspectus, purgare se in omnibus apud eos studuit: quod majestatem, quam sciret esse, ac venerari ipse soleret in capite, eo dempto, non deficere putaret in membris, eidem compage propinquioris unitatis adnexis.* Sic Baronius. Idem §. 77. producit Synodum Romanam vacante sede à Clero Romano habitam, ut probet, hujus fuisse *non tantum Siculis & Afris, sed & universo Christiano orbi præcepta præscribere*: Hoc vero probare vult §.79. & 80. ex verbis epistolæ ad Cyprianum missæ; quibus subjungit §. 81: *Quæ Romæ in hac sunt Synodo de lapsis coërcendis vel recipiendis decreta, eadem universæ Ecclesiæ Catholicæ servanda præscripta, ad singulas toto orbe diffusas Ecclesias missa sunt. Tantam enim in sede Petri inesse auctoritatem omnes intelligebant, ut universus longe lateq; diffusus Catholicus orbis sibi servandum esse indubitatum haberet, quod sciret à Petri Cathedra dimanare.* Hæc ille. Confirmare satagit ex verbis Cypriani ep. 51. quibus scribit, quod literæ istæ *per totum mundum missæ sint*: Et ex actis cum Privato hæretico. Hic enim à Clero Romano

mano literas communionis accipere allaboravit, nec tamen obtinuit, Cypriano Clerum dehortante: *Ex quibus*, ait §. 86. Baronius, *planè intelligas, quanti facerent etiam hæretici Romanæ Ecclesiæ communicationem; quippe qui scirent, se omni hæreseως infamia aspersa labe purgandos, Catholicosq; ab omnibus comprobandos, si se cum ea communicare ejus literis demonstrarent.* Adeo solicitus erat Annalista pro auctoritate sedis ejus, cujus erat conductitius advocatus.

§. 37. Nec tamen hæc movent, nisi eos, qui Cypriani scripta, & Baronii genium nesciunt. Cur enim Cyprianus istas ad Romanos literas scripserit, ipse mox ab initio indicat: *Quoniam comperi, fratres charissimi, minus simpliciter, & minus fideliter vobis renunciari, quæ hic à nobis gesta sunt, & geruntur, necessarium duxi, has ad vos literas facere, quibus vobis actus nostri, & disciplinæ, & diligentiæ ratio redderetur.* Nullius sive in his, sive in sequentibus verbis meminit auctoritatis Cleri Romani, sed, quia *minus simpliciter, & minus fideliter* Romanis *renunciatum* erat de secessu Cypriani, necesse erat melius eundem informare, quod & pares inter sese & æquales, imo & superiores erga inferiores faciunt. Mutuam colebant unionem & communionem Ecclesiæ Romana & Africana, quare dignum erat, ut altera alteri amicam gestorum suorum rationem redderet, & CONSILIA *communicaret*, ut paulo post scribit, non *imperia*. Epist. 23. iterum mentio fit literarum Cleri Romani ad Cyprianum missarum, sed nec in his aliquod Romanorum Imperium continetur: *multum sermo vester adjuvit, ut divinitus compendium fieret, & priusquam venirent ad vos literæ, quas vobis proximè misi, declararetis nobis, quod secundum Evangelii legem stet nobiscum fortiter atq; unanimiter etiam vestra sententia.* Ecce *sermonem* vocat, & *declarationem*, & *unanimem sententiam*, quod Clerus Romanus scripserat, non *majestatem*, quam *veneraretur*, ut hodie stylus est Romanæ Curiæ. Patet amplius ex literis Cleri Romani ad Cyprianum, ex quibus tamen Synodicum decretum Baronius ante produxerat. In his enim clarè confitetur Clerus R. quod judex Cypriani ipse non sit: *Quanquam bene sibi conscius animus, & Evangelicæ disciplinæ vigore subnixus, & verus sibi in decretis cœlestibus testis effectus, soleat solo Deo judice esse contentus,*

Rt. ad. 1.

Rt. ad. 2.

tentus, nec alterius aut laudes petere, aut accusationes pertimescere: tamen geminatæ sunt laude condigni, qui, cum conscientiam sciant Deo soli debere se judici, actus tamen suos desiderant etiam ab ipsis suis fratribus comprobari. Habes solum Deum *judicem*; Clerum autem *fratres*, quos sponte sua *non tam judices, quam participes consiliorum suorum* volebat esse modestissimus Cyprianus. Decretum Romæ factum concernebat Ecclesias Romæ subjectas; *hic* enim *se tenere* scribebant; si modo decretum nominandum est, absente Episcopo, factum; Certè *in suspenso eorum, qui moras poterant dilationis sustinere, caussam tenebant*, donec Episcopus daretur; nisi urgente veniam necessitate. Sit vero decretum, & ubique obtinuerit locorum, non tamen ideo obtinuisse sequitur, quia Romæ à Clero, vices Episcopi sustinente, factum erat, ut Baronii larga nimis est consequentia. Obtinere enim ubique locorum & illud potest, quod ex æquo & bono factum esse censetur, quicunque denique statuerit, vel decreverit. Nec Cyprianus aliud dicit. *Literæ* enim, scribit (esto Romanorum literas intelligi) *per totum mundum missæ sunt, & in notitiam Ecclesiis omnibus, & universis fratribus prælatæ sunt*: Non dicit imperatum esse Ecclesiis, & fratribus, ut literarum decreta observarent, *quod scirent à Petri Cathedra dimanare*, ut Baronius explicat; Sed in *notitiam* ipsorum venisse, & *prælatas* esse: Synodus Antiochena literas Synodicas misit *Dionysio*, (Romano Episcopo) *Maximo, & omnibus ubiq; in orbe terrarum collegis, Episcopis, Presbyteris, & diaconis, ac universæ & Catholicæ sub cœlo Ecclesiæ*: Neque dubium est, quin literæ istæ per universum orbem Catholicum fuerint receptæ. Neque tamen id ideo factum est, quasi Antiochiæ vel Clerus, vel Synodici aliquam super reliquas Ecclesias auctoritatem habuerint; sed quia cum verbo Dei, & Catholica fide congruebant.
Rz. ad. 3. Privatum à Romana Ecclesia literas petiisse communionis, largimur. Sed ideo ipsum petiisse, ut per ipsius unius auctoritatem in communionem Catholicam reciperetur, idque aliunde non potuisse æquè obtinere, id vellem Baronius, quia in controversia est, probasset. Moris tum erat communis omnium Ecclesiarum Catholicarum, dare literas communicatorias, quibus mediantibus is, qui portabat, pro genuino Ecclesiæ membro

bro recipiebatur, etiamsi à Romana Ecclesia scriptæ non essent. Patet ex pluribus testimoniis, sed unum sufficiat. Antiocheni literas ad omnes ubique locorum Episcopos, & alios fideles, perscribunt: *ne Samosateno scribant, vel ab ipso literas communionis accipiant; Paulus ad Artemonem literas scribat, &, si qui Artemonis partibus faveant, cum eo deinceps communicent.* Nisi omnium Ecclesiarum fuisset tales literas scribere, vel accipere, quid opus fuisset ipsas dehortari?

§. 38. Hactenus de Episcopis & Clericis Romanis dictum est. Addendum erit aliquid etiam de Episcopis aliis, ipsorumque potestate. Baronius an. 257. §. 15. *illud plane consideratione ac observatione dignissimum* annotavit, *Episcopos* hujus Seculi *nullam habuisse rationem quarumcunq; legum civilium, quæ aliqua ex parte officere & impedimento esse viderentur Ecclesiasticis functionibus; quin eas contrariis legibus editis irritas prorsus redderent, ac penitus abolerent.* Probare vult assertum ex epist. 66. Cypr. qui inter alia scripsit: *Quod Episcopi antecessores nostri religiose considerantes, & salubriter providentes, censuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam, vel curam clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.* &c. Hoc decretum opponit legibus Severi Augusti l. 3. ff. *qui petunt tutores*; quibus jubetur, *ut habeant pupilli tutores*; & quidem ex quovis hominum ordine, & genere, ut ne *diversa* quidem *religio*, quare nec Christiana, aliquem ab isto onere *liberet*; unde pateat, Episcopos leges fecisse, & eas imperatoriis è diametro opposuisse. Rc. 1. Si rationes à concilio Episcopali productæ valent, corruit hodiernorum Episcoporum Papalium Secularis potestas. Rationes enim illud dat has: *singuli divino sacerdotio honorati, & in clerico ministerio constituti, non nisi altari & sacrificiis deservire, & precibus atq; orationibus vacare debeant: Scriptum est enim: nemo militans Deo obligat se molestiis secularibus, ut possit placere ei, cui se probavit.* Sunt autem Episcopi divino sacerdotio honorati, saltem opinione sua, & in Clerico ministerio constituti; desinant igitur regere ditiones, gerere bella, icere fœdera, & similia seculi opera perpetrare; Sin istæ Concilii rationes non obstant, quo minus Episcopi sint seculares principes, etiam non obstabunt, quo minus juxta leges

De potestate reliqui Cleri.

Imperatorias nostri ministri sint tutores & curatores. 2. Episopi Synodales nec legem condiderunt, nec imperatoriis opposuerunt; *Non istud*; allegant enim legem divinitus dudum latam, Jos. XIII. 14. 2. Tim. II. 4. & applicant modo ad speciem certam; quod non est leges ferre, sed latas citare, & explicare, & applicare; *Nec hoc*, Imperatoriæ enim leges illud supponunt, quod quis sine insigni damno & impedimento officii sibi alias commissi, possit tutelam pupillis præstare: Hoc vero in eo rerum articulo fieri non poterat; Nam persecutores insidiabantur bonis Christianorum, & liberis, ut res summi impedimenti fuerit, & periculi, præstare talibus curatelæ officium. 3. Sanxerint autem Imperatores Romani legem de curatelis peremptoriam, ita ut curatela præstanda fuerit, etiam cum detrimento officii Ecclesiastici, id tamen Pontificios non juvat. Nec enim nos dicimus, magistratui esse obediendum, si jubeat facere, quod legibus divinis contrarium est.

Adjuncta. ut Conjugiũ, vel cœlibatus.

§. 39. IV. *Adjuncta* ministerii sunt conjugium, vel cœlibatus, & salaria. *Cœlibatum* ministerio sacro esse necessarium Pontificii contendunt ex variis testimoniis. Origenes citatur homil. 23. in Num. *Certum est*, inquiens, *quia impeditur sacrificium indesinens iis, qui conjugalibus necessitatibus serviunt. Unde videtur mihi, quod illius solius est offerre sacrificium, qui indesinenti, & perpetuæ se devoverit castitati.* Hom. IV. in Levit. typo illustrat: *Sacerdos campestri lineo cingitur, vel femoralibus utitur, qui luxuriam fluxæ libidinis cingulo strinxerint castitatis. Ante omnia enim sacerdos, qui divinis assistit altaribus, castitate debet accingi.* Idem lib. VIII. adv. Cels. laudat eos, qui *tantum absunt ab omni lascivia, spurcitia, turpitudine libidinum, ut in morem perfectorum sacerdotum, ab omni coitu abhorrentium, multi eorum in totum caste pureq; vivant, alieni à congressu mulierum etiam legitimo.* Antiocheni Patres in literis Synodicis ad reliquos Episcopos conqueruntur de Presbyterorum, & Diaconorum mulieribus *συνεισάκτοις*, apud Euseb. lib. VII. hist. c. 24. Calixtus papa R. apud Gratian. dist. 27: *Presbyteris*, ait, *Diaconis, subdiaconis, & Monachis, concubinas habere, seu matrimonium contrahere, penitus interdicimus: contracta quoq; matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, & personas ad poenitentiam redigi debere juxta sacro-*

rum

rum canonum definitionem, judicamus. Cyprianus ep. 63. meminit virginum, quæ *statum suum continenter & firmiter tenere decreverant.* Et paulo post: *Si ex fide Christo se dedicaverunt, pudicè & castè sine ulla fabula perseverent, ita fortes, & stabiles præmium virginitatis expectent.* Et iterum: *Qui se semel castraverunt propter regnum cœlorum, Deo per omnia placeant; nec sacerdotes Dei, aut Ecclesiam Domini contemnendo, scandalo se fratribus offerant.* R. 1. Aliud est *conjugio servire*, & quidem cum impedimento officii, quod & nos improbamus non in Clericis modo, sed etiam in Laicis; aliud eodem *uti*, quod in nullo ordine vetitum. Confer homil. 15. in Gen. & com. in Rom. XII. D. Dannh. Christeid. p. 959. 2. aliud est *fluxæ libidinis* vitium fugere; aliud conjugium, libidinis remedium, inire; istud Origenes improbat, hoc minimè. 3. abstinere aliquem, qui dono heroicæ castitatis præditus est, à legitimo etiam conjugio, concedimus & laudamus: at qui abstinendo à conjugio obnoxium sese reddit *lasciviæ, spurcitiei, turpitudini libidinum*, ut reddunt sese ii, qui dono castitatis non instructi, conjugio sese abstinent, id verbo divino adversari dicimus; Istud laudat Origenes, hoc minimè. 4. Mulieres συνείσακτοι illæ quidem sunt, quæ extra conjugium vivebant, quia tamen cum clericis versabantur, sæpe suspicandi occasiones sese præbebant, quasi impurius invicem versarentur, ideoque commercium istud vitio clericis datum est, & merito. vide Dn. D. Dorsch. exerc. ad concil. Nicæn. p. 88. At aliud est Clerum prohibere à commercio mulierum συνεισάκτων, aliud uxorum; 5. Callistus, cujus testimonium Coccius allegavit, est secundus, non primus hujus nominis, ut numeratur in jure Canonico editionis Lugdunensis; secundus autem vixit Seculo duo decimo, qui igitur anno Christi 280 Clericis uxores vetuisset habere? Nec comparet locus allegatus in duabus primi Callisti epistolis. Compareat autem, nihil tamen proficient Papistæ, *Selecti* enim *viri, qui Romæ operam navarunt in Gratiano emendando, Calixti primi epistolas rejecerunt* &c. scribit Antonius Augustin. de emend Gratiani l. 2. dial. 4. citante Blondel. in Pseudo isidor. p. 265. 6. Cyprianus devotarum quidem virginum (quo sensu, infra dicam) mentionem facit, attamen & hoc addit: *si perse-*

verare nolunt, vel non possunt, melius est nubant, quam in ignem delictis suis cadant: Deprehensæ enim fuerant, *in eodem lecto pariter mansisse cum masculis*; qui fructus sunt affectati male, & coacti cœlibatus. Nemo negat, dicatam Deo virginem *pudicè & castè* perseverare debere; sed si donum continentiæ non habet, fiat, quod Cyprianus suasit. Castrare sese propter regnum Dei, i.e. conjugio abstinere, licet; sed necesse non est: Ipse certè Cyprianus ep. *66.* meminit alicujus Presbyteri, qui tutorem post sese constituerat alium Presbyterum; oportet igitur istum habuisse uxorem, & genuisse liberos. vide Baron. an. 257. §. 15. Goulart. ad ep. *62.* Cypr.

Salaria §. 40. Salaria debentur ministerio sacro, sed an necessario *decimæ*? Ita putant Pontificii; & allegant Cyprianum epist. *66.* §. 2. ubi jubet Clericos *in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificiis non recedere.* Ante hunc Origenes hom. II. in Num. XVIII. cap. nervosius scripserat: *Hanc ergo* (decimarum) *legem observari etiam secundum literam, sicut & alia nonnulla, necessarium puto.* R. ad (1.) sæpe Patres phrasibus ex veteri instrumento desumptis explicant res novi testamenti: atque ita etiam h. l. Cyprianus; dicit enim *tanquam decimas*; non ipsas decimas: accipiebant enim salaria sua Clerici ex symbolis fideliũ collatis, quæ modo in plures & majores, modo in pauciores & minores partes distributa erogabantur. vide Goulart. ad l. c. Cypr. Ad (2.) R. Origenes *decimarum* mentionem non facit, sed *primitiarum* ordini sacro exhiberi solitarum. Hactenus igitur nobiscum convenit in thesi, ministerio sacro tantum esse dandum, quantum officio honeste agendo necessarium est.

II. *Sacramentis* (1.) Quot sint? §. 41. II. *Sacramentis.* De quibus duo quæruntur (1.) *quot* sint? Septem, respondent Pontificii: Et probare satagunt ex Tertull. c. 40. de præscr. *Diabolus*, ait, *tingit & ipse quosdam, expiatione delictorum, de lavacro repromittit, signat & illic in frontibus milites, celebrat & panis oblationem; quid, quod & summum Pontificem in unis nuptiis statuit:* Habes baptismum, pœnitentiam, confirmationem, Eucharistiam, ordinem, & matrimonium, sex nimirum sacramenta; sed ubi septimum? quæras: omisit quidem, rege-

regerunt Papistæ, sed dubio procul addidisset & hoc, *si occasio incidisset* R, ritus quidem in Ecclesia receptos audio, sed Sacramenta divinitus instituta non audio. Plurium idem rituum facit mentionem; Nam & sub gladio *redimit coronam, habet & virgines, habet & continentes*; anne igitur & corona, & virgines, & continentes Sacramenta sunt?

§. 42. (2.) *Quæ sint?* Respondent: Baptismus, confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema unctio, ordo & matrimonium. Pro singulis adducunt prætextus suorum errorum; Et quidem 1. in *Baptismo* pro reali distinctione inter baptismum Christi & Johannis laudant Origenem tom. 8. in Joh. qui Johannem introducit loquentem de *præparatione loci resipiscentiæ per baptismum post se venturo* (Christo) *qui hac etiam ratione longè potentius præstantiusq́, quam mea sit potentia, vobis adjumento futurus est: Siquidem illius baptismus non est corporalis, cum resipiscentem repleat Spiritus Sanctus, qui igne diviniori quidquid vel materiale, vel terrenum fuerit, demolitur, consumitq́:* &c. Confer lib. 5. in epist. ad Rom. Tertul. de bapt. Cypr. serm. de bapt. Christ. citante Bell. l. 1. de bapt. c. 21. Pro variis cæremoniis e.g. abrenunciatione diaboli, & insufflatione, producunt Clementem Alex. l. 2. strom. qui dicit: *eis* (maleficis potestatibus) *abrenunciavimus*: & lib. 1. pæd. c. 6. *ipsorum* (inquit, peccatorum) *detrimentis renunciantes, baptismo percolati.* Origenem, qui hom. XII. in Num. inquit: *Recordetur unusquisq́ fidelium, cum primum venit ad aquas baptismi, cum signacula fidei prima suscepit, & ad fontem Salutis accessit, quibus ipse tunc usus est verbis, & quid denunciaverit diabolo, non se usurum pompis ejus, ac voluntatibus pariturum.* Et hom. 2. in Psalm. 38. similia habet. Ante hos Tertul. de coron. milit. c. 3. *aquam*, ait, *adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur, nos renunciare diabolo, & pompæ, & Angelis ejus.* Confer c. 8. ad Mart. c. 4. & 24. de spectac. de idol. c. 6. de hab. mul. c. 2. Cyprianum de orat. domin. de exhort. Martyr. c. 7. epist. 7. Objiciente Coccio de baptis. lib. V. art. 13. Pro exorcismo militat Tertul. c. 41. de præscript. adv. hæret. Invehitur enim in mulieres, quæ audebant *exorcismos agere*: & in apolog. c. 23. *de contactu*, ait, *afflatuq́ nostro, contemplatione, & repræsentatione ignis illius*

(2.) Quæ sint? 1. *Baptismus* (1.) Iohannis

(2.) Cæremoniæ

(3.) Exorcismus.

correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt, inviti, & dolentes, & vobis præsentibus erubescentes: Confer de spect. c. 26. de coron. milit. c. 11. Minucium Felic. in octav. Cypr. lib. 2. ep. 2. Ad Demetr. Cornelium in epist. ad Fab. Antioch. qui inter ordines Ecclesiasticos etiam *Exorcistas* numerat; Zenonem Veron. ser.
(4.) Sal. de res. Lactant. lib. IV. 27. Pro *Sale* in baptizandi ore provocant ad Orig. hom. 6. in Ezech. *oportet eum, qui renascitur, utiq; in Christo renascentem rationabile, & si merum lac desiderare; & priusquam rationabile & sine dolo desideret debet sale saliri, &c.* Pro *sputo* nullum ego
(5.) Effectus. quidem legi testimonium hoc in Seculo. Pro omnimoda deletione peccatorum, effectu scil. baptismi, videtur facere Clemens Alex. lib. 1. pæd. c. 6. *omnia*; ajens, *peccata eluimus, & è vestigio mali non sumus amplius.* Methodius in libel. de resur. adversus Origenem & asseclas, qui peccata solum *tegi*, non *tolli* contendebant. referente Epiphanio apud Bell. l. 1. de bapt. c. 13.

℞. ad 1. §. 43. ℞. ad 1. Origenes Johannem Christo, & baptismum aquæ baptismo ignis conferens, præfert potentiam istius potentiæ hujus; quod & nos facimus; idem baptismum flaminis insigniorem facit baptismo fluminis, quod & nos sano sensu admittere possumus. In lib. 5. Rom. remittit lectorem ad tractatum Johannis. Nec tamen diffitemur, dicere ipsum, quod baptisma Johannis *expletio fuerit veterum,*
Ad. 2. *non inchoatio novorum.* Ad. 2. ℞. ritum renunciationis, adde & insufflationis, in primitiva Ecclesia fuisse receptum, ultro largimur; sed hoc quærimus: an pro divino mandato, cultu,
Ad. 3. vel organo fuerit habitus? Hoc ex allegatis non probatur. Ad. 3. ℞. Sicut obsessio alia est corporalis, alia Spiritualis, ita & exorcismus pellit dæmonem, vel corporali, vel Spirituali modo; isto, cum ab energumenis eijcitur; hoc cum dominium ipsi adimitur. Allegatorum testimoniorum pleraque loquuntur de expulsione dæmonum violenta ab obsessis corporaliter; deliberent autem secum Papistæ, an velint suos infantes à dæmone corporali more obsessos? Sin spiritualem malint obsessionem, oporet ipsos iterum explicare mentem, an putent infantes suos eo modo Spiritualiter esse obsessos, quo scelerati & indurati nebulones sunt: vereor, ut & hoc dixerint. Remanet igitur exor-

exorcismum in baptismo adhibitum etiam eum fuisse, qui vel signum esset corruptionis à peccato Originali introductæ; vel oratio, implorans Deum pro liberando infante è potestate peccati, Satanæ, & inferni. ℞. ad. 4. Sicut *Spirituale* lac Origenes laudat, ita & salem spiritualem. Aut, si Pontificii volunt salem naturalem adhibendum esse, quia Origenes dicit, etiam adhibeant lac naturale, cujus idem mentionem injicit. Adhibeatur autem solus sal, quid inde? nullam sali vim spiritualem ex consecratione tribuit Origenes, quod Papistæ faciunt, sed merum esse signum innuit, alludens ad Marc. IX. 49. seqq. Ad. 4.

℞. ad. 5. *Gelasius Papa in concilio quodam Romano Clementis hujus opuscula inter Apocrypha retulit.* Fatetur Bellarminus de script. Eccles. §. 204. Adde, quod & nos fateamur, omnia per baptismum peccata elui, non ut nunc non sint, sed ut non imputentur: dicit Clemens; *Hæc* (peccatorum) *vincula quam celerrimè remittuntur* πίστει μὲν ἀνθρωπίνῃ, θεϊκῇ δὲ τῇ χάριτι, *humana quidem fide, divina vero gratia; cum nimirum remittuntur peccata* ἀφιεμένων τῶν πλημμελημάτων *uno medicamento Pœonio, nempe rationali baptismo.* Habes, ecce, quo sensu Clemens dixerit peccata in baptismo elui, nempe sicut creditor expungit debita, cum non habet debitor, unde solvat, id quod fit non-imputatione. Proclus equidem contendebat *nondum radicem peccati integrè ex hominibus sublatam esse*, sed longe alio, quam nos, sensu. Origenistæ corpus dicebant esse carcerem animæ, ita ut anima, corpore induta, non possit non peccare; cumque orthodoxi opponerent efficaciam baptismi, ipsi extenuabant hanc efficaciam, negantes aliquam esse lauacri istius vim; Ea de caussa disputat Methodius adversus Proclum de corpore, quod carcer non sit, & dicta in contrarium objecta, explicat ipse de pravis concupiscentiis & peccatis homini etiam baptizato adhærentibus: Nusquam autem contendit, aut verbulo meminit, quod baptismo omnia peccata funditus eradicentur. Legantur ipsa Procli, & Methodii verba; Nam prolixiora sunt, quam quæ huc referri potuissent. Ad. 5.

§. 44. II. Pro *Confirmatione*, & quidem (1.) *Sacramento*, laudant verba Cypriani ep. 72. quibus scribit, venientes ad Ecclesiam II. *Confirmatio.* (1.) Sacramentū

clesiam *baptizari oportere, eo quod parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ baptismum, Tunc enim demum plane sanctificari, & esse filii Dei possunt, si Sacramento utroq; nascantur* &c. In eandem sententiam suffragium tulit Nemesianus Episc. in Concilio Carthaginensi: dicens, *utroq;* (baptismi & confirmationis) *Sacramento debere eos renasci in Ecclesia Catholica:* Expresse vocant *Sacramentum* Confirmationem.

(2.) Auctor. (2.) *divinitus* institutum esse probaverit quis ex voce; *Sigillum domini*, quo fideles *obsignantur*, à Cornelio in epistola apud Euseb. lib. VI. hist. c. 55.

(3.) Forma. (3.) *Forma* describitur à Tertulliano in lib. de res. *caro*, dicente, *ungitur, ut anima consecretur:* & de præs. *Tingit & ipse quosdam utiq; credentes & fideles suos; signat illic in fronte milites suos.* Ritus igitur erat, sacro oleo baptizatorum frontes signare:

(4.) Finis. (4.) *Finis* & *effectus* simul innuitur, nempe, consecratio animæ; juxta Tertullianum, acceptio Spiritus Sancti, & Sanctificatio, & filiatio divina, juxta Cyprianum & Nemesianum. Addi posset universus Cypriano adscriptus libellus de *unctione Chrismatis* dictus tom. III. opp. f. 515. seqq.

℞. I. in genere. ℞. (I.) *in genere.* Tertulliani & Cypriani istius discipuli & conterranei auctoritates in hac quæstione tanti non sunt, quia Montanismo, iste quidem crassius, hic vero subtilius, minus licet infecti, & propterea cæremoniarum in speciem religiosarum studiosiores fuerunt, quod à diligente lectore facile impetrabimus, si contulerit disciplinam Montani cum dictis Tertulliani, & hujus scripta cum Cyprianeis. Lege interea, quid Hieronymus in dialogo adv. Lucifer. judicet de iis, qui baptismo vim suam abrogabant, Chemnitius in exam. C. T. part. II. de confir. p. 106. Goulart. not. ad Cypr. de unct. & chris. 517.

II. In specie ad. 1. II. *in specie* ad. 1. vocem Sacramentum esse πολύσημον ostensum est supra, cum de Sacramentis ageremus.

ad. 2. Ad. 2. *Sigillum Domini* esse confirmationis Sacramentum nondum est probatum. Eucharistiæ id nominis competere aliquot testimoniis jam ante, cum de sacramento isto disputaremus, evicimus. Sermo de ablutione pedum, Cypriano suppositus, Apostolis auctoribus ritum tribuit: Alius sermo de chrismate refert natales ad vetus Testamentum, quorsum & Tertullianus retulerat, ut adeo ex χαλκοζηλίᾳ natus videa-

videatur. Ad (3.) varia in baptismo symbola adhiberi, vel appendices, utcunque largiamur, donec maneant in sphæra ἀδιαφορίας. Ad (4.) vetus finis fuit, baptismum in casu necessitatis, & privatim à laicis administratum, ubi convaluerant clinici, publicè confirmare, manibus baptizato impositis, & precibus fusis: vel etiam unctione præfigurare pugnam spiritualem athletarũ Christianorũ, qui oleo scilicet inungerentur. Malus autem finis & opinio prava fuit quorundam Montani errore laborantium, unctioni isti & confirmationi vim spiritualem tribuere, præter auctoritatem Scripturæ. Quæro ex Pontificiis, an probent hanc Tertulliani sententiam: *eos, qui baptizantur in aquis, non consequi spiritum sanctum, sed in aqua mundatos, sub Angelis tantum præparari Spiritui sancto: qui demum, postquam egressi sunt de lavacro, per benedictam unctionem & impositionem manus advocetur, & invitetur?* vel hanc Cypriani: *Necesse est ungi eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate habere in se gratiam Christi possit?* Si probaverint, manifeste contradicent Scripturis, quæ aqua & Spiritu nos renasci, Spiritum sanctum in baptisatos effundi &c. clarè pronunciant; Sin improbaverint, post Hieronymum; æquo igitur animo ferant, si & nos Tertullianum, vel Cyprianum extra orbitam Scripturæ vagantes repudiemus. ad 3. ad 4.

§. 45. III. *Eucharistiæ* Sacramentum miserè à Pontificiis fœdatur, ut ferè nihil sani relinquant. (1.) *mutilant*, unam tantum, panis nempe, speciem laicis porrigendo. Probaturiunt ex Tert. lib. IV. advers. Marc. *Caro enim*, dicit, *sanguine Christi vescitur*, allegat Bell. lib. 4. de sacr. Euch. c. 26. urgetque vocem: *vescitur*, ut obtineat, sanguine nos, in, & cum pane frui. Idem lib. 2. ad uxor. c. 5. *Non sciet*, scribit, *maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes; & si sciverit, panem non illum esse credit, qui dicitur* &c. Ex Origene hom. XIII. in Exod. qui dicit, *Communicantes suscipere corpus Domini*: Ex Dionysio Alex. qui in epist. ad Fabium Antioch. refert de quodam Serapione cum morte colluctante, & Eucharistiam desiderante: Presbyter autem βραχὺ τῷ παιδαρίῳ τῆς εὐχαριστίας ἐπέδωκεν, ἀποβρέξαι κελεύσας, καὶ τῷ πρεσβύτῃ κατὰ τοῦ στόματος ἐπιστάξαι: *puero breviculum, seu pauxillum Eucharistiæ dederit* (interserit Coccius: ut de aliquo toto, & solido scias esse desumptam) *præcipiens, ut eam madefactam in os senis infunderet*. Quod & factum. Ex Cypriano, qui in lib. de lapsi. narrat, de

III. *Eucharistiæ* quam 1. mutilant.

quadam muliere, quæ *sanctum Domini* in aliqua arca asservaverit: & de alio, *qui & ipse maculatus, sacrificio à sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus sit latenter accipere, sanctum tamen Domini comedere, & contrectare nonpotuerit.* Et de spectac. *demissus*, idem ait, *& adhuc gerens secum, ut assolet, Eucharistiam.* Hæc ille.

℞. I. §. 46. ℞. ad I. vescimur etiam aëre, hauriendo, cur non & sanguine, bibendo? vide Dn. D. Dannh. Christeid. p. 983.

II. II. Solitos fuisse veteres, etsi malo more, panem Eucharisticum domum ferre secum, & asservare in subitos casus, ut tum in persecutionibus erant frequentes, id ultro largimur; sed inde N. C. in Ecclesia unam tantum speciem fuisse distributam laicis: aut moremistum publicè receptum & probatum fuisse; aut ipsos solum panem detulisse secum domum, non item vinum: Diaconi certe ad absentes & ægrotos deferebant etiam vinum benedictum, ut Serapionis exemplo modo docuimus, quare & communicantes idem vinum poterant domum secum reportare. vide Baron. an. 404. apud Plef. de Euch. c. 12. l. 1. Idem ad exempla ex Cypriano allega-

III. ta responderi potest. Ad III. Exemplum Papistas potius redarguit, quam juvat. Dicitur enim panem ἀποβρέξαι macerasse vino, vinum igitur aderat, non solus panis.

2. Miscent. §. 47. (2.) *Miscent*, vinum nimirum aquâ infusâ. Cyprianus ep. 63. scribit: *Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neq; aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis prior Dominus fecerit, ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.* vide Baron. an. 257. §. 9. seqq. ℞. Scopus Cypriani est, ostendere, quod Aquarii malè aquam substituant vino, eo quod Christus vino jusserit Eucharistiam celebrari, non aqua. Largitur hoc ipse Baronius. §. 11. cum occasionem facti describit: *Quod enim*, ajens, *persecutione urgente, summo mane, seu potius nocturno tempore, convenientes secreto ad sacram synaxim atq; Eucharistiam, Christi sanguinem in vini specie bibentes ex vini odore possent detegi, Christiani, loco vini, aquam offerre consultius existimarunt, ne odore vini, veluti quodam Christianitatis indicio, palam fierent.* Controversia igitur erat de vino, an necessario in S. Cœna adhibendum? Affirmabat Cyprianus, adductis in medium locis, in quibus de vino sermo est: Aquæ igitur adversatur Cyprianus, non autem patrocinatur.

§. 48.

3. Mutant.

§. 48. (3.) *Mutant,* quantum in ſeſe eſt, rem terrenam in cœleſtem, ſacrificiũ offerendo! *Miſſam* vocant; in cujus patrocinium multa, & varia allegant. Alia militant pro *transſubſtantiatione*, alia pro *ſacrificio*; Pro iſta, illud Tert. lib. 4. adverſ. Marc. *acceptum panem corpus ſuum facit, dicendo: hoc eſt corpus meum:* Pro hoc plura. Dicitur ſacrificium, & adminiſtratio vocatur oblatio. Tertullianus c. 11. de cul. fœm. *ſacrificii oblati* meminit c. 2. ad Scap. *ſacrificamus pro ſalute Imperatoris* c. 14. de orat. *Sacrificiorum orationibus* intervenit. c. 1. adverſ. Iud. ait: *ſacrificium Abel figuram fuiſſe ſacrificij Euchariſtiæ.* Clemens Alex. l. 4. ſtrom. laudat Melchiſedechum, *qui panem & vinum ſanctificatum dedit nutrimentum in typum Euchariſtiæ.* Orig. l. 8. adv. Celſ. *Videtur*, ait, *ad eum ſolum pertinere offerre juge ſacrificium, qui ſe perpetuæ devoverit caſtitati.* Cornelius in epiſt. ad Lup. *miſſarum* facit mentionem: de qua & Baron. an. 259. §. 23. diſputat. Cyprianus ep. 63. in eandem ſententiam, *in ſacerdote*, ſcribit, *Melchiſedech ſacrificij Dominici Sacramentum præfiguratum vidimus.* Confirmatur vaticinio Malachiæ Prophetæ, quod de ſacrificio miſſatico explicare videtur Tertul. l. 3. cont. Marc. c. 22. nempe *de ſignaculo frontium & Eccleſiarum ſacramentis, & mandatis ſacrificiorum*: Et Cyprianus lib. 1. contra Jud. c. 26. *quod ſacrificium vetus evacuaretur, & novum celebraretur, apud Malachiam &c.* confer Cypr. ep. 16. 60. 68. 73. 77. &c. Baronius ann. 261. §. 4. ex actis Stephani refert, *quod* Papa *obtulerit ſacrificium DEO omnipotenti:* Anno 295. §. 9. ex actis Suſannæ ſimilia recitat verba, quod Cajus Papa *obtulerit ſacrificium pro ejus commemoratione.* Quibus verbis ſimul objectum miſſarum explicatur, nempe defuncti: quod ante dixerat an. 253. §. 91. ex Cypriano, *Sacrificia*, inquiente, *pro eis ſemper, ut meminiſtis, offerimus, quoties martyrum paſſiones & dies anniverſarios commemoratione celebramus.* Jodocus Coccius lib. VI. de Euchar. art. 4. laudat nobis Hippolytum de conſumm. Mund. & Antichr. quod ſcripſerit de oblatione & ſuffitu, & de Pontificibus, qui purè Deo *ſacrificium die noctuque obtulerint, & pretioſum ſuum ſanguinem quotidie immolarint.* Methodius de reb. conting. *tolletur*, inquit, *honor à ſacerdotibus, & ſupprimetur myſterium Dei, & quieſcet omne ſacrificium ab Eccleſiis.* ℞. ad I. Corpus ſuum fecit ſacramentaliter, non ſubſtantialiter: alias dixiſſet: *hic*, ſcil. panis, eſt corpus meum: dum vero dicit *hoc*; innuit totum intelligi complexum. Ad II. Euchariſtiam

ristiam esse sacrificium materialiter sic dictum concedimus. Corpus enim & sanguis Christi, in S. Cœna exhibita, à Christo sunt in ara crucis olim Deo Patri oblata, eademque in Eucharistia nobis fruenda proponuntur. Offeruntur autem Deo, cum per & propter meritum corporis & sanguinis Christi oramus ipsum, & obtestamur, ut peccata nobis dimittere velit. Ista quoque oratio & laudes sacrificio comparantur à Malachia Propheta, explicante Tertulliano lib. III. & IV. advers. Marc. Cypriano propterea frequentissimum est Sacrificiis preces jungere, ut, credo, innuat, quo pacto istud sacrificium sit; & fiat, labiorum nempe victimas DEO cædendo. Hocque vocabulo libentius utebantur, quo propius accedebat ad ritus V. T. unde Patres frequenter loquendi formulas mutuati sunt. Accedebant etiam eleemosynæ, quas fideles pro egenis contribuebant, quæ & ipsæ sacrificiis comparantur. Denique ipsa distributio aliquo modo comparari potest Sacrificio: *In calice Domini sanctificando, & plebi ministrando, quidam non hoc faciunt, quod Jesus Christus Dominus & Deus noster, sacrificii huius auctor, & Doctor, fecit ac docuit.* ait Cypr. ep. 63. Ecce, quid Pater hic *sacrificium* vocet, nempe *calicem sanctificare, & plebi ministrare.* Revocentur igitur dicta objecta ad statum controversiæ, mox apparebit aliena ipsa esse à statu quæstionis, vel concludere à genere ad speciem affirmativè: Est sacrificium. E. missaticum, quod variis ridiculis cæremoniis peragitur: sicut actus universus describitur apud Schleidanum, laudante Chemnitio part. II. Exam. Conc. Trid. Taceo, quod quæ Baronius ex actis martyrum allegat, vehementer dubia, si non omnino adulterina, & fictitia sint. Largimur commemorationes martyrum & defunctorum esse factas in Eucharistiæ celebratione. vide Mornæ. de Euchar. l. 3. c. 10. Sed Eucharistiam pro animabus defunctorum in purgatorio ejulantibus esse oblatam, vel sacrificatam, ut placato Deo inde redimerentur, id ne suppositio quidem testimonio audent probare. His observatis non opus erit vel ad singula respondere, vel pluribus adducendis vacare.

4. Asservant & adorant.

§. 49. (4.) *Asservant, & adorant.* Christum in S. Cœna præsentem esse adorandum, extra controversiam est; sed panem, & quidem extra usum sacramentalem, esse corpus Christi, error est, nec Patres aliter statuerunt, aut panem adorari, vel asservari, circum-

circumgestari, proq; variis admirandis usurpari voluerunt. Audiamus enim quid ex Patribus afferant: Origenem citant, qui hom. XIII. in Exod. scribit: *Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo, cum fasciculis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione cavetis, ne ex pane quid decidat, ne consecrati muneris aliquid delabatur.* Et hom. 5. in div. *quando sanctum cibum, illudq; incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane, & poculo frueris; manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur; & tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc centurionem, & dicito: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Cyprianum, qui de Cœn. dicit: *panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro. Et sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat divinitas: ita sacramento visibili ineffabiliter se divina infundit essentia, ut esset religioni circa Sacramenta devotio, & ad veritatem, cuius corpus & sanguis sacramenta sunt, sincerior pateret accessus, usq; ad participationem Spiritus.* Acta Martyrum Nicomediensium apud Baron. an. 293. §. 2. & 3. meminerunt *ligneæ arculæ, in qua reposuerant sacram oblationem, cujus fiebant participes.* Acta Stephani Papæ apud eundem an. 260. §. 5. memorant Tarsicium quendam Acoluthum, *Christi corporis sacramenta portantem.* ℞. ad I. panem Eucharisticum, utpote κοινωνίαν carnis, esse honorificè tractandum, Origenes dicit, & nos probamus; adorandum vero esse neque Origenes affirmat: *calicis, aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur.* ait Tertul. de cor. milit. c. 3. manifestè docens, quod panis etiam consecratus adhuc sit panis. Ad 2. Plus ex eodem non infertur, nisi sacram Cœnam, propter præsentiam corporis & sanguinis Christi realem, esse reverenter accipiendam, id quod & nos contra Puritanos profanos urgemus: At quæstio nobis est de transsubstantiati corporis adoratione. ℞. ad 3. *Liber de cœna dispositione non solum Cypriani non est, verum neq; alicujus docti hominis est:* judice Bellarmino de script. Eccles. §. 250. p. 63. & tamen Coccius ausus est allegare. Ad 4. & 5. asservata fuisse, & ad ægrotos, vel alios morituros, deportari solita sacramentalia symbola, fatemur; sed adorata fuisse, quod tamen in quæstione est, id vero ne quidem allegata, suspecta etiam, testimonia dicunt.

§. 50. (5.) *Pomposo apparatu exornant:* ut sunt *altaria:* pro quibus adducunt testimonia, in quibus istorum fit mentio, ut 5. Pompose exornant, altaribus.

apud Origen. hom. II. in Num. c. 18. Tertul. c. 10. de orat. & c. 14. Exhort. ad cast. c. 10. Lib. de pœnit. c. 9. Cyprian. epist. 55. 64. 66.
Vasis: 72. 73. *Vasa*, quorum mentio fit apud Origenem hom. II. in Lev. Methodium Patarensem de reb. mund. Cyprianum serm. de laps.
Vestimentis, & Epist. 63. Tert. c. 7. de pudic. & c. 10. *Vestes*: Origenes *vestimentorum sanctorum* meminit hom. II. in Lev. Methodius in libro revel.
Thure, *indumenta* etiam *sacrata* laudat. *Thura*; Nam *suffitus* legitur apud Hip-
Osculis. polytum orat. de Antichr. *Oscula*, altari fixa, deducunt ex Tertull.
Gestibus. c. 14. de orat. *cum fratribus subtrahunt osculum pacis.* Varios gestus & cæremonias inter orandum usurpant, pectus tundendo, corde suspirando, oculos elevando, manus extendendo, genua flectendo &c. Unde hoc probaturiunt? E Clemente Alex. l. 7. strom: *Et caput & manus in cœlum extendimus, & pedes excitamus &c.* & Origene hom. 5. in Num. *genua flectimus orantes, & ex omnibus cœli plagis ad solam orientis partem conversi, orationem fundimus.* Adde Tert. c. 30. Apol. cap. 13. de Orat. Minucium Felicem in Octav. Cyprianum de Orat. Dom. Piget enim omnia isthæc adscribere. Jejuno stomacho sumendam cœnam, probant ex Tert. l. 2. ad uxor. c. 5. *ante omnem cibum* sumebant Eucharistiam. ex Cypr. ep. 63. qui improba-
℞. 1. re videtur post cœnam mixtum calicem offerre. ℞. I. Aras Christianis propriè sic dictas, nullas fuisse, probari potest è Clementis Alex. l. 7. strom. Origenis lib. 8. advers. Cels. Minucii Felicis Octavio, Lactantii lib. VI. c. 24. vide Mornæ. de Euch. l. 2. c. 1. quare ubi ararum fit mentio, mensas intelligunt Eucharisticas, à carne & san-
2. guine Christi. i. e. victima, aras dictas. 2. Origenes loquitur de vasis Leviticis, de quibus quæstio h. l. non est: *Invenimus & vasa imperii sancta vocitata, & vestimenta sancta dici, & loca nihilominus, quæ in urbibus, vel suburbiis posita sunt, & sacerdotibus deputata.* Methodius (qui tamen genuinus non est) *de sacris quidem vasis & calicibus* loquitur; at hæc bona nostra cum gratia adhiberi possunt, si absit opinio cultus, meriti, & necessitatis: Multo minus adversantur vel Tertullianus, vel Cyprianus, qui solius *calicis* mentionem fecerunt. Puritanorum hæ
3. sunt clitellæ, non nostræ. 3. De *Vestimentis* idem censemus. Miror autem quid apostatæ Coccio in mentem venerit, quod lib. VI. art. II. inter *improbantes* vestimenta retulerit Lutherum, cujus ipse hæc verba refert: *Vestes missaticas, templorum ornatus, & alia, quæcunq; hujus gene-*

generis sunt, indifferentia, & proinde libera esse judicamus; si quis volet, ille per me licet deserat. Si libera censuit, quî improbarit? 4. Hippolytus, qui de *suffitu* dixit, supposititius est, notatus à D. Calixt. tract. de supr. judic. p. 41. & Jesuita Justiniano ad 2. Petr. II. p. 458. 5. *Oscula* fideles sibi invicem fixisse ex Tertulliani l. c. disco; ritu hodie apud ipsos Pontificios, saltem palam, obsoleto; sed *sacerdotem celebrantem osculatum esse altare, librum, pacem*: quod Coccius in titulo præscripsit, & probandum suscepit, non lego. 6. *Gestus* in oratione observari solitos Clemens dicit fuisse elevationem manuum & capitum, & excitationem pedum; Origenes addit orientem, quem respiciebant, & genuflexionem; qui omnes innocui ritus sunt, dummodo superstitio non accedat. 7. Neque Tertullianus, neque Cyprianus, dicunt, *debere* jejunos Eucharistia uti; *solitum* id fieri, largiamur.

4.

5.

6.

7.

§. 51. III. *Pœnitentia*: Disceptatur (1.) de *genere*: An sit Sacramentum? Affirmant Papistæ, & probaturiunt ex Tertul. de pœnit. qui dicit, *Deum collocasse in vestibulo pœnitentiam secundam* (per primam intelligit baptismum) *quæ pulsantibus patefaciat*: vide Bell. lib. 1. de pœnit. c. 10. Et Cocc. lib. VII. de pœnit. art. 1. qui plura loca Tertulliani, Clementis Alex. Origenis, Dionysii Alex. Cypriani, Lactantii, adducit. (2.) de *partibus*, quarum Pontificii tres faciunt, contritionem cordis, confessionem oris, & satisfactionem operis. In *genere* eundem Tertullianum in partes advocant, qui dicto loco scribat, pœnitentem *ingemiscere, lacrymari, & mugire dies ac noctes*; quæ est descriptio contritionis; *sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, jejuniis preces alere &c.* quæ est satisfactio; denique est *Exomologesis, ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuncians pro Dei indignatione fungatur*: hæc est confessio oris, adeoque habemus tres pœnitentiæ partes. *In specie* pro *contritione cordis*, allegari posset istud factum Natalii pridem apostatæ, sed deinde reversi. Nam *magno mœrore & lacrymis ad pedes Zephyrini Pontificis se supplicem abjecit*, cum pœnitentiam ageret: referente ex quodam antiquo scriptore Euseb. lib. VI. hist. Eccles. c. ult. Cyprianus de lapsis §. 14. *lamentationis & doloris, & delicti memoriæ* mentionem facit. Pro *confessione oris* laudant illud Tertulliani ex libro de pœnitentia, cum conqueritur: *plerosq; hoc* (Confessionis) *opus,*

III. *Pœnitentia.* 1. Sacramentum.

2. Partes, ut

Contritio cordis.

Confessio oris.

opus, ut publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores, quam salutis: Origenis, qui homil. 13. in Lev. disserit: *peccator non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum:* & hom. 3. in Lev. *Etenim omni genere pronuncianda sunt, & in publicum proferenda cuncta, quæ egerimus: si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari.* Confer homil. 2. in Psalm. 37. apud Bell. lib. 3. de pœnit. c. 7. Canis. oper. Catech. p. 269. Cocc. de pœnit. art. III. lib. 7. fol. 810. 814. qui alia ex Tertulliano, & Cypriano testimonia producit. *Pro satisfactione operis* allegant ea omnia, quæ afflictionem corporis concernebant in agenda pœnitentia. Præmisimus quædam p. 527. 839. Quædam restant addenda. Euseb. lib. V. c. ult. Natalium pœnitentem refert *cilicio, & sacco indutum, cineribus aspersum &c.* ad pedes Zephyrini sese abjecisse. Jejunia imprimis frequentabantur. Tert. c. 9. de pœn. jubet in pœnitentia *jejuniis preces alere.* Fuisse has & similes propriè pœnas, inde videtur constare, quod dimissa culpa relinquatur pœna, & hac persoluta ipsum expietur peccatum. Vult enim Deus, ut peccator *convertatur & vivat, pœnitendo, flendo, satisfaciendo deleat, quod admissum est:* juxta Origen. hom. VI. in Exod. & in Lev. hom. 2. *si in amaritudine fletus, luctu, lacrymis, & lamentatione confectus fueris, si carnem tuam maceraveris, & jejuniis, ac multa abstinentia aridam feceris, & dixeris, sicut frixorum confrixa sunt ossa mea, tunc sacrificium similam à sartagine, vel à craticula obtulisse te noveris.* Et hom. 3. in lib. judic. *Humilia te ipsum Deo, & satisfacito ei in confessione pœnitentiæ; Non exspectes, ut humiliet te Chusasarton, & invito necessitas extorqueat pœnitentiam; sed ipse præveni tortoris istius manus: quia si te ipse emendaveris, si te ipse correxeris, pius est Deus, & misericors, qui vindictam temperet ab eo, qui illam pœnitendo prævenit.* Adde locum ex Gregorio Neocæsareensi supra p. 840. allegatum. Tertulliani liber de pœnit. c. 5. seqq. aliquot argumenta suppeditare videtur: dicit enim *per delictorum pœnitentiam* Deo *satisfieri; pœnitentiæ compensatione redimendam proponi impunitatem: satisfactionem confessione disponi, confessionem pœnitentia nasci, pœnitentia Deum mitigari: temporali afflictione æterna supplicia* non tam *frustrari*, quam *expungi*. Cyprianus ep. 26. scribit: *illi ipsi oculi, qui male simulacra conspexerunt, quæ illicita commiserunt, satisfacientibus Deo fletibus deleant.* ep. 40. *Deus longa* (orationum) *& continuæ*

& satisfactio operis.

satis-

satisfactione placandus est. ep. 52. *pro abluendo & purgando delicto tuo largiter & frequenter operare.* ep. 55. *Satisfactionibus & lamentationibus justis delicta redimantur: vulnera lacrymis abluantur.* ep. 59. *Domino Deo, in quem deliquerat, satisfecit.* ep. 64. jubet *satisfacere, & ad Dominum exorandum diebus ac noctibus, lachrymis, & orationibus, & precibus incumbere.* De oper. & eleemos. ait: *Solis eleemosynis Deum posse placari.* De laps. ait, Deum *satisfactionibus moveri.* Firmilianus ep. 75. Cypr. scribit: *Domino plenius satisfacere cogantur.* Sufficiant hæc.

§. 52. Monendum in genere quis status controversiæ inter nos & Pontificios sit? nempe hic: an pœnitentia sit Sacramentũ conferens gratiã per contritionem cordis, confessionem oris, & satisfactionem operis, tanquam quædam organa, & merita, quæ cum verbo absolutionis constituunt Sacramentũ? vide Chemnit. part. 2. Exam. p. 315. seqq: Statu sic formato, facile erit ad præmissa respondere. Ad. 1. ad Sacramentum requiritur elementum terrenum & visibile, divinitus ordinatum, & promissio gratiæ justificantis & salvantis, ut patet ex collatione baptismi & Eucharistiæ, Sacramentorum in confesso talium; at neque Tertullianus, neque Clemens Alex. neque Origenes, neque Dionysius Alex. neque Cyprianus, neque Lactantius eas partes expresserunt: Sit pœnitentia per fidem *janua gratiæ*, seu *ignoscentiæ; dedicaverit Deus pœnitentiam, rescissa sententia irarum pristinarum;* sit *vita; liberet à naufragio:* sit *bonum mediante pœnitentia à morbo convalescere; expurget locum animæ à peccatis; sit secundæ regenerationis specimen; salvemur, ubi ingemuerimus; liberemur à condemnatione per pœnitentiam; recipiamur in sinum Ecclesiæ per pœnitentiam; sit remissio peccati pœnitentiæ fructus; pœnitentes solvantur à peccatis; inflectat Dominum ad veniam; purget homines à peccatis, clementia Dei pœnitendo placetur; sit ultimum remedium ad quod confugiamus:* qui nervus est dictorum apud allegatos auctores: quid inde? Sacramentum? Absit. Accedat enim & elementum necesse est, quod dicti auctores nullum divinitus, & constanter constitutum assignarunt, quare non nisi generalius loquendo cum Apologia Augustanæ Confessionis Sacramentũ esse permittimus. Ad. 2. ℞. dist. inter pœnitentiæ signa, s. Symbola, & partes propriè sic dictas. Quæ pro-

(margin: ℞. ad. 1.) (margin: Ad. 2.)

Mmmmmm

prolixè enumerata, sunt quidem signa, & symbola seriæ pœnitentiæ, à quibus describitur ipsa; sed partes esse, & quidem illius divinitus imperatæ pœnitentiæ, quæ interna est, & in controversiam venit, hoc est, quod negamus. Ad. 3. ℞. dist. inter satisfactionem Deo & Ecclesiæ factam; lacrymæ, humicubationes, jejunia, saccus, & cilicia &c. satisfactionem quidem præstant hominibus scandalo affectis, non autem Deo, qui non nisi Sanguine filii sui placatur. *Dicas*: allegata testimonia urgere, & promittere satisfactionem non tam hominibus, quam Deo præstandam: *per delictorum pœnitentiam* pœnitentem *Domino satisfacere*, ait Tertullianus c. 5. de pœnit: *Pœnitentia Deus mitigatur. Et Deo patri misericordi precibus & operibus suis satisfacit* &c. Cypr. ep. 10. ℞. Satisfit Deo pœnitentia, sed non qua ista est nostrum opus; sed qua fides apprehendit Christum, qui pro nobis Deo satisfecit: Nos ordinem solum observamus, quem Deus observatum vult ab iis, qui idoneum sunt remissionis objectum.

Ad. 3.

Indulgentiæ.

§. 53. *Remedium* pænitentiæ impositæ erant *indulgentiæ.* Pro quibus allegant Tert. c. 2. ad Martyr. *Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, à martyribus in carcere exorare consueverunt, & ideo etiam propterea in votis habere, & fovere, & custodire debemus, ut si forte & aliis præstare possitis.* Apud Cyprianum præsertim frequens est indulgentiarũ mentio quas dicebant *veniam, pacem*, &c. Et fiebat iis præsertim, qui martyrum intercedentium, vel remittentium, libellis erant instructi. ℞. dist. inter indulgentiam, seu veniam pœnarum divinitus, & humanitus dictatarum. Fatemur, in primativa Ecclesia remissum esse nonnihil de pœnis, sed quas disciplina Ecclesiastica dictitaverat, & gratis quidem, sine pretio numerato; Longe secius, quam hodie & heri in papatu fit & factum est; ubi numerata pecunia, vel alio aliquo æquivalente præstito, indulgentia promittitur à pœnis etiam à Deo infligi solitis.

V. unctio extrema.

§. 54. V. *Extrema unctio.* Pontificii jamjam morituros oleo inungunt sacramentali, ut putant, & idoneo perducendo homini ad vitam æternam. Origenes hom. 2. in Levit. dicit, *cum lavat peccator lacrymis stratum suum &c. in quo impletur & illud: si quis*

si quis infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo. &c. citante Bell. lib. 1. de extr. unct. c. 4. Cocc. art. 6. l. 7. Thes. R. Locus nihil ad rem facit. Origenes enim agit de pœnitentia coram confessario agenda, & quærenda ab ipso medicina, ut impetretur remissio peccatorum: *Dixi, pronunciabo adversum injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.* Ex Psalm. 32. & mox tanquam locum parallelum subjungit monitum Jac. V. 14. quod eodem tendit. Ungendum vero talem esse oleo, & quidem sub finem vitæ, ut gratiam apud Deum consequatur, quod in quæstione est; hoc Origenes non dixit. vide Cham. Panstr. Cath. tom. IV. c. 21. §. 11.

§. 55. VI. *Ordinem* esse Sacramentum Origenes dicit homil. 7. in Jerem. *Nos, qui putamur aliquid esse, i.e. qui in Clericatus vobis ordine præsidemus.* &c. Tertullianus quoque exhort. ad castit. c. 7. ait: *Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis consessum sanctificatus à Deo. Ubi Ecclesiastici ordinis est consessus, & offert, & tingit sacerdos, qui est ibi solus.* Cyprianus suffragatur, scribens (de cardin. Christi opp. capite de ablutione pedum) *Docemur, quæ sit baptismi, & aliorum Sacramentorum stabilitas: Nam baptismum repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ, & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere. Nemo sacros ordines semel datos iterum renovat; nemo sacro oleo lita, iterum linit, aut consecrat: nemo impositioni manuum, vel ministerio derogat sacerdotum.* R. in his quidem testimoniis lego *ordinem* sacrum; sed eundem esse *sextum novæ legis Sacramentum, quo certa gratia, & potestas Spiritualis quibusdam viris tradatur*: &c. ut Coccius ait, istud vero non lego. Taceo, quod tractatus de cardinalibus Christi virtutibus Cypriani non sit. VI. Ordo.

§. 56. VII. *Matrimonium*, ut Coccius Thes. tom. II. lib. IX. art. 1. sententiam Pontificiorum expressit, *rectè inter Sacramenta novæ legis referri* idem conatur probare ex Clemente Alex. qui lib. 3. strom. scribat: *sacramentum hoc ad Christum & Ecclesiam ducit Apostolus.* Et lib. IV. strom. *Sanctificatur*, inquit, *quod per verbum perficitur matrimonium.* Tert. lib. 2. ad uxor. c. 9. laudat matrimonium, *quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum* VII. *Matrimonium* quod (1) Sacramentum.

tum Angeli renunciant. De Monog. c. 5. *Christus unam habens Ecclesiam Sponsam, secundum Adæ & Evæ figuram, quam Apostolus in illud magnum Sacramentum interpretatur, in Christum & Ecclesiam competisse.* Confer c. 11. advers. Valent. c. 30. de præscr. c. 40. De anim. c. 21. & 27. lib. 1. adv. Marc. c. 29. Minuc. Fel. in Octav. Cyprian. de discipl. & bon. pudic. de nativ. Christ: Et Lactant. lib. VI. c. 23. & in Epit. div. instit. c. 8. Origen. hom. II. in

(2) illicitum adulterium passis. Exod. lib. VIII. in epist. ad Rom. II. *facto divortio non licere separatis, etiam innocentibus, novas inire nuptias*, idem art. 3. probare allaborat ex Clement. Alex. l. 2. strom. c. 12. *Adulterium existimat* (Christus) *conjungi matrimonio, vivo altero ex separatis.* Orig. tract. 7. in Matth. in vehitur in eos, qui *permittunt aliquam nubere, viro priore vivente.* Tertul. l. 2. contr. Marc. c. 34. conciliaturus Christum cum Mose, ait, *non licet* (uxorem) *dimitti, ut alia ducatur.* Et de monog. c. 9. *qui dimissam à viro duxerit, adulterat.* & c. 11. *repudiatis non permittit nubere Apostolus, adversus pristinum præceptum.*

℟. ad 1. ℟. ad 1. Matrimonium Spirituale inter Christum & Ecclesiam esse mysterium, seu Sacramentum, certum est ex SS. literis Eph. V. 32. Sed conjugium inter maritum & uxorem propterea esse propriè, & specificè dictum (hoc enim disceptatur) Sacramentum, è Clementis loco non constat. Matrimonium esse *sanctum* nos præcipuè contendimus, adversus contemptores sanctissimi status; at non omne sanctum est Sacramentum. *Remedium* est infirmorum juxta Origenem; cur ergo Papistæ suos, continere sibi non valentes, ipso hoc remedio interdicunt? Apostolos dicit *idem habuisse conjugia*, qui tamen *Sancti* extiterunt, quare cum sanctitate non pugnat. Ecclesiam conciliare matrimonium, confirmari oblatione, & obsignari, quid hoc facit pro Sacramento? De monogamia liber Montanisticus est totus. Sacramentum esto, sed quo sensu idem alia quoque Sacramenta. i. e. rerum sacrarum signa dixit: quot autem hoc sensu habebimus Sacramenta? Reliqua loca prorsus extra oleas vagantur, quia ne vocis quidem meminerunt, ne dum definitionis Sacramentalis.

℟. ad 2. ℟. ad 2. Clemens apertè limitat ad casum adulterii. *Non dimittes uxorem, præterquam propter fornicationem.* In quam sententiam etiam Origenes acci-

accipiendus est, utpote qui allegat dicta Rom. VII. 3. seqq: Haud aliter Tertullianus, *Illicite*, ajens, *dimissam pro indimissa ducens, adulter est*. At quæ propter adulterium dimittitur, legitime dimittitur. Et de monog. c. 9. *qui dimiserit uxorem suam, præterquam ex caussa adulterii, facit eam adulterari*. Confer Dn. D. Dannh. Christeid. p. 963. 980. Cham. tom. 4. Panstr. f. 114. §. 3.

4. de *Effectis* mediorum

I. De *Justificatione*: contra fidẽ

§. 57. Absolvimus μυστηριομωρίαν Papæam. Progredimur ad alia, nempe IV. *Effectus* mediorum divinitus ordinatorum. In quibus est (1.) *Justificatio*. Hanc nos dicimus fieri per *fidem*, quæ est notitia, assensus, & fiducia. Pontificiis est *initium* tantum justificationis: probare volunt è Clem. Alex. l. 2. strom. Qui, *Fides*, inquit, *est prima ad salutem inclinatio, post quam timor, & spes, & pœnitentia*. & lib. 5. *quando audierimus, fides tua te salvum fecit, non accipimus absolutè eos salvos futuros, qui quomodocunq; crediderint, nisi facta quoq; fuerint consecuta*. Et Origen. in c. 4. ad Rom. *puto*, inquit, *quod prima salutis initia, & ipsa fundamenta fides est. Profectus vero, & augmenta ædificii spes, perfectis autem, & culmen totius ædificii charitas*. Ex quibus dictis videtur sequi, *solam* fidem non justificare. Ignorantiam esse fidem ex Clementis pæd. c. 11. Bellarminus probare conatur: *Fides non sapientum secundum mundum, sed eorum, qui secundum Deum sunt sapientes; possessio est. Illa autem etiam absq; literis discitur, ejus autem scriptum, quod & ad rudes, & ad ignorantes pertinet, & est divinum, charitas vocatur*. ℞. ad. I. II. III. apud Dn. D. Dannh. p. 951. 952. 964. Christeid. Ad IV. Cham. t. 3. Panstrat. l. 12. c. 8. §. 4.

Pro meritis operum.

§. 58. *Pro meritis operum*: varia sunt, quæ circa hanc materiam controvertuntur; Nos igitur compendium facturi, removebimus prius ea, quæ extra controversiam sunt, quam proponamus controversa. Extra controversiam est: an opera divinitus mandata sint facienda? An regeniti opera verè bona facere possint? An bona opera facientibus vita æterna sit promissa? Ultro hæc largimur omnia: Quo ipso bona pars eorum argumentorum perit, quæ adversus nos ex patribus producuntur. Quæritur autem I. *in genere*: An bonis nostris operibus mereamur sive ex congruo, sive ex condigno, vel servemus, gratiam, justitiam, & salutem? Affirmant Papistæ, & in

Controversia. I.

his Jodoc. Coc. t. 2. Thes. art. 3. lib. III. apud quem citantur Tert. c. 48. de resur. carn: qui dicit, unumquemque in suo ordine vivificandum, s. ex mortuis resuscitandum, juxta *merita* corporum. Lib. II. contr. Marc. c. 6. ubi laudat *arbitrii nostri merita.* In Scorp. c. 6. ait: multas esse apud Patrem mansiones *pro varietate meritorum.* Clemens Alex. l. 2. strom. *dilectio perficit*, dicit. & l. 3. *non sola justificat castitas, sed nec sabbatum Eunuchi, nisi fecerit mandata.* Lib. IV. *Deus omnibus omnia distribuit pro meritis, cum justa sit dispensatio & œconomia.* Lib. V. *gratia servamur, sed non absq; operibus bonis.* Lib. 6. quando audierimus: *fides tua de salvam fecit, non accipimus eum dicere absolutè, eos salvos futuros, qui quomodocunq; crediderint, nisi facta fuerint consecuta.* Lib. VII. *Deus æternam salutem dat iis, qui illi opem ferunt, cooperantur cum eo ad cognitionem, & ad bonas actiones.* In paræn. *Ne pigeat vos laborasse, licet vobis, si velitis, pretiosissimam salutem emere proprio thesauro, charitate, & fide vitæ.* Hippolytus d. cons. mund. *omnes pro dignitate remunerabor, omnibus pro cujusq; labore mercedem præstabo, omnibus pro suo certamine præmia rependam.* Origenes homil. 1. in Ezech. dicit, nos *per bona nostra caussas salutis nostræ fieri.* In Cant. homil. 3. *dupliciter constat salus credentium, per agnitionem fidei, & operum perfectionem.* Tract. 32. in Matth. *Qui profitentur quidem fidem in Jesu, non autem præparant se bonis operibus ad salutem, assimilantur virginibus fatuis.* In cap. 2. ad Rom. *inquiramus de justo Dei judicio, in quo reddet unicuiq; secundum opera sua.* In cap. 3. ad Rom. *Fortassis hæc aliquis audiens resolvatur, & bene agendi negligentiam capiat: siquidem ad justificandum sola fides justificat. Ad quem dicimus: quia post justificationem si injustè quis agat, sine dubio justificationis gratiam sprevit.* Cyprianus de unit. Eccles. ait: *Justitia opus est, ut promereri quis possit Deum judicem. Præceptis ejus & monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem.* De oper. & eleem. Deum dicit *meritis atq; operibus nostris præmia promissa contributurum esse* &c. *nusquam Deus meritis nostris ad præmium deerit*: Epist. 14. *Obsequiis nostris & operibus justis Dominum promereri asserit.* Zeno Veron. invit. 5. ad font. *Quantum quis crediderit, & operatus fuerit, tantum beatitudinis & habebit.* Victorinus Petab. in Apoc. *Non satis est Christianum dici, & ipsum confiteri, & Christum in opere non habere. i. e. ejus præcepta non facere.* Lact. lib. 3. instit. c. 9.

Servire

Servire Deo nihil aliud est, quam bonis operibus tueri, & conservare justitiam. De opif. Dei. c. 20. bona opera faciens *vitam merebitur sempiternam.* In epit. instit. c. 12. *incorruptibiles sibi thesauros bonis operibus acquirat.* Hactenus testimonia ex Coccio allegata. Plura quidem apud alios quoque occurrunt, sed eorum solutio ex his discussis facile elicietur.

§. 59. Igitur ℞. I. *meritum* est vel justitiæ commutativæ, vel gratiæ: & *mereri* est vel simpliciter aliquid impetrare & consequi, vel ex dignitate operis, seu meriti. Fundamenta earum distinctionum ex allegatorum quibusdam testimoniis apparent. Juxta Cyprianum *meritis atq; operibus nostris* PRÆMIA *promissa sunt*; & per eundem *nusquam Deus meritis nostris ad* PRÆMIUM *deerit.* Hippolyti sententia *omnibus pro suo certamine* PRÆMIA *rependentur.* Arnobius lib. 1. suffragatur: *gratiam*, inquiens, *cum ordinaveris, non accepisti, quia gratuito eam non meruisti.* Ex quibus testimoniis patet, apud Patres *merita* dici, quæ *præmia*, adeoque *gratuita* dona, apud ipsosmet appellantur. vide Dn. D. Dannh. Christeid. p. 997. aliqua ex Cypriano loca adducentem. Atque ita explicari possunt & alia testimonia apud Latinos Patres occurrentia, qui vocabulum *mereri* juxta stylum receptum generaliter usurparunt. II. ℞. aliud est fidem, quæ est sola, seu sine bonis operibus, salvare, & aliud est, solam fidem, non opera, salvare. Patres adversus hypocriticam, vel meram historicam, fidem disputantes, negant, & nos cum ipsis, eam fidem salvare, quæ fructus bonorum operum non producit; & eos esse justificatos, vel salvandos, qui carent bonis operibus, aut malis student perpetrandis. Hoc sensu rectè dico, *absq; operibus nos non servari*; *si injustè quis agat, sine dubio justificationis*, etiam salutis, *gratiam spernere*; & nego, *eos salvos futuros, qui quomodocunq; crediderint, nisi facta fuerint consecuta.* Illi sunt salvandi, qui bonis operibus faciendis Deo *cooperantur*; cooperari enim Deum & jam justificatos nostra sententia est. *Qui profitentur quidem fidem* (ut faciunt hypocritæ) *in Jesu, non autem præparant se bonis operibus in salutem, assimilantur fatuis virginibus.* Adeoque *non satis est Christianum dici, & ipsum confiteri, & Christum in opere non habere, i. e. ejus præcepta non facere.* Hinc vero non licet

cet concludere. E. non sola fides justificat: Ipse enim Coccius lib. 3. art. I. citat Origenis testimonium ex comm. in cap. III. ad Rom. *Dicit* (ait de Apostolo Paulo) *sufficere* SOLIUS FIDEI *justificationem, ita ut* CREDENS *quis* TANTUMMODO *justificetur, etiamsi* NIHIL *ab eo* OPERIS *fuerit expletum. Imminet igitur nobis, qui integram esse scripturam Apostoli conamur asserere, & ordine suo cuncta constare, ut requiramus, quis* SINE OPERIBUS SOLA FIDE JUSTIFICATUS *sit*? Subjicit mox exemplum latronis in cruce; Mulieris peccatricis, & alia Evangelicæ historiæ loca, ubi Salvator CREDENTIS FIDEM *caussam dicat* SALUTIS *ejus*. Nisi igitur commodè explicentur loca Origenis superius objecta, mendo & suspicione non carebunt, tanquam à Ruffino Semipelagiano intrusa, vel corrupta, quod alibi quoque observatum est. vide Dallæ. de suppos. l. 2. c. 40. p.
℞. III. 474. seqq: III. Aliud est *secundum* opera, aliud *per* & *propter* dignitatem operum dare vitam æternam. *Secundum* opera judicaturum Christum, & distributurum esse præmia fatemur, & hoc ipsum Patres dicunt; *Deus omnibus distribuit pro meritis, cum justa sit dispensatio & oeconomia, omnes pro dignitate*, scil. qua Christus eos dignatus est, *remuneratur: Reddet unicuiq; secundum opera sua.* Imprimis hoc valet de gradibus gloriæ: *Quantum* enim *quis crediderit & operatus fuerit, tantum beatitudinis & habebit.* Negamus autem *per* & *propter* opera justitiam ipsum & vitam æternam da-
℞. IV. re. IV. Aliud est conservare justitiam negative, aliud positive. Bonis operibus conservamus justitiam negative, in quantum bona facientes opera non perpetramus mala, quibus fides, Spiritus Sanctus, & vita æterna amittuntur: minime autem *positive*, quasi bona opera influerent sua virtute, aut merito in fidem, aut justitiam coram Deo justificantem, & ipsam salutem
℞. V. æternam. V. Si omnino nonnulli Patres alicubi errassent in loco de meritis operum, Pontificios tamen non juvarent, nec nos premerent; quia ante Pelagium securè esse locutos, ut vel gentilibus vitam æternam per & propter opera sua, justitiam, & salutem adscripserint, quod inter alios & Clemens Alexandrinus fecit, id puto cordatiores ipsosmet Pontificios non negare.

§. 60.

§. 60. II. In *specie* descendimus ad loca, quæ *singularum* virtutum vim & merita extollere videntur. Possemus equidem supersedere huic labori, quia jam fontes ostensi sunt, unde responsa ad ea quoque loca, quæ pro singulis virtutibus militare putantur, possunt derivari. Ne tamen conquerantur adversarii, nos ipsorum aliquod argumenti genus præteriisse, aut alicujus formidinis nos insimulent, maluimus hoc quoque ipsorum gratiæ dare, & objecta allegare. *Pro merito orationis* allegant Clementem Alex. l. 5. strom. ubi dicit: *recta vita assiduitate & orationibus, quæ fiunt sine intermissione, dicti sunt* (Matt. XI. 12.) *vim afferre*, nempe *regno cælorum*: In lib. VII. disputans adversus Prodici cujusdam hæresin, multis ostendit, Deum dare iis, *qui sunt digni*, nempe orantibus & petentibus: Origenem, qui homil. II. in Exod. dicit: *si vis vincere inimicos, eleva actus tuos, clama ad Deum*: Hom. 13. in Num. producto Mosis orantis adversus Amalec exemplo, sibi quoque preces, & talia *requirenda verborum arma* putat: Tertullianum, qui c. 9. de orat. *præmissa legitima & ordinaria oratione, quasi fundamento*, impetrari optata dicit: Confer lib. 2. contr. Marc. c. 26. Cyprianum d. orat. Domin. Lactant. div. instit. l. VI. c. 25. apud Jod. Coc. lib. III. Thes. tom. 2. art. 4. Pro merito *jejuniorum* laudat idem art. 8. Origenem, qui homil. IV. in div. dicit: *propter regnum cælorum jejunate. Cum autem jejunatis per sanctorum viam* (puta in cœlum) *pergite; ipsius Domini vestigia sequimini.* Tertullianum, qui c. 40. apol. scribit, jejunantes *invidia cœlum tundimus, Deum tangimus, & cum misericordiam extorserimus, Jupiter honoratur.* c. 4. ad Scap. *jejunationibus siccitates esse depulsas* gloriatur. Lib. d. res. c. 8. ait, *jejunia* esse *sacrificia Deo grata.* Lib. de jej. c. 7. *per hanc mœroris sequelam & medium etiam civitas illa peccatrix Ninive de exitio prædicato liberatur.* Addit c. 17 Cyprianum quoque serm. de jejun. & tentat. Christi: qui ait: *jejuniis vitiorum sentina siccatur* &c. Lib. d. Laps. *Daniel jejuniis Deum promereri nititur.* Specialius loquendo commendant veteres jejunia stata, ut die *Mercurii* & *Veneris* Clemens Alex. l. 7. strom: & quadragesimam; *Habemus* enim, ait Origenes, *quadragesimæ dies jejuniis consecratos; habemus quartam & sextam septimanæ dies, quibus solenniter jejunamus*: homil. 10. in Levit. quo autem

Controversia 2. de virt: In *specie:*

(1.) oratione

(2.) jejuniis.

(3.) statis.

fine? *ut terribilem ejus passionem transeuntes, ad beatam ejus resurrectionem venire mereamur*: in Job. l. 1. Dionysius Alex. in epistola ad Basil. inter alia scribit: *unanimi sensu atq; consensu profitentur omnes, usq; ad illud animos jejunio humiliare oportere.* Confer Tertul. l. 2.
(4.) à certis cibis. ad uxor. c. 4. &. c. 13. adv. Psych. de jejun. Cypr. serm. de jejun. Intra hoc tempus decet abstinere à cibis non quibus vis, sed *titillantibus, & ad venerem incitantibus.* juxta Clem. Alex. lib. II. pædag. c. 1. Qui hoc faciunt, *humilitatem animæ suæ in victus quoq; castigatione Deo immolant*: censente Tertul. c. 9. de cult. fæmin. *Siccas autem & aridas escas* commendat. c. 8. de ref. quas uno vocabulo *Xerophagias* appellat, c. 1. & 15. de jej. *Eleemosynis* magnam
(5.) Eleemosynis quoque vim tribuunt; *servare* enim, & *servari* ipsis operantem putat Clem. Alex. l. 2. strom. Origenes lib. 2. in Lev. arbitratur tertiam peccatorum remissionem *eleemosynis dari*; & in c. 12. epist. ad Rom. *conferre vitam æternam* eleemosynas judicat. Cyprianus d. eleemos. inter multa Eleemosynarum elogia etiam hoc ponit: *Eleemosynis atq; operibus justis delictorum flamma sopitur.* Et de abus. secul. c. 4. *pro æterna*, inquit, *remuneratione sponte distribuendum est.* Lactantio jubente lib. 6. div. instit. c. 13. *debent largitione perpetua peccata carnis aboleri*: addita promissione: *Deus, in cujus conspectu bonum feceris, & probabit, & mercedem pietatis exolvet.* Hactenus objectiones.

℞. ad I. §. 61. ℞. ad I. *rectæ vitæ assiduitate & orationibus*, ex fide factis, homines arripere vitam æternam, ut Clemens dicit, nobis non adversatur; neque impugnat Lutherum, (quem citat Coccius) cum scripsit: *Non existimamus Deum placari murmure, aut recitatione precationum, ut hactenus observatione cæremoniarum factum est.* Loquitur enim Lutherus de opere operato, in quo Pontificii confidebant, qualem battologiam etiam Christus reijcit Matth. VI. 7. Neque Clementis locus allegatus probat aliud; nisi qui sint illi, qui à Deo aliquid petentes accipiunt, nempe studentes piæ vitæ, & orationibus; accipere vero id sub ratione *operis boni*, id Clemens non dicit. *Fidei* hoc muneris adscribit fol. 550. Multo minus alter locus nobis obstat, quippe qui id probat, quod ipsimet nos dicimus, esse orandum, si quid à Deo obtinere velimus: Illi demum *digni* sunt,

ſunt, non ſuo aliquo merito, ſed ex ordine divino; qui ipſum oraverint. Ita, quod Origenes dicit, ambabus largimur nos quoque manibus, precibus eſſe inimicos vincendos. Perinde & Tertulliano annuimus, cum vult preces ad Deum fundi pro impetrandis ab ipſo petitis; Admittimus etiam, quod de Moſe l. 2. contr. Marc. ex c. 32. Exod. allegat, quomodo Dei iram precibus averterit. Cyprianus equidem papiſtis favere videtur, cum l. c. inter alia dicit: *Qui in die judicii præmium pro operibus & eleemoſynis redditurus eſt, hodie quoq; ad orationem cum operatione venienti benignus auditor eſt*: Aſt non favet. Diſputat enim adverſus hypocritarum preces, qui Deum orant, ipſi interea nullis bonis operibus, adeoque nec vera fide, præditi: *Nec enim verbis tantum, ſed & factis*, ut ſunt eleemoſynæ, *Dominus orare nos docuit.* Et rurſus: *inefficax petitio eſt, cum precatur Deum ſterilis oratio.* Lactantius de oratione, ut opere meritorio, plane tacet. Omnia igitur loca objecta laborant ignorantia elenchi, dum probant, orantibus Deum eſſe propitium, quod & nos dicimus, quia vere orantes *vera fide* præditi ſunt: non quia, & quatenus, *bonum opus* faciunt, quo aliquid mereantur.

§. 62. ℞. ad. 2. *Homiliæ in diverſa loca Evangelii ſine dubio non ſunt omnes Origenis*, judice Bell. d. ſcript. tit. Orig. dubium igitur eſt, an & homilia 4. ſit ipſius. Tertullianus deſcribit ſubjectum, quod cœlum tundit à ſignis veræ fidei, & ſeriæ orationis, minimè autem à cauſſis: Eſto, *jejunationibus* ſiccitates ſint depulſæ, iſtis tamen Tertullianus aliud nihil intelligit, quam *orationes, ad Deum factas* à jejunantibus, ut itidem ſeſe explicuerat: Jejunia ex vera fide profecta eſſe Deo grata ſacrificia per nos licet; dummodo meritum abſit. Quod ex libro de jejuniis allegatur, è lacunis Montaniſticis petitum eſt. Habent igitur de quo glorientur Papiſtæ! Cypriani ſermo de jejunio & tentationibus Chriſti ab ipſo Bellarmino inter *ſuppoſititia, vel dubia* ſcripta refertur. Quo ſenſu vox *promereri* apud patres ſumatur, ante dictum eſt. ℞. ad. 3. Fuiſſe quædam in ſeptimana jejunia, fatemur, ſed negamus lege fuiſſe imperata apud Catholicos orthodoxos: Tertullianus certe in libello adverſus Pſychicos, cum ſtudioſè collegiſſet dies, quibus Catholici jeju-

ad. 2.

ad. 3.

jejunare solerent, solius meminit parasceves, & sabbati paschalis, nullius autem quadragesimæ, aut quatuor temporum, aut vigiliarum, aut adventus, aut sabbati, aut quartæ, vel sextæ feriæ: Nec diffiteri potuit Nicolaus Rigaltius *ævo Tertulliani in Africa, integrum, sive solidum jejunium commune ac publicum non fuisse, nisi dominicæ passionis die, eoq; die ac jejunio omissas fuisse sacrificiorum orationes, omisso pacis osculo. Sed usitatissima certis per reliquum annum diebus spontanea, seu privata, & propria cuiq; pro sua religione jejunia.* Hæc Pontificius ad Tertul. de orat. p. 43. ut adeo pateat, reliquos dies *passivè cucurrisse, neq; sub lege præcepti.* Origenis ex homil. 10. in Levit. locus, petitus est ex homilia, quæ solum Latinè, nescio cujus de versione, extat, & à Bellarmino lib. IV. V. D. c. 11. non tanti æstimatur: *respondeo*, ait, *homilias illas in Leviticum non esse B. Cyrilli, sed Origenis, vel* NESCIO CUJUS *alterius, qui passim literam destruit, & mysticos sensus ex capite suo statuit; proinde homilias illas non esse magnæ auctoritatis:* Hæc ille. Sit vero testimonium genuinum, attamen N. C. quadragesimale jejunium eo modo fuisse, quo hodie celebratum. Multum enim variatum fuit, ut vel ex unius Dionysii ad Basilidem epistola paschali apud ipsum Coccium art. 9. lib. 3. f. 293. patet. *Libri tres in Job non videntur esse Origenis* Bellarmino de script. sit. Orig. quare nec locus allegatus esse videtur Origenis. Dionysius Pontificiis potius adversatur, quando ad Basilidem scripsit: *μηδὲ τὰς ἓξ τῶν νηστειῶν ἡμέρας ἴσως, μηδὲ ὁμοίως, πάντες διαμένουσι, ἀλλ' οἱ μὲν καὶ πάσας ὑπερτιθέασιν ἄσιτοι διατελοῦντες; οἱ δύο, οἱ δὲ τρεῖς, οἱ δὲ τέσσαρες, οἱ δ' οὐδεμίαν.* i. e. *neq; sex ipsos jejuniorum dies æqualiter, aut similiter omnes sustinent, Sed alii quidem omnes transmittunt, jejuni permanentes; alii duos, alii tres, alii quatuor, alii nullum.* Hæc verba dicunt, non fuisse quadraginta fixos dies, sed vel duos, vel tres, vel quatuor, prout cuiq; visum. Johannes Dallæus, de jejuniis & quadragesima optimè meritus, lib. III. c. 7. p. 458. castigat Coccii impudentiam, quod verbis Dionysii inseruerit vocem: *Ultimos*; sic referens: *neq; sex ipsos* ULTIMOS *jejuniorum dies æqualiter, aut similiter omnes sustinent*: quasi Dionysius de ultima solum quadragesimalis jejunii parte loqueretur, qui tamen de toto jejunii tempore agit. Ita amant patres corrumpere pro libitu, dummodo scenæ serviant

viant suæ! Tertulliano judice *jejunia observanda sunt*; sed quis hoc negat? negamus meriti & cultus ergo esse: At ubi hoc Tertullianus dicit, nisi Montanista? *Ex arbitrio* agi jejunia Psychici, i. e. orthodoxi dicebant. c. 13. de Psych. At hoc Papistis repugnat, qui ex lege agenda volunt. Cypriani de jejuniis & tentationibus sermo communi eruditorum calculo proscriptus est.

§. 63. ℞. ad. 4. Delectum inter cibos habendum esse, non absolutè improbamus, si qui forint, qui pro ratione alicujus temperamenti libidines facile excitarent, utique abstinendum esset, quia incentiva libidinis fugienda sunt: id vero omni tempore faciendum est, non statis solum diebus: nec ex lege humana, sed præcepto divino. Xerophagiæ Tertulliani redolent scholam Montani, ut supra in Elencho Montanismi vidimus. ℞. ad. 5. liberalem semetipsum afficere beneficio, receptis ex gratia beneficiis, concedimus; ut beneficio sese afficit ipse, qui servando alios servatur. At propterea non meretur. Origenis homilias in Leviticum *non esse magnæ auctoritatis* Bellarminus antea dixit. Quæ in epistolam ad Romanos scripsit forsan majoris sunt auctoritatis; neque tamen meritum exinde exsculpseris: etsi *conferre* vitam æternam dixisset. *Quia enim*, in fronte capitis ait, *omnes conclusi sunt sub peccato, nunc jam non in meritis, sed in misericordia Dei salus humana consistit.* Ergo quod benefacientibus confertur, ex promissione Dei gratuito confertur; *ut progressu temporis nequaquam infrugifera appareat beneficentia*, dicente Neocæsareensi, vel quisquis auctor est Paraphrasis Eccles. c. 11. Cyprianum in hoc de eleemosynis libello quædam periculosius saltem dixisse non diffitemur; Et alii Patres, ubi in laudes virtutum effunduntur, ut plurimum ea circumspectione non loquuntur, qua solent, ubi de justificatione, & seriis pœnitentiæ exercitiis agunt. Operum quidem mentionem faciunt, sed ita, ut fidem simul comprehendant, & quadam metonymia effectui videntur tribuere, quod caussæ est: vel certè pœnas peccatorum temporales intelligunt per pecaata, quorum expresse meminerunt. vide Goulart. not. ad Cyprian. d. eleemos. §. 57. f. 361. Libellus *de duodecim abusionibus seculi* ab

℞. ad. 4.

ad. 5.

ipso Bellarmino de script. Eccles. §. Cypr. inter *dubia & suppositititia* Cypriani opera refertur. Lactantio judice, *largitione perpetua peccata carnis abolentur*, in quantum vel fide, unde largitio proficiscitur, dolenti peccata; vel pœnæ temporales, à gratia divina remittuntur, si proximo benefeceris, qui Deum pro te deprecatur.

De virtutibus, §. 64. Ad renovationem hominis spectant virtutes, in quibus quædam inter nos disceptantur, (1.) *Quæ sint.* (2.) *Quales*, seu, quantæ. Inter virtutes referunt Pontificii actiones, quæ aut adiaphoræ sunt, aut superstitiosæ, & vitiosæ, ipsi vero pro operibus etiam supererogationis habent & venerantur: ut sunt: Quædam pro peccatis habent, quæ tamen non sunt; quædam pro non peccatis, quæ tamen sunt. Studeant scilicet perpetuæ continentia: castitati, paupertati, & obedientiæ cæcæ; Allegant Clem. Alex. l. 3. strom. *nos per dilectionem in Dominum, & propter ipsum honestum, amplectimur continentiam.* Ammonium Alex. in 4. Ev. c. 4. qui cælibatum conjugio præfert. Origenem ad cap. XV. ad Rom. *Ea, quæ supra debitum facimus*, ait, *non facimus ex præceptis, verbi caussa, virginitas non ex debito solvitur; neq; enim per præceptum expetitur, sed supra debitum offertur.* Idem lib. 7. adv. Cels. Christianas virgines Ethnicis præfert, quæ *à Deo conservantur in hac mente laudabili.* In tract. 7. in Matth. docet, si quis donum continentiæ non habeat, à Deo orare debere. Rom. II. laudat eos, qui propter regnum cœlorum sese castraverunt. Tertullianum in lib. d. vel. virg. c. 3. 15. 16. lib. 1. ad uxor. c. 3. 4. 6. 8. lib. 1. contr. Marc. c. 29. V. 15. Minucium Felicem in Octavio: *pleriq; nostrum inviolati corporis perpetua virginitate fruuntur potius, quam gloriantur.* Cyprianum de hab. virg. *Nec hoc jubet Dominus, sed hortatur: nec jugum necessitatis imponit, quando maneat voluntatis arbitrium liberum.* Et de nativ. Christ. *quæ virgines sunt Dei, cumulatione castitatis integritatem exhibeant Christo*: Confer eundem serm. de nativ. It. De discip. & bono pudic. Zenonem Veronens. serm. de contin. *non nuptias* Paupertas: *condemno, sed nuptiis meliora præpono*, nempe cœlibatum. Pro paupertate videtur militate Clemens Alex. l. 2. pæd. c. 3. Allegato enim dicto Christi: Vende, quæ habes, &c. addit: *sequere Deum nudus ab arrogantia, nudus à pompa momentanea* &c. Lib. 2. strom.

ſtrom. *paupertas eſt exiſtimanda, non facultates diminuere, ſed augere inſatiabilitatem.* Origenes, inſtituta inter ſacerdotes Pharaonis & Chriſti collatione, hos iſtis meliores dicit propter paupertatem, quippe quibus Chriſtus dixerit: *qui non abrenunciaverit omnibus, quæ posſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Tertullianus lib. IV. adv. Marc. c. 14. *beatos* prædicat *mendicos*: Minucius in Octavio, *quod pleriq; pauperes dicimur, non eſt infamia noſtra, ſed gloria; animus enim ut luxu ſolvitur, ita frugalitate firmatur.* Cyprianus lib. d. lapſ. *decepit*, ait, *multos patrimonii ſui amor coecus: nec ad recedendum parati, aut expediti eſſe potuerunt, quos facultates ſuæ veluti compedes ligaverunt.* Et in orat. Dom. *Dominus perfectum & conſummatum docet fieri, qui omnibus ſuis venditis, atq; in uſum pauperum diſtributis, theſaurum ſibi condat in cælo.* Et de oper. & eleemoſ. mirifice laudat primævos Chriſtianos, qui omnia ſua divendebant, & pecuniam ad pedes Apoſtolorum proijciebant, ſ. deponebant. Quale quid & Cyprianus feciſſe ſcribitur à Pontio Diacono. Pro *obedientia* cœca Coccius lib. IV. art. 5. t. 2. Theſ. allegat Origenem homil. 6. in Jſac. ubi vetat, quenquam officiis Eccleſiaſticis ſeſe debere ingerere. Et Cyprianum de baptiſm. Chriſt. ubi de Phariſæis in Cathedra Moſis ſedentibus diſſerit. Pro *votis* monaſticis idem art. 6. laudat: *Laqueus fortis eſt ſanctificare aliquid, h. e. vovere Deo* &c. dictum Origenis hom. 11. in Levit. & hom. in Num. *Qui in caſtitate vivit, corpus ſuum vovit Deo* &c. Gregorius Neocæſ. Metaphraſ. in c. 5. Eccleſ. *pollicitatio*, ait, *voto facta, finem per opus accipiat.* Tertul. d. jej. c. 11. *votum*, dicit, *cum à Deo acceptatum eſt, legem in poſterum facit per auctoritatem acceptatoris.* Idem de cult. fæm. c. 9. lauda eos, qui *ſe ſpadonatui asſignant*: & *vino abſtinent, & animalibus.* Lib. d. veland. virg. c. 11. memorat *continentiæ votum.* c. 13. *naturam conſecrari* dicit. Cypriano judice lib. 3. ad Quirin. c. 30. *quod quis Deo voverit, cito reddendum eſt.* Pro *habitu monaſtico* putant facere libellum Tertulliani de pallio: & Pontii Diaconi *habitus ſanctimonia dignus.*

Obedientia.

Vota.

habitus.

§. 65. ℞. (1.) in genere. In plerisque hiſce dictis, nobis objectis, committitur fallacia ignorantiæ elenchi, aut certè fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Hominem dono heroicæ caſtitatis præditum, in cœlibatu vivere; & pre-

℞. 1. in genere.

& precibus, & frugalitate caſtitatem fovere, nos non modo non improbamus, ſed & laudamus, eo præſertim tempore, ubi propter perſecutiones & frequentius erat iſtud donum, & magis neceſſarium. Omnia eſſe relinquenda, ſi Deus juſſerit, & perſecutiones urgent, quod tum factum, non modo licitum eſt, & laudabile, ſed & neceſſarium, quia Deus imperat. Nec animo ſuo divitiis inordinatè adhæreſcendum eſſe, apud nos in confeſſo eſt. Obedientiam cœcam neque Origenis, neque Cypriani locus memorant; ſed dicit ille currendum non eſſe in officiis impetrandis; hic in cathedra Moſis ſedere Phariſæos: quid autem hoc ad obedientiam, nedum cœcam, fecerit? Votum in in re poſſibili & honeſta Deo eſſe perſolvendum iterum extra controverſiæ aleam eſt poſitum; Habitum quoque decentem Chriſtianos decere, laudamus ipſi, & urgemus. Cæterum ſine ſuffragio populi ad pontificiorum conſilia iſthæc accommodaveris. Ubi, ubi enim dixerit vel Clemens, vel Anonymus Alexandrinus, vel Origenes, vel Tertullianus, vel alii allegati, virginitatem eſſe opus meritorium? nec conjugium licere iis, qui quidem votum cælibatus edidere, donum autem continentiæ non habent? Ubi jubent illi ſine urgente neceſſitate bona ſua divendere, & mendicando aliis moleſtum eſſe? aut in Monaſterium concedere, ubi, dum vixeris, optimè tibi ſit victu & amictu? Quis illorum jubet, obedientiam eam vel vovere, vel præſtare, quæ cœca eſt, & peccata quoque facit, præcipiente ſuperiore? Quis alligat aliquem voto ſeſe adſtringere rei, quæ in viribus ipſius non eſt, imo cum perpetuo peccato conjunctum? ut jubent Pontificii votum ſervare virginitatis eos, qui perpetuis uruntur flammis, nec aliud, niſi conjugium, à Deo habent remedium præſcriptum?

Rx. in ſpecie.

§. 66. (2.) in *ſpecie* vix operæ pretium eſt ad ſingula deſcendere, cum ex præmiſſis ſatis pateat, quid reſpondendum ſit. Clemens Alex. laudat, qui continentiæ ſtudent; ſed in iis, *quæ anima perperam concupiſcit*; num vero conjugium perperam concupiſcit? abſit. *Qui propter odium adverſus carnem ſuſceptum à conjugali disjunctione liberari deſiderant, indocti ſunt, & impii, & abſq; ratione continentes:* idem l. c. ait: Quam honorificè de

de contientia, ſ. cœlibatu,

de conjugio ſentiat Clemens, ſupra egregiis aliquot ejus teſtimoniis oſtendimus. Origenes bene dicit, virginitatem, ſeu cœlibatum, non eſſe à Deo præceptum; eſt igitur ἀδιάφορος; caſtitas autem eſt imperata divinitus, & tam intra, quam extra conjugium ſervari poteſt. Habet ſincera virginitas, utpote heroicum Dei donum, aliquid illuſtrius præ conjugio, neque tamen hoc hominem maculat: *Quoniam videmus nonnullos ſanctorum, aliquos etiam Apoſtolorum, habuiſſe conjugia, non usq; quaq; poſſumus de ſola virginitate ſentire, quamvis in hujuscemodi hoſtus habere prius ordinem poſſit*: ait idem Orig. lib. IX. in cap. XII. Rom. Viguerit apud Chriſtianos *virginitatis* tum *ſtudium*, & purius, quam apud Ethnicos, non tamen inde ſequitur, viguiſſe apud eas, quæ flammis libidinum clam urebantur: imo earum erat, *quæ habuerunt Deum in notitia, & ab eo conſervabantur in mente laudabili. Et pietatis officiis, plenæ omni bonitate & juſtitia*, laudante eodem Origene. Dicas: orent à Deo caſtitatem, ut eſt in tract. 7. in Matth. ℞. ex Bellarm. ſcript. Eccleſ. tit. Orig. *Tractatus quintus in Matthæum videtur eſſe Latini auctoris: Nam adducens auctor verba Iſaiæ* 48. *Dominus miſit me, & ſpiritus ejus, in Græco, inquit, Spiritus Sanctus neutri generis eſt, non maſculini, ut apud nos. Ubi ſe inter Latinos numerat. Et ſi tractatus quintus Latini auctoris eſt, non parva ſuſpicio eſt, reliquos etiam tractatus ejusdem operis, Latini auctoris eſſe.* Quis autem Latinus ille auctor fuerit, una cum ipſo neſcimus: forſan Ruffinus interpolator; aut alius aliquis tenebrio, Origenis nomine abuſus. Comm. in Rom. 2. negat culpabiles eſſe virginitatis ſtudioſos, aut ad matrimoniū cogendos. Idem nos dicimus. Tertullianus in libello de velandis virginibus non agit de votivis virginibus, ſed de Chriſtianis in genere, quæ aperto capite in conventibus publicis comparebant, viris ſcilicet placituræ, quod à virginibus Dei. i. e. Chriſtianis alienum cenſebat rigidus Tertullianus. Quæ Pamelius ad l. c. Tertul. regerit, petunt principium. Corradit loca, in quibus virgines iſtæ Deo dicatæ, & deſponſatæ Chriſto dicuntur, quaſi vero non omnis Chriſtianus deo ſit dicatus, & mundo ſeſe proſtituere non debeat. Argumenta, quæ adducit, generalia ſunt, & omnes obligant virgines. *Propter anguſtias temporum* anteferre Apoſtolum conjugio cœlibatum una cum Tertulliano fatemur.

mur. Libri Tertulliani ad uxorem de monogamia ungues Montanisticos haud obscure produnt, ut ipse Pamelius dissimulare non potuerit; *ab omni* ipsum *errore excusari non posse*, imo suspicatus fuerit, caussam hunc librum fuisse, *cur Roma Tertulliano discedendum fuerit*, *quod errorem hunc mordicus defendere vellet.* viderint igitur Papistæ, quem Patriarcham habeant, vel Patronum Monasticæ suæ virginitatis. Purius de conjugio, & modestius de virginitate sensit in libris contra Marcionem, quia adversarium habebat conjugii hostem. *Inviolata corporis virginitate frui*, quod Minucius Felix laudat, laudamus & nos; hoc vero fruuntur, qui castitatis dono gaudent. Cyprianus laudat quidem virgines, & ad constantiam hortatur, sed continere sese non volentes jubet inire conjugium, ut supra locum allegavimus. Mirandum autem non est, Cyprianum in laudanda virginitate operosum esse, quia & commodior erat isto periculoso tempore virginitas, & frequentius donum, & æmulatio quædam Tertulliani, quem suum magistrum agnoscebat. Nihilominus de peremptorio voto, & claustralibus monialibus ne ipse quidem quicquam habet adversus nos: Etsi dicat virginitatem esse conjugio *excellentiorem*, & *altitudine sua omnes transcendentem*: quod ipsum & Zeno Veronensis (si modo is homiliæ auctor est) dicit.

de paupertate. §. 67. Quæ pro *paupertate* allegavimus, eadem facilitate solvuntur. Pauperes esse à vitiis omnes debemus, juxta Clementis monitum; hoc vero potest & ille, qui dives est à bonis mundanis. Talis & animum à nimia divitiarum cupiditate abstrahere, & moraliter potest esse pauper, sicut idem paupertatem describit. Si sacerdotibus suis *partem non concessit in terra* Christus, & *negat suum esse discipulum*, *quem viderit aliquid possidentem*, *& eum, qui non renunciat omnibus, quæ possidet:* Pontifex Romanus aut sacerdos Christi non erit, quia bonam terræ partem, imò, quorundam opinione, totum orbem possidet; aut Christus ipsi non concesserit eam partem; Nec erit Christi discipulus, quia omnes videmus ipsum amplissima terrarum spatia possidentem, neque iisdem renunciantem. Cogitent Pontificii, quid responsuri sint. Ego interea dixerim, Confessione veri-

tatis

tatis ita exigente nostræ Ecclesiæ ministros debere esse paratos omnia mundi bona relinquere: desiperent autem, si relinquerent, nulla urgente. *Mendici* sunt *beati*, sed qui? an omnes, etiam circumforanei vagantes? etiam prodigi? absit. si quis propter veritatem, vel virtutes damnum patitur bonorum, & ad mendicitatem redigitur, utique beatus est. Atq; hoc modo pauperes erant, de quibus Minucius Felix in Octavio suo gloriatur. Cyprianus notat eos divites, *quos facultates suæ velut compedes ligaverant*, i. e. corde suo nimium divitiis adhærescentes: quod esse vitium ultro largimur: nec tamen ipsis divitiis imputari potest. Sicut vice versa virtus est, si qui *expeditus & succinctus nullis laqueis rei familiaris involvitur, sed solutus ac liber facultates suas, ad Deum ante præmissas, ipse quoq; comitatur.* Sub initium Evangelii nascentis erant, qui possessiones venderent suas, *& dispensandam pauperibus quantitatem libenter & largiter Apostolis offerrent*, tale quid qui bono animo fecere, nulla superogationis opinione, bene faciebant, quorum utinam exemplum imitarentur, quotquot vident proximum indigere. Ea tum, & postea, Cypriano vivente, erant tempora, ut singulis momentis de vita sua essent dubii, & de facultatibus, quare melius censebant prævenire raptores, & inter suos bona distribuere. Nec hoc diffitemur etiam hac in re apud quosdam fuisse motus heroicos, quos præstat mirari, quam imitari.

§. 68. *Vota* honesta, & quæ in nostra potestate sunt, esse Deo persolvenda, concedimus; sed talia esse Monachorum vota, negamus. Loquitur Origenes de voto eleemosynarum, cum quis dixerit: *volo tantum offerre Ecclesiæ, vel in usum pauperum, aut peregrinorum tantum præbere:* Hæc vero honesta sunt vota, & rerum in nostra potestate sitarum. Ita *interior homo* suas deo dedicat virtutes: *Qui in castitate vivit, corpus suum vovit Deo*; talia vota utique præstanda sunt. Neocæsareensis dicit, quod & nos, vota esse persolvenda: sed quæ? an, quæ pro impura virginitate? pro meritoria paupertate? pro superstitiosa peregrinatione &c. facta sunt? Hoc monstretur in Gregorio. Perinde de votis Tertulliani quærimus, & discipuli Cypriani. Loquuntur ipsi *de officiis à Deo homini imperatis*, aut frugalitate, vel continentia à de Votis.

 vitiis,

vitiis, Sanctificatione sui: quæ omnia honesta sunt, vel certè non inhonesta. Simili ratione, quod de *habitu* objectum est, nos habet consentientes: sit utique *habitus sanctimonia dignus*. i. e. honestus, adeoque nec in excessu peccet, ut apud purpuratos Patres, neque in defectu, ut apud sordidos & strigosos Monachos: Medium tenuere beati. Legatur in hanc rem Clementis Alex. Pædagogus. lib. II. c. 10. 11. 12. III. c. 11.

Pro operibus aliis. §. 69. Habent Pontificii alia aliqua opera, quæ pro piis & sanctis habent, proprio studio inventa: e. g. gestant scriptum Evangelium in pectore, tanquam amuletum averruncundi malos Spiritus. Baronius an. 232. §. 12. & 13. ex actis Cæciliæ Martyris exemplum nobis laudat, *quod porro*, inquiens, *de eadem Cæcilia in iisdem Actis legitur, consuevisse Evangelium Christi gestare in pectore, ab aliis quoq; id factitatum invenimus: Et, si fidem præstemus S. Andreæ Apostoli Actis, etiam Apostolorum temporibus id usurpatum apparet*. Benedicere solent varia in altaribus suorum templorum, & idem factitasse Eutychianum Papam probaturiunt ex libro de Romanis Pontificibus, ubi papa iste *constituisse* dicitur, *fruges, fabas, & uvas super altaria benedici*, idque adversus Manichæos, qui *à mali principio creaturas exortas dicebant*, explicante eodem an. 283. §. 15. Adstringunt sese horis orandi canonicis; probare volunt ex Clem. Alex. l. 7. strom. qui dicit, *nonnullos certas ac definitas horas constituisse orationi, ut exempli causa tertiam, sextam, & nonam*. Hippolytus de consum, mund. *Psalmorum decantationis* meminit. Origene, qui lib. 3. in Job. commendat *orationes ac deprecationes matutinas & vespertinas*: Auctore lib. adv. Artemon. apud Euseb. lib. 5. hist. Eccles. c. 27. qui memorat *Psalmos & hymnos à fratribus fidelibus antiquitus perscriptos*. Confer Tertul. c. 2. & 39. Apol. De coron. milit. c. 3. lib. 2. ad uxor. c. 4. De jejun. c. 10. Cyprian. d. orat. Domin. Arnob. lib. IV. adv. gent. ℞. I. documenta certa ab incertis sunt distinguenda. Fatetur ipse Baronius in Martyr. Rom. c. 3. acta Martyrum esse *collapsa, deperdita, vel saltem corrupta*. quid igitur quisquilias istas suis annalibus inseruit? Pontificale Damasi personati cujus sit, apud ipsos Pontificios, autoritatis, videre est apud Papir. Masson. de Episc. urb. lib. 1. in Damas. Johannem Albinum præfat. ad lector. præfix. Anastas. Exceptiones diluit Joh.

℞. I.

Joh. Rainold. prælect. de lib. Apocr. 180. II. ℟. Non controversa à controversis sunt distinguenda. Non est quæstio: an liceat Evangelium Christi in pectore gestare? sed, an liceat sub opinione alicujus peculiaris efficaciæ, aut cultus, aut necessitatis? quod ex Actis Cæciliæ non potest probari. Nec quæritur: an cibos hominum usui destinatos liceat fusis idoneis precibus sanctificare? quod concedimus; Sed an majoris efficaciæ id sit, si fiat super altari consecrato? aut dæmon sive eijciatur inde, sive arceatur? Non est quæstio: an liceat certas orandi horas observare? multo minus: an orandum sit? & Psalmi decantandi? Sed: an id faciendum vel ex opere operato; vel ex opinione alicujus meriti, & singularis perfectionis? Hoc negamus: neque contrarium ex allegatis evincitur. Bene Clemens Alex. l. c. scribit: *Si nonnulli certas ac definitas horas constituunt orationi, ut exempli causa Tertiam, Sextam, ac Nonam: at is, qui cognitione præditus, per totam orat vitam, per preces quidem cum Deo studens versari.* Semper igitur orandum est, quandocunque necessitas urserit, non exspectata definita superstitiosè hora, in quam inclinat Montanista Tertullianus c. 10. de jejuniis: Quo de supra in ἀναλύσει Montanistarum hæresis. ℟. II.

§. 70. *Perfectio operum* à Pontificiis asseritur. Videtur eadem asseri à Cypriano epist. 2. §. 2. *quantus hic*, ait, *animi potentatus, quanta vis est? Non tantum ipsum esse subtractum perniciosis contactibus mundi, ut quis expiatus & purus nulla incursantis inimici labe capiatur; sed adhuc majorem & fortiorem viribus fieri, ut in omnem adversarii grassantis exercitum imperioso jure dominetur.* Et d. bapt. Christ. *nulli*, ait, *ad harum rerum persecutionem deest scientia, sive potentia; quia, & quod agendum est, scimus; & quod scimus, facere possumus*: Et ante Cyprianum à Clem. Alex. lib. IV. strom. qui *præcepta Dei* ait *esse ejusmodi, ut à nobis possint fieri, vel non fieri.* & ab Origene hom. 9. in Jos. *Quæ mandantur, qui dicit, implere non possum, quid tibi videtur aliud, quam inter mulieres, quæ nihil virile possunt, esse numerandus?* ℟. Aliud est opera Dei, viribus in regeneratione acceptis, facere, quod affirmamus ipsi; aliud est *perfectè* facere, quod negamus. Possunt à nobis opera Dei fieri, possumus etiam implere actus imperatos, Pro perfectione.

e. g. vendere omnia, dare pauperibus &c. Extra lineam igitur saltant objecta loca.

De limbo §. 71. Post mortem statuunt Pontificii (1.) *Limbum.* Pro quo probando Bellarminus d. anim. Christ. c. 11. adducit Tertul. lib. IV. contr. Marc. c. 34. Origenem in c. 5. Roman. quorum iste per sinum Abrahæ intelligat *regionem, etsi non cœlestem, sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbituram animabus justorum, donec consummatio rerum resurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat.* Coccius tom. I. Thes. lib. II. art. 4. laudat Clementem Alex. l. 6. strom. c. 2. *Dominus* (ita ait) *nulla alia de causa descendit ad inferos, quam ut annunciaret Evangelium, sicut certè descendit, ut annunciaret omnibus, aut solis Hebræis. Atq; si omnibus quidem, salvi erunt omnes, qui crediderint, etiamsi sint ex gentibus* &c. Hippolytum de consum. *qui tribuit redemptionem animarum descensui* Christi. Et orat. in magn. cant. dicit, *Christum à superis descendisse, & eum, qui erat inferius, in supernas partes deduxisse, mortuorum Evangelistenfuisse* &c. Origenem homil. 15. in Genes. qui dicit Christum ex inferis *protoplastum revocasse.* Gregorium Neocæsareensem, qui in orat. in Epiphan. *oportet me, inquit Christus, in inferni profundum descendere, ut eos, qui illic detinentur, eripiam.* Tertullianum lib. de anim. c. 55. ubi ait, Christum *descendisse in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas & Prophetas compotes sui faceret.* Repetit ligata oratione lib. II. adv. Marc. c. 4. lib. IV. c. 6. lib. V. c. 10. Cyprianus suffragatur de cardin. operib. Christi: De unctione Chrism. De Christi resur. Zeno Serm. 3. de pasch. Victorinus Petab. in carmine: Lactant.

℞. 1. lib. IV. instit. c. 12. ℞. 1. De statu animarum post mortem patres variè senserunt. Antiquissimi statuerunt, animas quascunque post mortem in loco aliquo detineri, ubi faciem Dei non videant usque ad diem resurrectionis, seu extremum: ut patet èx illo ipso Tertulliani loco à Bellarmino citato: & ex cap. 55. de ani. De resur. c. 17. Similia legas apud Novatian. c. 7. de Trin. Orig. lib. 2. περ. ἀρχ. c. 12. Homil. 7. in Levit. Lactant. lib. VII. c. 21. & tamen *errorem* hunc esse ingenuè agnoscunt Pamel. in 9. paradox. Tertul. Alph. de Castr. hæres. 5. Fevard. in lib. 5. Iren. c. 31. 2. Nonnulli senserunt, Christum in inferis Evangelium prædicasse, & exinde deduxisse credentes, etiam ex gen-

gentibus: ut Clemens Alex. Infernus igitur locus fuerit, ubi Evangelium doceatur? fides accendatur? Increduli pridem, adeoque damnati, credentes fiant, & liberentur? Non puto Pontificios eo absurditatis venturos. 3. Scripta supposititia, vel dubia, sunt à genuinis discernenda. Tertulliani liber de anima *propositiones non paucas, vel erroneas, vel certè suspectas* continet, judicio Bellarmini de script. Eccles. tit. Tertul. Carmina in Marcionem scripta stylo Afro non respondent: Hippolyti de consummatione homiliam in præcedentibus rejecimus; nec ab eruditis æstimatur oratio in magnum canticum: Cypriano falso tribuuntur sermones de operibus cardinalibus Christi, de Chrismate, de resurrectione Christi: De Zenonis sermonibus, & oratione Thaumaturgi frigide judicat Bellarminus. Victorini solum extare commentarium in Apocalypsin, & hunc ipsum dubium, fatetur idem d. script. tit. Victorinus: Sic bona pars allegatorum perit. 4. Quædam testimonia nobis plane non obsunt. e. g. Cypriani aster de resurrect. Christi, ait, ipsum *captivos præmisisse ad superos*, intelligens dubio procul dæmonas, quos triumphum fecit victor: Lactantius dicit, Christum *inferos vicisse, & resignasse*. De Patribus liberatis nihil habet.

§. 72. II. *Purgatorium.* Homines nonnullos nondum liberos ab omnibus peccatis, eorundemque pœnis, defunctos Pontificii addicunt alicui purgatorio, in quo à peccatis plene liberentur, & missis, precibus, &c. redimantur. *Disertè* ita statuere videtur Origenes homil. 6. in Exod. *qui salvus fit, per ignem salvus fit, ut, si quid forte de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat, & resolvat, ut efficiantur omnes aurum bonum*: Et Cyprianus in epistola 52. ad Antonianum: *Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire: aliud missum in carcerem non exire, donec solvat novissimum quadrantem; aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatoris longo dolore cruciatuum emendari, & purgari diu igne: aliud peccata omnia passione purgasse.* Si igne purgatur, purgatorius igitur aliquis ignis est. *Consequenter* eundem ignem accendere videntur, qui vel oblationem pro defunctis statuunt, vel apparitionibus defunctorum aliquid tribuunt: *Oblationem*, ut idem Cyprianus; sic enim epist. 66. refert: *Episcopi antecessores nostri* cen-

de purgatorio:

(1.) disertè:

(2.) consequenter.

censuerant ; ne quis fratres excedens ad tutelam vel curam Clericorum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Sequi videtur Magistrum Tertullianum, qui c. 3. de coron. milit. *oblationes*, inquit, *pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus.* Nisi prodessent defunctis oblationes, non offerrentur; non prosunt autem constitutis in inferno, E. in purgatorio. De apparitionibus deinde dicemus. R. *Disertè*

R. 1. quidem Origenes de *igne* loquitur, & *purgatorio* quidem, neque tamen in sensu Pontificio : *Quis enim Catholicus Christianus vel doctus, vel indoctus, non vehementer exhorreat eam, quam dicit, purgationem malorum ? i. e. etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis, & facinoribus, & sacrilegiis, atq; impietatibus quamlibet maximis finierunt : ipsum etiam postremo diabolum, atq; Angelos ejus, quamvis post longissima tempora* PURGATOS, *atq; liberatos, regno Dei, luciq; restitui.* verba sunt Augustini hæres. 43. Idem Origenes ignem, quo mundus conflagarabit, vocat καθάρσιον πῦρ, *purgatorium ignem* lib. 3. contr. Cels. & lib. IV. VIII. homil. VIII. in Lev. An hic ipsissimus est Papistarum purgatorius ignis ? Cyprianus de igne purgatorio loqui non videtur : sed de disciplina Ecclesiastica & publica pœnitentia. Disputat enim adversus Novatianos, qui negabant, lapsos esse, prævia licet pœnitentia, recipiendos, eo quod martyria hac ratione frigescerent : Regerebat Cyprianus, cum aliud sit statim ad Ecclesiã admitti, aliud prævia durissima pœnitentia, quæ sit instar carceris, quo detineantur apostatæ inclusi, & ignis,

2. quo expurgentur. vide Goul. ad l. c. Nec *consequenter* concludunt, quæ objecta sunt. Preces pro defunctis etiam iis fiunt, quos credimus jam in cœlo versari, pro quibus gratias Deo agimus : *Quid sibi volunt hymni ? nonne glorificamus Deum, & illi gratias agimus, quia jam defunctum coronavit, & à laboribus absolutum penes se retinet ?* quærit, & respondet Chrysostomus hom. 70. ad popul. Antioch. Et quis nescit Græcam Ecclesiam pro defunctis orare, neq; tamen purgatorium affirmare ? Oblationes pro defunctis fiebant, concedo ; sed an in purgatorio constitutis, & liberandis inde ? Nego. Nec Cyprianus hoc dicit ; imo pro commemoratione facienda ipsorum, ut ex historia hujus temporis est obvium.

§. 73.

73. III. *Apparitiones defunctorum.* Allegare solent exemplum Potaminææ martyris, quæ Basilidi apparuerit, referente Eusebio lib. VI. hist. c. 4. Gregorii Thaumaturgi, cui Johannes & Maria apparuerint, & fidei expositionem exhibuerint. Successi Episcopi, ex actis Martyrum apud Baron. an. 262. §. 28. Confer §. 44. 49. 68. Ex veteri testamento probationis loco adducunt exemplum Samuelis, qui & ipse post mortem apparuisset, sententia Tertulliani lib. 3. carmin. contr. Marc. c. 5. — De apparitionibus defunctorum.

Mirificus Samuel, cui reges ungere primum
præceptum dare Chrisma, viros ostendere Christos,
talibus in vitæ spacio laudabilis egit,
ut quoq; post requiem prophetica jura teneret,

Et Zeno Veronensis serm. d. resur. *primo*, ait, *in libro verborum Samuel egregius ille sacerdos, mortis jam lege dispunctus, Sauli Regi desideranti sine ambiguitate non tantum suam præsentiam exhibet, sed etiam ad consulta respondet.* Hæc ille. ℞. Potaminææ fabulam esse suspectam supra ex Chemnitio ostendimus. Acta Martyrum, ipsomet Baronio confitente, esse suspecta, & adulterata docuimus. Expositio fidei Thaumaturgi non est, Quod ex Perkinso, & aliis, probat Rivet. Crit. sacr. l. 2. c. 16. Tertulliani verba, si modo is auctor est carminis, obscura sunt, nec cogunt eum esse sensum, quem Papistæ volunt. Zenoni quantum tribuant ipsi Papistæ, dudum adduximus.

§. 74. De *Ecclesia* inter nos & Pontificios multa disceptantur, quæ superius, cum de Pontifice R. ageremus, pleraque discussa sunt. Pauca addamus. Est illa alia Synthetica, alia repræsentativa. Istius (1.) *Formam* dicunt esse Monarchicam, sub uno visibili capite: *Exordium enim ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur*, ait Cypr. lib. de simplic. Prælat. & epist. 76. *Dominus insinuans nobis unitatem de divina auctoritate venientem, ponit, & dicit, ego & pater unum sumus: Ad quam unitatem redigens Ecclesiam suam denuo dixit: & erunt unus grex, & unus pastor*: quæ verba manifeste dicunt, formam Ecclesiæ esse Monarchicam. (2.) Subjectum Romam dicunt, Petri scilicet & successorum sedem, à qua veluti fonte in universum orbem religio vera manarit, quam & Domi- — De *Ecclesia.* (1.) quoad formam. (2.) Subjectum

Dominam & magistram agnoverint omnes Christiano nomine insigniti. Cyprianus præcipue in partes rapitur. Scripsit ille librum de unitate Ecclesiæ Catholicæ, in quo id unicè agat, ut Romana Ecclesia pro matre reliquarum agnosceretur: *Quippe qui, ostensa semel ac demonstrata una tantum Ecclesia, eaq; Petri Cathedra agnoscenda, cæteras autem eidem, ut membra capiti, esse connexas; plane declaret, atq; apertè significet, omnes ab Ecclesia Catholica esse divisos ac prorsus extorres, eosdemq; schismaticos, vel hæreticos judicandos, qui uni Ecclesiæ, ipsi (ut ait) Cathedræ Petri non essent compage communicationis uniti, & firma consolidatione connexi*: verba sunt Baronii an. 254. §. 93. quæ confirmare nititur verbis è Cypriano transcriptis §.94. seq: Dicitur enim Romana Ecclesia καθ' ἐξοχὴν, Catholica Ecclesia, ut communionem Catholicæ Ecclesiæ deserat, qui ipsam deserit; teneat autem, quisquis isti sese probaverit. (3.) *Affectiones*, ut sunt: *visibilitas*, pro qua allegant Orig. homil. 30. in Matt. *Ecclesia plena est fulgore*, ita ille scribit, *ab oriente usq; ad occidentem*: Cyprianum de unit. Eccles. *Ecclesia Domini luce perfusa, radios suos per orbem terrarum spargit*: Hæc ille: *Infallibilitas*, pro qua laudant illud Tertulliani de præscriptione: *Omnes Ecclesiæ erraverint, nullam respexerit Spiritus Sanctus?* Et Cypriani, quando dicit: Ecclesiam Christi Sponsam adulterari non posse; Alibi, à Christo separari non posse; *perfidiam ad Romanos non habere accessum.* ep. 55. & præsertim toto libro de unitate Ecclesiæ Catholicæ: Lucius Episcopus R. diserte scribit: *Hæc Sancta & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia per omni potentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur* &c. vide Pamel. not. ad Cypr. ep. 55. §. 38. 90. 91. 73. §. 50. (4.) *Notas* varie recensent; nos Bellarminum sequamur, qui inter notas refert (1.) Nomen Catholicæ & Christianæ Ecclesiæ, eoque fine allegat Lact. lib. IV. c. 30. sic scribentem: *cum Marcionitæ, aut Ariani nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana, & externa vocabula induerunt.* (2.) Antiquitatem; cum Tertullianus de præscr. quærat: *Qui estis vos, unde & quando venistis? ubi tamdiu latuistis?* (3.) Durationem; *schismaticos enim semper inter initia fervere, incrementa vero habere non posse*, juxta Cypr. lib. IV. epist. 2. (4.) Amplitudinem, quam idem deprædicet in libro de unitate, post Ter-

(3.) Affectiones

(4.) Notas ut Catholicismum:

Antiquitatem:

Durationē:

Amplitudinem:

Tertullianum c. 3. adv. Jud. (5.) Successionem, ad quam idem Tert. d. præscr. provocet: *cedant*, ajens, *hæretici origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris habuerit auctorem & antecessorem.* Addit Bellarminus Cypr. lib. I. epist. 6. scribentem: *Novatianus in Ecclesia non est, neq; Episcopus computari potest, qui Apostolica traditione contempta, nemini succedens, à seipso ordinatus.* Et lib. IV. ep. 2. *Quisquis jam* (præter Cornelium Petri successorem) *Episcopus fieri voluerit, foris fiat, necesse est.* (6.) Conspirationem cum doctrina veterum; Absurdus enim est contemptor veterum, judicio Tertulliani de præscr. dicentis: *Age nunc omnes Ecclesiæ erraverint, nullam respexerit Spiritus Sanctus,* &c. nisi veteres hæreticos secteris, in quorum numerum nos refert Bellarminus. l. c. (7.) *unionem membrorum* inter se, & cum capite visibili, nempe Papa Romano: Cyprianum enim scribere lib. I. epist. 3. *post ista adhuc insuper Pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto, navigare audent, & ad Petri Cathedram, atq; Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, à Schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare, eos esse Romanos, ad quos perfidia non possit habere accessum.* Et lib. IV. ep. 8. *Scimus hortatos nos esse, ut Ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem agnoscerent, & tenerent.* (8.) *efficaciam doctrinæ*, in convertendis incredulis: *De verbi administratione quid dicam? cum hoc sit negocium illis non Ethnicos convertendi, sed nostros evertendi, nostra suffodiunt, ut sua ædificent.* ait Tert. de præscr. adv. hæret. (9.) *Sanctitatem vitæ*: quam in hæreticis hujus Seculi Novatiano, & Sabellio desiderent Patres. (10.) *miracula*: quibus probent novam suam doctrinam & Ecclesiam. *Si alium Deum prædicant, cur ejusdem rebus & literis utuntur, contra quem prædicant? Si eundem, quomodo aliter? alioqui probent se novos Apostolos, dicant Christum iterum descendisse, & dedisse eis virtutem eadem signa edendi? volo igitur virtutes eorum proferre* &c. Tertul. de præscr. (11.) *Confessionem adversariorum*: quam probaturiunt ex Tertulliano, Apol. c. I. & 2. testante, *paganos noluisse discuti caussam Christianorum, sed damnari sine discussione, quia sciebant, se in illis nihil mali reperturos*: uti Bellarminus patrem explicat. (12.) *Infelicem adversariorum exitum*. Nam in hoc seculo occurrere Manichæum excoriatum.

Successionem: Conspirationem: unionem: efficaciam: Sanctitatem: miracula: Confessionem adversariorum: adversariorum exitū.

℞. ad. I. 75. ℞. I. Unam esse Ecclesiam, certum est; Sed & civitas est una, quæ tamen forma Democratica, vel Aristocratica gaudet. Unde N. C. ergo Monarchica est. Sed & hoc certum est, unius Ecclesiæ particularis unum debere esse Episcopum, non plures, quod fiebat, cum Novatianus sese in Episcopatum Romanum intruderet, cui tamen Cornelius legitimè electus jam præerat: Quæstio autem est de Episcopatu oecumenico, an talis à Cypriano statuatur? Eum vero non statui supra vidimus. art. II. §. 23. p. 544. seqq: Art. VII. §. 28. p. 1000. Ad. II. citatis locis perinde responsum est. Unam esse Ecclesiam Cyprianus dicto libello contendit, eandemque etiam in Petri Cathedra, i. e. Ecclesia Romana esse servandam monet; cæteras autem omnes per universum orbem dispersas Ecclesias Romanæ tanquam membra capiti adhærere, ut statim schismatica, vel hæretica habenda sit, quæcunque justis de caussis à Romana dissenserit, id Cyprianus neque hic, neque alibi dicit; Nam dixisset adversus semetipsum, qui nec ipse membrum sese, suamque Africanam Ecclesiam Romanæ capitis agnovit, nec alios vel Episcopos, vel Ecclesias eidem capiti subjecit. Omnes enim Apostolos dixit fuisse, quod Petrus fuit, pari nimirum potestate & auctoritate præditos, oportet ergo & Episcopos reliquos Apostolorum successores pari potestate cum Romanis, Petri successoribus, fuisse instructos. Quare, sicut in Romano Episcopatu unus tantum debuit esse Episcopus, non plures, quia Christus uni Petro, non pluribus, dedit claves; ita & in aliis Episcopatibus, e.g. Carthaginensi, non debuit esse nisi unus Episcopus, ejusdem Cypriani judicio. Ad. III. Ecclesiam esse plenam fulgore dicit quidem Origenes, sed ipse d. l. explicat de veritate. Intellexerit autem etiam de claritate, nihil tamen contra nos intellexisset, qui non negamus, aliquando, & tum temporis, cum Origenes hæc scriberet, Ecclesiam plena luce fulsisse. Fulget & luna luce plena, neque tamen semper; Nam & decrescit, & sub nubibus tegitur, vel Eclipsin patitur. Quod ipsum etiam Cypriani loco quadrat. *Tertullianus ex difficili, non absolutè impossibili, infert. q. d. esto, omnes errasse, quod tamen creditu difficile:* responsum est Dn. D. Dannh. Christeid. p. 976. Ecclesia,

Marginalia: Ad. II. (beside "mus. art. II."); Ad. III. (beside "Episcopus, ejusdem Cypriani judicio").

sia, in sensu composito sic dicta, quatenus verbo Dei adhæret, nunquam errat, neque errare potest, saltem non simul: Catholica enim Ecclesia, saltem invisibilis, semper est, & erit, & retinet fidei fundamentum. Hæc vero quæstio inter nos & adversarios non est: Sed: an visibilis Ecclesia, & quidem particularis aliqua, ut est Romana, privilegium habeat absolutæ infallibilitatis? Hoc Cyprianus non dicit. Ecclesia Christi Sponsa est per veram fidem, & eatenus ipsi fida est: *Ecclesia* enim, *quæ in Christum credit, & quæ semel id, quod cognovit, tenet, nunquam ab eo omnino discedit*, scribit idem epist. 55. §. 8. Semper enim sanctum sibi semen servat Deus, etsi nonnulli deficiant. Romana Ecclesia ad illud usque tempus, quo Cyprianus hæc scripsit, manserat orthodoxa, & perfidia nondum habuerat accessum ad ipsam; sed hinc N. C. Ergo non potuit habere; E. nec postea habuit? Cypriano sermo est de schismaticis, quibus locus non esset in Ecclesia Romana, Cornelio Episcopo; At num postea nullum in Ecclesia Romana schisma extitit, creatis Antipapis, quorum huic una, isti altera, illi tertia pars Ecclesiæ adhærescebat? Ne quid tale etiam suo tempore contingeret Romanæ Ecclesiæ, Cyprianus literis opus esse hortatoriis censuit, non censurus, si Cathedra Romana absolutè infallibilis fuisset. Quod ex Lucio adfertur, pertinet inter quisquilias Seculi, quo Episcoporum Romanorum epistolæ vel fictæ, vel certè enormiter adulteratæ sunt. Si Ecclesia Romana errare non potest, quia est mater omnium Ecclesiarum, etiam Cæsareensis errare non potuit: *Cæsarea* enim *prope mater erat omnium Ecclesiarum: eamq; universa Christiana resp. complectebatur & respiciebat, ut circulus centrum*: judice Gregor. Naz. in epist. ad Cæsar. *Cogita* (disserente Chrysost. hom. 3. ad pop. Antioch. de Antiochia autem loquitur) *urbis magnitudinem, quod non de una, vel de duabus, vel de tribus, vel de decem animabus nunc nobis sit consideratio, sed de millibus infinitis, de totius orbis capite.* Si & Cæsarea mater erat omnium Ecclesiarum, & tamen in hæresin incidit, Eusebio Episcopo, & Papistis ipsismet fatentibus, clare adparet à maternitate ad infallibilitatem N. C. Et si Antiochena quoque Ecclesia *orbis totius caput est*, Romana utique nullum hac in re habebit privile-

 gium;

gium; & si istud caput deliravit, cum in hæresin incidisset, delirare poterit & Romanum.

Ad.IV. §. 76. Ad. IV. Rc. (1) in genere. Supra art. III. Sect. 5. §. 68. p. 827. seqq. prolixè examinavimus notas Ecclesiæ à Pontificiis adscriptas, & contrariis in medium allatis Patrum testimoniis confutavimus. (2.) in specie ad. 1. Lactantius à nomine quidem sumit argumentum vel iudicium hæreseως, sed propterea, quia qui nominibus istis dicebantur Phryges, Novatiani, Valentiniani, Marcionitæ, Anthropiani, Arriani, recesserant à doctrina Jesu Christi: *Exciderunt à Doctrina Christi & veram traditionem reliquerunt*: Quare merito non amplius Christiani dicebantur, sed singulari facto. Novatiani, Ariani &c. ab auctoribus, vel interpolatoribus suorum errorum. Ipsi autem hæretici discretivis istis & sectariis nominibus sese non appellabant, *se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putabant.* Ecce, si nominum aliqua vis fuerit, fuerint Marcionitæ, Valentiniani &c. vere Christiani & Catholici. Ad (2.) hæreticos, successionem Apostolorum, & traditionem visibilem jactitantes, adigi ad ejus suæ jactantiæ demonstrationem, eo præsertim tempore, quo recentior est Apostolorum ætas, æquum est, sed eam propterea notam esse Ecclesiæ veræ, ἀνακόλουθον, & ostendendum est. Ad (3.) schismaticos, verè sic dictos, incrementa perpetua non habere, largiamur; Eum vero cœtum, qui suis incrementis in oculos quorumvis non semper incurrit, veram non esse Ecclesiam, id vero ex subjectis verbis nondum vidi demonstratum. Ad (4.) Amplissimam esse Ecclesiam, interdum tamen, certum est. In oculos vero incurrere æquali semper specie, probandum est. Ad (5.) Cum quæstio est de facto, & specie externa, putamus & nos, esse adigendas partes ad demonstrandum id, quod pro sese asserunt; & damnandas, si, quod asseruerunt, demonstrare non possunt. Inde vero non licet concludere, ubi iste specialis casus, eaque controversia non est, sed de mera veritate quæritur, an successioni merè personali standum sit, eâque in Ecclesia novissima, ut nostra est? In Ecclesia est ordo externus Episcoporum, vel pastorum sibi invicem succedentium, isque ab Ecclesia, vel illustrioribus ejus membris con-

constitutus, qui si à maleferiatis hominibus turbatur, merito querelas movet; at hoc velle accommodare necessario reformationis operi, est sambucam caloni aptare. Ad (6.) omnes Ecclesias errasse, non dicit, nisi is, qui putat nullam in terris, ne invisibilem quidem, superesse Ecclesiam: At Lutherani idem non dicunt, credunt enim Ecclesiam Catholicam semper futuram. Hæretici, quibuscum res erat Tertulliano, ipsam Apostolorum, qui plantaverant Ecclesias, fidem in dubium revocabant; an quisquam autem Evangelicorũ eo absurditatis progressus est? Ad (7.) Membra esse unita, sibi invicem, & capiti, certum est. Istud vero caput est Christus, nemo autem hominum; nec unio est necessario externa; potest enim ea esse inter eos quoque, qui se invicem nec norunt, nec locorum vicinia contingunt. Novatiani schismatici exemplum huc plane non quadrat, quia is ipse casus non est, nec quæstio inter nos. Ad (8.) hæreticos esse, qui Ecclesiam evertunt, neminem vero ad salutem ædificant, ultro fatemur. Cave autem Ecclesiæ veritatem æstimare ex perpetua infidelium, & solenni conversione. Vim habere possum convertendi, etsi actu, quem ajunt, secundo destituor. Ad (9.) Sanctitatem vitæ, ex doctrinæ enatam, signum esse veræ Ecclesiæ, & fructum, ultro damus; distingue autem hypocrisin à vera sanctimonia, quod non feceris, nisi regula usus doctrina. Ad (10.) Adversariorum, convictorum virtute verbi & doctrinæ, testimonium, esse Ecclesiæ notam qualemcunque, permittimus; neque tamen, ubi tale quid adversarii omiserint, ego negarem, veram esse Ecclesiam, quia sæpe supprimere solent ore, quod cor confitetur. Ad (11.) Quosdam hæreticorum male perire, certum est. Sed propterea hæreticos esse, quicunque ad speciem male pereunt, probandum est, aut hæreticos non esse, qui placida, qua videntur, morte tolluntur, id ipsum probandum foret.

§. 77. *Conciliorum* controversa sunt (1.) *membra*, quæ ipsis interesse, & judicia ferre possint, & debeant? dicunt Papistæ, solos Episcopos habere id auctoritatis & potestatis: *neq; enim in conciliis sententiam dicere Laicis unquam permissum legimus. Imo vel ex ipso Cypriano constat, solis Episcopis id usitatum, tum ex epistola infra* De Conciliis.

con-

concilii Africani de lapsis, ubi nulla laicorum mentio, tum ex synodo Carthaginensi, de baptismo hæreticorum, ubi non nisi Episcoporum sententiæ recensentur. verba sunt Pamelii in notis ad epist. 31. Cypr. §. 26. (2.) *Auctoritas*, quæ Pontificiis divina videtur, ut non liceat refragari decretis synodicis. Idem provocat iterum ad Cyprianum, qui epist. 54. ad Cornelium Romanum Episcopum perscripserit, & quidem de synodo Africana; *Placuit nobis, Spiritu Sancto suggerente, & Domino per visiones multas & manifestas admonente, quia hostis nobis imminere prænunciatur & ostenditur, colligere intra castra milites Christi, & examinatis singulorum causis, pacem lapsis dare &c.* Hæc Cyprianus: ℞. ad. 1. N. C. non nisi Episcoporū sententiæ recensentur. E. non nisi Episcopi in concilio sententiam dixerunt, vel ipsi soli interfuerunt. Episcopi enim non suo solū, sed etiam Presbyterorum, Diaconorum, & auditorum nomine subscribebant. In concilio Carthaginensi, apud Cyprianum descripto, soli quidem Episcopi nomina sua subjecisse, & sententias adscripsisse leguntur, de quibus tamen expressa Cypriani verba sunt: *Episcopos convenisse cum Presbyteris, & diaconis, præsente etiam plebe maxima parte, coram quibus lectæ sunt Jubajani & Cypriani Episcoporum literæ:* Non soli igitur Episcopi tractabant caussam, sed & Presbyteri, & Diaconi, & Laici, etsi solorum Episcoporum nomina adscripta legantur. Sed de hoc plura superius. Ad. 2. ℞. divinam esse auctoritatem conciliorum, si ex Dei verbo agunt, & juxta istam normam quæstiones fidei decidunt, concedimus; Negamus autem divinam esse, si absque, præter, & contra istud aliquid definiverint: An enim Papistæ *placuisse Spiritui Sancto* censent, quod in concilio Carthaginensi Cyprianus & Africani definiverunt de anabaptismo? Augustinus certè, qui multa de hac synodo hinc inde habet, libro sexto & septimo de baptismo adversus Donatistas Africanorum Patrum in hac synodo collectorum rationes & argumenta refellit, quod non fecisset, si credidisset, ipsos ex dictamine Spiritus Sancti talia decrevisse & sensisse.

De hæreticorum (1.) ingeniis,

§. 78. De *hæreticis*, & quidem (1.) quoad *ingenia* contendunt Pontificii, *quod & regulam Ecclesiasticæ prædicationis relinquant, & interpretes, qui ex hac vita excesserunt, contemnant, & Psalmos can-*

cantusq; à Patribus compositos, velit à viris recentioris memoriæ editos explodant, quæ verba sunt Sanderi de visib. Monarch. lib. 7. f. 275. subjuncta exemplo Pauli Samosateni, hæretici, & veterum contemptoris, quocum Lutheranos quoq; iste comparaverat. (2.) *Loca:* Ex Cypriano allegant exemplum Felicissimi, qui in montem secesserit, schismate adversus Cyprianum excitato: Pamelius huic confert hodiernos, ut vocat, hæreticos, ajens: *Mos hæreticis etiam hodie in usu existens*, in notis ad Cyprian. epist. 38. (3.) *Pœnas.* vi & pœnis externis coercendos esse hæreticos probare volunt ex Tert. in Scorp. adv. Gnost. c. 2. *Ad officium hæreticos compelli, non illici, dignum est: duritia vincenda est, non suadenda.* Et Cypr. de exhort. Mart. c. 5. *Si ante adventum Christi, circa Deum colendum, & idola spernenda, hæc* (Deut. XIII. 1. seqq. 1. Mac. II. 24.) *præcepta servata sunt, quanto magis post adventum Christi servanda sunt: quando ille veniens non verbis tantum nos hortatus sit, sed & factis?* Hæc ille. ℞. ad (1.) Samosatenus negavit Deitatem Christi, & cum ipsi objicerentur testimonia scripturæ & veterum, qui Deum istum agnovissent, & Psalmi, in Ecclesia recepti, qui eundem divino afficerent honore, inflatus homo respuit omnia: At quis Evangelicorum genuinorum hoc facit? Regulam Ecclesiasticæ prædicationis, scripturam sacram, & symbola inde concinnata, religiosè veneramur, Psalmos Davidicos, aliosque hymnos non Sanctis, ut Pontificii, sed Christo Deo unicè dedicamus; an hoc est Samosatenum imitari? Ad (2.) In loca secretiora, & separatiora secedere per sese hæreticum non est; Secus & Christiani antelucanos cœtus, etiam sub terra, celebrantes, fuissent hæreticis annumerandi. Doctrina facit hæreticum, non locus. Ad (3.) dist. inter coactionem moralem, & physicam, seu externam. De ista Tertulliano sermo est, non de hac. Loquitur de præceptis divinis, quibus martyria tolerare jubemur, & contradistinguit argumentis suasoriis, quibus hæretici parum moventur. Testimonium igitur à statu controversiæ abludit. Cyprianus disputans adversus idololatriam argumentum quidem sumit à lege in V.T. in idololatras lata, sed non dicit, in N.T. idololatras, vel hæreticos perinde capitali supplicio esse ab hominibus afficiendos:

(2.) Locis.

(3.) Pœnis.

℞. 1.

2.

3.

dos: pœnam enim unicè Deo, ipsiusque Filio, judici omnis carnis relinquit, allegatis dictis Matth. X. 28. 32. 2. Tim. II. 12. 1. Joh. II. 23. Joh. XXII. 25. Quare denuo ignorantia elenchi laborat dictum; Nec enim quæstio est, an Christus judex puniturus sit hæreticos, eosque æterna morte; sed an homines?

De Antichristo §. 79. De *Antichristo* controversia est, an is Episcopus Romanus sit, ut hodie quâ doctrina, qua moribus, degeneravit? Negant Papistæ, & pro sese allegant hujus quoque Seculi Patres,

ex signis tres, & imprimis Hippolytum, qui de Antichristo ex professo scripserit. Bellarminus lib. III. de P. R. à cap. 4. usque ad 9. inclusive aliquot demonstrationibus conatur evincere, quod Antichristus nondum venerit, adeoque nec Papa Romanus is

(1.) esset. quarum (1.) est, quod Evangelium in toto orbe nondum

(2.) sit prædicatum, teste Origene homil. 28. in Matth. (2.) Quod imperium Romanum nondum sit eversum, cujus tamen eversionem inter signa Antichristi referat Tertul. Apol. c. 32. Lact.

(3.) lib. 7. c. 15. (3.) Quia nondum venerit Elias, præcursor, juxta Origenem, Heliæ. Heliam enim adhuc superstitem, juxta Tertul. contr. Jud. c. 1. oppositurum sese esse Antichristo, statuente Hippolyto in sermone de mundi consummatione, post Tertul. de anim. c. 50. & Origenem cum Lactantio lib. VII. instit.

(4.) c. 17. (4.) Quia publicus cultus Christianus adhuc temporis perduret, quem tamen Antichristi tempore cessaturum esse idem Hippolytus credidisset. (5.) Quia Antichristus non plu-

(5.) res quam tres annos cum dimidio sit regnaturus, juxta eun-

(6.) dem; Papa autem jam per aliquot secula regnaverit. (6.) Quia Antichristi adventus futurus sit paulo ante finem mundi, & ipse sit regnaturus usque ad finem mundi, putante Tertulliano libro

(7.) requisitis. de resurrectione. Pergit Bellarminus, & c. 11. docet ex Tertulliano, chrisma fuisse jam suo tempore usitatum, ut obtineat contra Bullingerum, notam Antichristi non esse, quippe qui demum anno 606. venerit, juxta hæreticos; potius Calvinistas esse, qui crucem execrentur, quod signum statuerit Hippolytus

(8.) Antichristi. c. 12. Ex eodem docet, Antichristum esse nascendum è tribu Dan; è qua tamen Papa non prodierit: & reci-

piendum

piendum esse à Judæis, teste eodem; At Judæos non recepisse papam Romanum. cap. 13. citat Hippolyti ejusdem testimonium, quod Antichristus templum exstructurus sit Hierosolymis; quod nemo Pontificum Romanorum fecerit. cap. 14. (9.)
ex eodem docet, quod Antichristus *coacturus sit homines docere: nego baptismum, nego signum crucis*; quod tamen nemo Episcoporum (10.)
Romanorum dixerit, imo imperent potius, ut fiat. Eundem Hippolytum affirmare, quod Antichristus *idololatriam non admissurus sit*, quam tamen, juxta Lutheranos, papa Romanus admittat. cap. 15. de miraculis Antichristi disputat; & conferri possent verba Lactantii lib. VII. inst. c. 17. qui recenset quædam (11.)
istorum *signorum & prodigiorum* e. g. descensum ignis cœlestis, stationem solis, loquelam imaginum &c. qualia nemo Romanorum Episcoporum fecerit. Idem Lact. l. c. *de proeliis* Antichristi narrat: qualia nemo paparum commiserit: docente Bellarm. c. 16. seqq. (12.) (13.)

I. ℞. in genere

§. 80. ℞. (1.) *in genere:* Vaticiniis nondum impletis mirum non est varia hominum esse judicia, adeoque & varia Patrum extitisse, hoc seculo, quo Antichristus adhuc embryo erat, persecutionibus Ethnicis ipsum reprimentibus. Examinandæ sunt ipsorum interpretationes ad scripturæ regulam, à qua, si abhorruerint, reijciantur: ipso Bellarmino suo nos exemplo docente lib. III. de P. R. c. 12. §. hæc sententia. Nec enim ipse pro certo vult asserere, Antichristum ex tribu Dan venturum, etsi Patres id asserant, *quia nulla earum scripturarum*, ad quas isti provocabant, *id convincebat.* Nisi igitur & nos auctoritatibus scripturarum fuerimus convicti, non tenemur auctoritate Patrum stare. Vapulant certè in eodem capite & Origenes, & Hippolytus; hic, quod in sæpius laudata oratione de consf. Sec. docuisset, *Antichristum esse ipsum diabolum, qui de falsa virgine falsam carnem esset assumpturus*; Iste vero, quod *tomo secundo in Joannem asseruisset, aliquot Angelos verè esse incarnatos*, qua substrata hypothesi, istud facile esset docere. Confer superius dicta art. I. §. 13. p. 476. (2.) *In specie* ad 1. Evangelium in toto terrarum orbe, Origenis sententia & tempore, fuisse prædicatum ostendimus supra art. III. Sect. 5. §. 66. In Matthæum quidem ὁμιλεῖ, quod

II. in specie ad 1.

Evangelium *nondum prædicatum sit in toto orbe*, sed intelligit eum prædicationis gradum excellentiorem, quo nonnullis aliis populis erat prædicatum Evangelium; famam vero ad omnes pervenisse clarè asserit in præcedentibus, cum scribit, *omnibus etiam in ultimis partibus terræ commorantibus gentibus odio haberi populum Christianum*; noverint igitur Christianos. Ad (2.) Imperium Romanũ & Orientale & Occidentale fuisse eversum, istud à Turcis, hoc à Barbaris aliis, docet post Baronium Spondanus an. 476.
2.
3. Ad (3.) Eliam venisse Spiritu docet ipse Christus Matth. XI. 14.
4. Ad (4.) publicum cultum sincerum ante Lutherum sub tenebris papalibus disparuisse nostrates alibi ostenderunt. Altius adscendendo, legimus apud Cyprianum in adhort. ad Tibarit. Et de exhort. Martyr. ad Fortunat. quod sævientibus tum persecutionibus, Antichristi *tempus jam appropinquarit.* De quodam Ecclesiastico scriptore Juda sub Severo Imperatore refert Euseb. lib. VI. hist. c. 6. quod tanta fuerit persecutionis vis, ut scripto iste libro de adventu Antichristi putaverit jam tum Antichri-
5. stum advenisse. Ad (5.) Tres anni cum dimidio non sufficiunt tanto Antichristi, tamque latè patenti, dominio acquirendo: Nec conciliari possunt cum incertitudine diei extremæ. Ad
6. (6.) Finis mundi non necessario notat aliquot paucos annos, mundi finem antegressuros; sed totum illud tempus, quod pro-
7. mulgatum Evangelium subsequitur. Ad (7.) distinguendum est inter Antichristum puerum & virum; Seculo septimo cœpit vir esse, sed Tertulliani ævo erat pusio in Montanistis delitescens. Crucem Antichristus execratur non quidem materialem, moralem tamen, nempe virtutem meriti Christi in cruce
8. præstiti, merita sua surrogando. Ad (8.) Antichristum è tribu Dan esse proditurum ipse fatetur Bellarminus non convinci è dictis scripturæ: Sed nec illud evincitur è scripturis, quod is ipse Antichristus futurus sit, quem Judæi receperint: Annon enim Barchochab, Mosen Cretensem, alios, qui Antichristi non fuerunt, receperunt? Intelligantur verò Judæi, quid tum? Annon enim Pontificii ex Judaicis cultibus multos in suam Ecclesiam introduxerunt? Legatur D. Nicol. Hunnii nostri apostasia

ſtaſia Eccleſiæ Romanæ. Ad (9.) Hieroſolyma ſunt everſa, nec reſtaurabuntur, nec recipient regnum ſuper reges terræ, quale Roma habet: Templū hæc eſt, in quo ſedet Antichriſtus, & crucifigit Chriſtum in ſuis membris: *Si Chriſtianus condemnatur, pro hoc tantum, quod Chriſtianus eſt, Chriſtus eſt, qui condemnatur*: juxta Origen. homil. II. in Jerem. Ad (10.) negatio eſt vel realis, vel verbalis, ſeu vel implicita, vel explicita: baptiſmum reipſa & implicitè negant, quicunque juſtificationem per fidem eidem derogant, quod faciunt Papiſtæ, ipſam negantes; item rebaptizantes noſtrates, ut exempla plurima exſtant. Ad (11.) Papa idololatriam non admittit verbis; negat enim ſeſe idololatram; reipſa tamen, quia alios præter unum verum Deum habet Deaſtros. Ad (12.) Miracula Pontifices Romanos ſibi arrogare, docuit Dn. D. Dannh. hodom. Pap. phant. 2. p. 755 .ſeqq. Ad (13.) Papam Romanum Reges terrarum pedibus conculcaſſe, notum eſt; eundem ſibi affectare imperium in univerſum orbem, palam eſt.

9. 10. 11. 12. 13.

De Symbolo Apoſtolico.

§. 81. *Symbolum Apoſtolorum* ab Apoſtolis eſſe conſcriptum probaturiunt Papiſtæ ex Tertullian. c. 1. de veland. Virgin. Ex Novat. de Trinit. c. 1. 9. 29. allegante Coccio Theſ. tom. I. lib. VI. art. 29. ℞. doctrinam in ſymbolo iſto contentam eſſe Apoſtolicam, certum eſt; At Apoſtolos hoc eodem ordine, quo hodie eſt, concinnaſſe, & obſervandum Eccleſiæ tradidiſſe, neque Tertullianus, neque Novatianus dicit, imo contrarium licet ex ipſis elicere; Neque enim ſymbolum recitant, ut nos hodie, quod non feciſſent, ſi Apoſtolicæ eſſet inſtitutionis hodiernum noſtrum.

SECTIONIS II.

De

Objectionibus Calvinianorum, Socinianorum, Anabaptiſtarum, Syncretiſtarum, aliorumque.

Argumentum.

Proœmium §. 1. *adducuntur objectiones.* I. Calvinianorum *contra ſenſum literalem ſcripturæ;* §. 2. *imagines.* §. 3. *communicationem idiomatum* §. 4. *pro Sanctitate infantum fidelium.* §. 5. *diviſione decalogi.* §. 6. *contra baptiſmum Laicorum.* §. 7. *fruitionem oralem in Euchariſtia, indignorum, finem, acceptionem, quæ ore fit.* §. 8. *reſpondetur ad ſingula objecta.* §. 9. *diluuntur exceptiones.* §. 10. *Diſſeritur de certitudine ſalutis.* §. 11. *De Eccleſiæ veris membris.* §. 12. *De prædeſtinatione abſoluta.* §. 13. II. Socinianorum *contra Trinitatem.* §. 14. III. Anabaptiſtarum, *de non faciendis quibusdam operibus:* §. 15. IV. Syncretiſtarum *pro pace Eccleſiaſtica.* §. 16. *concluditur.*

§. 1.

Proœmiū. SCyllam præternavigavimus & ſuperavimus, reſtat & Charybdis vitanda; breviore tamen curſu; quia nundinæ paſchales, Francofurti habendæ, nos urgent curſum abſolvere; ut operis hujus navicula ſecundo Rheno mature deſcendat, & appellat. Quod eo facilius à nobis impetrare potuerunt, quo plura noſtræ ſententiæ impedimenta in præmiſſis jam ſparſim ſunt remota, neque hi adverſarii in antiquorum dictis adducendis adeo luxuriantur, ut Pontificii fecerunt.

I. *Calviniani* de (1.) ſenſu ſcripturæ. §. 2. I. *Calviniani*, qui & Reformati dici volunt, contendunt nobiſcum de (1.) *ſcripturæ Sacræ*, quæ principium fidei noſtræ eſt, ſenſu literali, & negant *hærendum eſſe in ῥητῷ, ſeu verbis ſcripturæ Sacræ, ſed inquirendum & conſiderandum eſſe ſenſum verum ac genuinum:* uti monet Amandus Polanus Symph. cap. 1. θ. 15. adidens

dens θ. 16. rationem, *quod id sit hæreticorum, non firmiter instituto-rum*: petitam, ut ipse putat, è Clementis Alex. lib. VII. strom. p. 261. quippe qui invehitur in hæreticos *eligentes ea, quæ dicta sunt ambiguè, & traducentes ad proprias opiniones, paucas voces sparsim carpentes, non id considerantes, quod ex ipsis significatur, sed ipsa nuda dictione utentes. &c.* quorsum hæc tendant, facile conjicit, qui novit, Calvinianos ferre non posse, quando urgemus τὸ ῥητὸν in verbis institutæ cœnæ. Sed frustra hæc Polanus vibrat tela. Neque enim Evangelici ita ῥητῷ inhærent, ut διάνοιαν, seu sententiam veram, negligant: Nam veram διάνοιαν verborum ex litera juxta nativam significationem intellecta venantur, & capiunt, neglectis cœcæ rationis detorsionibus. Clementis sententia eos ferit, qui literæ nudæ adhærent, ubi analogia fidei diversum cogit sensum capere, quam qui è litera immediatè fluit. e. g. cum Deus dicitur habere membra, oculos, manus &c. utpote quem scriptura alibi appellat Spiritum. Ostendat autem Polanus pari evidentia nos cogi ad desertionem literæ in verbis institutionis. Confer dicta superius art. III. Sect. 1. §. 36.

§. 3. (2.) *Imaginibus*, quas ne ferre quidem possunt, nuda memoriæ signa. Probare volunt è Clemente Alex. orat. adhort. ad Græc. cum disserit: *nobis est apertè vetitum artem fallacem exercere. Non facies enim, inquit propheta, cujusvis rei similitudinem, eorum, quæ sunt in cœlo, & quæcunq; sunt in terra infra* & lib. V. strom. p. 239. (155.) ubi allegato Mosaico interdicto subdit rationem: *Ut Dei enim majestas vilis & contempta reddatur, efficit, quæ est in promptu, videndi consuetudo, & quæ intelligentia percipitur, essentiam colere per materiam, est eam per sensum vilipendere. Quocirca Ægyptiorum quoq; sacerdotum sapientissimi Minervæ ædem sub dio esse constituerunt, & Hebræi, qui templum posuerunt absq; imagine.* Tertullianus suffragatur c. 4. de idol. *idolum*, inquiens, *tam fieri quam coli Deus prohibet.* Confer c. 2. Scorp. Hæc in genere adversus imagines. In specie contra Dei imaginem scripsit Clemens Alex. lib. VI. strom. *nobis*, inquiens, *nullum est simulacrum in mundo, quoniam in rebus genitis nihil potest Dei referre imaginem.* Hinc consequitur, imagines ne quidem in locis sacris esse collocandas, aut adorandas: docente Tertulliano d. cor. milit. c. 10. Lactant. div. instit. lib. 2. c. 19.

(2.) Imaginibus non faciendis, nec habendis.

Bb. (1.)

℞. (1.) in genere, Patres disputant adversus idololatriam gentilium, quæ satis crassa erat, & scandalosa. quare & imagines ipsorum rejiciebant, utpote falsas, quibus in reipsa nihil responderet. Licet autem patres calore disputandi ulterius, quam par erat, provecti fuissent, non tamen caussæ nostræ nocerent, quia ipsi Reformati eo modo excusant Patres, cum adversus Pontificios, patrum παροράματι abutentes, disputant. vid. D. Dannh. Christeid. p. 338. In *specie* ad (1.) Clemens negat artem FALLACEM esse exercendam, qualis non est ea, quæ Dei, vel aliarum rerum imagines pingunt secundum eam speciem, in qua vel iste sese revelavit, vel aliæ res apparuerunt, aut adhuc apparent. Secus Deus ipse sibi fuisset contrarius, qui jussit imaginem ænei serpentis erigi. de quo vid. Tert. lib. 2. adv. Marc. c. 22. & quæ supra diximus art. III. Sect. 5. §. 33. Ad (2.) Imagines esse apud nonnullos populos, vel homines, omittendas, non omnino negamus: Si nimirū ad idololatriam isti proniores fuerint, vel nondū satis informati, nondū ejectis ex animo idolis: quales erant Ægyptii, Judæi, Ethnici, de quibus Clementis locus expresse loquitur. At hinc N. C. imagines igitur ne inter Christianos quidem, subactos sensus habentes, esse tolerandas: aut tumultuosè hic, vel illic deturbandas, & ignominiosè tractandas. (3.) idolum, qualia erant Ethnica, utique nec faciendum erat, nec colendum; sed ab *omni* ejus *& factura & cultura cavendum*: sed quid hoc ad imagines Christianorum, quæ nec idola, nec Ethnica simulacra sunt? Ad (4.) nihil utique Dei imaginem, ut est ipse in sese, referre potest; est enim Spiritus, qui imaginem non habet; Nec nostræ imagines eo fine ponuntur, quasi Dei imaginem, ut in sese est, referant; sed ut sese in scripturis ipse revelavit, Pater sub specie senis, Filius hominis, Spiritus columbæ. Ad (5.) Imagines nos non adoramus, quare testimonia ista nobis non obsunt. Alias objectiones diluit Christeis pag. 965. 953.

(3.) Communicatione idiomatum

§. 4. (3.) Contra *communicationem idiomatum*, factam humanæ in Christo naturæ, Polanus c. 9. θ. 1. objicit auctoritatem Tertulliani, qui adv. Prax. c. 27. scripserit: *Videmus duplicem statum non confusum, sed conjunctum in una persona, Deum & hominem Jesum.*

De

De Christo autem dissero. Et adeo salva est utriusq; proprietas substantiæ, ut & Spiritus res suas egerit in illo, i. e. virtutes, opera, & signa: Et caro passiones suas functa sit &c. Sed quia substantiæ ambæ in statu suo quoq; distinctæ agebant, ideo illis & operæ & exitus sui occurrerunt. Suffragari videntur patres Antiocheni, quando literas ad Samosatenum perscribunt: *Signa & prodigia, quæ in Evangeliis descripta sunt, Deus operabatur: participatione vero carnis & sanguinis tentatus est per omnia pro similitudine absq; peccato.* Quæ verba distinguunt apertè inter Christum qua Deum, & qua hominem; istum dicunt miracula fecisse, E. hunc minimè. Iidem patres in Symbolo suo eidem hæretico opposito apertè confitentur: *Totum* quidem *Christum esse* adorandum, seu *adorabilem cum corpore, sed non secundum corpus adorabilem.* Si autem non est adorabilis secundum corpus, etiam secundum corpus non habebit communicata divina axiomata, utpote adorationis fundamentum. Origenes homil. 33. in Matth. videtur derogare omnipræsentiæ Christi, objiciente Masson. anat. part. 2. c. 21. p. 1272. Tertulliani dictum ex lib. de Trinit. objicit Scult. in medul. 237. ℞. ad duo postrema dicta respondit Christeis Dannhavveriana. p. 967. 989. Ad. 1. ℞. Communicatio idiomatum non tollit alterutrius naturæ proprietates, nec axiomata divina faciunt humanam naturam infinitam, ut est divina natura; mansit igitur Christus verus homo, distinctus à Patre personaliter, quem cum persona Filii confundebat Praxeas, adversus quem disputat l. c. Tertullianus. Ad. 2. Patres Antiocheni agunt adversus Paulum Samosatenum, qui Deitatem Christi abnegabat, & argumenti loco adducebat dicta scripturæ, in quibus Christo humanæ affectiones, & passiones tribuuntur; ut obtineret hominem extitisse, non Deum. Antiocheni igitur opus habebant distinguere inter naturas; dicendo, affectiones illas & passiones competere Christo secundũ humanam, non autem divinam naturam; Neq; divinam naturam iis tolli, quia in statu suæ exinanitionis miracula perpetrarit, quæ nemo, nisi Deus, possit perpetrare. Alius vero status est inter nos, & Reformatos, nempe hic: An humanæ naturæ in Christo à λόγῳ sint communicata omnia divina axiomata? Hoc Antiocheni non negant. Ad 3. ℞. dist. est

inter corpus meri hominis adorabile & inter corpus naturæ cum divina unitæ adorabile. Negabat Samosatenus Deitatem Christi, cujus erat corpus; inferebant hinc Antiocheni, adorabile igitur non erit, quia corpus meri hominis adorabile non est:

(4.) liberis sanctis.

§. 5. (4.) *Pro sanctis ex sanctis parentibus liberis* Tertulliani dictum de anim. c. 39. videtur militare, cum scribit: *Apostolus ex sanctificato alterutro sexu sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogativa, quam ex institutionis disciplina. (Ceteram inquit) immundi nascerentur, quasi designatos tamen Sanctitatis, ac per hoc etiam salutis, intelligi volens fidelium: filios ut hujus spei pignora matrimoniis, quæ retinenda censuerat, patrocinarentur.* Ex his verbis videtur constare, quod alia ratio sit liberorum, quos suscipiunt fideles, alia eorum, quos impii idololatræ, istorum liberos esse fideles, & mundos; horum minime. ℞. dist. inter Sanctitatem externam, & internam; Istam Tertullianus infantibus fidelium largitur; hanc minimè. Istam, quia nascuntur in Ecclesia visibili, in qua Deo dedicantur, non dæmonibus, ut Ethnicorum filii, in quos d. l. invehitur; Hanc minimè. *Omnis enim anima eousq; in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tamdiu immunda, quamdiu recenseatur. Peccatrix tamen, quia immunda recipiens ignominiam suam ex carnis societate.* Sic ipse Tertullianus cap. 40. explicat. Atque hoc modo Tertullianum explicat Hieronymus ad Paulin. Nec abludit August. epist. 157.

(5.) Decalogi divisione.

§. 6. (5.) *Decalogi divisionem* morosè urgent. Polanus nobis objicit Clementem Alex. lib. VI. strom. p. 291. qui dicit: *Quintum præceptum est de honore patris & matris*; & paulo post: *decimum præceptum est de concupiscentiis omnibus.* Et in specie urget peculiare de imaginibus omittendis præceptum: eodem libro; quod ipsum urserat etiam lib. I. & lib. V. Nicolaus Gallasius in notis ad Iren. c. 42. f. 372. addit Origenem, qui homil. 8. in cap. XX. Exod. præceptum de imaginibus non faciendis expresse destinguat à primo, verba sunt hæc: *Hæc omnia simul nonnulli putant unum esse mandatum. Quod si ita putetur, non complebitur numerus decem mandatorum. Et ubi erit Decalogi veritas? Sed si eo modo dirimatur, quo & nos in superiori pronunciatione distinximus, integer de-*

cem mandatorum numerus apparebit. Est ergo primum mandatum: Non erunt tibi alii Dii præter me; secundum vero: Non facies tibi idolum, neque ullam similitudinem &c. Succurrit, quod in Bibliotheca nostra Academica Argentoratensi extat exemplar Manuscriptum membranaceum Bibliorum vulgatorum, quod dicunt juxta sententiam Origenis esse factum, in eo præcepta rubricis additis eodem modo distinguuntur, ut quatuor priori, sex posteriori riori tabulæ cedant. ℞. ad (1.) Clementi Clementem opponimus; nam idem in priore tabula tria tantū præcepta numerat; ut ostendimus ipsiusmet verbis supra art. III. Sect. 5. §. 34. seqq. p. 785. seqq.

§. 7. (6.) De *Sacramentis* non minima nobis est controversia, & quidem (1.) de *baptismo*, an à Laicis possit administrari, e. g. à fœminis? Negat Tertullianus de veland. virg. c. 9. scribens: *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui; sed nec docere, nec tingere, nec offerre.* &c. Et propterea invehitur in heterodoxorum mulieres, quæ audebant & *tingere*: de præscr. c. 41. ℞. disputat Tertullianus adversus Cataphrygas, utpote adhuc integer ipse, qui mulieribus publica in Ecclesiis munia concedebant, utpote prophetissis. Quod enim privatim, & in casu necessitatis etiam Laicis concedat administrationem baptismi, id supra ostensum est art. 2. §. 7. De Sacramento baptismi:

§. 8. (7.) De *Eucharistia* præcipuæ sunt lites. Negant 1. corpus & sanguinem Christi ore accipi, & probare volunt è Cypriano tract. de cœn. Sect. 5. qui scribit: *Hoc Sacramentum aliquando corpus suum, aliquando carnem & sanguinem, aliquando panem Christus appellat.* In quibus verbis aperte haberi videtur, quod in verbis institutionis sit locutio tropica. Idem in eodem tractatu, *hæc quoties agimus*, ait, *non dentes ad mordendum acuimus, sed fide sincera panem sanctum frangimus, & partimur.* Hæc Polanus. Hottingerus hist. Eccles. Sect. IV. cap. 3. producit Clementem Alex. lib. 2. pæd. qui explicat Eucharistiam *bonam esse gratiam, cujus, qui per fidem sint participes, sanctificentur corpore & anima. Bibere sanguinem Jesu Christi esse participem fieri incorruptionis Domini.* Et lib. 1. c. 6. allegoricè appellare Christum βρῶμα, καὶ σάρκα, καὶ τροφὴν, καὶ ἄρτον, καὶ αἷμα, καὶ γάλα: *cibum & carnem, & nutrimentum, & panem & sanguinem, & lac.* Idem Cypriani quoque mentionem fa- De Eucharistia 1. absentia corporis & sanguinis.

cit, qui lib. 2. epist. 3. dicat; *Edimus autem* corpus Christi *& bibimus sanguinem fide.* Goulartius in notis ad Cypr. epist. 76. §. 17. nobis objicit verba Cypriani: *Quando Dominus corpus suum panem vocat, de multorum granorum adunatione congestum populum nostrum, quem portabat, indicat adunatum. Et quando sanguinem suum vinum appellat, de botris atq; acinis plurimis expressum atq; in unum coactum, gregem item nostrum significat, commixtione adunatæ multitudinis copulatum.* His verbis hanc notam adjicit: *Locus expressus adversus transsubstantiationem Pontificiam, missas privatas, & manducationem oralem carnis Christi.* Negant (2.) indignos participes reddi corporis & sanguinis Dominici: idque probare volunt ex eodem de Cœna sermone, quo dicitur: *Hi, qui corde sicci, & mente aridi sacris intersunt, vel etiam participant donis, lambunt quidem petram, sed inde nec mel sugunt, nec oleum, qui nec aliqua charitatis dulcedine, nec Spiritus Sancti pinguedine vegetantur, nec se judicant, nec Sacramenta dijudicant, sed, sicut cibis communibus viverentur, sacris utuntur muneribus.* Hotting. l. c. Negant (3.) finem alium esse, nisi commemorationem Christi, & mutuã charitatem. *In commemorationem* enim *Domini hoc facere debemus, quod ipse fecit*: Idem Cyprianus de Cœna scribit; & lib. 2. epist. 3. *Deniq; unitatem Christianam firma sibi atq; inseparabili charitate connexam Dominica sacrificia declarant.* His verbis aliud nihil dicitur, quam quod de commemoratione & charitate præmissum est. Negant (4.) panem immediate ex manu porrigentis esse accipiendum ore; sed de manu in manum asserunt sumendum esse. Probare satagunt è Tertul. lib. d. idol. c. 7. Invehitur enim in eos, qui audent *eas manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt*: citante Polano.

[Margin: 2. indignis: | 3. De fine. | 4. de acceptione]

§. 9. ℞. I. *in genere*: Sermonem de cœna nonnulli Reformati negant, vel dubitant esse Cypriani Martyris auctoris, vide Goulart. not. ad Sermonem istum f. 504. Rob. Coc. cens. veter. p. 142. Rivet. Crit. Sacr. p. 232. l. 2. c. 15. Sit vero genuinus Cypriani, vel coævi patris auctoris fœtus, nobis tamen non officit. Ut enim (II.) *In specie* ad singula loca respondeamus, & quidem ad (1.) denominationes istæ sunt Synecdochicæ, desumptæ interdum à re cœlesti, interdum à terrestri; quid autem hoc pro manducatione spirituali? vel absentia rei cœlestis? inver-

[Margin: ℞. (I.) in genere | (II.) in specie ad (1.)]

invertamus potius; sicut panis verè, & ore editur, vinum autem bibitur, & quidem in terris; ita & caro Christi, vel ejusdem sanguis, in terris verè adsunt, & ore corporis accipiuntur: Nisi velimus dicere, & panem & vinum spirituali ore sumi, quod absurdum. Fide quidem sincera panem frangimus, nihilominus dentibus quoque commolimus, etsi non eo fine, quo alios cibos, ut corpus nostrum nutriamus & satiemus famelicum, sed ut mediante pane participes reddamur corporis Christi, cujus panis communio est. Fide qui pollet & accipit rem cœlestem, sanctificatur anima & corpore, & particips fit incorruptionis, merito sanguinis Christi, qui ipse incorruptibilis est, & incorruptibilitate nos donat. Variæ autem sunt utilitates, quas fides ex Sacramento hoc accipit, quæ illustrari possunt variis nominibus & elogiis, quibus Clemens Christum describit, etsi præcisè ad Eucharistiam non respiciat, sed ad omnis generis beneficia à Christo nobis tributa. Edimus autem & bibimus carnem Christi & sanguinem fide, cum credimus, beneficia ista nobis esse acquisita, oblata, & destinata; hoc vero non excludit manducationem & fruitionem oralem, quæ fit in sacræ cœnæ fruitione: unius positio non est alterius remotio. Unde sequens argumentum vitiosè concludit: panis & vinum in Eucharistia significant unitatem & concordiam fidelium. E. non sunt κοινωνία corporis & sanguinis Christi: Imo quia sunt communio corporis & sanguinis Christi capitis nostri, cujus nos, qui S. Cœna rectè fruimur, sumus membra, ideoque etiam inter nos est unitas, & mutua connexio. Ad (2.) ℞. dist. inter fruitionem Sacramentalem & Spiritualem, quæ salutaris est. Infideles hac quidem destituuntur, *quia omnino justum est, ut tanto priventur beneficio gratiæ contemptores, nec in indignis tantæ gratiæ puritas sibi faciat mentionem*, ipso sese explicante Cypriano, vel quisquis auctor est: Non autem distituuntur Sacramentali. vide quæ disputavimus supra art. III. Sect. 5. 50. Ad (3.) ℞. Eucharistiam sumi propter mutuam Charitatem, & commemorationem & nos dicimus; sed *tantum* ideo sumi, nec in remissionem peccatorum, confirmationem fidei, unionem cum Christo, resurrectionem gloriosam, & salutem æternam?

ad. 2.

ad. 3.

nam? exinde non consequitur, nisi velimus subordinata invicem committere, & separare. Ad (4.) nostra sententia ἀδιάφορον est sive sacra symbola manu, sive ore sumas, dummodo edas & bibas. Nec ex Tertulliano aliquam necessitatem pro alterutro ritu eviceris.

ad. 4.

Exceptiones

§. 10. *Excipiant* Reformati, propositiones sacramentales esse figuratas: quod pateat ex Clementis lib. 1. pæd. c. 6. loco §. 8. allegato, πολλαχῶς γὰρ ἀλληγορεῖται ὁ λόγος *verbum enim multis modis allegoricè dicitur.* Origenis homil. 7. in Lev. qui scribit: *si secundum literam sequaris hoc ipsum, quod dictum est: Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, occidit litera hæc.* Tertulliani lib. IV. contr. Marc. c. 41. qui verba: *Hoc est corpus meum*, exponit, *per figuram corporis mei:* Cypriani, qui in tractatu de cœna reprehendat eas, qui verba cœnæ existimabant *hoc modo dici, ut carnem Christi vel elixam, vel assam, sectamq; membratim edere docerentur.* Hæc & similia ficulnea illi folia colligunt & præcingunt, sed frustranea opera. Nam (1.) Clemens Alexandrinus de Christo fidei objecto, i.e. cibo Spiritualis fruitionis loquitur; de quo nobis non est quæstio; est enim quæstio de Sacramentali. Ad (2.) idem respondemus. Agit enim Origenes de verbis Christi Joh. VI. ubi de manducatione & bibitione Spirituali, Sacramentali nondum instituta, loquitur. Ad (3.) Panem, non peponem, esse figuram corporis Christi, & tamen corpus Christi in, cum, & sub pane exhiberi & sumi, se invicem non tollunt: Imo Tertullianus adversus Marcionem veritatem corporis Christi, quam hæreticus negabat, demonstrare nitebatur. Ad (4.) Cyprianus reprehendit Capernaiticè sentientes, quasi edi vel bibi non possit, nisi eo, quo Capernaitæ putabant modo, à quibus haud multum, si omnino nonnihil, absunt Calviniani, censentes oralem manducationem esse Capernaiticam.

Rz. ad. 1.
2.
3.
4.

De certitudine salutis.

11. (8.) *Electos* de sua salute esse *absolutè* certos, videtur statuere Cyprianus in lib. de mortal. sect. 2. *Scriptum est enim*, inquit, *justum fide vivere. Si justus es, & fide vivis, si verè in Deum credis, cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris, amplecteris* &c. Ante ipsum Tertullianus lib. de re-

de resur. c. 51. asseruisse creditur: *Quemadmodum enim*, ajens, *nobis arrhabonem Spiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in cœlum, pignus totius summæ illuc quandoq; redigendæ. Securæ estote caro & sanguis, usurpastis & cœlum, & regnum Dei in Christo.* Hæc illi. Si *securi* esse possumus, quid dubitemus? ℞. nec *securi* simus, nec *dubitemus*, sed *speremus*, nos æternum salvos fore, idq; vi promissionum universalium, quas Deus in verbo suo fecit, se neminem deserturum, nisi prior ipse fuerit desertus, sed Spiritus sui Sancti gratia ipsum in bono conservaturum usque ad finem vitæ. Hoc verbo nititur fides nostra, hac fide vivit justus, hac fiducia securus est de benevola Dei voluntate, cum timore tamen & tremore, ne sua culpa, & diaboli malitia excidat. Quod enim Deum attinet, pignus habemus Spiritum Sanctum, quod propitio utatur ipso, neque unquam deserendus sit.

§. 12. (9.) Electos solos, nec reprobos, esse Ecclesiæ membra, videtur probari posse ex Tertulliano de carn. Christ. c. 7. *discipuli*, ait, *novi intus audientes, & credentes, & cohærentes Christo, Ecclesiam delineabant, quam potiorem matrem & digniorem fraternitatem, recusato carnali genere* (Christus) *nuncupat.* Ex Clemente Alex. qui dicit, *Ecclesiam non esse locum, sed congregationem electorum.* Ex Cypriano, qui statuat, *Ecclesiam, quæ in Christum credit, nunquam ab eo discedere, & eos esse Ecclesiam, qui in domo Dei permaneant.* Ecclesia enim utique constat ex Christianis, *Nemo autem Christianus est, nisi qui ad finem usq; perseveraverit.* judice Tertul. de præscr. c. 3. & crediderit. c. 6. & 20. & 32. Confer lib. d. carn. Christ. c. 2. Cypr. de laps. Sect. 14. & quæ citantur in Jure canonico. c. 24. q. 1. capit. alienus. 19. *Reprobi* igitur membra esse non possunt: Cyprianus enim epist. 55. §. 8. ait: *Eos esse Ecclesiam, qui in domo Dei permanent: plantationem vero plantatam à Deo Patre non esse, quos videmus non frumenti stabilitate solidari, sed tanquam paleas dissipantis inimici Spiritu ventilari: de quibus & Johannes in epistola sua dicat; ex nobis exiverunt, sed non fuerunt ex nobis.* ℞. ad. 1. Credentes, & per fidem Christo cohærentes esse membra Ecclesiæ vera concedimus; sed negamus *solos* Electos esse talia membra: perinde ut concedimus Ecclesiam esse *congregationem* Electorum;

De membris Ecclesiæ, Electis

non reprobis.

℞. 31.

solo-

solorum esse, negamus; nisi per Electos intelligas quoscunque vocatos, qui vera fide, etsi non omnes perseverante, præditi sunt: quo sensu & nos dicimus ex electis Ecclesiam constare. Concedimus, eos, qui credunt in Christum, nec ab eo discedunt, sed permanent, esse veræ Ecclesiæ membra, & nobiliora quidem, sed *sola* esse, Cyprianus non dicit. Speciem habet, quod ex Tertulliano allegatum est; sed circumstantiæ textus ostendunt, ipsum loqui de nobilissimis Ecclesiæ membris, quæ non tantum sunt, sed & manent, quod sunt. Nam aliquem etiam vera fide præditum, labi tamen posse, idem in præcedentibus dixerat: *Et hoc mirum,* quærens *opinor, ut probatus aliquis retro postea excidat?* Non opinatur; Nam subjectis mox exemplis docet excidere posse; *Saul*, inquiens, *bonus præ cæteris, livore postea evertitur; David reus est. Salomon omni gratia & sapientia donatus à Domino ad idololatriam à mulieribus inducitur. Soli enim Dei Filio servabatur sine delicto permanere.* Ecce vel Davidis, qui dubio procul electus fuit, exemplo probat, Electos aliquandiu saltem excidere posse: Si autem exciderunt, opus est ipsos ante stetisse, & quidem vera fide, quæ per virtutes operosa erat, adeoque veræ Ecclesiæ viva membra extitisse. Reliqua loca adducta probant, quod extra controversiam est, hæredes nos esse Apostolorum per fidem, Apostolicas esse Ecclesias per doctrinam Apostolorum, in nomine Christi non congregari, nisi eos, qui à Christo & ipsius Evangelio non separantur. Ad. 2. ℞. eos esse Ecclesiam, qui in domo Dei permanent, largimur, solos esse, negamus; nec hoc dicit Cyprianus, nisi intelligas verba de Ecclesia Electorum, quæ arctior est Catholica:

℞. 2.

pro absoluta prædestinatione:

§. 13. (10.) Pro *absoluta prædestinatione.* & creatione sive ad decus, sive ad dedecus & interitum æternum Polanus laudat dictum Tertulliani, quod exstat lib. de resur. c. 7. *Scriptum est*: (Rom. IX. 20.) *nunquid argillæ dicet figulo: i. e. homo Deo.* ℞. Tertulliani scopus l. c. prorsus non est de absoluta aliqua prædestinatione agere, sed potius resurrectionem carnis vindicare adversus instantias Marcionitarum, eam præsertim, qua dicebant, ignobiliorem esse carnem, utpote ex limo factam, quam ut resuscitetur; hanc rationem diluit Tertullianus, & ostendit,

dit, limum in carnem esse reformatum; *Nam etsi scriptum est: Nunquid argilla dicet figulo i. e. homo Deo? Etsi Apostolus in testaceis, ait, vasculis, tamen & argilla homo, qui limus ante, & testa caro, quia ex limo per adflatus divini vaporem, quam postea pelliceæ tunicæ i. e. cutis super ductæ vestierunt.* Sensus est: hominem quidem in sacris literis adhuc dici argillam, & testam, sed per ampliationem, quia olim fuerat argilla, & lutum, unde testæ fiunt; non autem in statu, jam enim esse hominem, & carnem per Dei creationem. At quid hoc ad absolutam vel prædestinationem, vel reprobationem?

§. 14. II. *Sociniani* ex hoc seculo quædam allegare solent pro sua hæresi pallianda. Nec diffiteri possumus, Patres nonnullos saltem incautius ante Arianum certamen locutos esse, quod exemplis aliquot in medium adductis exposuimus supra art. V. p. 857. seqq. Nihilominus sunt etiam, & pleraque quidem, loca, quæ blasphemiis ipsorum minime patrocinantur, nisi velimus inter Patres referre quendam Symmachum, ex Ebioneo spermate viperam, qui *affirmavit, Christum ex Joseph & Maria prognatum, eumq; solum hominem extitisse*, referente Eusebio lib. VI. hist. c. 13. Aut Paulum Samosatenum, qui eundem errorem erravit; Cæterum indigni sunt hi hæretici, quos in censum Patrum referamus, eo quod Symmachum in suo avo confutarit Johannes ipse Apostolus; Paulum vero Antiochena Synodus Catholica proscripserit; Orthodoxos autem Patres, quos ipse, à se dissentientes, magno fastu præ sese spreverat, asseruerit. vide Euseb. lib. VII. hist. c. 23. seqq. Et quæ disputavimus art. VI. §. 25. p. 942. seqq.

II. Sociniani.

§. 15. III. *Anbaptistæ* & Sectæ homogeneæ videntur juvari illo Basilidis, quem Potamiæna convertisse traditur. Cum enim juberetur jurare, respondit: *omnino sibi non licere jurare; Christianum enim se esse.* referente Eusebio lib. VI. hist. c. 4. Bellum iidem improbant, & videntur ὁμόψηφοι esse Cypriani epist. 2. §. 3. *Madet orbis mutuo sanguine, & homicidium cum admittunt singuli, crimen est; virtus vocatur, cum publicè geritur.* ℞. ad (1.) Potamiænæ istius historiam multis suspectis narrationibus laborare

III. Anabaptistæ.

in præcedentibus ostensum est. Neque tamen nobis obest, quod de juramento negato objectum est. Qui enim ipsum tale poscebant, erant privati, & Ethnici, qui idololatricum poscebant juramentum, quo modo omnino non jurandum est. Ad 2. ℞. Cyprianum loqui de bellis injustis, quæ & nos damnamus.

IV. Syncretistæ. §. 16. IV. *Syncretistæ*. Improbant hi certamina inter dissentientes, & nolunt alterum ab altero damnari vel excommunicari, prætexentes exempla veterum, qui & ipsi variis erroribus fuerunt infecti, & tamen se invicem tolerarint. Errores supra in scandalis doctrinæ notavimus. Eusebius certè lib. VIII. hist. Eccles. c. 1. relaturus de persecutione excitata sub Diocletiano, inter alias causas refert etiam dissidia Theologorum; *cum alii aliis invidere, maledictis insectari, & prope nos ipsi inter nos petulantibus linguis, tanquam mutuis armis oppugnare, & casu aliquando verborum contumelias velut hastas unus in alium intorquere, & præsides Ecclesiarum alter alterius vires infringere, & populus in populum seditionem concitare occiperent.* ℞. ad (1.) dist. inter errores in fundamentum fidei impingentes, & leviores; Patres, qui in Ecclesia orthodoxa fuerunt habiti pro veris membris, nullis laborabant manifestis erroribus ipsum fidei fundamentum evertentibus; quamprimum enim tales in lucem emergerent, excludebantur, ut supra art. III. Sect. 5. §. 64. ostendimus. Fuerint autem nonnulli erroribus satis periculosis & crassis infecti, versabantur tamen adhuc in lucta, ut qui in ipsis nævi erant, in pertinacibus hæreses evaderent. Ad. (2.) ℞. Eusebii judicium vehementer suspectum est. Syncretismo enim & ipse Semiarianus & politicaster Theologus laboravit, quod ex variis locis patet. videatur lib. III. de vit. Const. M. c. 4. seqq. quare mirum non esset, si mitius de controversiis fidei judicasset. Possunt tamen verba bonum adhuc sensum admittere, quia Eusebius nullius certæ meminit materiæ, circa quam dissidia ista fuerint occupata, ut recte censuisse possit, si intellexit contentiones de rebus nullius momenti, vel modum moderationis transgressas, quales & nosmet improbamus.

§. 17.

§. 17. Scripsimus hactenus de sententia antiquitatis, quantum quidem per alia negocia, & angustias temporis licuit. Faxit Deus, ut in ipsius gloriam, quam intendimus, & usum Ecclesiæ Evangelicæ, qui scopus noster fuit, ita scripserimus. Confirmet iste in veritate avita, quos hactenus in ea servavit; eos autem, qui vitio temporis degenerarunt, pristinæ pietati restituat. Si quæ tibi, Evangelica Ecclesia, lis movetur de temporis præscriptione, *memento dierum antiquorum*; (Deut. XXXII. 7.) *Et cogita generationes singulas* Ecclesiarum sibi invicem succedentium, si degenerasse dicaris; Si qui spurii fœtus supponuntur, *interroga Patrem tuum* in fide ὁμόψηφον, an pro suis agnoscat? negabit ille, & *annunciabit* esse istos adulterinos: Si qui deniq; generosam tuam nobilitatem in dubium revocaverint, *majores* illi *tuos* testes oppone, ut calumnia confundatur! Tu vero, degener cœtus, in timore Domini expende, quæ scripsimus, & speramus, Deo dante, fore, ut (Ezech. XVI. 55.) *Soror tua Sodoma, & filiæ ejus revertantur ad* ANTIQUITATEM *suam, & Samariæ & filiæ ejus revertantur ad* ANTIQUITATEM *suam, & tu, & filiæ tuæ revertantur ad* ANTIQUITATEM *suam.* Ita faxit Deus ANTIQUUS dierum! Amen!

SOLI DEO GLORIA.



INDEX

Perſonarum & rerum memorabilium, ubi numerus prior ſeculum, poſterior paginam notat, cuſtodibus litteris in gratiam numerorum, vitiosè repetitorum, poſitis.

Ange-

Canon.

Chri-

Con-

Dia-

E.

Eli-

F.

princi-

I.

M.

N.

Pres-

Q.

R.

Regu-

S.

Sportu-

T.

Tele-

W.

Y.

Z.



Errata.

Ubi p. principium [illegible] medium. f. finem paginæ notat.

Pagin. 8. f. subjectum lege suspectum 41. p. aliquot-aliquod 101. p. viderunt-videtint 112. f. ille vel-illæ vel [illegible] m. privativè non-vivum-non vivus Amp[illegible]iarus-Amphiaraus 142. p. sancta-sanctus 146. m. Oreligi[illegible] O. religo 147. p. Odoctrina- O. doctrina f. pulcrum-fulcrum 160. f. Liturgia explicare-Li[illegible] giam explicare. 169. addidamentum-additamentum [illegible] p. ceroferios-ceroferarios 207. trudicatis- [illegible] incongruis 283. p. Dominii Domini 291. f. [illegible] accelebranda-acceleranda 351. Gnios, siorum- [illegible] m. ortum-orti 391. f. 62-61. 394. f. peccaretur- 395. m. [illegible] 403. m. tanum-tantum 410. p. Colorbatus-Color- f. consa[illegible] 430. m. art. 16-act. 16. 436. f. at-aut 438 m. vocant,-vo- m. & recuperand. m-ad [illegible]ecup 444. m. *adde in margine* R. ad auctoritatem 445. p. *margine* Indefic[illegible]litatem 446. p. auctoribus denominantur. *intersere*, f. alius-unius [illegible] *adde in margine* Ostenta 462. m. demum, *adde* editioni f. additas-additum 474. p. Cæciliani Cæcilii 490. f. [illegible]VIII- V[illegible] 50[illegible] p. Martyris-Martyres 540. m. adurantur-adjurantur 542. m. poue[illegible] potuerint 571. [illegible] Eccleclesiarum-Ecclesiarum 602. m. inter-ad [illegible] m. *dele* sermon[illegible] [illegible]um 627. p. reliquia-reliqua 633. p. scripturæ V. script. S. 643. m. Tertullianii-Tertulliani 645. p. veto-verò 683. f. quia-qua 685. m cogerentur-videren- 724. p. destituta-destitutar[illegible] 728 m. concreto natura personæ 736. m. Ægyptii- Ægy- [illegible] m. qu[illegible]uplicem-quadruplicem 748. f. prom[illegible]simus-præmisimus 771 [illegible] uos- [illegible] quo est idem-, quo, est idem 827 f. [illegible] p. *adde in margine* Successio 876. f. ali[illegible]quim refert circumspectus in suis relatio[illegible] [illegible]loquin circumspectus in suis relationibus refert. 881. 881. f. cissos-scissos. 884. [illegible] dimendum-dispendio redi [illegible] Euseb.-Eccles. 948 f. convuantib[illegible] [illegible]vitiantibus 969. m. disputan [illegible] [illegible]aminæa- Potamiæna [illegible] Pupianum-Pupienum esse-esset

005647 323

